INSTITUTIO THEOLOGIAE ELENCTICAE, STATUS CONTROVERSIAE PERSPICUE...

François Turrettini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
14
18 L
14[illegible]

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III . 13. c

III
12
c
67.3.5.
III
9
c

Digitized by Google

INSTITUTIO THEOLOGIÆ ELENCTICÆ,

IN QVA

STATUS CONTROVERSIÆ PERSPICUE exponitur, Præcipua ORTHODOXORUM ARGUMENTA proponuntur, & vindicantur, & FONTES SOLUTIONUM aperiuntur.

Authore

FRANCISCO TURRETTINO
In Ecclesia, & Academia GENEVENSI Pastore,
& S. S. Theologiæ Professore.

PARS TERTIA ET ULTIMA.

Bibliot. Sacr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGD. BATAVOR.
Apud { FREDERICUM HARING.
TRAJECTI ad RHENUM.
ERNESTUM VOSKUYL. 1696.
Cum Privilegio.

Digitized by Google

PIO ET BENEVOLO LECTORI

FRANCISCUS TURRETINUS

Salutem.

QUOD à Deo immortali ſupplicibus votis enixè deprecatus ſum, quum ad hoc Opus me accinxi, ut qui conſilii erat author ad illud ſuſcipiendum, idem eſſet & virium largitor ad illud perficiendum. Id me jam conſecutum eſſe αὐτὸ χαριστηρίῳ, non ſine ſingulari gaudio, & devotiſſimâ erga Patrem luminum tanti boni datorem, gratiarum actione, hîc in limine, apud te, LECTOR CANDIDE, profiteri debeo. Quamvis enim non ita apud me ſim hoſpes, ut multùm mihi pollicear de hoc qualicunque labore, & tenuitatis conſcientia facilè mihi perſuadeat, non pauca hîc deſideratum iri, quæ vel à me omiſſa, vel minùs appoſitè dicta ſunt: in eo tamen mihi non parum gratulor, quòd ſtudium ſaltem meum in aſſerenda & vindicanda Orthodoxa Veritate, Religionis noſtræ unica baſi & regula, & promovendis in ea Myſtarum noſtrorum ſtudiis pro virili probare potuerim; Certus pios Dei cultores & Veritatis amantes hoſce conatus meos æqui bonique conſulturos, & ſi quid à me peccatum fuit, ut errare humanum eſt, pro æquitate ſua facilè condonaturos.

Digitized by Google

Hac ſpe fretus, Tertiam hanc & poſtremam *Operis* hujus *Elenctici* Partem in lucem prodire patior, ut fidem datam exſolvam. Nec eſt quòd de favore tuo mihi conciliando, multùm ſollicitus eſſe debeam; Cùm ſingularis illa benevolentia, quâ priores duas, ſupra expectationem omnem meam, excipere dignatus es, & quæ non leve mihi calcar addidit ad Operis inchoati urgendam perfectionem, de illo me jam fermè ſecurum eſſe jubeat. Eóque magis quòd, quæ hîc moventur Quæſtiones, licèt numero pauciores, pondere tamen & momento leviores non ſint: Imò longè magis neceſſariæ videantur, hoc præſertim ſæculo, quô & frequentiùs recurrunt, & majori animorum contentione agitari ſolent. Quæ ratio etiam me movit, ut paulò plenius & accuratius earum Examen inſtituerem, ne quid intactum, quantùm quidem licuit, relinqueretur, quod magis facere viſum eſt ad Veritatis confirmationem, & confutationem Erroris, adductis etiam ſubinde variis celebriorum Patrum teſtimoniis, quæ fidem purioris Antiquitatis oſtenderent; imò & nonnunquam ipſorum Adverſariorum dictis, ut illos nobis etiam ſæpe non deeſſe conſtaret. Imprimis verò circa duo primaria Capita de *Eccleſia*, & de *Sacramentis*, quæ vexatiſſima eſſe, & maximè controverſa inter Nos & Adverſarios apud omnes eſt in confeſſo.

Et ſanè, quantum expediat in ECCLESIÆ diſquiſitione diligenter verſari, & argumenti ipſius dignitas, & ſalutis noſtræ ratio abundè demonſtrant. Nam, præterquam quod ex Dei mandato veræ Eccleſiæ nos adjungere tenemur, ut ſalutem conſequamur, cùm ſola ſit λαὸς Dei περιούσιος, Ovile, & Sponſa Chriſti, Gens electa & beata, cum qua Deus fœdus Gratiæ pangere dignatus eſt, cui deſtinantur beneficia Chriſti, & ad quam ſolam pertinent promiſſiones ſalutis; Artes & technæ multiplices Adverſariorum, quibus veram ejus naturam & germanam faciem obſcurare modis omnibus conantur, neceſſitatem iſtam nobis imponunt, ne fallaci larvâ decepti, adulteram pro Sponſa, Cœtum Malignantium pro Eccleſia Chriſti, & Babylonem pro Sione ſequamur. Nemini quippe obſcurum eſt, quanto molimine & fraude ſategerit ſemper Satan primarium hoc Fidei caput corrumpere, tum inter varios

varios hæreticos, quà veteres, quà recentiores, tum potissimùm apud Pontificios, qui totam doctrinam istam miris illusionibus, & vanissimis præjudiciis pervertere conati sunt, & vel in eo præ cæteris, quod est πρῶτον eorum ψεῦδος, quô alia omnia nituntur, dum in veræ Religionis inquisitione, non Ecclesiam ex Doctrina, ut omnino fieri debuit, sed Doctrinam ex Ecclesia ordine præposstero judicari volunt; Atque in eo præcipuam victoriæ spem collocare solent, ad ejus Autoritatem velut ad tutissimum azylum se perpetuò recipientes, quoties ex aliis disputationibus fracti & victi recedunt. Ex quo enim propriâ experientiâ edocti Scripturam minus sibi favere agnoverunt, adeóque sibi necessariò causâ cadendum esse, si ex ea sola de Articulis inter nos controversis judicium fieret; hinc factum ut de alio causæ suæ laboranti fulcro quærendo cogitârint, & Traditiones ἀγράφους Scripturæ adjunxerint, quæ *pari fide & pietatis affectu & reverentiâ* susciperentur, ut ex his suppleretur, quod illi ad perfectam fidei & morum regulam deesse arbitrantur. Sed cùm neque hac ratione satis rebus suis prospectum esse cernerent, siquidem vox Traditionis infida & suspecta, dubiæque & subleste fidei, animum mirè anxium & ancipitem non potuit non reddere; Ad Ecclesiæ tribunal tandem, tanquam ad sacram anchoram, & Oraculum infallibile, deventum est, à cujus dictamine & nutu pendeat Scripturæ, & Traditionis ipsius interpretatio, & autoritas. Et quò faciliùs intentum aslequantur, & motam adversus se litem uno verbo dirimant, non alibi quàm apud se quærendam esse Ecclesiam istam infallibilem ausu temerario contendunt, ut ita in propria causa Judices sedeant, & multiplex erroris ac idololatriæ crimen sibi impactum vanâ istâ præsumptione diluant. Quomodo olim Sacerdotes & Scribæ apud Jeremiam, variorum criminum postulati, se solos sapere, & Jehovæ Legem penes se esse inani jactantiâ clamitabant. Quæ agendi ratio eò magis illis allubescit, quòd nulla alia facilior videtur ad errores suos simplici popello & imperitæ multitudini obtrudendos, nulla commodior ad veritatis disquisitionem, & doctrinæ examen, quod meritò expaveseunt, declinandum. Ut hostes, qui in aperto campo consistere non valentes, in sylvas & dumeta se condunt, ut

salebris, quarum nullus exitus, arceant persequentes, & objectis impedimentis, ac excitato pulvere sui conspectum furentur, legitimum fugiant congressum, aciem commutent pro libitu, & faciliùs imminenti periculo se subducant. Ita isti splendidum Ecclesiæ titulum, & speciosum Antiquitatis, & Infallibilitatis nomen obtendunt, ut non modò dogmata sua sint in tuto, ab omni disceptationis semota periculo, sed & ipsi superbè supra cæteros sese efferant, & quasi victores & triumphatores leges aliis ponant, quibus omnes cæcâ obedientiâ se subjicere teneantur: Quo quid à ratione sit alienius, quid malæ fidei, & deploratæ causæ clarius argumentum præbeat, dici sanè non potest. Cùm enim de ipsa potissimum controvertatur Ecclesia Romana, An vera sit & genuina Christi Ecclesia, cæterarum Domina & Caput, An verò gravissimorum errorum, quorum à nobis accusatur, rea sit; Quâ fronte, quod omnium maximè controversum est, tanquam principium indubitatum supponunt, & à nobis sine examine recipi volunt? An hoc est crimen objectum purgare? An potiùs pessimis artibus judicium subterfugere & eludere? Eò etiam pertinet, quòd cùm Ecclesiæ natura ex solo Verbo petenda esset, ubi vera ejus idea certissimè exhibetur, illam ad Helenæ suæ vultum insano artificio depingere satagunt, nec verentur in ejus definitione mentionem Romani Pontificis injicere, quasi faciat ad ejus essentiam, is quem ad Ecclesiam posse non pertinere agnoscunt. Hac fraude Bellarminus Tractatum de Ecclesia, libris de Conciliis & Pontifice subjecit, nimirum Lectorem suum ante voluit Conciliorum præjudiciis capi, & Pontificis religione, ceu quibusdam mysteriis imbui, quàm ad Ecclesiæ, (cujus tamen ipse Romanus Episcopus pars erat, si modò pars, & Concilia imago seu Epitome quædam) nativam indolem conspiciendam admitteretur. Nec absimili fallaciâ fit, ut legitimarum distinctionum terminis ablatis, omnia miserè confundant, dum quæ Capitis & Domini sunt, servis sacrilegè tribuunt, Quæ sunt Ecclesiæ Catholicæ propria, Romanæ adscribunt, quasi Orbis non esset major Urbe; Quæ ad cœlestem pertinent promissiones, terrenæ privilegia absurdè censeri volunt; Et glorioſæ prærogativæ & axiomata, quæ Ecclesiæ invisibili verorum

rum Christi membrorum quoad statum internum tribuuntur, ad Ecclesiam visibilem & repræsentativam in statu externo insciтè transferunt. Quo fit ut vera & germana Ecclesiæ facies obscuretur, & tantùm non deleatur, & aliena planè ac adulterina inducatur: Ne jam dicam, errore non minus capitali, Ministerio in Magisterium mutato, & ἱερωσύνη in ἱεραρχίαν, legitimi regiminis rationem in tyrannicam dominationem, adversùs quam ne hiscere quidem liceat, degenerâsse.

Hæc verò talia sunt, ut quantum sit Controversiæ istius momentum jam satis pateat; Maximè cùm eò res tandem redierint apud ipsos, ut ex hoc solo Capite omnia pendere velint, & eò revocentur omnes illæ Methodi, quæ tanto cum apparatu obtrudi solent, ut commodissimæ & compendiosissimæ ad Errantium Conversionem. Eò quippe pleræque omnes tendunt, ut misso Doctrinæ examine, tanquam nimis operoso, longo, & ancipiti, sola urgeatur *Autoritatis via*, ut ab Ecclesia initium ducatur, & super eam vertatur præcipuus Disputationis cardo. Sub hac nimirum spe, quòd assertâ semel ejus infallibilitate, falsisque & spuriis, quas illi adscribunt notis, antiquitate, successione, multitudine, splendore, duratione, miraculis, aliisque id genus, quas sibi solis competere gloriantur, Romana Ecclesia sola vera & Catholica censeri debeat, extra quam non sit salus; Nostra verò eo ipso tanquam novitia, omni legitimâ vocatione destituta, schismatica, & hæretica nigro thetâ notetur. Hæc est via, quæ tutissima visa est, post Perronium, Bellarminum, & alios, magno *Richelio* ad reducendos in Ecclesiæ gremium, qui ab ea secessionem fecerunt, Quam *Walemburgii Fratres* sequuntur, Ad quam accedit *Arnaldus* in ingenioso, sed vanissimo figmento de Perpetuitate Fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam; Quam adoptat *Ill. Bossuetus* in Expositione Doctrinæ Catholicæ, & in Collatione cum Celeberr. Claudio. Et quam præ cæteris urget *Autor Libri de Præjudiciis*, qui iniquissimè contendit causam nostram, etiam non excussam nec cognitam, solis præjudiciis rectè damnatam fuisse ab Ecclesiâ Romanâ, nosque, etiam inauditos, jure condemnari posse tanquam Schismaticos, & ab Ecclesiæ unitate separatos; nec

eru-

erubescit eò impietatis prorumpere, ut dicat cap. 7. *Etsi Ecclesia Romana hæretica esset & idololatrica, nullum cuiquam jus esse vel eam condemnandi, vel ab ea secedendi.* Nec aliò spectant novellæ *Methodi* à Clero Gallicano nuper propositæ, & à Methodistis & Missionariis recentioribus emendicatæ, quàm ut Veritatis ratione posthabitâ, de unius Ecclesiæ cognitione solliciti simus. Quantùm interfit verò vanitatem istorum præjudiciorum, quibus animi fascinantur, retegere, & larvam fallacem detrahere, quâ simplicioribus imponunt, quivis satis intelligit. Amplissimus utique scribendi campus, qui materiam non unius Tractatus, aut paucarum Quæstionum, sed multorum Voluminum suppeditare queat. In quo magnorum Virorum singulari cum laude se exercuit industria, qui doctissimis suis lucubrationibus hoc argumentum solidè & feliciter sunt executi. Quorum nos relegentes vestigia, licèt non passibus æquis, in paucas paginas contrahere conati sumus, quæ illi fusiùs tractârunt, & brevi Synopsi includimus præcipuas, quæ hîc moveri solent Quæstiones; In quibus enucleandis ita versati sumus, ut brevitati quantùm fieri potuit, consulentes, nodos tamen qui occurrebant vindice dignos insolutos non reliquerimus, ne scrupulum ulteriùs studiosis creare, vel negotium facessere possint.

Non absimile studium à nobis est adhibitum in altero Capite longè gravissimo de SACRAMENTIS, & in specie de EUCHARISTIA exequendo, quod non minori fervore hoc nostro seculo ventilatur; Satanâ in id enitente, ut quæ data nobis erant à Deo in gratiæ sigilla, & sacræ communionis vincula, fierent μῆλον ἔριδος, & contentionis funestissimæ argumentum, quo ab invicem studiis animísque Christiani dividerentur. Nec quemquam latet *Missam* hodie insigniorem esse Romanæ Ecclesiæ characterem, quem suscipere tenentur, quotquot illi nomen dare voluerint, & Sacrum, quò nullum sanctius & venerabilius dari possit apud ipsos, tanta est ἐνεργεία τῆς πλάνης, pro qua ideo retinenda tanquam pro aris & focis decertare solent. Quam nos tamen, ut fœdum iniquitatis Mysterium, Religionis Christianæ dehonestamentum, Sacrificii Christi abnegationem, & βδέλυγμα ἐρημώσεως meritò aversamur; Ut vel solum

ſolum hoc Caput ſuffecerit ad neceſſitatem Seceſſionis ab Eccleſia Romana nobis imponendam. Quot & quantæ verò de hoc argumento & præterito ſeculo, & hoc noſtro motæ ſint Diſputationes, Quot Scripta utrinque in lucem miſſa; Quot collationes inſtitutæ, referre nihil attinet, cùm res ſit in propatulo. Nec obſcurum eſſe poteſt, quàm ſplendidos Veritas de Errore triumphos ſæpiùs reportârit per eximiorum Dei Servorum labores, quibus tantùm abeſt ut intercedere velimus, vel quicquam illis detrahere, ut tanquam utiliſſimos & lectu digniſſimos commendemus. Quia verò ſine magno laboris & temporis impendio tot volumina perlegi non poſſunt, ut eorum commodis conſuleremus, qui vel habere ea non poſſunt, vel quibus ea luſtrare non vacat, in compendium cogere ſtuduimus, quæ huc maximè faciebant, tum ad Sacramentorum naturam, numerum, & uſum aſſerendum, tum ad Euchariſtiæ myſterium, prout à Chriſto in principio eſt traditum, explicandum, profligatis craſſiſſimis circa illud Adverſariorum erroribus, quales ſunt S. Cœnæ mutilatio per ſacrilegam Calicis ablationem & Communionem ſub una ſpecie, monſtroſum Tranſubſtantiationis commentum, abſurdiſſimum Præſentiæ corporalis, & oralis manducationis figmentum, Sacrificii Miſſatici impietas, & idololatrica Euchariſtiæ adoratio. Quibus addidimus quinque falſorum Sacramentorum, ab iis contra Scripturæ fidem invectorum, confutationem.

Hiſce verò omnibus ſubjungendum duximus tandem Locum de *Noviſſimis*, quô clauditur totius Elencticæ noſtræ Syſtema; Ubi, quæ ad *Reſurrectionem corporum*, *Conſummationem ſeculi*, *Judicium ultimum*, & *Vitam ac Mortem æternam* pertinent, ſed paucis & ſtrictim, quia non tanta eſt Controverſiarum ſeges, attingimus. Fateor plures quæſtiones circa ſingula hæc capita moveri adhuc potuiſſe, ſed quæ conſultò à nobis prætermiſſæ ſunt, vel quia minus neceſſariæ viſæ ſunt, vel quia alibi ventilatæ ſunt à nobis, vel ex iis, quæ hîc diſcuſſæ ſunt, facilè ſolvuntur. Interim quid à nobis præſtitum fuerit, tuum erit, LECTOR CANDIDE, judicare. Hoc unum profiteri ingenuè poſſum, me in hoc Opere ſinceritatem & animum præjudiciis omnibus vacuum adhibuiſſe, &

id potissimùm negotii mihi dedisse, ut nec in me candor in aliorum sententiis referendis, nec diligentia in expendendis, nec moderatio in refellendis desideraretur; nihilque mihi quæsivisse, sed uni veritati, quantum quidem à me perspici potuit, litâsse, cujus victoria & triumphus unicè nobis proponendus. Quòd sicubi scopum hunc non assecutus fuero, minus mirabitur, qui novit, quàm difficile sit inter tot Symplegadas & intricatarum Quæstionum scopulos cursum ita dirigere, ut nuspiam illidamus vel hæreamus, eò magis quod ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Cæterùm, ut nihil mihi prius & antiquius semper fuit, quàm Veritatis depositum illibatum servare, & ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων sollicitè retinere; Te etiam non alio animo ad mea legenda accedere velim, quàm veritatis quærendæ & sequendæ studio, ut verè loquentem audias, errantem autem fraternè corrigas, *Me non pigebit*, cum August. l. 1. de Trin. c 2. *sicubi hæsito quærere, nec pudebit, sicubi erro discere.* Ideo *quisquis hoc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum, ubi pariter hæsitat, quærat mecum, ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me, ubi mecum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum, Quæramus faciem ejus semper.*

Ex iis porro, quæ à nobis in hoc Opere dicta sunt, quantum sit inter Nos & Pontificios circa primaria & fundamentalia Fidei Capita sententiarum divortium, patet; Et quàm turpiter hallucinentur, & vanâ spe se lactent, qui hodie commodis suis consulturi, & se persecutionibus subducturi, vel fœdâ apostasiâ à fide deficiunt, vel consilia henotica renovant, & varias, sed suspectas & infidas conciliationis rationes quærunt. Cùm enim constet Romam velle dominari, non corrigi, & leges aliis imponere, sed nihil de erroribus suis remittere, vanum etiam & frustraneum, imò & periculosum esse hoc consilium nemo non videt, quod tristis experientia nimis sæpe docuit. Pax quidem, fateor, tantum est bonum, ut non modò optanda, sed & studiosè quærenda sit; Sed ubi ea sine veritatis dispendio haberi non potest, nec vera & sincera conciliatio, & errorum reformatio quæritur, sed eorum tantùm incrustatio, & conscientiarum à Christo redemptarum in pristinum servitutis

tutis jugum reductio: Abſit à nobis tam inſidioſæ & inauſpicatæ pacis vel ſola cogitatio: Quid luci cum tenebris, & Veritati cum mendacio? Quid libertati cum tyrannide? Quid Templo Dei cum Idolis? Quæ communio Chriſti cum Belial? Valeant qui iniquiſſimam hanc pacem quærunt, quæ ſine veritatis & ſalutis, quâ nihil nobis debet eſſe carius, jacturâ obtineri non poteſt, quicquid aliunde commodi & utilitatis inde expectari poſſet, non ſi vel mundus univerſus lucrandus eſſet; quid enim juvaret mundum lucrari, ſi animæ jacturam facias? *Volumus & nos pacem*, verba ſunt Hieronymi ad Theoph. quæ huc maximè quadrant, *& non ſolùm volumus, ſed & rogamus; Sed pacem Chriſti, pacem veram, pacem in qua non ſit bellum involutum, pacem, quæ non ut adverſarios ſubjiciat, ſed ut amicos jungat. Quid dominationem pacem vocamus, & non reddimus cuique rei vocabulum ſuum?* Talem autem expectari poſſe cum iis, qui à nobis hîc diſſident, quis niſi rationis expers dixerit? Quandiu enim Roma falſâ Infallibilitatis ſuæ opinione ebria, ſua omnia etiam abſurdiſſima tueri geſtiet, & diſſentientes iniquiſſimo hæreſeos & ſchiſmatis præjudicio opprimere tentabit; Quandiu ſub anathematis pœnâ credendum imponetur quicquid à Concilio Tridentino definitum fuerit, & quicquid Pontifici ſancire libuerit. Quandiu urgebitur Traditionum ἀνάφαν neceſſitas, Religioſus creaturarum cultus, Euchariſtiæ adoratio, Sacrificii Miſſatici fides, Tranſubſtantiationis figmentum, Juſtificatio per opera, Eccleſiæ Romanæ infallibilitas, & tyrannicus Papæ Primatus, & alia id genus cruda dogmata, quæ δὶς δῆς πιστῶν veritati Evangelicæ, & libertati Chriſtianæ adverſantur; Quodnam poterit eſſe conciliationis ſtudium, niſi vanum & illuſorium? Nec hîc audiendi ſunt, qui volunt multa per calumniam & falſò affingi Pontificiis, quæ nec ipſi doceant, nec ex ipſorum doctrina fluant niſi per violentas & detortas conſequentias, & has quidem rejectas & reprobatas. Quia res ipſa contrarium clamat, & Opus hoc noſtrum paſſim vanitatem iſtius Exceptionis ſatis demonſtrat. Quid enim? An per conſequentias, & quidem violentas impingitur Pontificiis, quòd credant Traditiones firmâ fide & pari pietatis affectu & reverentiâ recipiendas eſſe cum Verbo ſcripto? Quòd ſit procumben-

dum cultu religioso coram Imaginibus Dei, Christi, Virginis, & Sanctorum? Quòd Sancti sint invocandi? Quòd Sacramentum cultu latriæ sit adorandum? Quòd Communio sub una specie sit retinenda? Quòd Missa sit sacrificium hilasticum verè & propriè ita dictum? Quòd Justificatio non fiat solâ fide, sed & operibus? Quòd Purgatorium, & Satisfactiones humanæ dentur, & cætera, quæ Pontificii directè & positivè profitentur & doctrinâ & praxi? Rursus, si per consequentias aliquid illis impingitur, quænam calumniæ labes potest subesse, quando deducuntur, non ex falsò affictis & per vim detortis verbis, sed ex palàm assertis, ex sententia & praxi publica & constanti Ecclesiæ? Quomodo fallere possunt illæ consequentiæ, quibus ex positione unius contradictorii absolutè in Scriptura enunciati, infertur rejectio alterius, verbi gratiâ, Quum ex eo quòd Scriptura dicit Deum solum esse adorandum, non faciendas, nec colendas Imagines, unum tantùm esse Mediatorem Christum, unum in cœlis Advocatum apud Deum, unicum Sacrificium semel oblatum, quò plena peccatorum facta est expiatio, infertur præter Deum nullas creaturas esse adorandas, nullos Sanctos invocandos, nullas colendas Imagines, nullos alios Mediatores & Intercessores dari præter Christum, præter Sacrificium Crucis nullum aliud esse posse sacrificium propitiatorium; Et sic de pluribus aliis, quæ perperam ex eorum doctrina elici nemo dixerit, nisi qui se ipsum excæcare voluerit. Nec harum consequentiarum evidentia, vel obscurari, vel enervari potest, vanissimis quibusque distinctionibus, quas nec Scriptura tradit, nec purior Antiquitas novit, nec plebs intelligit, nec praxis publica & constans observat, imò palam destruit & convellit. Incassum etiam ad abstergendas maculas, quibus fœdatur Ecclesia Romana, recurritur ad Elucidationes & Expositiones Doctrinæ Catholicæ, quasi hactenus vel non bene percepta fuerit, vel injustè erroris ullius accusata. Qualescunque enim colores & fuci quærantur ad eam incrustandam, non efficietur unquam, ut quæ tot authenticis documentis & testibus constant, quæ toties in Scriptis illorum leguntur, quæ in publica hominum luce etiam hodie versantur, quæ facta hactenus & dicta, & porrò fieri & dici persuasum habemus, ea

ut

ut indicta vel infecta credamus, quia hic vel ille ita statuit. Imo, si bene rem putamus, clarum est, quicquid afferatur ad emolliendam crudorum dogmatum duritiem, non tamen recedi à sententia Concilii Tridentini, & nihil remitti de Ecclesiæ ἀναμαρτησίᾳ & Papæ primatu; Et si quæ proponuntur, nobis utcunque faventia, vel ad nos propiùs accedentia, ea vel esse ἀσύστατα, vel ad fucum faciendum tantùm appositа, ut blandis istis verbis & ad fallendum compositis, faciliùs incautis imponant, & in retia sua eos attrahant.

Sed quia facilè agnoscunt illecebras istas, & σοφισμένους λόγους, insidiosasque methodos parùm profuturas apud pios Dei cultores, qui ὑποκρισιν ψυδολόγων fugere didicerunt, & vocem Extraneorum à voce veri Pastoris discernere nôrunt, aliâ idem aggrediuntur viâ, ut quod blanditiis & promissionum dulcedine obtinere non potuerunt, minarum severitate, & persecutionum violentiâ efficiant; in quo satis produnt quàm alieni sint à Christi doctrinâ & exemplo, & Spiritus Evangelici genio, qui fidem vult persuaderi, non imperari, & conscientias veritatis demonstratione convinci, non vi tyrannicâ ad obsequium cogi. Non est hujus loci, nec instituti nostri magnitudinem & diritatem istarum calamitatum recensere, & pessima referre molimina, ac nefarias artes, quibus Clerus Pontificius insano Religionis percitus odio, ubique fermè grassatur ad piorum fidem & constantiam frangendam, & Religionis πανοπλίαν procurandam; quorque, & quàm feralia in eam rem sub vanissimis prætextibus jam extorserit, & quotidie extorqueat Edicta. Nam præterquam quod hæc ita in vulgus nota sunt, ut à nemine ignorari queant, *tot tantisque malis*, *non tam prolixi libri*, *quàm prolixi fletus & gemitus debentur*, ut de calamitate sui temporis loquebatur Aug. Epist. 122. Quis enim siccis oculis mœstissimam Ecclesiæ ubique fermè oppressæ, & tantùm non sub onere fatiscentis faciem intueri queat? Quis non commoveretur ad tot Ecclesiarum funera, tot Templorum ruinam, tot fidelium Dei Servorum proscriptiones & exilia, tot Gregum Christi dissipationem? tot Scholarum & Academiarum excidium? Ferrei sanè & saxei pectoris esse oportet, quem non tangunt gravia ista Sionis vulnera, & suspiria & sin-

gultus tot afflictorum ad Deum clamantium, & amarè lugentium, non commodorum modò & dignitatum, & rerum quarumcunque in vita dulcissimarum jacturam, sed quod quibusvis vitæ bonis, imò vitâ ipsâ longè precio sius, libertatem conscientiarum oppressam, durissimam Verbi Divini famem inductam, Ministerii Candelabrum ablatum, & publicum Religionis exercitium, præsentiæ Dei gratiosæ pignus, amissum.

Sed in tanta calamitate pii tamen nunquam vel animum despondent, vel suam in Deum fiduciam abjiciunt, ut ψιθύριστοι fiant; Imò dum recordantur se non propter ullum scelus, sed propter justitiam talia ab hominibus pati, non alia de causa, quàm quia fidem datam Christo servare volunt, nec tyrannico servitutis jugo colla subdere possunt, & coram idolis genua flectere, in eo cum Apostolis lætantur, quòd digni inveniantur pati pro Christo; Et in silentio & patientia, serioque pœnitentiæ studio animas possidentes, adversus quasvis ærumnas spe auxilii divini se erigunt, cum Ecclesia apud Michæam cap. 7. ingeminantes, *Ego ad Jehovam respiciam, Expectabo Deum salutis meæ, Audiet me Deus meus: Ne lætare inimica mea propter me, si ceciderim, surgam, si sedero in tenebris, Jehova lux mea erit. Indignationem Jehovæ feram, quoniam in ipsum peccavi, donec disceptet causam meam; & faciat judicium meum, educet me in lucem, & videbo justitiam ejus.* Nôrunt quippe hæc omnia, quæ illis solo veritatis odio ab hominibus infliguntur, mala, non sine Numine contingere, sed justissimâ Dei providentiâ ita dispensari ad explorandam fidem suam, & castiganda peccata. Nec diffitentur se meritissimè à Deo corripi, imò graviora longè esse commeritos, si cum ipsis rigidè, & non ex misericordiâ Deus ageret. Nôrunt quin etiam tempus esse, ut judicium incipiat à Domo Dei, ut quos impensiùs amat, sub crucis disciplinâ severiùs exerceat, ad eos à peccatis purgandos, ne cum mundo pereant. Et ad opus hoc extraneum ipsum uti sæpe hominum operâ, tanquam baculis furoris sui, & iræ suæ ministris. Sed pro certo habent vicissim, Nec impios impunè laturos, sed suo etiam tempore pœnas crudelitati suæ debitas luituros; Nec Deum adversus suos in perpetuum irasci, sed in ira miserationum

sua-

ſuarum ſemper recordari, nec Sionis unquam obliviſci; Eundem qui percutit, curare, qui vulnera facit, eadem obligare, & qui morte afficit, in vitam reſtituere; Nec paſſurum unquam, ut portæ inferorum, & qualeſcunque Satanæ conatus prævaleant adverſus Eccleſiam, vel ut virga impietatis quieſcat in perpetuum ſuper ſortem juſtorum; recedere quidem tantiſper, & ſigna præſentiæ ſuæ ſubducere peccatoribus, ad contemptum Verbi ſui vindicandum, & plectendam ſuorum inobedientiam & impietatem; Sed ſi ſeriâ pœnitentiâ ducti peccata ſua defleant, & reos ſe fatentes uſque ad percutientem ſincerè ſe convertant, ſi Gloriam Domini ex Templo recedentem, pietatis non fucatæ ſtudio, & ſanctâ zeli ferventis violentiâ revocare & retinere ſatagant, tum demum experiri, quàm bonus & miſericors ſit Dominus erga timentes ipſum. Nec quantacunque malorum mole prematur Eccleſia, opprimi unquam & obrui eam poſſe ſibi perſuadent, oppugnari quidem ſæpius, ſed non expugnari, pulſari, ſed non vinci, jactari diverſimodè, ac procelloſi hujus mundi maris fluctibus tantùm non hauriri, ſed, ad modum Arcæ immerſabilis undis, penitus non ſubmergi, uri perſecutionum æſtu, ſed ad inſtar rubi ardentis, non conſumi, tentationum turbine graviter concuti, ſed ut domum Rupi ſuperſtructam nunquam everti. Unde in quaſcunque redigantur anguſtias, ſub ſpe contra ſpem cum Abrahamo credunt, & omni humano auxilio deficiente, divinum ſibi non defuturum confidunt. Quò gravior eſt calamitas, ubi omnia jam conclamata & deſperata videntur, eò propiorem ſciunt eſſe Dei liberationem; & dum duplicantur lateres, Moſem præ foribus eſſe bene augurantur. Hoc ſolatio ſe ſuſtentant in hâc mundi ſenectâ, & luctuoſiſſimo in primis hoc tempore, quô, ut *Poteſtas tenebrarum* impotentiùs graſſatur, eò *Patientia Sanctorum* magis roborari debet; ne unquam animo concidant, ſed inſtar palmæ victricis, quò plus premuntur altiùs aſſurgant; ut corda ſua muniendo clypeo fidei, thorace juſtitiæ, & galeâ ſalutis, imperterriti ſtent & immoti ad quoſvis Satanæ impetus, Et erroribus Veritatem; peccatis juſtitiam, Et calamitatibus ſpem ſalutis vividam opponentes, in omnibus in Chriſto ὑπερνικῶσι.

Ut

Ut verò scopum hunc mihi etiam in hoc Opere propositum fuisse profiteor, ut magis magísque radicati in veritate & pietate κεφαλῶμεν ἀκλινῆ τὴν ἐλπίδα & ὁμολογίαν; Ita bene mecum actum esse putabo, si ad id non inutilem omnino laborem meum fuisse intellexero, Et si hoc quicquid est operæ Tibi, LECTOR BENEVOLE, non improbatum fuisse agnovero. Nostrum est interim, in specula stantes attendere ad vias Domini, & lachrymis, precibus, ac suspiriis pacem Jerosolymorum fervidè ab eo expetere; nec requiem illi dare, donec misertus afflictissimi populi sui, surgat in ejus auxilium, & causam suam disceptet, ut terram, quâ nunc tot locis tegitur cœlum Ecclesiæ, malorum caliginem brevi discutiat, & gratam salutis lucem reducat, afflictis solatium, captivis libertatem, profugis tutum in patriam reditum, Pastores Gregibus, Greges Pastoribus, omnibus Sacra sua, carissima præsentiæ suæ pignora reddat, & perpetim conservet ad Nominis sui gloriam, & Regni Christi incrementum.

ELEN-

ELENCHUS LOCORUM, ET QUÆSTIONUM,

QUÆ IN HOC VOLUMINE Tractantur.

LOCUS DECIMUS OCTAVUS DE ECCLESIA.

QUÆSTIO I. *De Necessitate Tractationis de Ecclesia, Et an Ecclesiæ cognitio præcedere debeat cognitionem doctrinæ?* Pag. 1

Q. II. *De Ecclesiæ Voce, Homonymiâ, & Definitione.* 7

DE ECCLESIÆ MEMBRIS.

Q. III. *An præter Electos vocatos, etiam Reprobi & infideles, sive occulti, sive manifesti, sint vera Christi Ecclesiæ membra?* Neg. contra Pontificios. 12

Q. IV. *An Catechumeni non baptizati, Excommunicati, & Schismatici pertineant ad Ecclesiam?* Dist. 25

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Q. V. *Quo sensu Ecclesia Una dicatur?* 29

Q. VI. *Quo sensu Ecclesia Catholica dicatur?* 32

DE ECCLESIÆ INVISIBILITATE.

Q. VII. *An vera Ecclesia rectè dicatur Invisibilis?* Affirm. contra Pontificios. 35

DE ECCLESIÆ PERENNITATE.

Q. VIII. *An Ecclesia vera sit indefectibilis, quæ semper fuerit in mundo, & semper esse debeat usque ad consummationem sæculorum?* Affirm. contra Socin. 45

DE ECCLESIÆ SPLENDORE.

Q. IX. *An Ecclesia debeat esse in perpetuo splendore & eminentiâ; An verò possit aliquando ita obscurari, & imminui, ut nullus ejus Cœtus in terris publicè appareat?* Prius Neg. Posterius Affirm. contra Pontificios. 52

Q. X. *Ubinam Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zwinglium, & quibus modis sit conservata?* 64

DE ECCLESIÆ INFALLIBILITATE.

Q. XI. *An Ecclesia sit infallibilis, An verò errare possit circa fidem?* Prius Neg. Posterius Affir. cont. Pontificios. 77

DE VERIS ECCLESIÆ NOTIS.

Q. XII. *An Veritas Doctrinæ, quæ in Cœtu aliquo obtinet, seu conformitas cum Dei Verbo per puram Verbi prædicationem & professionem, & legitimam Sacramentorum administrationem & usum, sit nota verè Ecclesiæ visibilis?* Affir. cont. Pontif. 96

Q. XIII. *An Nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio continua, Amplitudo, Successio Episcoporum, Conspiratio in Doctrina cum Ecclesia antiqua, Unio membrorum inter se & cum Capite, Sanctitas Doctrinæ, ejusdem Efficacia, vitæ Sanctimonia, Gloria miraculorum, Lumen Propheticum, Confessio Adversariorum, Infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & eorum qui ipsam defenderunt temporaria felicitas sint notæ verè Ecclesiæ?* Neg. cont. Pontif. 108

Q. XIV. *Num Ecclesia Romana hodierna vera dici possit Ecclesia Christi?* Neg. contra Pontif. 135

Q. XV. *An Ecclesiæ Evangelicæ & Reformatæ sint verè Ecclesia Christi?* Affirm. 153

DE REGIMINE ECCLESIÆ.

Q. XVI. *An Regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum?* Neg. cont. Pontif. 164

DE PRIMATU PETRI.

Q. XVII. *An Petrus fuerit Pontifex Oecumenicus, & Caput Ecclesiæ, ac Vicarius Christi?* Neg. cont. Pontif. 173

Q. XVIII. *An Petrus Romæ fuerit, ibique Episcopatum per plures annos tenuerit?* Neg. cont. Pontif. 188

DE PRIMATU PAPÆ.

Q. XIX. *An Papa Romanus sit Successor Petri in Monarchia, seu Oecumenico Pontificatu?* Neg. 198

Q. XX. *An Primatus, qui obtinet in Ecclesia Romana ab initio sit constitutus? An verò paulatim & per gradus in decursu seculorum invectus sit?* Prius Neg. Posterius Affir. 210

DE

LOCORUM ET QUÆSTIONUM.

DE DISTINCTIONE EPISCOPI ET PRESBYTERI.

QUÆSTIO XXI. *An Episcopatus sit Ordo, aut gradus Hierarchiæ à Presbyteratu distinctus, & superior Jure divino?* Neg. Pag. 222

DE VOCATIONE PASTORUM.

Q. XXII. *An necesse sit dari Ministerium Publicum, & Vocationem ad illud in Ecclesia?* Affirm. contra Fanaticos & Enthusiastas. 234

Q. XXIII. *Quotuplex sit Vocatio ad Ministerium, & An ordinaria semper sit necessaria?* Dist. 240

DE JURE VOCATIONIS.

Q. XXIV. *An Jus eligendi & vocandi Pastores ad solos Episcopos pertineat, An verò ad totam Ecclesiam?* Prius Neg. Posterius Affir. contra Pontif. 249

DE VOCATIONE PRIMORUM REFORMATORUM.

Q. XXV. *An Vocatio Primorum Reformatorum fuerit legitima?* Affir. contra Pontif. 262

DE CONJUGIO CLERICORUM.

Q. XXVI. *An Calibatus perpetuus ex instituto Apostolico, Ordini Sacro necessario sit servandus? An verò licitum sit Ministris sacris Conjugium?* Prius Neg. Poster. Affir. contra Pontif. 275

DE IMMUNITATE CLERICORUM.

Q. XXVII. *An Personæ Ecclesiasticæ exemptæ sint à Jurisdictione & subjectione Magistratûs Civilis?* Neg. contra Pontif. 289

DE STIPENDIIS MINISTRORUM, & BONIS ECCLESIASTICIS.

Q. XXVIII. *An Ministris Ecclesiæ aliquod stipendium debeatur?* Affir. contra Anabapt. 300

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Q. XXIX. *An Ecclesiæ aliqua Potestas spiritualis competat, distincta à Politica?* Affir. 306

Q. XXX. *An Potestas Ecclesiastica versetur circa dogmata fidei, & circa Symbola & Confessiones Fidei?* Affir. 314

Q. XXXI. *An Ecclesiæ competat Potestas Legislatoria propriè dicta Leges ferendi, quæ conscientiam per se obligent. An verò* Μετανοητὰ *tantum Constitutiones & Canones ad* εὐταξίαν *sanciendi?* Prius Neg. Poster. Affir. contra Pontificios. 319

ELENCHUS

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA, & EXCOMMUNICATIONE.

QUÆSTIO XXXII. *An Ministris sacris competat Potestas spiritualis peccatores contumaces & scandalosos excommunicandi?* Affir. contra Erastum & Sequaces. pag. 327

DE CONCILIORUM ORIGINE & AUTORITATE.

Q. XXXIII. *An proprium sit Pontificis Romani indicere & cogere Concilia, iis præesse, & autoritatem ipsis conferre infallibilem in dogmatis Fidei & Religionis? Et an recipiendum sit Concilium Tridentinum?* Neg. contra Pontificios. 342

DE POLITICA ECCLESIÆ GUBERNATIONE.

Q. XXXIV. *Quodnam sit Jus Magistratûs Christiani circa Sacra, Et An Cura & Cognitio de Religione ad eum ullatenus pertineat?* Aff. 353

LOCUS DECIMUS NONUS DE SACRAMENTIS.

DE VOCE, & DEFINITIONE SACRAMENTI.

QUÆSTIO I. *Quid sit Sacramentum quoad nomen, & quoad rem?* 375

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

Q. II. *An necesse fuerit Sacramenta in Ecclesia instituì, & An usus eorum sit necessarius?* Dist. 382

DE SIGNO SACRAMENTALI.

Q. III. *Quænam sit natura signi, quod requiritur in Sacramento?* 385

DE UNIONE SACRAMENTALI.

Q. IV. *An forma Sacramentorum essentialis & interna sita sit in relatione signi ad signatum, & in eorum unione mere* χεπχῆ. Affir. cont Pontificios. 388

Q. V. *An Sacramenta sint tantùm nota & tessera Professionis nostræ? An verò etiam signa & sigilla gratiæ Dei, de remissione Peccatorum & regeneratione Spiritus?* Affirm. cont. Socin. & Pontif. 391

DE VERBO SACRAMENTALI.

Q. VI. *An Verbum Sacramentale sit Verbum prædicatum & concionale, An verò*

verò consecratorium, quod sit operativum? Prius Affirm. Poster. Neg. contra Pontif. Pag. 395

DE INTENTIONE MINISTRI.

QUÆSTIO VII. *An ad essentiam & efficaciam Sacramenti necessaria sit intentio Ministri, saltem faciendi id quod facit Ecclesia?* Neg. cont. Pontif. 398

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM.

Q. VIII. *An Sacramenta Novi Testamenti ita physicè operentur gratiam, ut eam ex opere operato, sive adsit fides & devotio, sive non: efficiant & contineant? An potius sint signa & sigilla efficacia gratiæ?* Prius Neg. Posterius Affir. contra Pontif. 403

DE DISCRIMINE SACRAMENTORUM VET. & NOVI TEST.

Q. IX. *An differentia Sacramentorum Vet. & Novi Test. in eo consistat, quòd illa adumbrârint gratiam, hæc contineant, illa figuram, hæc ipsum corpus habeant?* Neg. 412

DE CHARACTERE.

Q. X. *An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine; imprimatur Character in anima, id est, signum spirituale & indelebile?* Neg. contra Pontif. 418

DE BAPTISMO.

Q. XI. *Quid sit Baptismus, & Quotuplex?* 421

DE BAPTISMI NECESSITATE.

Q. XII. *An Baptismus fuerit tantùm ritus temporarius, discriminans fideles ab infidelibus, qui ad tempus solùm durare debuerit?* Neg. contra Socin. 428

Q. XIII. *An Baptismus sit absolutè necessarius ad salutem?* Neg. contra Pontificios. 431

DE LEGITIMO BAPTISMI MINISTRO.

Q. XIV. *An Baptismus Laïcorum aut Mulierum ullo in casu licitus sit?* Neg. contra Pontificios. 438

Q. XV. *An Baptismus ab Hæreticis administratus sit legitimus?* Dist. 441

Q. XVI. *An Baptismus Johannis idem fuerit essentialiter cum Baptismo Christi?* Affirm. contra Pontificios. 444

DE FORMULA BAPTISMI.

Q. XVII. *An Formula Baptismi à Christo præscripta in administratione ejus, observanda sit? & quid importet?* 450

DE VERITATE & RITIBUS BAPTISMI ROMANI.

Q. XVIII. *An in Ecclesia Romana retineatur vera doctrina de Baptismo?* Dist. 452

ELENCHUS

DE EFFICACIA BAPTISMI.

QUÆSTIO XIX. *An Baptismus ita tollat peccata, ut non sint, An verò tantùm ut non regnent, & non imputentur? An tollat præterita & præsentia tantùm, & futura pœnitentiæ relinquat? An verò se extendat ad peccata, non solùm quæ ante, sed etiam quæ post baptismum committuntur?* Prius Neg. Poster. Affir. contra Pontificios. Pag. 458

DE PÆDOBAPTISMO.

Q. XX. *An Infantes fidelium fœderatorum sint baptizandi?* Affir. contra Anabapt. 463

DE SACRA COENA.

Q. XXI. *Quid sit Sacra Cœna, & quibus nominibus præcipuè tam in Scriptura, quàm apud Veteres insigniatur?* 471

Q. XXII. *Cur Sacra Cœna à Domino sit instituta, & quibus partibus constet?* 479

DE CONSECRATIONE.

Q. XXIII. *An in Eucharistia Consecratio fiat pronuntiatione verborum* HOC EST ENIM CORPUS MEUM, & *An secretè pronuntianda sint?* Neg. contra Pontificios. 488

DE PANIS FRACTIONE.

Q. XXIV. *An Ritus Fractionis panis sit necessarius in administratione Cœnæ?* Affir. 495

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

Q. XXV. *An ex Dei præcepto omnibus & singulis fidelibus adultis utrumque Eucharistiæ Symbolum administrari debeat? An verò usus Calicis Populo interdicendus sit?* Prius Affir. Poster. Neg. contra Pontificios. 500

DE SENSU VERBORUM SACRAMENTALIUM.

Q. XXVI. *An verba Cœnæ propriè & literaliter* τὸ ῥητὸν, *An verò tropicè & sacramentaliter sint intelligenda?* Prius Neg. Poster. Aff. cont. Pontif. & Lutheranos. 520

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

Q. XXVII. *An in Eucharistia detur totalis Conversio substantiæ Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem Christi, seu, An Panis & Vinum, vi Verborum Consecrationis, in ipsum Corpus & Sanguinem Christi verè transubstantientur, externis tantùm Speciebus panis & vini remanentibus?* Neg. contra Pontif. 546

DE

LOCORUM ET QUÆSTIONUM.

DE PRÆSENTIA CORPORALI CHRISTI IN COENA, ET ORALI EJUS MANDUCATIONE.

QUÆSTIO XXVIII. *An Christus præsens sit corporaliter in Eucharistia, & An oraliter manducetur à fidelibus?* Neg.cont.Pont.& Lutheran. pag. 565

DE SACRIFICIO MISSATICO.

Q. XXIX. *An in Eucharistia offeratur Deo externum, reale, & propriè dictum Sacrificium, non laudis tantùm, gratiarum actionis, commemorationis, sed verè propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum?* Neg. cont. Pontif. 582

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

Q. XXX. *An Cultus Latriæ seu Adoratio debeatur Sacramento Eucharistiæ?* Neg. cont. Pontif. 602

DE QUINQUE FALSIS PONTIFICIORUM SACRAMENTIS.

Q. XXXI. *An Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium & Extrema Unctio sint vera Sacramenta?* Neg. cont. Pont. 614

LOCUS VICESIMUS
DE NOVISSIMIS.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

QUÆSTIO I. *An futura sit Mortuorum resurrectio novissimo die?* Affirm. 628

Q. II. *An eadem numero Corpora, quæ mortua sunt, resurrectura sint?* Affir. cont. Socin. 639

Q. III. *An præter universalem Resurrectionem detur particularis Sanctorum, vel Martyrum, quæ mille annis ultimam præcessura sit?* Neg. 643

DE CONSUMMATIONE SECULI.

Q. IV. *An certi aliquid & determinati haberi possit de tempore Consummationis seculi? & An signa quædam eam præcedere debeant?* Prius Neg. Poster. Affir. 652

Q. V. *Qualis futurus sit Mundi interitus? An per ultimam conflagrationem sit annihilandus, An verò instaurandus & renovandus?* 660

DE JUDICIO EXTREMO.

Q. VI. *An Judicium Extremum expectandum sit, & quale illud sit futurum?* 667

DE

ELENCHUS LOCORUM ET QUÆSTIONUM.

DE INFERNO ET MORTE ÆTERNA.

Q. VII. *An detur Infernus? & quænam sint ejus pœnæ, An damni tantùm, an etiam sensus?* Aff. Posterius. Pag. 676

DE VITA ÆTERNA.

Q. VIII. *An Vita æterna constituenda sit in Visione Dei, An in ejus Amore & Gaudio? Et sub quibus Symbolis describi soleat, & quare?* 680

Q. IX. *Quænam sint Dotes & qualitates Corporum glorificatorum?* 691

Q. X. *An dentur Gradus Gloriæ? Et utrum par futura sit in Cœlis Gloria, An verò impar & inæqualis?* 695

Q. XI. *An Beati in altera vita se invicem agnituri sint?* Affir. 705

Q. II. *Quodnam sit discrimen Ecclesiæ Triumphantis & Militantis?* 708

Q. XIII. *An Beati Deum non tantùm mentali, sed etiam vocali sermone sint glorificaturi? Et an diversitati linguarum, An verò unicæ tantum locus sit futurus?* 711

LOCUS

LOCUS DECIMUS OCTAVUS

DE

ECCLESIA.

QUÆSTIO PRIMA.

De necessitate Tractationis de Ecclesia, Et An Ecclesiæ cognitio præcedere debeat cognitionem doctrinæ?

I. CUm utilissima sit, & maximi ad salutem momenti de omnibus Fidei Articulis Tractatio; Vix alia tamen miserrimo hoc seculo Disputationum feracissimo, in Controversiis, quæ Nobis cum Adversariis intercedunt, momentosior, magisque necessaria videtur Disputatione de Ecclesia, quam nunc sub divinis auspiciis exequendam suscipimus. *Necessitas Tractationis de Ecclesia probatur.*

II. Quamvis enim Controversiæ de Ecclesia non sint ex primis, quæ Secessioni nostræ ab Ecclesia Romana locum dederunt, sed tantùm ex secundariis, quæ ex aliis ortæ sunt, quatenus Pontificii diffisi causæ suæ bonitati in aliis doctrinæ capitibus, sese receperunt ad Ecclesiæ autoritatem, ut sub ejus clypeo tutiùs laterent; Progressu tamen temporis factæ sunt principales, in quibus Adversarii proram & puppim causæ suæ videntur collocare. Unde multiplex Disquisitionis istius oritur necessitas; sive absolutè & in se spectetur, sive relatè ad Adversarios.

III. Primò, Quia Ecclesia est primarium S. S. Trinitatis opus, Objectum adventus & Mediationis Christi, & Subjectum applicationis beneficiorum ejus. Siquidem non alia de causa in mundum venit, & Officio Mediatorio functus est, quàm ut Ecclesiam sibi acquireret, & acquisitam ad communionem gratiæ & gloriæ vocaret. Unde explicatis offi-

QUÆST. I. ciis & beneficiis Christi, ordo postulat, ut de Ecclesia, cui uni destinantur, & applicanda veniunt, disputetur. Secundò quia cùm extra Ecclesiam non detur Salus, non magis quàm extra Arcam, nec in cœlis Deum habeat Patrem, cujus Ecclesia non sit mater in terris, nihil magis cordi nobis esse debet, quàm ut mater illa cognoscatur, cujus in sinu educari nos Deus voluit, cujus uberibus ali, & curâ regi oportet, donec adolescamus & perveniamus ad fidei metam, & quisnam cœtus sit vera illa Ecclesia, cui nos ex Dei mandato adjungere tenemur, ut salutem assequamur Act. 2. 47. Tertiò hæc doctrina inter primarios fidei articulos in Symbolo reponitur, ad quorum cognitionem & fidem obligamur.

IV. Quârtò, Quia sanctum quod in Symbolo confitemur Ecclesiæ nomen, magno quidem omnes studio, sed non pari veritate sibi arrogant. Nam ut Judæi olim veram se Dei Ecclesiam jactando, & Abrahæ filios, nihil minus tamen quàm ejus fidem imitabantur, quos ideo progeniem viperarum Johannes vocat, & Christus Diaboli filios. Et ut hæretici nomen Ecclesiæ sibi etiam vindicabant. Unde Tertull. lib. 4. cont. Marcio. *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.* Cyprianus de simpli. Prælato. *Diabolus*, inquit, *excogitavit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos.* Et Leo epist. 83. ad Palæsti. *Ecclesiæ nomine armantur, & contra Ecclesiam dimicant.* Ita hodie Pontificii, licèt nihil minus sint quàm vera Christi Ecclesia, uno tamen Ecclesiæ nomine gloriantur, & ejus quam oppugnant, insignia præferre non erubescunt, eoque pacto sub specioso antiquitatis & infallibilitatis Ecclesiæ Catholicæ titulo sese occultando, intentatam sibi litem de variis gravissimis in cœlestem doctrinam invectis corruptelis, velut uno ictu retundere & dissolvere se posse putant.

V. Quâ agendi ratione nihil iniquius dici potest, quia tanquam principium fidei credendum nobis imponitur, quod erat in quæstione. Nam cùm de ipsa quæratur Ecclesia Romana; An sit vera Christi Ecclesia, cæterarum Caput & Domina, uno verbo se rem confecturos putant, si principii ἀναμφισβητήτου loco obtrudant, quod maximè est ἀμφισβητούμενον. Et ne erroris arguantur, Ecclesiam esse infallibilem, & apud se illam esse, neque solos sapere cum Scribis illis apud Jeremiam cap. 8. 8. impudenter vociferantur. Sic in Ecclesiæ definitione, ex quo fonte suas deducunt positiones, insanâ cum Pseudoapostolis fraude αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσι 2. Cor. 10. 12. & quasi re confectâ ut schismaticos & hæreticos illos omnes damnant, qui ab illius, quam fallaci artificio incrustant, Ecclesiæ obedientiâ se subducunt. Nec absre, qui in aliis liberaliores aliquando videri volunt, hoc in capite sunt pertinaces, Crede ut libet, inquiunt, modò te Ecclesiæ subjicias, & fidem captivam dedas; norunt enim viri sagaces, ea, quæ antea videbantur con-

ces-

cessisse, statim se recepturos, si semel ipsos animos Ecclesiæ suæ dictamini & fascibus subjecerint. Quæst. I.

VI. Quæ Adversariorum technæ Disquisitionis istius necessitatem nobis imponunt, ut germanam Ecclesiæ faciem à larvis discernamus, nec patiamur nobis illudi per speciosa illa & splendida nomina, sed rei veritate destituta, quæ perpetuo coccysmo & ingenti clamore repetere solent, ut soli hæredes habeantur, cæteris ab ista possessione depulsis. Quomodo Judæi, se populum Dei venditando, & Templum Domini ingeminando, pios Dei servos Prophetas persequebantur, & ipsum etiam Dominum vineæ crudeliter interfectum furenter ejecerunt.

VII. Licèt autem cognitio Ecclesiæ nobis inprimis sit necessaria; non putandum tamen eam præcedere debere examen & cognitionem ipsius doctrinæ, ut fides seu doctrina ex Ecclesia potiùs, quam Ecclesia ex doctrina & fide cognosci debeat, quod præfidenter nimis statuit Perronius Cardinalis in Repli. sua ad Regem Angliæ lib. 1. cap. 4. & 5. dum pertendit fidem ex Ecclesia, potius quàm Ecclesiam ex fide cognosci; nosque securos esse posse de fide, modò simus in Ecclesia. Nec aliud intendit Autor libri de Præjudi. Qui in præfatione magno molimine conatur probare; ad id ut dignoscamus inter sectas Christianorum, quænam sit vera, cui nos adjungere debeamus, *Viam autoritatis Ecclesiæ* sequendam esse, non *viam discussionis & examinis doctrinæ*, istam quippe longam, incertam & periculosam esse, illam verò brevem & indubiam; Atque ex hoc præjudicio, nos qui primam viam sequi nolumus, Ecclesiæ Romanæ cœcâ obedientiâ nos submittendo, etiam inauditos justè condemnari posse; quasi vel condemnari possit quod non cognoscitur, vel cognosci queat quod non examinatur. *An Cognitio Ecclesiæ præcedere debeat cognitionem fidei?*

VIII. Sed commenti istius falsitas facilè retegitur ex variis. 1. *Ex ipsa Scriptura*, quæ fidei & droctrinæ examen prœmittere solet cognitioni, & communioni Ecclesiæ; Christus mittens Apostolos ad Ecclesiæ collectionem supponit necessitatem institutionis & cognitionis doctrinæ præcedaneæ, Matt. 28. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, Act. 2. 42. adjunguntur Ecclesiæ, qui edocti prius erant per Apostolos, & cap. 8. 12. qui credunt Samariæ, baptizantur. Ut ergo in adultis fides debet præcedere baptismum, qui est introitus in Ecclesiam; Ita fidei examen & cognitio debet præcedere cognitionem Ecclesiæ. *Negativa probatur 1. ex Script. tura.* *Matt 28. 19. Act 2. 42.*

IX. 2. *Ex ipsa natura rei.* Cùm enim societatis unitas supponat necessariò aliquod principium in quo membra illius uniantur: Unitas Ecclesiæ supponit unitatem fidei præcedaneam, in qua conveniunt fideles. Ut in Civitate quæ est aggregatio Civium, opertet jus habere Civitatis antecedenter ad communionem civium in Rep. Et in familia, quæ est societas fratrum ab eodem patre progenitorum, supponi debet nativi- *2. Ex ipsa natura rei.*

QUÆST. I. tas à patre ante communionem fratrum. Ita cùm Ecclesia sit civitas & familia Dei, in quam nemo admittitur nisi fidelis, necesse est fidem præcedere istam communionem, cùm per eam constituatur. Aliàs velle ingredi in Ecclesiam antequam fidem & cognitionem habeamus veritatis, est velle esse in familia Dei, antequam ab eo geniti simus, & admitti in Rempub. antequam Jus civitatis habeamus, & velle rem cognoscere ignoratâ ejus formâ, qualis est doctrina respectu Ecclesiæ Eph. 2. 20.

3. Ex Patribus. X. III. Ex *Patrum dictis*, Hiero. in Psal. 133. *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate, Ecclesia ibi est, ubi fides vera est.* Ambros. in Luc. lib. 6. cap. 9. *Fides igitur Ecclesiæ, inprimis quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubiè legenda, sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda synagoga censetur.* Augusti. de Uni. Eccles. lib. 10. cap. 3. *Non audiamus hoc dico, hæc dicis, sed hæc dicit Dominus, sunt certè libri dominici, quorum autoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Et cap. 2. *Inter Nos & Donatistas quæstio est ubi sit Ecclesia? quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsturi? An in verbis Capitis sui Domini nostri Jesu Christi? Puto quòd in illius verbis eam quærere debemus, qui Veritas est, & optimè novit corpus suum.* Idem alibi persequitur cap. 16. Nec dici potest cum Perronio Augustinum non loqui de examine doctrinæ, sed de inquisitione notarum externarum, quibus dignoscatur Ecclesia; quia verba ipsa legenti contrarium patet; deinde si notæ Ecclesiæ in Scriptura debent quæri, quanto potius ipsa doctrina, quæ longè magis necessaria?

4. Ex Ratione. XI. IV. *Ex Ratione*, Quia non potest admitti autoritatas Ecclesiæ nisi prius duplici facto examine. 1. An Deus voluerit talem aliquam infallibilem dari Ecclesiæ autoritatem, cui absolutè & *ἀνεξετάστως* subjici fideles necesse sit, quo modo enim tali autoritate moveri poterimus, nisi persuasum nobis sit eam dari? 2. An si talis autoritas datur, Ecclesiæ Romanæ illa competat? Frustra enim certus ero de autoritate infallibili Ecclesiæ in thesi, nisi in hypothesi mihi constet talem Ecclesiam esse Romanam. Neutrum autem potest sciri, nisi præsuppositâ prius Verbi Dei cognitione, ex quo utriusque notitia peti debet.

XII. V. Quia gratis supponitur viam autoritatis longè esse breviorem & faciliorem viâ examinis; Cùm contrà constet esse multò longiorem, intricatiorem & magis incertam: Nam via examinis, quæ in autoritate Dei fundatur, nititur hac duplici hypothesi, 1. quòd quicquid nos Deus docet sit verum, 2. quòd quicquid Scriptura nobis revelat, sit Dei Verbum, quæ gemina hypothesis apud Christianos est in confesso. At via autoritatis, quæ Ecclesiæ autoritatem & infallibilitatem pro fidei regula ob-

obtendit, geminâ etiam nititur hypothesi, sed longè obscuriore & magis incerta; imò falsissimâ; nimi. Quòd detur Ecclesia visibilis infallibilis in mundo, quæ nihil nisi verum docet, & quòd talis Ecclesia non alia sit quàm Romana, ad cujus utriusque examen longa argumentorum serie opus est, & accuratâ historiarum disquisitione, utpote quæ supponit veritatem antiquitatis & successionis non interruptæ, quæ sine totius historiæ Ecclesiasticæ, Conciliorum & Patrum lectione deprehendi non potest, quæ res est immensi laboris, quam paucissimi ex doctis magno studio vix assequi possunt, nedum, ut ab idiotis & plebeis possit percipi. QUÆST. I.

XIII. Licet examen fidei & doctrinæ sine studio & labore fieri non possit; non sequitur esse impossibile vel periculosum rudibus & imperitis; Quia non agitur de examine & cognitione distinctâ omnium doctrinarum quæ in controversiam venire possunt, & quæ in scholis agitari solent, sed tantùm de doctrinis necessariis ad salutem, quæ in Scriptura satis clarè continentur, ut à quibuslibet fidelibus, qui spiritu discretionis præditi sunt percipiantur. Unde Paulus provocat ad fidelium judicium, & jubet omnia probare, & quod bonum est retinere 1. Thessal. 5. 19. & Johannes vult probari spiritus à fidelibus an sint ex Deo 1. Joh. 4. 1. quod utique dici non posset, si hoc examen vel impossibile vel periculosum ipsius foret. *Fontes Solutionum.*

XIV. Qualiscunque difficultas occurrat in via Examinis doctrinæ, non minor est in via autoritatis Ecclesiæ, quia supponitur semper necessitas examinis istius autoritatis, & Ecclesiæ quæ illam sibi vindicat, ne decipiamur in judicio quod fieri debet de utroque, quod cum non possit fieri nisi per Scripturam, præviam requirit semper cognitionem doctrinæ; nec enim quisquam sanæ mentis autoritati ullius Ecclesiæ sese submittet unquam, qui non persuasus sit legitimam esse & à Deo institutam. Adde quod si difficile est assequi sensum Scripturæ, longè difficilius est assequi sensum Ecclesiæ, Tum quia inquirendum est, quænam illa sit, an vetus, an hodierna? Et si hodierna sit, ubinam reperiatur inter varias sectas Christianorum? an inter Protestantes, an verò inter Pontificios; Et si inter Pontificios, ubinam ejus autoritas resideat, An in Papa, An in Concilio seorsim, An in duobus conjunctim; Tum quia Decisiones & Sanctiones Conciliorum & Pontificum, quæ pro fide Ecclesiæ obtruduntur, diversissimè possunt exponi, & innumeris obscuritatibus & contradictionibus non rarò involvuntur, quas ne ipsi etiam oculatissimi evolvere & conciliare possunt.

XV. Aliud est cognoscere Ecclesiam cognitione confusâ ut cœtum hominum eandem droctrinam profitentium & iisdem Sacris utentium. Aliud cognoscere eam cognitione distinctâ, ut cœtum fidelium veram

QUÆST. I. Christi fidem & doctrinam retinentium. Priori sensu fatemur Ecclesiæ cognitionem præcedere cognitionem fidei; Sed posteriori negamus, quia veritas Ecclesiæ nititur veritate fidei.

XVI. Ut nemo potest esse in vera Ecclesia tanquam ejus verum membrum, qui fidem ejus non teneat, saltem quoad necessaria ad salutem, siquidem per fidem in eam recipitur, & ejus fit membrum: Ita nemo potest habere veram fidem, qui eo ipso non sit in Ecclesia, extra quam non est salus. Unde perperam ratiocinatur Perronius ut cognitionem Ecclesiæ doceat præcedere cognitionem doctrinæ, dum ait, eum qui est in Ecclesia certum esse de fide, licèt distinctè articulos ejus non teneat, sed qui habet fidem, & non est in Ecclesia, non posse salutem sperare. Supponit enim gratis aliquem posse habere fidem, & non esse in Ecclesia, cùm tamen fides nos inserat Christo & Corpori ejus mystico. Verum quidem est eum qui certus est se esse in vera Ecclesia, esse certum se habere veram fidem; sed falsum est eum cognoscere veram doctrinam, quia scit se esse in verâ Ecclesiâ, Imò contrà. scit se esse in vera Ecclesia, quia scit Ecclesiam in qua est habere veram doctrinam.

XVII. Aliud est non agnoscere Ecclesiam & ejus legitimam autoritatem; Aliud nolle cognitionem Ecclesiæ præcedere cognitionem fidei; Nos prius non dicimus, sed posterius; quia non potest dari cognitio Ecclesiæ, nisi cognitâ prius doctrinâ & fide quæ facit Ecclesiam esse veram Ecclesiam. Aliàs quomodo poterit homo adjungere se fidelium cœtui, si ignorat quid sit esse fidelem, nisi doctrinam fidei prius cognoscat? Quomodo inter plures Eclesias inter se contendentes, quænam sit vera, dignoscetur, nisi prius regula veritatis & puritatis cognoscatur? Sed Pontificii ordine præpostero volunt credi Ecclesiam, antequam doceant quid Ecclesia credere debeat, Et populum sequi ductores suos, antequam sciat an veram fidem & viam salutis doceant. Scopus eorum non obscurus est, nimi. Populum cœcà obedientiâ subjicere autoritati suæ, & avocare à studio & lectione Scripturæ, quæ sola potest σοφίσαι ad salutem, ut facilius regnent in tenebris, nec errores ipsorum ad lucem veritatis retegantur.

QUÆ-

Quæst. II.

QUÆSTIO II.

De Ecclesiæ Voce, Homonymiâ, & Definitione.

I. Ecclesiæ vocem, Græcam esse deductam ἀπὸ τῦ ἐκκαλῶν ab evocando, ut *Conoio* à ciendo id. convocando deducitur, tam notum est, ut probatione non indigeat. Hebræis dicitur קהל, unde derivari videtur τὸ καλεῖν apud Græcos, & *calandi* verbum apud Latinos, quod idem significat ac καλῶν, & *calata comitia* apud Romanos, quæ per præconis vocem convocabantur, ut Gellius notat lib. 15. cap. 27. & Theophi. ad Justini. lib. 2. Tit. 10. Designat verò tum separationem ex vi præpositionis ἐκ, tum collectionem & congregationem ex emphasi verbi καλέω, ut sit societas hominum evocatorum ex aliquo loco aut statu, & congregatorum in cœtum aliquem. Spiritus Sanctus hanc vocem, ut alias bene multas, quæ usui profano adhibebantur, ad usum sacrum traduxit ad significandum populum Dei καθ' ἐξοχὴν, Cœtum scilicet hominum ex colluvie generis humani evocatorum præconio Euangelii ad constituendam societatem fidelium seu Corpus mysticum Christi, in quod nemo recipitur nisi vocatus. *Ecclesiæ Etymon.*

II. Voci ἐκκλησίας respondet vox συναγωγῆς, & ἐπισυναγωγῆς, quæ & in LXX. Versione sæpe, & in Novo Testam. aliquoties occurrit. Et modo pro qualicunque cœtu sive sacro, sive civili ponitur Exod. 12. 3. 19. & Num. 16. 2. imò & in malam partem pro cœtu profano & impio Psal. 26. 5. & Act. 19. 32. modò pro loco conventus Luc. 7. 5. in quem convenire solebant ad Legem audiendam, preces fundendas, & alia exercitia pietatis publica præter ea, quæ fieri debebant in Templo præstanda. Unde toties mentio fit Synagogarum in N. Testamento, in quibus Christus docebat, sive origo earum repetenda sit â Mose, ut nonnullis videtur ex Act. 15. 21. sive, quod aliis magis placet, ut Sigonio de Rep. Hebræ. lib. 2. c. 8. à Captivitate Babylonica, in qua cùm Templo carerent ad colendum Deum, similem locum selegerunt, in quo & orarent & docerent, quod post captivitatem remansit, ita ut non modò in aliis civitatibus Synagogæ erectæ sint, sed & Hierosolymæ, in qua 480. synagogas extitisse Judæi tradunt. Unde factum ut Synagogæ nomen postea translatum sit ad Ecclesiam Judaïcam designandam contradistinctè ad Christianam; ut nomen Ecclesiæ peculiari ratione Christianæ accommodatum est. *Synagogæ explicatio.* *Luc. 7. 5.*

III. Quod non ideo factum putandum est, quòd ut Aug. in Psal. 81. observat, *Synagoga sit etiam bestiarum, Ecclesia verò tantum hominum*; qua-

QUÆST. II. quasi Ecclesia Judæorum fuerit conventus belluarum, cùm & Christiana per Gregem & ovile describatur Jo. 10. Luc. 12. 32. & Jo. 10. 16. Vel quòd Synagoga bona caduca tantùm & terrena spectârit, Ecclesia verò Novi Testamenti sectetur spiritualia & cœlestia; cùm Vet. Test. non caruerit etiam bonorum cœlestium promissione. Sed ad distinguendos inter se etiam in nomine Judæos & Christianos; Ut enim Judæi cœtus suos vocabant συναγωγὰς, ut se discriminarent à Gentibus, quæ suos vocabant ἐκκλησίας; Ita Christiani suos à Judaïcis discernere debuerunt cœtus, & uti vocibus inter gentes usitatis & notis, eò vel magis quòd cœtus magna ex parte constabant ex gentibus. Tum etiam quia vox Ecclesiæ fuit appositissima ad naturam istius societatis exprimendam, & modum ejus vocationis.

IV. Licèt verò discrimen istud ut plurimum in Novo Testamento observatum sit, duo tamen sunt loca in quibus Apostoli ejus rationem
Heb. 10.25. non habuerunt, ut quum Apostolus Heb. 10, 25. vetat nos relinquere τὴν ἐπισυναγωγὴν nostram, id est, cœtum seu congregationem fidelium. Et
Jac. 2. 2. Jacob. 2. 2. dum loquitur de eo qui introierit εἰς τὴν συναγωγὴν Christianorum, sive intelligatur de loco conventus, sive de ipso cœtu, quam vocem Apostolus videtur lubentiùs usurpasse, vel ut sequeretur stylum Propheticum, potius quam Apostolicum, quod non semel facit in epistola sua, vel quia Judæos potissimum alloquitur, quibus notior & usitatior adhuc erat vox συναγωγὴς, quàm ἐκκλησίας.

Ecclesiæ homonymia. V. Porrò Vox *Ecclesiæ* est πολύσημος, Non quidem ut sumatur pro loco conventus, ut Pontificii, & nonnulli etiam ex Nostris vellent. Nam licèt *Synagoga* apud Judæos pro loco cœtus usurpetur, ut patet ex Luc. 7. 5. ut & *proseucha* ab orationibus, quæ ibi fiebant Act. 16. 13. Non potest idem statui de Ecclesia, nec ullus locus afferri potest ex Veteri vel Novo Testamento, unde id colligatur. Nam qui à Bellarmino petitur ex cap.
Judith. 6. 18. 6. Judithæ, vers. ult. non huc pertinet, cùm in Textu Græco nomen Ecclesiæ non extet, sed tantùm quod *invocaverint Deum Israël in auxilium per totam illam noctem*; solo vulgato Interprete dicente, quòd *per totam*
1. Cor. 11. 18. 22. *noctem intra Ecclesiam oraverunt.* Nec magis urget locus Apostoli 1. Corinth. 11. 18. 22. *Quum conventis in Ecclesiam* &c. cùm possit optimè de cœtu ipso fidelium unà coëuntium ad exercitia pietatis intelligi, nec ulla ratio cogat, ut de loco ipso conventus exponatur; Non quod dicuntur *convenire in Ecclesiam*, quia hoc ad cœtum ipsum refertur, non ad locum, ut dicuntur Senatores convenire in Senatum, & Pastores in Synodum, non respectu loci, sed conventus. Nec quod additur *convenire εἰς τὸ αὐτὸ*, quia hoc personarum unitatem & conjunctionem, non loci identitatem notat, id ist, ὁμοῦ simul ὁμοθυμαδὸν, ut יחד quum de conventu agitur, non notat respectum personarum ad lo-

locum, sed inter se invicem: ut Ps. 2. 2. quod LXX. vertunt ἐπὶ τὸ αὐτό. Non denique quod videtur opponi Ecclesia privatis ædibus, *Num domos non habetis ad edendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quia Ecclesiæ contemptus non refertur ad locum, sed ad cœtum. QUÆST. II.

VI. Non sumitur etiam Ecclesia sensu Pontificio pro Papa, seu Ecclesiæ Præposito, qui publicam Ecclesiæ personam gerit, ut Ecclesiæ dicatur declarari quod ipsi declaratur, & Pontifex satisfacturus ei quod mandatur Petro, *Dic Ecclesiæ*, debeat dicere sibi ipsi, ut ridiculè vult Bellarm. lib. 2. Concil. c. 19. *Papa debet dicere Ecclesiæ, id. sibi ipsi.* Quis enim non videt absurdum esse unum hominem, quem etiam possibile est ad Ecclesiam non pertinere, ex Adversariorum ipsorum placitis, si nimirum non sit baptizatus, aut ipso facto propter simoniam, aut occultam hæresim excommunicationem incurrerit, designari nomine Ecclesiæ, quod numerum & multitudinem in suo conceptu necessariò includit?

VII. Licèt autem variæ ac multiplices sint acceptiones Ecclesiæ, possunt tamen omnes ad tres præcipuas istas referri, Ut Ecclesia modò dicatur de Ecclesia invisibili Electorum & Fidelium, modò de Ecclesia visibili externè Vocatorum & fidem profitentium, modò de Ecclesia representativa Pastorum. Nam ut Ecclesia spectari potest, Vel ratione communionis internæ cum Christo, seu Vocationis efficacis, respectu Electorum, in quibus Verbum & Sacramenta efficacia sunt per Spiritum, & salutem operantur; Vel ratione professionis externæ seu dispensationis Verbi & Sacramentorum, respectu eorum qui vocantur externè; Vel ratione regiminis & gubernationis sacræ, per Rectores à Christo institutos. Hinc 1. sumitur pro *Corpore Christi mystico*, ipsi ceu Capiti suo juxa æternam electionem & vocationem efficacem constanter & intimè unito; Quo sensu Christus ait Matt. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* Et Paulus Ephes. c. 5. 23. *Christus est Caput Ecclesiæ & Servator Corporis sui*, & ℣. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum exposuit pro ea*, Et c. 1. 22. dicitur à Deo *datus* in *Caput Ecclesiæ quæ est ejus complementum*, & passim alibi. Hæc est Ecclesia Catholica, quam in Symbolo confitemur: quæ potest spectari vel universè & καθ' ὅλα, ratione totius multitudinis fidelium, ex quibus constituitur, cujuscunque sint temporis & loci; vel particulariter & κατὰ μέρος, nunc de ea, quæ in cœlis cum Christo gloriosè regnat; nunc de illa, quæ laborat & peregrinatur in mundo, & quatenus in varias particulares Ecclesias distributa est; quæ eodem nomine cum toto insigniuntur.

Triplex acceptio Ecclesiæ.

pro Ecclesia invisibili.

Mat. 16. 18.

Eph. 5. 23. 25.

VIII. 11. Pro *Cœtu visibili* externè Vocatorum, qui fidem Christi profitentur, & communionem habent Sacrorum; Quo sensu Ecclesiæ dicuntur crevisse quotidie Act. 16. 5. per præconium Euangelii, & cap. 14. 23. Paulus & Barnabas seniores constituunt in Ecclesiis, & passim fit mentio

pro Ecclesia visibili Act. 16. 5. & 14. 23.

QUÆST. II. Ecclesiarum, Romanorum, Ephesiorum &c. & Apoc. 1. & 2. septem Ecclesiæ Asiaticæ ad quas Christus scribit memorantur. Nec usquam vel in Actis Apostolorum, vel in eorum Epistolis Ecclesiæ nuncupantur, nisi eæ Christianorum societates, quæ communibus illis exercitiis aliquomodo colligantur. Quia verò Vocatio externa dirigitur non modò ad Electos, sed etiam ad Reprobos; hinc fit ut in Ecclesia eo modo spectata duo ordines hominum contineantur, alii qui professione tantùm externa sunt Christiani, alii qui communione interna tales sunt, id est, qui non modò credere se profitentur, sed & qui revera credunt. Inter quos quodnam discrimen sit constituendum peculiari quæstione ostendetur in sequentibus.

pro Ecclesia repræsentativâ.

IX. III. Pro *Cœtu Rectorum* & Pastorum Ecclesiæ, quibus dispensatio Verbi & Sacramentorum, & disciplinæ administratio publica commissa est, quò Christus respicit Matt. 18. 17. quum fratrem nolentem reconciliari vult deferri ad Ecclesiam, *Dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Quæ sanè Ecclesia nihil aliud notat, quàm Presbyterium, penes quod est potestas & administratio clavium, quæ vulgò dicitur *Ecclesia Repræsentativa*, distinctè à *Collectiva*, quæ constituitur ex populo seu fidelibus, qui Pastorum regimini subesse debent. Licèt enim Presbyteria Christiana nondum essent constituta, Christus tamen non solius præsentis, sed & futuri temporis rationem habuit, & toti posteritati prospexit, & Ecclesiæ nomine potuit designare eos Judæorum consessus, quorum autoritate fiebat aliquis ἀποσυνάγωγος, quorum imitatione Christiani suos habuerunt Senatus Ecclesiasticos, qui contumaces & rebelles faciebant ἀκοινωνήτους.

Mat. 18. 17.

Ecclesiæ definitio.

X. Hinc patet non posse assignari definitionem Ecclesiæ, quæ variis ejus acceptionibus sic conveniat, ut naturam earum plenè exprimat. Et frustra laborare Pontificios in danda definitione, quæ possit omnibus Scripturæ locis, ubi nomen Ecclesiæ habetur, accommodari. Diversimodè enim concipienda est pro triplici ejus σχέσει. Nam respectu primæ, quæ maximè propria & præcipua est, rectè definitur, *Cœtus hominum Electorum, quos Deus per Verbum & Spiritum è statu peccati vocat in statum gratiæ ad gloriam æternam.* Respectu secundæ, quæ est minus propria, dicitur, *Societas Hominum Præconio Euangelii vocatorum ad unius fidei professionem, eorumdem Sacrorum communionem, & ejusdem ordinis observationem.* Respectu tertiæ denique, *Cœtus Rectorum & Pastorum Ecclesiæ, qui legitimâ vocatione & potestate instructi sunt ad Verbum in ea prædicandum, Sacramenta administranda, & sanctam disciplinam exercendam, ut omnia εὐσχημόνως & ἐντάκτως fiant ad Dei gloriam, & publicam omnium ædificationem.*

XI. Unde facilè colligitur, Quid de definitione à Bellarmino dat.

datâ lib. 3. cap. 2. sit sentiendum, quum vult Ecclesiam propriè dictam esse *Cœtum hominum, ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii, Pontificis Romani.* Hæc enim definitio in pluribus peccat. 1. quòd definitum sit homonymum, quod non distinguitur juxta varios significatus, quos habet ex Scriptura, qui naturæ ejus declarandæ in primis sunt necessarii, potissimùm verò dum distinguitur in cœtum Vocatorum, & Vocatorum electorum à Christo Matt. 20. & 22. 2. quòd definitio non sit essentialis, quæ non includit, sed excludit formam & adjuncta propria sui definiti, nim. Ecclesiæ, per quæ ipsa constituitur, & ab aliis hominum cœtibus distinguitur, dum nullam fidei, charitatis, ac virtutum internarum mentionem facit, in quibus ratio formalis ejus consistit ex Scriptura, sed tantùm professionis externæ, & communionis Sacrorum, quæ communia sunt fidelibus & hypocritis, & in reprobos etiam cadere possunt. 3. quòd falsa sit supponens subjectionem Pastoribus, & præcipuè Pontifici Romano tanquam Christi Vicario esse de ejus conceptu formali: Cùm tamen Christus non modò nihil de ista subjectione tradiderit, sed expresè illam interdixerit, dominium omne discipulis suis abrogando, & soli sibi Capitis & Monarchæ prærogativam vindicando, ut suo loco, quum de Capite Ecclesiæ agetur, probabitur. Adde quod si quæ subjectio debetur Ministris, limitata est, non absoluta, nec aliorum quàm quos Christus ordinavit, quique legitimâ vocatione succedunt in ministerio Ecclesiæ, quod de Papa dici nequit. 4. quòd sit latior & angustior suo definito; latior, quatenus ad Ecclesiam refert etiam reprobos & hypocritas, qui quanquam sunt in Ecclesia, non tamen sunt de Ecclesia, & nomen Ecclesiæ nonnisi æquivocè & per κατάχρησιν gerunt; angustior, quia excludit Cathecumenos, Excommunicatos, & non baptizatos, qui possunt esse membra veræ Ecclesiæ, licèt non sint in Ecclesia visibili. Quæst. II.

XII. Πρῶτον ψεῦδος Pontificiorum in tota ista controversia est, Ecclesiam metiri velle ex societatis civilis modulo, ut ejus essentia in externis tantùm & in sensus incurrentibus consistat, & sola professio fidei sufficiat ad membrum Ecclesiæ constituendum, nec ipsa fides & pietas interna ad id necessariò requirantur. Cùm tamen longè alia sit ejus natura, quam non ex corrupto rationis lumine, vel ex nostris, aut aliorum moribus, sed à purissimo Verbi divini speculo discere debemus, quod eam non in externis, quæ ab hominibus videntur, & sæpe fallere possunt, sed in internis, quæ creduntur, & à Deo solo cognoscuntur constituere solet, ut in sequentibus probabitur.

XIII. Ex tribus porrò Ecclesiæ acceptionibus, de quibus diximus, oritur triplex consideratio Ecclesiæ, quam distinctè persequemur. Pri-

QUÆST. III. ma est de statu ejus interno, seu de *Ecclesia Electorum*. Altera de statu ejus externo, seu de *Ecclesia Vocatorum*. Tertia denique de ejus *Regimine*, seu de Vocatione Pastorum, & Potestate Ecclesiastica.

QUÆSTIO III.

DE ECCLESIÆ MEMBRIS.

An præter Electos vocatos, etiam Reprobi & infideles, sive occulti, sive manifesti vera Christi Ecclesiæ membra sint? Neg. Contra Pontificios.

I. PRima Quæstio, quæ occurrit circa Ecclesiam quoad statum suum internum spectatam, est de ejus *Membris*, seu Partibus, quæ ad eam pertinent, quæ nobis intercedit cum Pontificiis, qui tum in excessu, tum in defectu peccant, vel nimis extendendo, respectu quorundam Ecclesiæ pomœria, vel nimis ea contrahendo respectu aliorum. Peccant in excessu, quum ad Ecclesiam propriè dictam volunt pertinere non solùm electos & fideles, sed etiam hypocritas & reprobos. In defectu quum ab eadem volunt arceri Catechumenos, Excommunicatos, & Schismaticos. Unde duplex oritur Controversia. Prima, An Ecclesia solis constet fidelibus & Electis; An etiam Reprobis? Altera An ad Ecclesiam pertineant Cathecumeni, Excommunicati; & Schismatici?

1. Quæstio de Partibus Ecclesiæ. An ad eam etiam reprobi pertineant?

II. Quæritur primò, An præter Electos vocatos, etiam Reprobi & infideles, sive occulti, sive manifesti censendi sint veræ Ecclesiæ membra, quod pertendit cum aliis. Bellarm. de Eccles. milit. lib. 3. cap. 2. 7. 9. & *seq.* ubi docet in definitione Ecclesiæ exceptis Paganis, Hæreticis, Excommunicatis, & Schismaticis, *includi omnes alios, etiamsi reprobi, scelesti & impii sint.* Quia ut statim addit, *Ut aliquis possit dici absolutè pars veræ Ecclesiæ, de qua Scripturæ loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantùm externam, potissimum fidei, & Sacramentorum communionem, quæ sensu ipso percipitur.* Scopus est, ut nulla alia Ecclesia agnoscatur præter eam, cujus Episcopus Rom. caput sit; Et quia satis vident, si eam ad Electos & fideles restringant, fieri posse ut Papa ad eam non pertineat, ideo voluerunt eam extendere usque ad Reprobos, modò sub uno Capite visibili contineantur. Hinc in Concilio Constantiensi damnata est tanquam hæretica hæc Joh. Hussi propositio, quòd *Sancta Ecclesia universalis sit universalitas Prædestinatorum.* Momentum con-

controversiæ tale est, ut ab ejus decisione pendeant pleræque omnes aliæ, quæ circa Ecclesiam inter Nos & Pontificios agitantur. Unde eò accuratius nobis est tractanda. Quæst. III.

III. Ad Statum Quæstionis, Observ. 1. Ecclesiam posse spectari vel quoad *statum externum*, vel *quoad externum*; Externus respondet Vocationi externæ per Verbum, unde pendet forma externa Ecclesiæ, posita in professione fidei seu communione externa & sensibili eorundem Sacrorum. Internus verò Vocationi internæ & efficaci per Verbum & Spiritum, quæ constituit formam ejus essentialem & internam, in communione fidei seu unione mysticâ fidelium cum Christo per fidem, & inter se per charitatem. Non quæritur, An reprobi ad statum externum pertineant, quod non diffitemur, sed an Ad internum quod negamus. *Status Quæstionis.*

IV. Observ. 11. Non quæri de membris Ecclesiæ æquivocè ita dictis, & τῇ δόξαι, seu speciem externam, sed de membris quæ talia sint propriè & univocè. 111. Non quæri, An Electi & fideles sint in Ecclesia, quod Adversarii fatentur. Sed An Ecclesia ex solis fidelibus & electis constituatur, quod volumus. Aliud est in Ecclesia esse fideles, aliud Ecclesiam ex iis solis componi, & fidem & pietatem esse de essentia Ecclesiæ. Aliud Electos esse partem puriorem & magis essentialem Ecclesiæ, quod non diffitentur Pontificii, aliud esse totam essentiam Ecclesiæ, ut extra eos non alia membra vera quærenda sint, quod volumus. 1v. Non quæri de peccatoribus quibusvis etiam magnis, quales possunt etiam esse Electi; Sed de Reprobis quà talibus, qui nec fidem & pœnitentiam veram habent, nec unquam habituri sunt. v. Non quæri de Electis spectatis tantùm in destinatione æterna, quo sensu certum est non posse esse actu membra Ecclesiæ; Sed in executione quæ facta est per Vocationem, per quam Electi fiunt membra actu & de facto.

V. Unde patet Perronium Cardinalem perperam quæstionis statum ponere. Utrum Prædestinatione, quæ occulta est, definienda sit Ecclesia. Quia cum Prædestinatione conjungi volumus Vocationem efficacem. Et Stapletonum, quum pertendit quæri, utrum Electis, non vocatis constet Ecclesia, quasi ista opponerentur, quæ subordinata sunt; maximè quum agitur de Vocatione interna. Bellarminus paulò sincerius agit, quum ait, quæri, *Num soli Prædestinati, Annon etiam Reprobi ad Ecclesiam pertinere possint.* Licèt in eo peccet, quòd loquatur tantùm de Prædestinatione, cùm non esset sejungenda à Vocatione.

VI. Eò ergo redit Quæstio, An præter Electos efficaciter vocatos, id. veros fideles, etiam Reprobi & infideles pertineant ad Ecclesiam, & censendi sint ejus vera membra. Vel An forma essentialis Ecclesiæ cosistat in sola professione externa fidei, Annon posita sit in veritate internâ fidei? An impii & impœnitentes, modò extrinsecùs sese adjungant societati,

QUÆST. III.

quæ doctrinam Christi profitetur, licèt de cætero fide & sanctitate destituantur, possint dici constituere Ecclesiam. Annon soli pii & fideles, qui non modò profitentur fidem, sed qui revera credunt, & regeniti sunt, hoc nomine donentur & hoc privilegio fruantur. Prius vellent Pontificii, Nos posterius statuimus, pertendentes. 1. Ecclesiæ nomen ratione formæ internæ principaliter de ea prædicari. 2. Ex Electis propriè constare vera Ecclesiæ membra, & si cum illis alii multi commisceantur in externa societate, nunquam tamen confundendos cum illis esse. 3. Promissiones ad illos solos pertinere. 4. Eos, qui quoad formam externam tantùm & professionem sunt Christiani, propriè loquendo non esse membra, sed tantùm æquivocè, ratione hominum, non ratione Dei.

Probatur Ecclesiam constare ex solis Electis vocatis. 1. Quia Ecclesia est Corpus Christi. Eph. 5. 23. Col. 1. 18. 1. Cor. 12. 28.

VII. Rationes cur ita statuamus variæ sunt. 1. Ex *Titulis* qui dantur relatè ad Christum, qui tales sunt, ut ad profanos & hypocritas pertinere non possint, nec in mera professione externa impleantur. Ut quum Ecclesia dicitur *Corpus Christi*, & membra omnia Ecclesiæ, membra Christi Eph. 5. 23. Colos. 1. 18. 1. Cor. 12. 28. At Corpus Christi non aliud est, quàm illud quod re ipsâ salvandum est, & cujus ipse Servator dicitur Eph. 5. 23. Corpus quod compaginatur per commissuras, & crescit in incrementum Dei Eph. 4. 16. Nec alia membra, quàm quæ vitâ Capitis animantur, in quibus Christus habitat per fidem Eph. 3. 17. & quæ Spiritu ejus aguntur, siquidem, *Quisquis Spiritum Christi non habet, non est Christi* Rom. 8. 9. quod Reprobis & infidelibus competere non posse, sed solis Electis & fidelibus esse proprium nemo dubitare potest. Huc pertinet quod Paulus 1. Cor. 12. Ecclesiam corpori humano confert, cujus omnia membra eodem Spiritus vinculo inter se uniuntur, quod dici non posset, si quædam membra Spiritu Christi destituerentur, & non tam membra Christi essent, quàm membra Diaboli. Denique *non potest Christus habere membra damnata*, ut inquit August. cont. Cresc. lib. 2. cap. 21. *Nec est revera Corpus Christi, quod non mansurum est cum ipso in æternum*, ut idem loquitur lib. 2. de Doct. Christ. c. 32.

VIII. Frustra quis reponet cum Stapletono, *Ecclesiam latius patere, quàm Corpus Christi, continere etiam eos qui sola professione conjuncti sunt, qui sunt membra ob subjectionem, licèt non ob participationem.* Nam licèt in communione externa, Ecclesia etiam includat eos, qui sola professione conjuncti sunt; non potest idem dici de statu interno de quo loquimur; secundùm quem Ecclesia & Corpus Christi reciprocantur, ex Paulo Eph. 5. 23. 24. ut nulla sit vera Ecclesia, quæ non sit Corpus Christi præter Ecclesiam cujus est Caput. Nec melius cum Bellarmino regeres, *Membra Corporis Christi, alia esse viva, quæ sint de anima Ecclesiæ, alia mortua & arida, quæ sint tantùm de Corpore, Tales esse reprobos* cap. 9. Quia gratis

tis supponitur membrum mortuum posse esse corporis vivi membrum, quod est ἀσύστατον; cùm nullum sit verum membrum quod vitam corporis non participet. Unde ipso Bellar. teste illos esse membra tantùm æquivocè autores sunt inter Pontificios varii, *Turrecremata*, *Alexander de Ales*, *Hugo*, *Thomas*, *Petrus à Soto*, *Canus*. Nec abludit ipse Bellarm. quum vult esse tantùm de corpore Ecclesiæ, id est, de communione externa, quod nemo negat, sed non de anima, quis verò dixerit eum ad Ecclesiam verè pertinere, qui non est de ejus anima? Nec juvat quod pertendit idem, membra posse considerari duobus modis, vel ut *res quasdam*, *vel ut instrumenta*; *Episcopum malum non esse membrum priori sensu*, *sed secundò*, *quatenus Deus eo utitur ut instrumento ad opus suum*. Quia aliud est esse membrum, aliud instrumentum, nec necesse est ut membrum sit instrumentum, vel ut instrumentum semper sit membrum, ut faber securi, scriba stylo & calamo, pictor penicillo, artifex suis organis utitur, & iis sepositis nulla sui parte minor vel mutilus est; Et si quando membrum instrumenti rationem habet, non potest agere nisi quà membrum vivum eodem spiritu & vitâ animatum; Esse enim oportet membrum antequam sit operativum, & si desinit esse vivum membrum, eo ipso nec instrumentum est, ut digiti, lingua, oculi, actionis non sunt organa, nisi corpori conjuncta & animata. Quæst. III.

IX. Secundò, Ecclesia vocatur *Sponsa* Christi Eph. 5. 23: quam in judicio, in veritate, & in æternum sibi desponsavit Ose. 2. 19. quæ ita arctè unitur cum eo, ut non sint duo, sed unum Eph. 5. 28. quam diligit & fovet ut propriam carnem, quæ aptari debet Christo ut virgo pura & casta 2. Cor. 11. 2. quæ ornatur Sponso suo Apoc. 19. 7. & 20. 2. cujus matrimonium hîc inchoatum per sponsalia facta in gratia, consummari debet per nuptias Agni celebrandas in gloria Apoc. 19. 9. Nemo autem dixerit ista attributa reprobis & mundanis convenire, quos nunquam Christus sibi univit, ut qui mundo adhærentes & adulterio spirituali se polluentes, nullam dici possunt habere cum Christo communionem nec in gratia nec in gloria. 2. *Quia Ecclesia est Sponsa Christi Eph. 5. 23. Ose. 2. 19. Apo. 19. 7 9.*

X. Tertiò Ecclesia est *Ovile* Joan. 10. quod componitur tantùm ex ovibus, quæ vocem Christi audiunt, & quæ agnoscunt & sequuntur ipsum, quibus dat vitam æternam, ut non perituræ sint unquam; At Reprobi & infideles nec sunt oves Christi Joan. 10. 26. *Vos non estis ex ovibus meis*, nec agnoscunt, audiunt & sequuntur ipsum Joan. 8. 47. *Vos non auditis*, nec à Christo agnoscuntur, ducuntur, & beantur Matth. 7. 23. *Nunquam novi vos*, & cap. 25. 33. *discedite à me maledicti* &c. Nec opponi debet cum Perronio Repli. lib. 1, cap. 6. *audire vocem Pastoris esse officium ovium*, *sed non formam essentialem Ecclesiæ vel ovium*. Cùm enim agatur de officio, quod convenit omnibus ovibus Christi, tanquam proprietas essen- 3. *Quia Ecclesia est Ovile Jo. 10.*

QUÆST. III. essentialis, si quis eo non defungitur, non debet vera ovis Christi censeri. Nec bene hîc proprietas audiendi Christum separatur ab ejus formâ, cùm ab ea necessariò fluat, imò in eo propriè forma constituatur quoad oves mysticas. Nec addendum cum Bellarmino *hœdos etiam esse in ovili, quia separantur in fine.* Quia aliud est esse *in ovili*, id est, in loco ubi congregantur & manent, quoad professionem externam, quomodo non negamus hœdos esse in ovili; imò & ideo vocari aliquando oves æquivocè, quia ovinâ pelle tecti sunt & mixti cum ovibus. Aliud verò esse *ex ovili*, id est, ex societate ipsarum ovium, quo sensu negamus posse dici oves propriè dictas, cùm nec audiant vocem Christi, nec eum sequantur.

4. Quia Ecclesia est Domus Dei. Matth. 16. 1. Pet. 2. 6. Eph. 2. 20.

XI. Quartò, Ecclesia vocatur *Ædificium* & *Domus Dei* Matt. 16. 18. 1. Pet. 2. 6. & Eph. 2. 20. Et talis domus, quæ ex reprobis & infidelibus constare non potest, sed ex solis electis & fidelibus. 1. ab *Autore*, quia Deus est ejus architectus Matt. 16. 18. qui impios non ædificat. 2. à *materia*, quia sunt *lapides vivi*, non mortui, 1. Pet. 2. 6. 3. à *fundamento*, quia ædificantur super Petram, id est, Christum lapidem angularem, non super arenam, ut impii Matth. 7. 23. & 16. 18. 4. à *structura*, quia ædificium totum συναρμολογεῖται Eph. 2. 21. id est, congruenter, & justa cum proportione inter se cohæret, per charitatis vinculum, ut nihil desit, nihil obsit, nihil superfluat. At nulla impiorum cum bonis, justitiæ cum injustitia, lucis cum tenebris potest esse communio. 5. à *victoriâ in hostes*, & *firmitate* immotâ; quia nec prævalere possunt portæ inferorum adversus eam, Matt. 16. 18. nec ipsa quovis impetu corruere & destrui potest Matt. 7. 23. quod de reprobis dici nequit. 6. à *fine* & *usu*, qui solis piis competit, quia debet esse *domus Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. 16. *Tabernaculam in Spiritu*, & *Templum sanctum Domino*, in quo habitet in æternum Eph. 2. 20. 1. Cor. 3. 21. 2. Cor. 6. 17. 18. Apoc. 21. 2. 3. 4.

Matt. 7. 23. 1 Tim. 3. 16.

XII. Nequicquam hîc excipit Perron. l. c. *Victoriam quam porta inferorum obtinent super privatos per vitia morum, non nocere Ecclesiæ corpori, quia vitia nocent tantùm iis, qui ea perpetrant vel approbant, non verò communioni Ecclesiæ.* Nam cùm singuli privati debeant constituere domum istam tanquam ejus partes Heb. 3. 6. necesse est ut illis vel ex toto, vel ex parte cadentibus, corruat etiam & ipsa domus. Et Apostolus 1 Cor. 3. 17. per peccata privatorum docet destrui Templum Dei, *Si aliquis destruit Templum Dei, Deus illam destruet.* Unde vel illi qui collabuntur dicendi sunt extra fundamentum positi, nec à Patre ædificati, nec Spiritus glutine cæteris membris appositi. Vel quod absurdissimum, ratio Christi non est efficax; Nam si pars ædificii concidit, nec obstant autor, fundamentum & structura, à minori licebit ad majus argumentari. Nec dici potest esse promissionem de Ecclesia tota, non de singulis, illam

Heb. 3. 6. 1. Cor. 3. 17

sem-

semper constitutam; etsi partes quædam effluant. Quia hoc non potest toti tribui nisi respectu singulorum, qui totum illud constituunt; Unde Paulus Eph. 2. 20. non dicit tantùm ædificium aptari & crescere in templum sanctum Domino, sed πᾶζαι οἰκοδομὴ, id est, non aliquam partem, sed totum ædificium, & cap. 4. vers. 16. dicit πᾶν τὸ σῶμα *omne corpus* compaginari per commissuras *&c.* Cæterùm non Augustinus modò pro nobis hîc facit, ut postea probabitur, sed varii ex Pontificiis, *Ferus* locum Matth. 16. exponit de Ecclesia secundùm spiritum, quæ solos Electos complectitur. *Jansenius* intelligit Regnum Christi, cui futurum sit infestum regnum Diaboli. *Caietanus* Ecclesiam intelligit quæ constat ex congregatione fidelium. *Maldonatus* vult sensum esse, fore ut Ecclesia à Christo super petram fundata, omnino Diaboli potentiam expugnet, ita ut nullâ arte, nullis viribus possit resistere. QUÆST. III. *Eph.* 2. 20.

XIII. Quintò, Ecclesia talis debet esse, qualis ab æterno in Decreto Dei concepta est, siquidem Vocatio per quam Ecclesia congregatur in esse Ecclesiæ, nihil aliud est quàm executio & fructus Electionis æternæ. Nec melius potest vera essentia rei alicujus cognosci, quàm ex prima ejus idea, quam autor sibi proposuit; præcipuè quum in executione, ne tantillum quidem ab ea recessit, sed perfectissimè executus est, quod de ea in mente sua præconceperat, quod Deum præstitisse nemo dubitare potest. Jam destinatio Ecclesiæ non facta est simpliciter ad externam professionem fidei & sanctitatis, sed ad veram fidem & sanctitatem, *Sicut elegit nos*, inquit Paulus Eph. 1. 4. *in Christo ut essemus sancti*, &c. *prædestinavit nos quos adoptaret in Christo; ut essemus ad laudem gratiæ suæ* &c. & Rom. 8. 29. *Prædestinavit nos conformes fieri imagini Filii sui*, & 2. Thessal. 2. 13. *Deus nos elegit ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus & fidem veritatis.* Unde Ecclesia describitur per eos qui vocati sunt κατὰ πρόθεσιν Rom. 8. 28. *per electos ex providentia Dei ad sanctificationem* 1. Pet. 1. 2. *per electos* Luc. 18. 7. *per Gentem electam & Populum peculii*, 1. Pet. 2. 9. *& per cœtum Primogenitorum, quorum nomina sunt scripta in cœlis* Hebr. 12. 24. quæ talia sunt ut de solis fidelibus, non verò de impiis & reprobis prædicari queant. 5. *Quia Ecclesia Vocatorum debet respondere Prædestinationi.* *Eph.* 1. 4. 5. *Rom.* 8. 29. *2. Thes.* 2. 13. *Luc.* 18. 7. *1. Pet.* 1. 2. *& 2. 9.*

XIV. Gratis supponit Perronius 1. *Agi de Ecclesia triumphante* Heb. 12. *ad quam* dicimur *venisse*, quomodo Philip. 3. dicitur *conversatio nostra in cœlis*, & per *primogenitos* intelligi *Patriarchas & Patres Veteris Testamenti.* Quia non dicitur cœtus eorum qui sunt in cœlo, sed eorum quorum nomina scripta sunt in cœlis, id est, qui electi sunt ab æterno ex stylo Scripturæ Luc. 10. Col. 4. 3. Apoc. 21. 27. Secundò vox *primogeniti* generalis est, quæ competit omnibus fidelibus ex æquo, quatenus regeneratio eorum reddit eos primitias creaturarum, & primogenitos hominum, & dat ipsis veritatem primogenituræ typicæ & legalis, in consecra- *Heb.* 12. 24.

QUÆST. III. tione peculiari Deo, ut sint Reges & Sacerdotes, ut duplà portione fruantur, & ut liberentur à gladio destructoris sanguine Agni. Tertiò dicit Paulus eos veniſſe, quod actualem & realem communionem importat, & non tantùm in ſpe, quomodo dicuntur veniſſe ad Deum Judicem, & ad Jeſum Mediatorem per veram & realem communionem. Quartò tantùm abeſt, ut hîc denotari debeat Eccleſia triumphans excluſivè ad militantem, ut non potuerint Hebræi communionem habere cum Eccleſia triumphante, niſi per militantem, quatenus iſta eſt pars ejuſdem totius, nec poteſt eſſe membrum Eccleſiæ militantis, qui partem non habiturus ſit ſuo tempore cum Eccleſia triumphante. Nec diffitetur Bellarminus de Eccleſ. milit. lib. 3. cap. 5. quum ait, *Eccleſia triumphans unita eſt, imò potius una cum militante, & proinde nemo poteſt velle ſeparari ab una, quin ſeparetur ab altera.* Non melius elabuntur, quum regerunt, *ſi intelligitur Eccleſia militans vocari cœtum primogenitorum, quorum nomina ſunt ſcripta in cœlis, non quòd ſoli electi ſint in ea, ſed quia in ea ſola ſunt electi, licèt alii etiam in ea reperiantur.* Quia Johannes hoc effugium præcludit Apocal. 21. quum ait nihil immundum & abominandum in eam ingreſſurum, ſed ſolùm ſcriptos in libro vitæ Agni; Nam ſi ſoli Electi ad Eccleſiam triumphantem pertineant, ſoli etiam ſunt membra militantis, quæ à triumphante non differt niſi ſtatu; quod ſequens argumentum clariùs confirmabit.

6. *Quia Deus in die Judicii ſolos fideles electos agnoſcet pro Eccleſia.*

XV. Sextò, Talis eſt Eccleſia, qualem declarabit Deus eam noviſſimo die, quia Eccleſia quam beabit in gloria, non alia eſt ab ea quam hîc juſtificat & regenerat in gratia. Nec tunc Chriſtus novam Eccleſiam & novos fideles & filios Dei, ac membra Eccleſiæ creabit, ſed declarabit tantùm quinam tales fuerint in hac vita, ad eos remunerandos. Imò teſtatur eos quos non agniturus eſt pro ſuis, nunquam tales fuiſſe, nec ab ipſo unquam pro talibus habitos Mat. 7. 23. *Nunquam novi vos*, licèt potuerint verbum prædicare, prophetare, & varia miracula in nomine Chriſti præſtare in communione externa & viſibili verſantes. At ſoli fideles & pii, qui ovium nomine gaudent, & quibus ab æterna Dei Electione paratum eſt Regnum cœlorum agnoſcendi ſunt à Chriſto, & introducendi in Eccleſiam triumphantem ex Chriſti ipſius verbis Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei* &c. excluſis hypocritis, impiis & impœnitentibus.

Mat. 7. 23.

Mat. 25. 34.

7. *Quia Eccleſia eſt communio Sanctorum.*

XVI. Septimò, Talis debet eſſe Eccleſia, qualem eam credimus & confitemur in Symbolo. At credimus *Eccleſiam ſanctam*, quæ & ipſa eſt *Communio Sanctorum.* Hæc enim duo eodem pertinere & primum eſſe ἐξηγητικὸν alterius conſtat, ut Eccleſiæ natura & qualitas clariùs exprimatur, quia non alia lege aggregantur Sancti in ſocietatem Chriſti, quàm ut quæcunque in eos beneficia Deus confert inter ſe mutuò communicent. Cùm ergo ſanctitas ſit proprius & genuinus Eccleſiæ character, ut paſſim Scriptu-

Scriptura innuit Isa. 35. 8. & 52. 11. Joel 3. 17. 2. Cor. 6. 16. 17. Eph. 5. 25. Cant. 4. 7. Nemo non videt non alios quàm veros fideles & electos, quibus talis sanctitas competit, posse esse ejus membra. QUÆST. III.

XVII. Nec hîc dicendum, 1. sanctam dici à *professione, & baptismate, & externa unione cum Capite.* Quia agitur de vero attributo, non de apparente & umbratico, de sanctitate reali & internâ, quâ Ecclesia sancta est Deo, non externâ & inani, quæ talis videtur oculis hominum: Professio sanè & baptismus sanctitatem aliquam externam & sacramentalem important, sed quæ inutilis planè, imò noxia est sine interna & spirituali, quam Deus præcipuè attendit & requirit; Ut Judæus ille verus non est qui est in aperto, nec circumcisio quæ est in carne, sed ille Judæus qui est in occulto, & circumcisio in Spiritu & veritate Rom. 2. 23. Ita & Christianus sanctus non dicitur ab externa professione tantùm, sed à veritate interna. Quod additur *sanctam denominari à Capite Christo* verè dicitur, sed eo ipso confirmatur sententia nostra de sanctitate interna Ecclesiæ, quia à Capite derivatur in totum Corpus, quod vitam & influxum Capitis participat, at nulla datur impiorum cum Christo Capite unio; si enim cum Christo unirentur, non jam impii, sed pii essent, nisi Caput sanctum dicere vellemus habere Corpus profanum & impium, quod est ἀσύστατον. 3. Non melius dicitur *sanctam dici ob partem, quia à meliori fit denominatio.* Nam si ob partem tantùm sancta dicitur; Ergo dicenda erit impura ob aliam, cùm non tantùm à meliori, sed etiam à majori fiat denominatio. Secundò fateor cœtum visibilem à meliori parte denominari, sed dico Ecclesiam veram esse cœtum illum melioris partis, vel meliorem partem cœtus. Nam Ecclesia quà talis differt à mundo, & in eo Ecclesiæ sanctitas sita est, ut à mundo segregetur. Unde quum Ecclesia sancta dicitur, hoc fit tantùm respectu cœtus verorum fidelium, non verò aliorum, qui licèt in Ecclesia, non sunt tamen de Ecclesia.

XVIII. Octavò, quia Reprobi ad regnum & corpus Diaboli pertinent, E. non possunt ad Ecclesiam Catholicam pertinere, nec ulla datur inter ista duo communio 2. Cor. 6. 16. 17. *Quæ communio Christi cum Belial, lucis cum tenebris, iniquitatis & justitiæ, Templi Dei cum idolis?* Et Jo. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Alibi eos filios Diaboli vocat Joann. 8. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis*, quis verò dixerit tales esse vera Ecclesiæ membra? Nec reponendum cum Stapletono non esse absurdum eos ad *Deum pertinere & à Deo alienos esse*, id est, *ad Christi & Diaboli corpus pertinere vario & diverso modo.* Quia hæc sunt ἀσύστατα, possunt quidem vocari & videri Dei, qui sunt Diaboli, sed esse Dei re ipsa non possunt. Sed præ cæteris clara sunt verba Johannis 1æ cap. 2. 19. ubi loquens de Apostatis & seductoribus, *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, utique nobiscum*

8 *Quia reprob: ad regnum Diabol: pertinent.*

2. Cor. 6. 16. 17.

Jo. 10. 26.

1. Jo. 2. 19.

QUÆST. III.

cum permansissent. Unde sic colligo 1. Quicunque exeunt ex Ecclesia, non sunt de Ecclesia. At Reprobi ex ea exeunt, E. Rursus quicunque sunt de Ecclesia, in Ecclesia semper manent. Sed Reprobi non permanent, sed ex ea exeunt, Ergo. Fundamentum ratiocinationis Apostolicæ est perseverantia verorum fidelium, quâ qui destituuntur, eo ipso testantur se nunquam fuisse tales, quales se esse profitebantur, fuisse quidem inter veros fideles & in cœtu visibili Ecclesiæ, sed non fuisse tamen ex numero verorum fidelium, & ex Ecclesiæ veris membris. Quod August. lib. de corrept. & gra. cap. 9. egregiè explicat, dum distinguit filios Dei, quorum quosdam dicit esse, qui nondum à nobis, ab ipso tamen Deo pro filiis habentur, quosdam è contra nobis filios dici, qui ipsi Deo filii non sunt. *Sunt quidam*, inquit, *qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait Johannes. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* &c. *Non ait, Ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis, sed ait, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.* Et paulò post ait, *Illos, qui* non permanent, *ne tum quidem esse filios Dei, quando erant in nomine & professione filiorum Dei.*

XIX. Frustra Bellarminus de Eccles. milit. lib. 3. cap. 10. vult tales dici non fuisse ex nobis, quia non erant Catholici animo & voluntate, sed hæreticos & Antichristos, & tamen dici exiviſse ex nobis, quia licèt animo & voluntate non essent ex nobis, erant tamen externa professione. Et in eodem capite addit ad locum citatum, Augustinum non velle eos non esse revera in Ecclesia, sed non esse eo modo quô videntur; nam si nullo modo essent intus, sed tantùm esse viderentur, pari ratione non verè exirent. Frustra, inquam, hoc affertur. Quia aliud est esse in communione externa Ecclesiæ, quod facilè largimur, & secundùm eam verè exire dicuntur apostatæ, quum deficiunt; Aliud esse in & ex communione interna, quo sensu negat Johannes tales fuisse ex nobis. Nec diffiteri potuit Bellarm. alibi lib. 2. de Gratia cap. 12. quum locum istum ad Prædestinationem referens. *Verum est*, inquit, *illos non esse ex nobis etiam quum videntur esse ex nobis, tum quia non sunt ex numero Electorum, tum quia jam sunt à nobis corde præcisi.* Nequicquam etiam hîc distingunt Adversarii inter Filium Dei & membrum Ecclesiæ *secundùm veritatem essentiæ*, seu *formæ*, & *secundùm veritatem finis seu permanentiæ: Tales fuisse quidem membra Ecclesiæ priori modo, sed non posteriori.* Bellarm. lib. 3. cap. 7. Nam in istis finis ita connectitur cum essentia & forma, ut ab ea separari nequeat; Unde quisquis filius Dei est veritate essentiæ, debet etiam talis esse veritate finis; quia non potest esse verè filius veritate essentiæ, quin sit hæres, Rom. 8, 16. Atque adeò

quin

quin suo tempore assequi debeat finem nimirum hæreditatem; Non potest esse verum membrum Ecclesiæ nisi per charitatem & Spiritum, ut ibidem Bellarm. fatetur ex 1. Jo. 4. & 1. Cor. 12. Sed nec charitas excidit, nec Spiritus semel datus auferri vel extingui potest, siquidem est semen incorruptibile; & donum ἀμεταμέλητον. QUÆST. III.

XX. Nonò, Ea debet esse natura & unitas Ecclesiæ, qualem describit Christus Joann. 17. quum orat non modò pro Apostolis, sed & pro tota Ecclesia fidelium, qui credituri erant per eorum Verbum, petit scilicet ut sint unum inter se, sicut ipse & Pater sunt unum, ℣. 20. *Ut sint unum sicut tu Pater in me, & ego in te, ut sint unum in nobis.* Unitas ergo Ecclesiæ debet esse juxta exemplar perfectissimæ unitatis Patris & Filii, quæ ejus imaginem aliquam referat, licèt infra eam longè subsidat. Quis verò credat unitatem externam meræ professionis, quæ communis est bonis & malis, à Christo respici. non verò unitatem internam & mysticam veræ fidei & charitatis? 9. *Quia Christus ad fideles Ecclesiam refringit.* Joa. 17. 20.

XXI. Decimò, Illa est sola vera Ecclesia ad quam promissiones salutares Gratiæ propriè pertinent, quia sunt fructus fœderis Gratiæ, quod cum illa Deus pepigit. At nemo dixerit eas pertinere ad impios & reprobos, qui non habent partem in hæreditate cœlesti; sed ad solos Electos & fideles quibus destinatum est Regnum ab æterno, Mat. 25. & qui sunt populus peculii Tit. 2. 14. dilecti & vasa gratiæ Rom. 9. 23. 25. 26. semen Is. 53. 10. filii promissionis Rom. 9. 8. 10. *Quia promissiones ad solos fideles pertinent.*

XXII. Ultimò, Patres hîc nobis passim adstipulantur; Non nulla tantùm loca notamus, Clem. Alex. Stro. lib. 7. sub fin. Ἐκ τῶν εἰρημένων ἔοικε φάσκειν οἶμαι γεγενῆσθαι, μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ ἐκκλησίαν, τὴν τῷ ὄντι ἀρχαίαν, εἰς ἣν οἱ κατὰ πρόθεσιν δίκαιοι ἐγκαταλέγονται. *Ex dictis manifestum esse puto, unam esse veram Ecclesiam, verè antiquam, in quam justi ex proposito colliguntur.* Cypri. epist. 55. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quoniam tu es Filius Dei vivi, significans scilicet & ostendens eos qui à Christo recesserint, culpâ suâ perire, Ecclesiam tamen quæ in Christum credat, & quæ semel id quod cognoverit teneat, nunquam ab eo omnino discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent, Plantationem verò plantatam a Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari &c.* Et Epist. 76. *Mea hæc est sententia, ut Christianus legitimus judicetur, quisquis fuerit in Ecclesia lege & jure fidei divinam gratiam consecutus.* Vid. & de Unit. Eccles. cap. 4. & 5. Ambros. in Psal. 35. sub fin. *Sicut sancti membra sunt Christi, Ita impii membra Diaboli.* Gregor. M. lib. 28. in Joh. cap. 9. *Juxta has ergo mensuras sunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiam si intra fidei limitem esse videantur. Unde in Apoca.* 11. *Patres hoc fatentur.*

QUÆST. III. *scriptum est* cap. 11. *Atrium quod foris templum est ejice foras, & ne metiaris illud* &c. Hiero. in Pſ. 101. & in Eph. 5. *Qui peccator est, & aliquâ sorde maculatus* &c. *de Ecclesia Christi non appellatur.*

XXIII. Sed præ cæteris omnibus Auguſtinus hanc veritatem adſtruxit innumeris in locis, ex quibus quædam illuſtriora ſeligimus, lib. 2. de Doctr. Chriſti. cap. 32. *Non est revera Domini Corpus, quod cum illo non erit in æternum*, & ibid. *Non solum in æternum, verum etiam nunc, hypocritæ cum illo esse dicendi non sunt, quamvis in ejus Ecclesia esse videantur.* Lib. de Uni. Eccleſ. cap. 4. *Quicunque de ipso Capite à Scripturis S. dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est non sunt in Ecclesia* Et cap. 18. *Cùm igitur boni & mali dent & accipiant Baptismi sacramentum, nec regenerati spiritualiter in Corpus & membra Christi coædificantur nisi boni, profectò in bonis est ista Ecclesia, ceu dicitur sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his est enim qui ædificant super Petram, id est, qui audiunt Verbum & faciunt* &c. *Non est ergo in eis qui ædificant super arenam* &c. & lib. 1. de Bapt. cap. 17. *Quod palea est, palea est semper ab illius Ecclesiæ, quæ sine ruga & macula est, unitate divisus, etiam qui congregatione sanctorum in carnali obdurationem miscetur.* Et lib. 5. cap. 27. *Quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur Hortus conclusus, soror mea, sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Hoc intelligere non audeo nisi in sanctis & justis* &c. Et lib. 6. cap. 3. *Malos non pertinere ad Ecclesiam Dei, quamvis intus videantur ex hoc apertissimè apparet.* Et lib. 7. cap. 51. *Puto me non temerè dicere, alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei quæ ædificari dicitur super Petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula* &c. *Alios autem constat ita dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque justitiæ* &c. Contra Creſc. lib. 2. c. 21. *Propter malam pollutamque conscientiam damnati à Christo, jam in Corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest habere Christus membra damnata.* Et in Joh. epiſt. cap. 2. tr. 3. *Omnes hæretici*, inquit, *omnes Schismatici ex nobis exierunt*, id eſt, *ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent; Antequam exirent ergo, non erant ex nobis.* Et poſtea ſubjicit, *Eos non esse ex membris, quia nunquam sibi sunt membra contraria, sed esse quasi malos humores in corpore. Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid hoc est non erant ex me? id est, non erant præcisi de carne mea* &c. Nec dici debet Auguſt. uſquam ſententiam iſtam retractaſſe. Ut lib. 2. retract. c. 18. quum teſtatur id quod dixit in lib. de Bap. de Eccleſia ſine ruga & macula, non intelligi debere quaſi jam eſſet talis, ſed quia præparatur, ut ſit talis quando apparebit glorioſa. Quia hoc dixit contra Pelagianos impeccantiam

tiam hominis fidelis asserentes, ut doceat in Ecclesia militante supereſſe adhuc peccata varia corrigenda, de quibus subjicit debere dicere quotidie dimitte nobis debita nostra; Sed non ut statuat veram Ecclesiam componi tam ex bonis quàm ex malis. Licèt verò in lib. cont. Donat. post collatio. cap. 20. ostendat in corpore externo Ecclesiæ malos semper esse permixtos bonis quamdiu in terris versatur; non ideo pertendit malos ad Ecclesiam veram propriè pertinere, quæ ex bonis constituitur, imò ab istis expressè separari docet, *Nunc etenim bene vivendo à talibus spiritualiter separantur, post verò etiam corporaliter separandi sunt.* Et ibid. *In uno ergo fuerunt & permixti & separati, mixti quidem corporali contactu, separati autem voluntatis abscessu.* Et tr. 3. in Epist. Joh. *Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando evomuntur, tunc corpus relevatur, sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur, & dicit, exierunt ex me humores isti, sed non erant ex me* &c. Sic Bellarm. lib. 3. cap. 9. vult esse in Ecclesia ut humores, dentes, pilos, & alia quæ non sunt membra. QUÆST. III.

XXIV. Aliud est esse in Ecclesia communione visibili, & eadem professione fidei, iisdemque Sacramentis uti. Aliud esse de Ecclesiæ communione internâ & invisibili, & eodem fidei Spirituſque vinculo colligari. Reprobos & impios esse in Ecclesia priori sensu concedo, sed posteriori nego. Negat Christus Joan. 8. 44. Vos ex Patre Diabolo estis, & cap. 10. 36. Vos non estis ex ovibus meis; negat Joh. 1æ 2. 19. non erant ex nobis, inquit. Et ut non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël Rom. 9. 6. id est, qui ex Israële oriundi sunt secundùm carnem, non sunt tamen Israël verus secundùm Spiritum, cui factæ sunt promissiones. Ita nec omnes qui sunt in Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia. *Fontes Solutionum.*

XXV. Quando Ecclesia confertur areæ, in qua palea est cum tritico, sagenæ, in qua boni & mali pisces, Convivio nuptiali, in quo adest conviva sine veste nuptiali, spectatur quoad statum externum & visibilem, non quoad internum & invisibilem. Probant istæ parabolæ Ecclesiam militantem in terris mixtam esse, & confusam cum multa extranea turba: Sed non probant Ecclesiam Catholicam ex illis constare & compositam esse. Augusti. optime hîc distinguit *mixtum* esse, & *partem* esse, *adhærere*, vel *adnasci*, & *membrum* esse. Auro terra, frumentò palea, bonis piscibus mali adjunguntur, sed non propterea vel terra est aurum, vel palea frumentum, vel mali pisces sunt boni. *Itaque sive intus versari videantur, sive apertè foris sint, quod caro est, caro est, quod palea est, palea est*, inquit August. lib. 1. de Bapt. c. 17.

XXVI. Domus magna in qua sunt vasa aurea & argentea ad decus, & figulina & lignea ad dedecus 2. Tim. 2. 20. vel est mundus in quo sunt boni & mali, ut Chrysost. & Theophyl. exponunt, vel melius 2. *Tim.* 2. 20.

Ec-

QUÆST. III. Ecclesia visibilis, in qua sunt boni, illustres in fide & sanctitate, qui sunt vasa aurea gratiæ, & mali seu hypocritæ & impii, qui ad tempus aliquam pietatem & fidem præ se ferunt, sed postea miserè retroaguntur, & se vasa ad dedecus parata ostendunt. Sunt ergo in domo, sed non de domo, intus corpore, non animâ.

XXVII. Aliud est solos Electos & Prædestinatos esse membra Ecclesiæ, quod statuimus, Aliud solam Electionem sufficere ad constituendum membrum Ecclesiæ, quod negamus, siquidem cum Electione requiritur Vocatio efficax quæ effectus est electionis. Unde vana sunt argumenta pleraque Adversariorum, quæ supponunt ex nobis solam electionem facere membrum Ecclesiæ; ut quum dicunt ex nostra hypothesi. 1. *Turcas, Mahumedanos, & hæreticos posse esse membra Ecclesiæ, modò sint prædestinati.* Quia non possunt dici membra actu Ecclesiæ, donec vocentur efficaciter, licèt sint membra destinatione, ut Christus oves suas vocabat Joan. 10. 16 Gentiles nondum vocatos Joan. 10. 16. 2. *Omnia incerta fore, nec oves Pastorem, vel Pastorem oves, vel fratres se invicem cognituros, cùm Prædestinatio sit occulta in Deo scilicet, non in homine.* Quia licèt nemo hoc cognoscere possit à priori, quod Deo soli competit 2. Timot. 2. 19. qui novit qui sui sunt, potest tamen hoc cognosci à posteriori judicio charitatis ex fructibus fidei & charitatis Joan. 13. 35. 1. Joan. 3. 9. 10. & si non possumus certum judicium facere de hoc vel illo in particulari, an sit membrum verum Ecclesiæ, possumus tamen certò scire quænam sit vera Ecclesia Christi, & ubi illa sit.

XXVIII. Omnes baptizati tam internè quàm externè sunt veræ Ecclesiæ membra, quia Christum in baptismo induunt Galat. 3. 27. & baptizantur in unum corpus 1. Cor. 12. 13. Sed non eadem est ratio reproborum & impiorum, qui externè quidem baptizantur, sed non internè, aquâ scili. ad ablutionem sordium carnis 1. Pet. 3. 21. sed non Spiritu ad purgationem peccati, symbolo visibili, sed non re significatâ invisibili.

Gal. 3. 27. & 1. Cor. 12. 13.

XXIX. Ecclesia, bene confertur corpori organico, quod diversa habet membra & officia, ratione diversitatis donorum & ministeriorum, sed non ratione diversitatis status, quasi alii essent electi & reprobi; hoc sensu enim datur identitas essentiæ, quia omnes debent esse membra viva Corporis Christi, differunt ergo materialiter natione, sexu, ætate, conditione, & ingenio, sed conveniunt formaliter in eadem fide & Spiritu. Et si qui sunt qui munia in Ecclesia sustinent, qui non sunt tamen veri fideles, pertinent tantùm ad Corpus externum, non ad internum & mysticum, sunt instrumenta ædificationis domus, sed non domus ipsa vel pars ejus; sic ædificatores Arcæ Noæ non servati sunt in ea, & servi Regis Hiram, qui ædificio Templi ministrarunt, licet essent pagani.

XXX. Licèt solos veros fideles censeamus esse Ecclesiæ membra,

Nos

Non ideo favemus errori Novatianorum, Catharorum, & Donatistarum, aut hodiernorum Anabaptistarum, quod per calumniam Pontificii nobis affingunt, qui Ecclesiam ex perfectè sanctis constare volunt. Nam præterquam quod in communione externa hypocritæ miscentur veris fidelibus, Electi qui soli formaliter ad Corpus Christi mysticum pertinent, quandiu in terris versantur, variis nævis & peccatis semper sunt obnoxii 1. Joan. 1. 8. ut nunquam ita splendet Luna, quin varias adhuc maculas retineat. Quæst. IV.

QUÆSTIO IV.

An Catèchumeni non baptizati, Excommunicati, & Schismatici pertineant ad Ecclesiam? D.

I. SEcunda hæc Quæstio de partibus Ecclesiæ movetur etiam à Pontificiis, circa quam variæ sunt ipsorum sententiæ, ut ex distincta variorum Quæstionis membrorum consideratione patebit.

II. Primò, Quæritur de *Catechumenis & non baptizatis.* An sint membra Ecclesiæ? de quo inter se Pontificii non consentiunt, Bellarm. vult tales *non esse in Ecclesia actu & propriè, sed tantùm potentiâ, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus*, lib. 3. de Eccles. cap. 3. Canus contra, teste Bellarm. pertendit. *Eos ad Ecclesiam pertinere, non propriè Christianam, sed eam quæ omnes fideles ambitu suo claudit, quæ Abelem etiam comprehendit.* Turrecremata & Bannes volunt Catechumenos, *non numero, sed merito esse de Ecclesia.* *An Catechumeni & non baptizati pertineant ad Ecclesiam?*

III. Nos duplici distinctione quæstionem solvi posse censemus. Primò si distinguantur non baptizati, à fide & religione alieni, quos Paulus vocat τὺς ἔξω 1. Cor. 5. 12. à non baptizatis credentibus, vel ad fidem jam dispositis, licèt externum baptismi Sacramentum nondum susceperint; Istos enim tantùm, non illos ad Ecclesiam pertinere arbitramur. Secundò Ecclesia spectari potest bifariam, vel quoad externum statum & formam visibilem, vel quoad formam internam & invisibilem. Catechumeni & non baptizati ad Ecclesiam pertinere dicuntur, non priori sensu & quoad statum externum, sed posteriori tantùm, ut sint de Corpore Christi mystico, licèt nondum vocati sint externè ad communionem externam & visibilem; nec jus habeant ad Sacra. *Quo sensu pertineant.*

IV. Rationes sunt, 1. Quia Catechumeni non baptizati in eo statu possunt servari, Ergo sunt de Ecclesia, & in Ecclesia. Nam extra Ecclesiam non est salus, ut ipsi Adversarii non diffitentur; Tales autem ser-

QUÆST. IV. vari, patet ex latrone converso, qui licèt nunquam fuerit baptizatus, servatus tamen fuit. Nec Bellarmini effugium valet, Tales esse voto & potentiâ in Ecclesia, si non actu & propriè. Quia si nemo potest salutis esse particeps, nisi quatenus est in Ecclesia, qui est tantùm potentiâ in Ecclesia, potentiâ tantùm, non verò actu & re ipsa servari dicendus est. Quòd si per votum intelligas actum internum communionis, quo ille jam spiritu consentit fidei, & optat externæ communioni adjungi, non negamus Catechumenos & non baptizatos posse dici esse voto in Ecclesia externa & visibili, quia jam sunt re ipsa de interna communione. Sed alio sensu, si per *esse voto & potentiâ in Ecclesia*, intelligatur tantùm communio potentialis cum Ecclesia invisibili, falsum est eos posse actu servari, quia nemo actu servatur, qui Christo non sit datus & insitus, & qui non sit verum & vivum Christi membrum; At quisquis est actu verum Christi membrum, debet etiam eo ipso verum esse membrum Ecclesiæ, quæ est Christi Corpus.

V. II. Quia Catechumeni & non baptizati possunt esse in fœdere Dei, & Christi & beneficiorum ejus participes, antequam fœderis symbola acceperint, ut patet in iis qui à Republicâ Israëlis extranei secundùm carnem, spiritualis populi corpori accensebantur, & bonis iisdem per fidem potiebantur, quales erant Melchisedec, Jobus, & alii in Veteri Testamento. Et in Novo, Centurio, Latro conversus, Luc. 23. Eunuchus Act. 8. & innumeri Martyres, qui ante susceptum baptismum mortui sunt.

VI. III. Quia gratia Dei non est alligata Sacramentis, ut observat Ferus in Joan. 3. & non diffitentur ipsi Baptismum absolutè ad salutem non esse necessarium, sed posse suppleri voto & martyrio. At si Baptismi, qui Ecclesiæ est introitus, tanta tamque præcisa non est necessitas, facilè patet eos qui Ecclesiæ formæ externæ non accensentur, non propterea simpliciter perire. Nec tamen ideo ordo Ecclesiæ evertitur, quia idem de externa Ecclesiæ forma, quod de baptismo debet esse judicium, cujus non privatio simplex, sed contemptus & aspernatio damnat.

Fontes Solutionum. VII. Si Baptismus dicitur introitus in Ecclesiam, hoc de baptismo externo dictum, intelligitur de Ecclesia visibili tantùm. Si ad baptismum internum referatur pertinet etiam ad invisibilem; Sed tum non baptizati externè, de quibus hîc agitur, possunt dici baptizati internè, ut in latrone & variis martyribus non baptizatis visum; Eo sensu qui baptizantur verè & internè semper induunt Christum, ut Paulus loquitur Galat. 3. 27. sed alio, induere dicuntur tantùm sacramentaliter & symbolicè.

VIII. Illi qui aggregantur Ecclesiæ, vel uno eodemque tempore credunt & Baptismum suscipiunt; vel quum credunt, tamen baptismum non suscipiunt, vel necessitate coacti, ut latro in cruce, vel liberâ voluntate

tate ducti, ut Catechumeni quorum baptismus differebatur in primitiva Ecclesia usque ad festum Paschatis, imò aliquando usque ad vitæ finem. Illi de quibus agitur Act. 2. 41. qui per baptismum aggregati sunt Ecclesiæ, ad priores pertinebant: sed hoc non obstat, quominus illi qui verâ fide Christum suscipiunt, nec tamen baptismum statim recipiunt, modò id fiat citra contemptum Sacramenti, pertineant jam ad Ecclesiam, quia per fidem fiunt filii Dei Galat. 3. 26. Aliud est aggregari ad Ecclesiam visibilem, quod fit per baptismum, Aliud ad invisibilem, quod fit per fidem. QUÆST. IV.

IX. Si Veteres distinguebant Catechumenos à *Fidelibus*, sumebant vocem fidelium strictè pro iis qui non tantum credebant, sed etiam qui fidei professionem jam ediderant in externo ordine & pollitiâ Ecclesiæ; Sed hoc non obstat quominus iidem fidem jam haberent & fidelibus veris accenseri deberent, qui jam eâ intus præditi erant, licèt eam nondum publicè profiterentur.

X. Aliud est Jus habere ad Sacra externa Ecclesiæ, quæ ad professionem referuntur. Aliud ad interna fidei. Catechumeni credentes actu Jus habent ad ista, quia jam participes sunt Christi & beneficiorum ejus; Licèt nondum habeant jus ad illa, nisi ordine servato & posito baptismo. Ut Circumcisio fuit signum Fœderis, quâ qui destituebantur non poterant censeri ex populo Dei quoad formam externam, licèt possent jam esse ex populo Dei secundùm Electionem, ut in Jobo & Melchisedeco visum; Ita Baptismus facit Christianum professione, sed non internâ veritate.

XI. Secundò, quoad *Excommunicatos*; quos Bellarminus pariter ab Ecclesia excludit, dicimus Excommunicationem vel injustam esse, quæ fit clave errante, & talem non esse ratam apud Deum, nec præscindere posse à Corpore Christi, & communione Ecclesiæ, quam Christus non abdicavit, qualis fuit Excommunicatio lata in Christum, & eos qui eum sequebantur, qui fiebant ἀποσυνάγωγοι. Vel justam & legitimam, quæ vel est partialis, & secundùm quid in certo gradu, per quam excommunicatus arcetur à mensa Domini, à precibus & cœtibus. Vel absoluta & totalis, quæ major dicitur, quâ excommunicatus resecatur ab ipsa societate Ecclesiæ. *An Excommunicati sint Ecclesiæ membra?*

XII. Hoc posito, Excommunicati illi sunt extra Ecclesiam, qui externâ professione contenti aliquandiu nullam veram cum Christo & fidelibus fidei & charitatis communionem habuerunt, de quibus quum excommunicantur dicendum quod Johannes de Apostatis cap. 2. 19. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Sed alii qui licèt à communione externa ejecti, internam retinent, & fidei & pœnitentiæ semen non abjiciunt, rectè dicuntur esse de Ecclesia, etsi fieri possit, ut ante obitum non admittantur ad pacem Ecclesiæ, duros experti Pastores; quia Deus non

QUÆST. IV. favet humanis vitiis, nec fieri potest, ut qui semel in Ecclesiæ corpus per fidem admissus est, ab eo unquam ejiciatur.

XIII. Ratio est multiplex. 1. Quia Excommunicatio nunquam est absoluta, sed conditionata, suppositâ scilicet impœnitentiâ & obstinatione. 2. Non tam fit â Corpore mystico Christi, quàm à communione externâ Ecclesiæ, & Sacrorum usu. Quòd si à Deo & Christo declaratur separatus ille qui excommunicatur, hoc potius intelligendum est respectu intrinseci meriti culpæ, & quoad usum bonorum Dei, & consolationem ac pacem conscientiæ, quæ persuasionem & sensum communionis sanctorum consequitur, quàm de actuali abscissione ejus à Christo, quæ est impossibilis. 3. Ut est pars πολιτείας & regiminis Ecclesiarum particularium; Ita non fit ab Ecclesia Catholica, sed tantùm à particulari aliqua & visibili, nec ad exitium, sed ad salutem, ad tempus, non in æternum, ut sit suspensio & relegatio, sed non absoluta Tabularum abscissio & laceratio.

XIV. Nullum membrum Ecclesiæ est extra illam Ecclesiam, cujus dicitur membrum; Sed Excommunicatus, licèt sit extra Ecclesiam visibilem particularem, cujus antea membrum vocatur; non desinit esse membrum Ecclesiæ invisibilis, etiam post excommunicationem. Unde August. lib. cont. Donatistas cap. 20. *Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.*

XV. Ille non potest esse membrum Ecclesiæ, in quo fides cessat quoad actum & habitum simul; Sed potest esse ille in quo cessat tantùm quoad actum secundum & exercitium, ut in excommunicato, non tamen quoad actum primum, & habitum.

XVI. Aliud est habere pro Ethnico & Publicano aliquem, id est, censere à religione & Ecclesiæ communione alienum, quales habebantur inter Judæos Ethnici & Publicani. Aliud talem esse in rei veritate; De Excommunicatis prius dici potest, sed non posterius. Nec si non rescinduntur à Corpore Christi, continuò nihil patiuntur damni, cùm magnum sit damnum ejici ex Ecclesia visibili, & privari communione Sacrorum, quibus suam in nobis confirmat & obsignat gratiam Christus.

XVII. Quum Bellarminus ait c. 6. *Excommunicatum esse in Ecclesia animo, sive desiderio, quod sufficit illi ad salutem, non tamen esse corpore, sine externa communicatione, quæ propriè facit hominem de Ecclesia ista visibili quæ est in terris*, Ad nos non obscurè accedit, quia vult sufficere homini ad salutem, ut sit animo in Ecclesia, licèt non sit corpore. At cùm nulla sit salus extra Ecclesiam, agnoscenda est præter Ecclesiam visibilem, aliqua invisibilis; in quâ homines possunt esse animo, si non corpore, & salvari; quod confirmat clarius quum ait ibidem, *Excommunicatum injustè posse esse amicum Dei, & de anima Ecclesiæ.*

XVIII.

XVIII. De *Schismaticis*, ut verbo dicamus, facilè damus eos qui temerè & injustè ab Ecclesia vem secedunt, unitatem ejus lacerando, ad Ecclesiam non pertinere. Sed negamus eos, qui odioso hoc nomine falsò traducuntur, quia *nolunt subesse Romano Pontifici*, ut Bellarminus loquitur, ab ea esse excludendos. Quæst. V.

QUÆSTIO V.

De Unitate Ecclesiæ.

Quo sensu Ecclesia Una dicatur?

I. Inter attributa Ecclesiæ, Primum est ejus *Unitas*, quæ ex ejus natura fluit. Cùm enim sit societas sancta & Corpus mysticum omnes Electos ejusdem Spiritus & fidei ac charitatis inter se & cum Christo unitos vinculo complectens, unitatem aliquam habere necesse est, per quam omnia ejus membra inter se connectantur. Nec satis est turbam Electorum cogitatione, animoque complecti, nisi talem Ecclesiæ unitatem cogitemus, in quam nos esse insitos verè simus persuasi; Nam nisi sub Capite Christo coadunati sumus reliquis omnibus membris, nulla nos manet spes hæreditatis futuræ. Hinc Sponsus Cant. 6. 9. dicit unicam esse Sponsam seu Columbam suam, unicam illam apud matrem suam, & passim sub uno Corpore, & uno grege repræsentatur.

II. Quia verò Ecclesia potest spectari vel quoad statum externum, vel internum. Ideo de Unitate ejus respectu utriusque disputari potest. Hîc non agitur de ejus Unitate visibili & quoad statum externum, quatenus est domicilium fidelium, quoad professionem fidei, & communionem Sacrorum; Nec de schismatibus quæ possunt in ea occurrere; de qua Unitate in sequentibus dicendum erit. Sed de Unitate internâ & invisibili, quæ competit Ecclesiæ proprè dictæ, quoad statum internum.

III. Rursus non agitur de Unitate accidentali vel loci, vel temporis, vel rituum, vel ætatis, siquidem constat quòd diversitatem multiplicem in his obtinet, & ut in variis locis sedem habet, & omnium est temporum; ita non unius est ætatis, sed plurium, per quas successivè transit, infantiam modò suam, modò juventutem, modò statam ætatem, experiendo. Nec uniformis est, quoad ritus, & regimen. Sed agitur de *Unitate essentiali*, quæ eadem utrobique tam locis quàm temporibus variis manet, per quam fideles eundem Deum colunt, eundem Ser-

QUÆST. V. vatorem agnoscunt, eandem fidem habent, eodem Spiritu animantur, & ejusdem Corporis sunt membra, quæ ad sex capita referri potest. 1. *Unitatem Corporis.* 2. *Capitis.* 3. *Spiritus.* 4 *Fidei.* 5. *Charitatis.* 6. *Spei.*

Unitas Corporis.

IV. 1. *Unitas Corporis*, quia licèt ex variis partibus velut totidem membris constituatur diversis locis & temporibus viventibus, unicum tamen est Corpus, quod ex illis omnibus exurgit, quod Apostolus eximiè declarat Rom. 12. 5. & 1. Corinth. 12. 12. *Ut Corpus est unum, & multa membra, sed omnia membra licèt sint multa, sunt unum Corpus, Eodem modo est Christus*, nimir. Christus mysticus, id. Ecclesia, ita ut nec multitudo fidelium, nec diversitas officiorum, ætatis, indolis possint impedire, quominus unum sint in Christo, *baptizati sumus in eundem Spiritum, ut simus unum Corpus sive Judæi, sive Græci.* Quod ut Augustinus explicet ratione fidelium Veteris & Novi Testamenti, utitur similitudine infantuli nascentis, cujus manus ante caput exiit. *Sicut in nascente quodam*, inquit in Psalm. 61. *nondum quidem procedente capite præcessit manus; sed tamen capiti connectebatur & manus. Nolite ergo putare, fratres, omnes justos qui persecutionem passi sunt impiorum, etiam illos qui venerunt ante Domini adventum, prænuntiare Domini adventum, non pertinuisse ad membra Christi* &c.

1. Cor. 12. 12. 15.

V. Quia verò datur Corpus continuum & discretum, istud quod tale est per meram aggregationem, quale est Corpus civitatis & familiæ, vel grex ovium, vel unitas domus; Illud quod tale est per unitatem unius subjecti, quale est corpus humanum. Scriptura unitatem Ecclesiæ Corporis duplici modo solet describere, modò sub symbolo *Unitatis Gregis*, in quo tam Judæi quàm Gentiles uniuntur in unum. *Habeo adhuc alias oves quæ non sunt ex hoc ovili, quæ mihi adducenda sunt ut unus sit Grex & unus Pastor* Jo. 10. 16. *Et Unitatis Civitatis & populi sub eodem Rege* Eph. 2. 19. *Ideo non estis amplius peregrini, sed concives sanctorum, domestici Dei*; Modò sub symbolo *Unitatis Corporis*, quum fideles vocantur membra alii aliorum, & Christus Caput 1. Cor. 12. 24. & Eph. 1. 20.

Unitas Capitis.

VI. Secundò, *Unitas Capitis*, quod dat unitatem Corpori, ex eo enim, quòd unicum datur Caput Ecclesiæ, Unicum eam etiam Corpus constituere necesse est; Cùm nec Corpus dari possit biceps, nec Caput bicorpor. Paulus non semel hoc mysterium aperit, sed præcipuè Eph. 1. 10. quum ait, *Beneplacitum Dei hoc fuisse, in dispensatione plenitudinis temporum omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι in Christo, tam quæ sunt in cœlis, quàm quæ sunt in terra.* Et v. 20. *Dedit illum in Caput Ecclesiæ, quæ est Corpus ejus* Nec aliud Ecclesiæ universali requirebatur Caput, quod, ut omnipotens & omnipræsens, ubique & semper possit adesse membris suis, & influxu suo vivifico ea regere & tueri. Ut hîc frustra Pontificii ad veritatem Ecclesiæ

Eph. 1. 10.

vers. 20.

clesiæ constituendam pertendant requiri unitatem Capitis visibilis & subalterni, ut suo loco videbitur. Quæst. V.

VII. Tertiò, *Unitas spiritus*, quæ ex Unitate Capitis manat ad Unitatem Corporis constituendam; Ideo enim unum Caput unum Corpus sibi habet conjunctum, quia unico Spiritu illud animat omnia membra pervadente. Unde Apostolus Unitati Corporis, adjungit Unitatem Spiritus, 1. Cor. 12. & Eph. 4. & alibi 1. Corint. 6. 17. *Qui unitur Domino, est unus Spiritus cum eo.* Licèt verò Spiritus iste sub diversis symbolis proponatur, & ut septuplex describatur Apocal. 1. 4. 5. Isa. 11. 2. propter diversitatem donorum, quæ fidelibus impertitur; non minus tamen unus est quoad essentiam; Ista enim omnia unus idemque Spiritus operatur, inquit Paulus 2. Cor. 12. 3. *Unitas Spiritus.* 1 Cor. 12. 24. Eph. 4. 4. 1. Cor. 6. 17.

VIII. Quartò, *Unitatis Fidei*, quia *una est fides* Eph. 4. 4. tam *quæ* creditur, quàm *quâ* creditur, id est, una salutis doctrina in Euangelio proposita, quam fides amplectitur, quæ tam *subjectivè* ratione credentium, quàm *objectivè* ratione objecti in quod fertur, una semper fuit & erit, tum ante tum post Christum; *Christus enim idem est heri, hodie, & in secula* Heb. 13. 8. Licèt enim crescere potuerit revelatio subinde quoad modum & gradus manifestationis; & modò obscurior fuerit sub Veteri Testamento, modò clarior ut sub Novo, modò clarissima futura sit, quando perveniemus omnes ad *unitatem fidei & cognitionis in virum perfectum* Ephes. 4. 13. id est, consummati erimus in gloria; Eadem tamen fuit semper substantia doctrinæ in rebus necessariis ad salutem, quæ ab omnibus credenda fuit. Quod Irenæus eximiè docet lib. 1. adv. hær. capite 2. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & Discipulis eorum accepit fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & in unum Jesum Christum Dei incarnatum pro nostra salute, & in Spiritum Sanctum* &c. Et c. 3. *Hanc prædicationem cùm acceperit & hanc fidem, quemadmodum diximus, Ecclesia, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, quasi unam animam habens & unum cor, & consonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quasi unum possidens os, nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sint, sed tamen virtus traditionis*, id est, doctrina Symboli in Scriptura tradita, *una eademque est, neque ea quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque ea quæ in Hiberis sunt* &c. *Sed sicut Sol creatura Dei in universo mundo unus idemque est; sic & lumen prædicationis veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* *Unitas Fidei.* Eph. 4. 4.

IX. Quintò, *Unitas Charitatis*, quæ sequitur unitatem fidei, per quam fideles Christo uniti per fidem, debent per charitatem in se colligari, ut servetur *unitas Spiritus per vinculum pacis*, Eph. 4. 3. & fideles fiant *Unitas Charitatis.* Eph. 4. 3.

QUÆST. V. fiant unum cor & una anima Act. 2. Ideo vocatur *vinculum perfectionis* Col. 3. 14. non modò ratione virtutum Christianarum, quia eas inter se colligat, ut qui eam habet cæteras omnes habeat & exerceat, & sine illa nihil sint; sed etiam quoad Ecclesiam, quæ tanquam domus Dei compage charitatis continetur Eph. 4. 16. & quoad fideles & membra Ecclesiæ, quæ inter se unit, ut suo quodlibet fungatur officio, & sibi mutuas præstent operas ad utilitatem & conservationem Corporis.

Col. 3. 14.

Unitas Spei X. Sextò, *Unitas Spei* Eph. 4. 4. Id est, rei speratæ & hæreditatis cœlestis, ad quam omnes ex æquo vocamur, & cujus participes omnes suo tempore futuri sumus. Col. 1. 14. Rom. 8. 17. nec enim alia gloria magnis, alia parvis, alia Judæis, alia Gentibus, sed una eademque omnibus reposita est hæreditas Sanctorum in luce.

Eph. 4. 4.

Unitas Baptismi. XI. *Unitas Baptismi* de qua loquitur ibidem Apostolus pertinet ad Ecclesiam visibilem, & ejus statum externum, nisi intelligamus potius baptismum internum, quàm externum, id. rem significatam potius quàm signum.

XII. Licèt plures dentur Ecclesiæ particulares per orbem sparsæ, non ideo abrumpitur Unitas Ecclesiæ, vel discerpitur ejus Corpus, quia manet semper una Ecclesia Catholica, quæ ex variis istis partibus componitur, quæ quia sunt ἐμοιομερεῖς, idem cum Toto nomen obtinent.

XIII. Ad eam firmandam non parum facit *Unitas Dei* & Patris omnium, qui dicitur esse ὅπὶ πάντων *super omnes* autoritate & dominio, διὰ πάντων *per omnes* providentia sua qua permeat, sustentat & regit omnia, & ἐν πᾶσι *in omnibus* per gratiam suam Eph. 4. 6.

Eph. 4. 6.

XIV. Porrò variæ istæ species Unitatis, quæ in Ecclesia occurrunt, totidem sunt argumenta efficacissima fidelibus ad alendam inter se charitatem & concordiam, & servandam unitatem Spiritus in vinculo pacis, quem in finem ab Apostolo Rom. 12. Eph. 4. & 1. Cor. 12. afferuntur:

QUÆSTIO VI.

Quo sensu Ecclesia Catholica dicatur?

I. LIcèt omnes consentiant Ecclesiam bene Catholicam dici, non tamen de sensu istius vocis pariter conveniunt. Pontificii enim universalitatem istam circumscribunt terminis Ecclesiæ Romanæ, ut extendatur tantùm ad eos, qui in variis gentibus & locis subsunt Pontifici Romano, ut Romanum & Catholicum esse idem sint, ut loquitur Bellar. sed alium esse istius appellationis sensum facilè ostendi potest.

II. Primò

II. Primò vocis ipsius propria significatio docet, non posse Ecclesiæ Catholicæ nomen sibi vendicare Cœtum, qui certis locis restringitur; Sed eam demum societatem, quæ omnes Electos & fideles tam triumphantes in cœlis, quàm militantes in terris, ubicunque locorum fuerint, vel futuri sint, & quocunque tempore vixerint à principio mundi, vel victuri sint usque ad finem complectitur; quo sensu Eph. 3. 15. *Familia Dei tota dicitur nominari in cœlo & terra*, & ita in Symbolo Ecclesia Catholica propriè dicitur. Sic Augustinus exponit in Psalm. 62. *Tota Ecclesia ejus, quæ ubique diffusa est, Corpus ipsius est, cujus & ipse Caput, non solum autem fideles, qui modò sunt, sed & qui fuerunt ante nos, & qui post nos futuri sunt usque ad finem seculi, omnes ad ejus Corpus pertinent* &c. Et in Psalm. 90. *Corpus hujus Capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco, & per totum orbem terrarum, nec illa quæ hoc tempore, sed quæ ab ipso Abele usque ad eos qui nascituri sunt usque in finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum ad unam Civitatem pertinens, quæ civitas Corpus est Christi.* Grego. in Euang. hom. 19. *Conditor noster habet vineam universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abele justo usque ad ultimum electum, qui nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.*

QUÆST. VI.

Nomen Catholicum proprie notat Ecclesiam universalem, tam triumphantem, quàm militantem. Eph. 3. 15.

III. Hanc autem notionem respici in Symbolo, patet primò ex genuina vocis significatione, quæ in tota sua latitudine intellecta, debet complecti universam Ecclesiam, & extendi ad omnes ejus partes, tam illam quæ in cœlo regnat, quàm eam quæ in terra pugnat, tam eam quæ jam fuit à principio mundi, & quæ nunc est, quàm eam quæ futura est usque ad consummationem seculi, quæ tres partes unicam constituunt Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, sine exceptione vel limitatione temporis aut loci, contradistinctè ad Ecclesias particulares, quæ sunt membra magni illius Corporis, quod Christus sibi colligit ex mundo. Secundò quod additur statim de *Communione Sanctorum* idem confirmat. Nam sancti non ii solùm sunt qui vivunt in terra, sed & qui regnant in cœlo, & qui nascituri sunt usque ad finem, qui inter se communionis sanctæ vinculo sociari debent. 3. Quoties Scriptura loquitur de Ecclesia sub idea universalitatis, totam Ecclesiam intelligit, & non partem tantùm Eph. 1, 20. 21. & cap. 5. 25. 26. Col. 1. 16. Heb. 12. 23. & alibi passim.

IV. Licèt verò vox Ecclesiæ populari loquendi modo notet cœtum externum & visibilem; Non ideo sequitur, accuratè loquendo de Ecclesia Christi, significationem propriam & naturalem ejus inferre simpliciter cœtum visibilem, vel simplicem professionem externam; Cùm communio spiritualis & interna constituat ejus essentiam, ut antea visum; Ideo cùm mentio sit Ecclesiæ universalis absolutè & simpliciter, non alia significatio potest afferri magis propria & naturalis, quàm ut designet

QUÆST. VI.

gnet societatem universam filiorum Dei, oppositè ad societatem mundanorum & filiorum seculi.

2. *Ecclesiam N.T. opposità ad Ecclesiam V.*

V. Secundò, Ecclesia Catholica strictius sumitur pro *Ecclesia Novi Testamenti*, quæ per totum orbem diffusa est, oppositè ad Ecclesiam V. quæ angustis Judææ finibus includebatur. Et quidem tum respectu locorum, tum personarum, & temporum. 1. *Locorum*, quia dispersa est per totum mundum; ut non amplius fideles teneantur certo cuidam loco adstricti, ut olim, ad Deum colendum, sed ubivis possint Deum adorare in Spiritu veritate Joan. 4. 21. 23. 1. Tim. 2. 8. 2. *Personarum*, quia absque discrimine ex quovis hominum genere, ordine & statu legitur; non est enim distinctio vel Judæi vel Græci, vel servi & liberi, vel maris & fœminæ Ro. 10. 12. sed in quavis gente acceptus est ei quivis qui eum timet Act. 10. 35. *In Christo, neque mas, neque fœmina, nec servus, nec liber, nec Scytha, nec Barbarus, sed Christus omnia in omnibus*, Col. 3. 11. Unde Seniores Agno gratias agunt Apoc. 5. 9. quòd eos redemerit *ex omni tribu, & linguâ, natione & populo.* Denique *Temporum*, quia in hoc mundo durare debet usque ad consummationem seculi, & ultimum Christi adventum; ideo Christus vult memoriam mortis suæ celebrari usque dum veniat 1. Cor. 11. 26. Hoc sensu Patres sæpissimè de Ecclesia Catholica loquuntur. *Ecclesia vocatur Catholica*, inquit Opta. lib. 2. cont. Parmen. *quia est ubique diffusa.* Idem asserit Aug. epist. 152. & 170. Sic Ecclesia Catholica opponitur quibusvis Ecclesiis particularibus, quæ certis locis & temporibus continentur.

Col. 3. 11. *Apoc. 5. 9.*

3. *Ratione Doctrinæ Catholicæ Orthodoxæ.*

V. Tertiò, Ecclesia Catholica non rarò ita vocatur à Patribus ratione *doctrinæ*, quia tenet & tuetur doctrinam Catholicam Orthodoxam; *quòd totum veraciter teneat*, ut ait Aug. ep. 48. contra quam faciebant Hæretici & Novatores. Quod Vincentius Lirinensis contra hæreses cap. 3. clarè explicat. *In ipsa*, inquit, *Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneatur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum; hoc est enim verè & propriè Catholicum; quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit.* Hoc sensu plures possunt esse Ecclesiæ Catholicæ, imò quælibet Ecclesiæ particulares Orthodoxæ sunt Catholicæ, quomodo sæpe vocabantur; Et earum Episcopi dicebantur *Episcopi Ecclesiæ Catholicæ*, ut hoc titulo distingueretur à cœtibus hæreticorum & Schismaticorum. Quod Lex Theodos. apud Sozom. lib. 7. c. 4. docet, quâ sancitur, *Ut illorum damnaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent; qui diversum sentirent, hæretici appellarentur, & ignominiâ notarentur.* Et August. Epist. 152. *Non solùm Catholicæ transmarinæ, verùm etiam Catholicæ Africanæ.* Et Epist. 166. vocat *Imperatores Catholicos*, id est, Orthodoxos, & sanos in fide. Synodus Roman. sub Hilario

Epis-

Episcopo Romano ita incipit, *Hilarius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ*, ubi clarum est Hilarium non se vocare Episcopum Ecclesiæ universalis, cùm restringat Episcopatum suum ad Urbem Romam. Quæst. VI.

VII. Qualiscunque verò sit appellationis istius ratio; Certum est Ecclesiæ Romanæ competere non posse; cum nec fidem Catholicam teneat, nec ubique diffusa sit, innumeris Ecclesiis, tam in Oriente, quàm in Occidente, ab ea separatis, & nihil commune cum ea habentibus.

VIII. Quamvis Jerosolyma potuerit esse centrum Ecclesiæ Judaïcæ, quia finibus Judææ maxima ex parte includebatur, & ad certum locum adstringebatur, non pariter Roma potest esse centrum Ecclesiæ Christianæ Catholicæ, quia nulli jam loco peculiariter affixa est, sed ubique adorare potest Deum in Spiritu & veritate Joan. 4. 24. Ideo Christus nullam certam sedem & visibilem cœtum substituit Jerosolymæ, sed Jerosolymam cœlestem & mysticam independentem à quolibet cœtu & sede visibili, & solo Spiritus vinculo & fidei *τοῦ ἑνὸς* communione inter se junctam, quam nec distantia locorum, nec interpositio marium, nec quodvis aliud intervallum impedire potest.

IX. Licèt ex eo quòd hæretici passim Ecclesiæ Catholicæ nomen sibi tribuere soleant falsò, rectè colligatur nomen Catholicum non posse esse notam veræ Ecclesiæ, ut suo loco ostendetur contra Pontificios, quia sæpe est titulus sine re. Non ideo sequitur Catholicissimum non esse proprium adjunctum veræ & propriè dictæ Ecclesiæ.

QUÆSTIO VII.

De Ecclesiæ Invisibilitate.

An vera Ecclesia rectè dicatur Invisibilis? Affir. contra Pontificios.

I. UT Status Quæstionis vexatissimæ ritè ponatur, Origo Controversiæ est inquirenda, & investiganda occasio, ex qua primùm nata videtur. Pontificii Ecclesiam à nobis invisibilem dictam esse arbitrantur, ut satisfaceremus Quæstioni nobis ab ipsis motæ, Ubinam Ecclesia nostra foret ante Lutherum, & quia non poteramus ostendere nostram Ecclesiam perpetuò fuisse visibilem in mundo; Ideo excogitasse hanc distinctionem, ut Ecclesiam aliam visibilem, aliam invisibilem esse dixerimus. Sed perperam illi sententiam nostram interpretantur. Nam *Origo Quæstionis.*

QUÆST. VII. etsi tam frequens & tam conspicua fuisset olim Ecclesia nostra, quàm nunc est; Nos tamen Ecclesiam Catholicam nihilominus invisibilem esse diceremus. Quæstio verò ista ad aliam Controversiam pertinet, De perpetua eminentia & conspicuitate Ecclesiæ quoad statum externum, de qua in sequentibus agetur.

II. Vera ergo Controversiæ origo repetenda est ex eo, quòd cùm ab initio Reformationis Pontificii contra Lutherum & alios, de Indulgentiis, Justificatione, & humanis Satisfactionibus, de quibus primò mota erat quæstio, disputarent ex Scripturis, nec facilè se expedire possent, ad Ecclesiæ tribunal eos pertrahere voluerunt, ut ex illius dictamine quæstiones illæ deciderentur. Quia verò Ecclesiam non aliam agnoscebant, quàm cœtum visibilem externè fidem profitentem, constantem ex Episcopis, Clericis, & aliis, quibus Papa tanquam Caput præesset; Lutherus non modò hoc admittere noluit; sed negavit etiam tales vel esse vel dici debere Ecclesia; Veram enim Ecclesiam non professione externâ, aut subjectione Romano Pontifici esse metiendam, sed solâ fide ac pietate internâ, quæ sub sensus cadere nequeat. Quod Bellarminus lib. 3, de Eccl. milit. c. 11. agnoscit. *Lutherus*, inquit, *in lib. de servo arbitrio, cum ei Erasmus objecisset, non esse credibile Deum tanto tempore Ecclesiam deseruisse, respondit Deum nunquam deseruisse Ecclesiam, sed non esse Ecclesiam Christi illam, quæ vulgò dicitur Ecclesia, id est, Papam & Episcopos, sed Ecclesiam esse quosdam paucos pios, quos quasi reliquias Deus conservat.* Hinc nata Quæstio de Invisibilitate Ecclesiæ.

III. Licèt autem Quæstio ista, assertâ semel distinctione status interni & externi Ecclesiæ, & constitutis partibus Ecclesiæ ex solis piis & fidelibus Electis & Vocatis, minus necessaria videatur. Nam si verum est solos fideles Ecclesiam constituere, cùm soli Deo noti sint, nec à quoquam certò & distinctè internosci possint, clarum est Ecclesiam rectè invisibilem dici. Quod Bellarminus fatetur lib. 3. de Ecclesia cap. 10. *Si ii qui fide internâ carent, non sunt, nec esse possunt in Ecclesia, nulla erit inter nos & hæreticos amplius quæstio de Ecclesiæ invisibilitate*, quia ut statim addit, *Nemo potest certò scire, qui sint verè justi & pii inter tam multos, qui justitiam & pietatem exterius præ se ferunt.* Quia tamen una est ex gravissimis, quæ hîc agitantur quæstionibus, & quæ multiplicem κρίσιν induere potest. Ideo de ea distinctè est dicendum.

Status Quæstionis. IV. Atque hic ante omnia observandum, Distinctionem visibilitatis & invisibilitatis Ecclesiæ peti ex gemina Vocatione, quæ ad illam dirigitur, externâ per Verbum, internâ per Spiritum, & ex duplici formâ inde emergente, aliâ internâ & essentiali, aliâ externâ & accidentali. Nam ratione Vocationis & formæ externæ, puta prædicationis Verbi, & professionis fidei in sensus omnino incurrit, & dicitur visibilis; Sed eadem in-

invisibilis est ratione Vocationis internæ & communionis mysticæ cum Christo per fidem, nec sub sensus cadere potest, sed soli Deo nota est, qui novit qui sui sunt. Unde patet distinctionem visibilis & invisibilis, non esse divisionem generis in species, quasi duas specie fingeremus Ecclesias sibi oppositas, ut Adversarii nobis per calumniam affingunt. Sed esse tantùm limitationem subjecti secundùm varias ejus χίζεις. Ut idem numero homo potest dici invisibilis κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Ita eadem Ecclesia rectè dicitur visibilis quoad formam externam, & invisibilis quoad internam. Interim quia in Ecclesia visibili Vocatorum, sunt etiam impii & hypocritæ, qui non sunt in Ecclesia Electorum, appellatio visibilis latius extenditut invisibili, quia multi sunt vocati, pauci electi Mat. 20. 16. Quæst. VII.

V. Quod ut clarius percipiatur, videndum quot modis Ecclesia possit dici visibilis. Primò Ecclesia potest dici visibilis ratione *materiæ* seu *hominum*, qui eam constituunt, qui cadunt sub aspectum. 2. Ratione *formæ externæ* Prædicationis scilicet Verbi & administrationis Sacramentorum, quæ sensibus externis etiam objicitur in Cœtibus particularibus. 3. Ratione *splendoris* quo fulget, & conspicua & illustris redditur in mundo. Rursus invisibilis dicitur, 1. Ratione *formæ internæ & fidelium* quà talium, qui Ecclesiam constituunt, qui sub sensus non cadunt, sed soli Deo noti sunt, scilicet cognitione certa & distincta individuorum. 2. Ratione *Catholicismi*; Nam licet Ecclesiæ particulares sint visibiles, Ecclesia tamen Catholica quatenus notat collectionem omnium Ecclesiarum quæ sunt in mundo, nunquam potest simul tota conspici, nec quoad partem jam triumphantem, nec quoad eam quæ adhuc futura est. 3. Ratione *dissipationis & defectionis*, sive propter errores subnascentes qui puritatem ejus obscurant, sive propter persecutiones grassantes, quæ pacem & libertatem turbant & tollunt, quum tempora Eliana adveniunt, in quibus pii fugere coguntur in desertum, & ibi latere, nec à quoquam dignosci possunt, & Religio videtur planè exulare. Prima invisibilitas bene dicitur *invisibilitas formæ*, seu *essentiæ*. Secunda *invisibilitas partium*. Tertia *invisibilitas characterum, & exercitiorum sacrorum*.

VI. Quibus ita positis Status Quæstionis facilè colligitur. Primò non quæritur hîc de visibilitate vel invisibilitate tertii ordinis, quæ respicit splendorem visibilem, vel occultationem & dissipationem Ecclesiæ, hæc enim pertinet ad aliam quæstionem de perpetuo splendore & eminentia Ecclesiæ, quæ statum ejus externum respicit, & quæ postea expendetur. Secundò non quæritur etiam de invisibilitate partium, & hominum quà talium; Nemo enim negat, illas aliquando esse visibiles, aliquando invisibiles pro ratione diversitatis status sui, & homines quà tales, qui constituunt Ecclesiam, semper esse visibiles. Sed quæritur de

QUÆST. VII. prima invisibilitatis specie, quæ spectat fideles quà tales, & homines, non tantùm qui constituunt Ecclesiam materialiter, sed reduplicativè quatenus illam constituunt formaliter; Non ratione formæ externæ, quæ in professione fidei & Sacramentorum usu consistit, quam visibilem esse naturâ suâ ultro confitemur. Sed ratione formæ internæ & essentialis, ut Quæstio redigatur ad hos terminos. An Ecclesia quæ componit Christi Corpus mysticum, rectè invisibilis dicatur, non invisibilitate partium, aut materiæ, vel characterum, sed invisibilitate formæ internæ & quà talis? Negant Pontificii, Bellar. lib. 3. de Eccles. milit. c. 2. *Ecclesia est cœtus hominum ita visibilis & palpabilis, ut est cœtus populi Romani, vel Regnum Galliæ, vel Respublica Venetorum*; Unde Ecclesiam invisibilem tanquam Ideam Platonicam, & merum figmentum, seu Chimæram Protestantium traducere solent. Nos verò affirmamus gravissimis ducti rationibus.

Probatur invisibilitas Ecclesiæ.

VII. Prima petitur ex omnibus illis locis & argumentis, quibus Quæstione 111. probavimus Ecclesiam propriè dictam constare solis Electis & Fidelibus. Cùm enim tales quà tales non sint visibiles, nec ipsa etiam Ecclesia quæ ex illis constituitur, potest esse hoc sensu visibilis, sed tantùm invisibilis.

1 Ex natura Ecclesiæ quæ ex solis fidelibus constat.

VIII. Secundò idem confirmatur ex Rom. 2. 28. *Nam verus Judæus, non est in aperto, sed in occulto, nec vera Circumcisio, quæ est in carne & litera, sed Circumcisio cordis quæ est in spiritu.* Ut verò Apostolus per Judæum notat veræ Ecclesiæ membrum, ut alibi per Israëlem & filios Abrahami, & per Circumcisionem idem significat Rom. 9. 6. Galat. 6. 16. Philip. 3. 3. Ita quum ait verum Judæum, non eum esse qui est in aperto, sed ἐν τῷ κρυπτῷ, notat Judaïsmi veritatem non petendam esse ex genere, vel professione externa coram hominibus, sed ex interna cordis fide & pietate, quæ Deo soli non hominibus patet; Nec Circumcisionem veram & salutarem Deoque acceptam esse Circumcisionem carnis, quæ nihil aliud est quàm inanis & externa cæremonia, sed Circumcisionem cordis invisibilem & internam, quæ fit per Spiritum, quam Deus primariò & per se præcipit & probat Deut. 10. 16. Jere. 4. 4. Confirmatur ex cap.

2. ex Rom. 2. 28.

1. Pet. 3. 4. 3. 1ª. Pet. ℣. 4. ubi Apostolus donum regenerationis, quò ornari debent fideles, vocat ὁ κρυπτὸν ἄνθρωπον τῆς καρδίας, *hominem occultum cordis, qui est in incorruptione Spiritus lenis & pacifici*, id est, in sanctitatis & virtutum Christianarum præstantiâ nunquam periturâ, quæ opponitur auro, argento, & vestibus pretiosis, rebus fluxis & corruptibilibus, in quibus mulieres seculi suum quærunt ornatum, dicit esse *hominem occultum cordis*, quia veritas fidei & regenerationis in corde posita est, & nemini nisi Deo & fideli potest esse cognita. Eò pertinet quod dicitur Apocal. 2. 17. de Calculo albo dando vincenti, & de *novo nomine* illi inscribendo, *quod*

Apoc. 2. 17.

nemo

nemo novit nisi qui accepit; Ut enim nomen illud novum non aliud est quàm nomen & dignitas filiorum Dei, Joann. 1. 12. Rom. 8. 17. 1. Joan. 3. 1. Ita dum nemo nosse illud dicitur, nisi qui accipit, ejus invisibilitas satis apertè innuitur. Confirmatur ex 2. Tim. 2. 19. ubi Deus dicitur *nosse qui sui sunt*, scil. certò & infallibiliter, quod hominibus non competit, nisi ex judicio charitatis, in quo sæpe falli possunt. QUÆST. VII.

IX. Tertiò, Quæcunque Ecclesiam propriè dictam constituunt sunt intima & invisibilia, Electio & Vocatio efficax, Unio cum Christo, Spiritus, fides, regeneratio, & inscriptio Legis in cordibus, cultus λογικὸς & spiritualis. Hinc describitur Ut *Sponsa* Christi, quæ *formosa est & gloriosa intus* Ps. 45. 14. id est, quæ auro, gemmis, & externis ornamentis non splendet, sed fide, pietate & charitate, cæterisque virtutibus, quæ sub sensus non cadunt, Ut *Domus spiritualis & Tabernaculum in Spiritu*, Eph. 2. 21. & 1. Pet. 2. 5. non quòd Ecclesia ex solis spiritibus constet, sed quia homines qui eam componunt, non eam constituunt quà homines simpliciter, qui oculis corporis videntur, sed quà homines spirituales per Spiritum regeniti, qui sub sensus non cadunt. Ut *Jerusalem sancta de cœlo descendens*, quæ in Spiritu videtur, Apoc. 21. 10. cui terrena opponitur. Heb. 12. 18. ut mons visibilis & contrectabilis, ad quem Israëlitæ accesserant motibus corporis, quum Lex data fuit, Monti invisibili & mystico, per Sionem symbolicè designato, ad quem accedunt fideles vocati efficaciter per fidem, *Non accessistis ad montem ψηλαφώμενον*, qui possit sensibus externis videri vel tangi ad instar Montis Sina, *sed venistis ad Montem Sion, Domum Dei vivi, Jerusalem cœlestem.* Nec dici potest, ut vult Bellarm. hoc ad Ecclesiam triumphantem restringi, sed ad militantem etiam extenditur, tum ex eo quòd fideles dicuntur jam eò accessisse, tum ex aliis prædicatis ibi additis, quæ Ecclesiæ militanti conveniunt. 3. *Ex formâ & adjunctis Ecclesiæ.* Ps. 45. 14. Eph. 2. 21. 1. Pet. 2. 5. Apoc. 21. 10. Heb. 12. 18.

X. Quartò, Caput Ecclesiæ est invisibile, E. & Corpus ejus; Christus enim licèt visibilis fuerit in terris, & sit etiam in cœlis quà Homo; tamen quà Mediator & Caput Ecclesiæ, non potest cadere sub sensus. Idem de Ecclesia dicendum, quæ Corpus est ejus Eph. 1. 21. videntur quidem homines qui eam constituunt, sed non quà fideles & Christi membra. Unde ut unitas & collectio Ecclesiæ in unum Corpus mysticum spiritualis est per fidem; talis etiam debet esse ejus forma. Scio Pontificios Pontificem nobis obtrudere pro Capite Ecclesiæ; sed figmenti istius vanitatem suo loco sumus demonstraturi; & res ipsa satis ostendit, quia cùm Ecclesia sit Corpus Christi, non naturale, sed mysticum, Caput debet etiam esse illi homogeneum & mysticum, quod de Papa dici non posse patet. 4. *Ex Capite Christo.*

XI. Quintò, Quia Ecclesia Catholica est objectum fidei, siquidem eam in Symbolo credere jubemur; Ergo non cadit sub sensum, *Fides enim*

QUÆST. VII. *enim est demonstratio rerum invisibilium*, Heb. 11. 1. Nec audienda ridicula exceptio Bellarmini & Turriani, Ecclesiam quidem videri, sed sanctitatem ejus credi, ut articulus ita concipiendus sit, *Credo Ecclesiam Catholicam esse sanctam.* Quasi proponatur tantùm credenda Ecclesiæ sanctitas, & non etiam ejus existentia; Imò & subjectum & adjunctum credendum proponitur, quia neutrum cadit sub sensus. Sed ipse Bellarm. vanitatem istius responsionis videns, addit melius dici in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. *Videmus*, inquit, *cum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quòd ille cœtus sit vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus*, quæ ingenua veritatis confessio sententiam ejus jugulat, & nostram confirmat. Nec aliò tendit Perronii responsio, quum ait *Fidem esse vel rerum invisibilium, vel quæ apprehenduntur sub conditionibus invisibilibus, quales sunt illa sub quibus Ecclesiam consideramus, quando credimus eam esse Sponsam Christi, Templum Dei* &c. *Alias*, inquit, *credere in Christum non fuisset articulus fidei, dum Christus erat in terris, nec posset credi baptismus, ut in Concilio Constantinopolitano sancitum.* Quia hæc ipsa est mens nostra fidem, credere homines esse Ecclesiam Christi non quà homines, vel qua professentes fidem, sed quà insitos Christo per fidem & charitatem. Ita Christus credebatur dum erat in terris, non ut homo, sed ut Filius Dei & Redemptor, & Baptismus creditur, non ut lavacrum externum aquæ, sed ut sacramentum gratiæ. Eò respicit quod Perer. in Rom. 8. ex Caietano notat *duo esse in fidei objecto consideranda, quorum unum sit formale, alterum materiale, materiale objectum fidei videri posse, sed formale esse invisibile.* Sic Ecclesia quoad τὸ materiale videtur, sed quoad formale creditur.

6. ex Luc. 17. 20. XII. Sextò, Quia Ecclesia est *Regnum Dei, quod non venit μετὰ παρατηρήσεως* cum *observatione*, id est, cum splendore mundano, & regio, qui incurrat in sensus, & observari possit, quasi esset regnum temporale & terrenum, quale somniabant Judæi & hodie adhuc expectant; *Ecce enim Regnum Dei intra vos est* Luc. 17. 20. sive quia est spirituale & internum, quod in animis hominum erigitur, & in iis quæ ad animum pertinent occupatur, non *in cibo & potu*, id est, rebus externis & corporeis, sed *in justitia, pace, & gaudio per Spiritum Sanctum* Rom. 14. 17. ut habet Gloss. ordin. in h. l. *Non poterit observari, quia Regnum meum non est temporale, sed spirituale, quod fide jam cœpit:* sive quia inter ipsos Judæos Christus jam Regnum suum fundare cœperat per Euangeli præconium in animis receptum. Quod dici non potuisset, si Regnum istud fuisset visibile. Bellar. excipit per Regnum Dei, vel gratiam, per quam Deus in cordibus hominum regnat, vel ipsum Christum intelligi. Sed quomodocunque sumatur, sententia nostra confirmatur, quia videri non potest, in quorum cordibus Christus per gratiam regnet.

XIII. Sep-

XIII. Septimò, Quia veri adoratores, qui constituunt veram & propriè dictam Ecclesiam, illi demum sunt *qui adorant in Spiritu & veritate* Jo. 4. 23. quique ideo non possunt cadere sub sensum, cùm hypocritæ quoad externam speciem idem præstent. Nec Bellar. hoc diffitetur quum ait, *eo loco doceri præcipuum cultum Dei in Ecclesia internum futurum, sed propterea non sequi Ecclesiam ipsam esse invisibilem, nec etiam sequi externum cultum esse rejiciendum, & externa templa esse destruenda, cùm Dominus agat non de loco orationis, sed de modo ac ritu.* At si præcipuus cultus in Ecclesia est internus & invisibilis, utique Ecclesia quæ propter illum & respectu illius propriè est & dicitur Ecclesia, rectè dicitur invisibilis. 2. Licèt habeat etiam cultum externum, cùm tamen non sit præcipuus, non potest nec debet judicari ex illo, quinam sit propriè civis Ecclesiæ. 3. Christus non modò de modo ac ritu orationis, sed etiam de locò agit, dum ostendit nulli loco aut sedi affixum fore deinceps Dei cultum. *Veniet hora*, inquit, *quando nec in hoc monte, neque Jerosolymis adorabitis Patrem, sed veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate. In Spiritu*, id. spirituali cultu oppositè ad cultum carnalem & externum, qui obtinebat sub Vet. Test. Heb. 9. 16. & 9. *Et Veritate*, id. verâ & reali adoratione oppositè ad umbras & figuras legales, & ad hypocrisim externarum actionum, quali contenti erant Judæi carnales. QUÆST. VII. 7. ex Jo. 4. 23.

XIV. Licèt Ecclesiæ vox sæpe in Scriptura pro cœtu visibili sumatur, qui sub sensus cadere potest duobus modis, tum respectu *hominum* qui illum constituunt, qui sunt visibiles, tum respectu *formæ externæ*, & ordinis, qui in eo viget, qui consistit in professione fidei & participatione Sacramentorum sub Pastoribus legitimis, quo sensu ministerium Euangelii vocatur *Candelabrum*, quod lucet in Ecclesia, quod utique sensibus corporis videri potest. Non sequitur eandem vocem alibi non denotare Ecclesiam, quatenus est invisibilis quoad formam internam, & in propria significatione usurpatur, ut ex locis antea laudatis patere potuit. Ut Bellarminus nonnisi falsò dicere potuerit Calvinum non potuisse unum Scripturæ locum proferre ubi hoc nomen invisibili congregationi tribueretur lib. 3. de Eccles. milit. cap. 12. Loca varia quæ afferuntur ab eo ex Num. 20. 4. 1. Reg. 8. 14. Matth. 18. 17. Act. 15. 3. & 20. 28. & 18. 22. ostendunt quidem Ecclesiæ nomen dici de cœtu externo & visibili, sed non probant esse unicam & propriam vocis significationem, quæ alibi sæpius occurrit. *Fontes Solutionum.*

XV. *Civitas super montem posita, quæ non potest abscondi*, Matth. 5. 14. non debet intelligi de Ecclesia Catholica, sed propriè de Pastoribus & Doctoribus, seu de ministerio Ecclesiæ; alloquitur enim Christus Apostolos & discipulos suos, quos ut antea vocaverat *Sal terræ*, & *lucem mundi*; ita jam addit Civitatem super montem positam non posse abscondi; ut doceat talem esse mundi lucem, quæ fulgere debeat. Et ut Civitas su- Matt. 5. 14.

QUÆST. VII. per montem posita neminem latet, sed omnibus longè lateque conspicua est; Ita fidem, pietatem, & vitam ipsorum omnibus expositam esse, ipsorum facta & dicta omnia trahi in exemplum. Unde vult ipsis ostendere, quàm sollicitè studere debeant, ne quicquam admittant, quod homines offendere queat, sed potius, ut in id incumbant sedulò, ut lux bonorum suorum operum luceat coram hominibus, ut adducantur ad Deum glorificandum, quod Chrysost. & Theophyl. in h. l. bene observant, *Ne putetis fore ut in angulo occultemini, undique conspicui eritis; quare videte ut inculpati vivatis, ne aliis offendiculo sitis.*

Isa. 2. 2. 3. *Dan* 2. 35. *Mich.* 4. 1, 2. XVI. Loca Isa. 2. 2. 3. Dan. 2. 35. Mich. 4. 1. 2. ostendunt amplitudinem & claritatem Ecclesiæ sub Novo Testam. per Euangelii prædicationem, oppositè ad tempora Veteris Testamenti, & relatè ad Regna & Imperia terrena. Sed non inferunt vel splendorem illum fore constantem & perpetuum; Vel Ecclesiam verorum fidelium quà talem esse visibilem, quia gloria & splendor externus non inferunt nos Corpori Christi mystico, ut fiamus veræ Ecclesiæ membra, sed gloria interna fidei & regenerationis, quæ soli Deo cognita est 2. Tim. 2. 19. Adde quod certum est Prophetas non propriè, sed figuratè & mysticè sic loqui, sub symbolo rerum terrenarum, splendoris puta externi Regnorum mundi, spiritualem & cœlestem Euangelii gloriam adumbrando, accommodatè ad statum ridem populi Judaïci, & pro more Veteris Testamenti, ubi res carnales umbræ erant spiritualium. Ut per cultum Leviticum & corporeum intelligitur Euangelicus in spiritu & veritate, Zac. 14. 20. Jo. 4. 24. per oblationes mundas, preces, gratiarum actiones, & eleemosynæ notantur, Heb. 13. 14. & Psalm. 142. 2. per splendorem & gloriam, lux bonorum operum, Matth. 5. 14. & gloria imaginis Dei in sanctitate & justitia 2. Cor. 3. 18. per divitias & thesauros, divitiæ gratiæ & gloriæ, thesauri sapientiæ & intelligentiæ Col. 1. 27. Eph. 2. 7. per Tabernaculum, Ecclesia Eph. 2. 21. & corda fidelium in quibus Deus perpetuam sedem fixit Eph. 3. 17. 1. Cor. 3. 16. & per Israëlem secundùm carnem, Israël secundùm Spiritum, & semen spirituale verorum fidelium, quos sibi in peculium elegit ab æterno, & servaturus est in æternum Gal. 6. 6.

XVII. Quamvis Circumcisio fuerit signum visibile Ecclesiæ Judaïcæ visibilis & quoad statum externum; Non sequitur veram Ecclesiam quà talem fuisse visibilem; Nam omnes circumcisi carne, ad Ecclesiam veram non pertinebant; sed illi tantùm qui in occulto Judæi erant circumcisi corde per Spiritum Rom. 2. 24. Quomodo nunc Baptismus est signum externum Ecclesiæ ratione formæ externæ & visibilis, sed non Ecclesiæ Catholicæ & invisibilis, quoad statum internum spectatæ.

XVIII. Quod dicitur teneri unumquemque fidelem se adjungere Ecclesiæ sub periculo mortis æternæ; Non infert Ecclesiam propterea visi-

bi-

bilem esse debere; quia hoc de Ecclesia Catholica intellgendum est, non de quavis Ecclesia particulari & visibili. 2. Quia *Communio interna* intelligitur per fidem, non semper externa per professionem. Illa quidem absolutè & simpliciter necessaria est, ut nemo salvus esse possit, qui Christo unitus non fuerit, & membrum Corporis ejus factus, quia nemini sine fide in Christum datur salus Act. 4. 12. Joan. 3. 16. Sed hoc visibilitatem Ecclesiæ non supponit, quia hoc vinculo Spiritus fieri debet. At *Communio externa* cum Ecclesia particulari visibili non est absolutè necessaria, aliquando enim est impossibilis, ut si quis Christianus captivus detineretur inter infideles, sed necessaria tantùm est ex hypothesi, si nimirum illa nobis sit cognita, & si nullo invincibili impedimento ab ejus communione arcemur, sed si illam non novimus, vel non possimus illi nos adjungere, non tenemur; aliàs damnaretur Elias & 7000. millia, quæ nulli Cœtui se adjungebant, damnarentur innumeri fideles, vel qui in carceribus & metallis detenti, vel inter Turcas captivi non possunt ulli Cœtui se adjungere. Bellarm. cap. 6. resp. ad 1. statuit *injustè excommunicatum posse fieri salvum, cum sit adhuc in Ecclesia animo sive desiderio, licèt non corpore, sive externâ communicatione.* Ergo necessitas communionis cum Ecclesia, nec potest nec debet intelligi de externa cum Ecclesia visibili, sed de interna & spirituali cum Ecclesia Catholica. Quæst. VII.

XIX. Aliud est cognoscere ubi sit vera Ecclesia; Aliud quænam sint genuina ejus membra in individuo. Prius necesse est illi qui Ecclesiæ se debet adjungere; sed non statim posterius: Nam licèt non possim discernere certò quinam sint veri fideles in particulari, qui constituunt Ecclesiam; modò sciam ex notis Ecclesiæ ubi sint, & in quanam societate degant, sufficit, ut me illi adjungam. Ovile Christi debet quidem innotescere fideli, ut illi se adjungat cognitione generali & indefinitâ, ut sciat illud habere characteres veræ Ecclesiæ visibilis, & in eo esse veros fideles. Et ita Pastor debet ovile Christi cognoscere, ut ovibus in eo existentibus pabulum præbeat. Sed non necesse est ut illi innotescat cognitione speciali & distinctâ, ac definitâ individuorum, ut teneat certò ex judicio veritatis hos & illos esse veram Ecclesiam, quod soli Christo ἀρχιποιμένι qui oves suas infallibiliter novit, competit. Satis est hoc ipsum nosse ex judicio charitatis, quod potest errori esse obnoxium.

XX Perperam Adversarii pertendunt nullam dari posse societatem hominum nisi se agnoscant, & non se agnoscere, nisi se videant. Nam quoad prius, quis nescit dari societatem & communionem inter Ecclesiam triumphantem & militantem, Spiritus consummatos, & Comprehensores in cœlis, & Viatores in terris, inter quos tamen nulla intercedit cognitio? Nimir. sunt quædam officiorum commercia, quæ inter notos & vicinos exerceri possunt; sed alia dantur quibus ignotissimos amplectimur, dum illos Deo

QUÆST. VII. precibus commendamus, & Spiritus vinculo cum illis colligamur. Quoad posterius verò falsum est neminem agnosci posse nisi sensibus externis. Nam, ut Christus non cognoscitur secundùm carnem; ita nec fideles. Sic Paulum & alios sanctos cognosco, non signis externis & visibilibus, sed Spiritus communione; Idem de veris fidelibus dicendum, qui inter se uniuntur & internoscuntur vinculis occultis & invisibilibus. Fateor quoad particulares Ecclesias visibilia signa requiri, ad communionem externam sanciendam, sed alia est ratio Catholicæ, quæ sub sensus non cadit.

Matt. 16. 18. XXI. Tantùm abest, ut ex verbis Christi Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, elici possit Ecclesiæ visibilitas, ut contrà locus iste causæ Pontificiæ jugulum petat. Nam quale est fundamentum, & ædificii structura, tale debet esse ædificium. At ædificii structura spiritualis est & invisibilis; utpote quæ fit glutine Spiritus & fidei ac charitatis vinculo, per Vocationem efficacem & internam, quæ nos inserit & superstruit Christo, ut lapides vivos. Fundamentum etiam non est visibile, sed in Deo absconditum; Christus enim licèt quà homo visus sit olim in terris, non potuit videri ut fundamentum & Caput Ecclesiæ. Nec si confessio fidei facta à Petro fuit externa & sensibilis, sequitur fundamentum Ecclesiæ fuisse visibile. Quia confessio quà talis & in se non est fundamentum, sed ratione rei seu doctrinæ, quæ confessione declaratur; cujus vera & salutaris applicatio ad fundandam Ecclesiam non fit in ore per confessionem, quæ potest fallax esse, sed in corde per fidem. Non posse autem locum istum de Ecclesia quà visibili intelligi, patet ex adjuncto addito, quòd portæ inferorum non sint prævalituræ adversus ipsam; Nam contra Ecclesias particulares visibiles prævalere potest Satan, & sæpe prævalet, sed contra Ecclesiam Catholicam, quæ in solis Electis consistit, nunquam prævalere potest, quia ædificatur super rupem Matth. 7. 23.

XXII. Alia est Rerumpublicarum & Regnorum terrenorum, Alia Ecclesiæ ratio, quia Regnum Christi non est de hoc mundo, Joan. 18. 36. Unde non sequitur si Respublicæ sunt semper visibiles, vel consistunt in regimine externo & visibili, E. & Ecclesia. Nam licèt internus affectus, quò cives inter se uniuntur, multùm conferat ad tranquillitatem Reipublicæ; tamen Reipublicæ forma essentialis non in eo consistit, sed in externæ societatis vinculo, per externam Legum observationem; quod salvum esse potest sine interno affectu. Sed aliter se res habet in Ecclesia, cùm ejus formalis ratio sit in communione mystica fidelium cum Christo & inter se, sola externa cum ipso communio, non facit ut quis sit membrum Ecclesiæ; Imò sine ista communione, veri fideles qui dissitis locis habitant, tum Christi, tum Ecclesiæ ipsius membra sunt, contra quam fit in Repub. ubi absentes ad longum tempus Jura civitatis amittunt, aut saltem iis non fruuntur.

XXIII.

XXIII. Licèt visibilitas Ecclesiæ competat ratione ministerii, & mediorum externorum; Non sequitur Ecclesiam propriè dictam esse visibilem ratione essentiæ, quia ministerium Verbi externum non separandum est ab efficacia Spiritus internâ, quâ constituuntur vera Ecclesiæ membra. Nec contrarium evincitur ex eo quod ministerium Verbi commune est Reprobis & Electis, quia de jure pertinet tantùm ad solos veros fideles, quibus à Christo destinatum est Ephes. 4. 16. ad alios verò tantùm per accidens dirigitur, quia sunt mixti cum fidelibus. Cætera quæ ab Adversariis afferri solent ad visibilitatem Ecclesiæ probandam, petantur ex Quæstione in sequentibus ventilandâ, de Ecclesiæ Splendore & Eminentiâ. Quæst. VIII.

QUÆSTIO VIII.

De Ecclesiæ Perennitate.

An Ecclesia vera sit indefectibilis, quæ semper fuerit in mundo, & semper esse debeat usque ad consummationem seculorum? Affirm. cont. Socin.

I. Quæstio de *Perennitate Ecclesiæ* sub duplici χέσει spectari potest, vel quà est visibilis, & oculis hominum conspicua per professionem veritatis, & communionem Sacrorum. Vel quà est invisibilis & constans ex veris fidelibus. Priori respectu pertinet ad statum externum Ecclesiæ, & nobis intercedit cum Pontificiis, qui pro perpetua ejus conspicuitate & eminentiâ pugnant, de qua dicetur postea. Posteriori sensu quæstio est hujus loci, quæ movetur Nobis à Socinianis, qui negant necessariam esse existentiam Ecclesiæ in terris, & pertendunt posse eam penitus deficere.

II. Non quæritur hîc primò; An Ecclesia possit deficere à parte Ecclesiæ, Vel an pugnet cum Ecclesiæ natura? Nemo enim negat hoc nimis fieri posse, & certò futurum, si sibi relinqueretur. Sed An possit deficere à parte Dei? quod negamus, quia hoc repugnat ejus Decreto, ut necessitas ejus existentiæ non sit absoluta, sed ex hypothesi tantùm. Secundò, Non quæritur de defectione à flore & eminentiâ per obscurationem, de qua in sequentibus. Sed de defectione à vita per totalem interitum & extinctionem. *Status Quæstionis.*

III. Tertiò, Non quæritur, An possit deficere hæc vel illa Ecclesia particularis visibilis, sive per mortem fidelium, qui in ea sunt, sive per persecutionum violentiam, quibus fit ut grex qui alicubi erat penitus dis-

QUÆST. VIII.

sipetur, sive per doctrinæ & morum corruptionem & regiminis perturbationem, quod sæpe contigisse, & contingere posse dubitari non potest. Sed An Ecclesia Catholica, quæ est universitas Credentium toto orbe dispersorum unquam deficiat? Vel num acciderit unquam, ut nulla fuerit in terris Ecclesia? Num fieri potuerit olim, aut in posterum accidere possit, ut Ecclesia penitus deficiat, & nulli sint in terris, qui Deum ritè colant? quod negamus. Nec enim si Ecclesiæ particulares deficiunt, sequitur statim Ecclesiam istam penitus deficere; Nam manet semper in veris membris suis per orbem dispersis.

IV. Hîc verò nulla propriè nobis Controversia est cum Pontificiis, licèt enim in eo graviter errent, quòd perennitatem istam ad Ecclesiam visibilem referant, & quidem Romanam in particulari, exclusivè ad cæteras. Quippe parum de aliis Ecclesiis particularibus solliciti, parum de fide & formâ internâ Ecclesiæ, quam negant ad definitionis veritatem esse necessariam. Id unum agunt, ut suam sedem, suam Curiam tueantur; In ea Ecclesiæ τὸ πᾶν constituunt, & sic eam deficere posse negant; Cujus commenti vanitatem suo loco ostendemus. Tamen conveniunt in asserenda in genere nobiscum Ecclesiæ duratione perpetuâ. Verum est nonnullos ex Adversariis, ut Stapletonum, & alios multum operæ in eo ponere, ut probent contra nos Ecclesiam Catholicam non deficere, quasi hoc diceremus. Sed perperam & sine ratione, ut Bellarminus ipse agnoscit lib. 3. de Eccles. cap. 13. *Notandum est multos è Nostris tempus terere, dum probant absolutè Ecclesiam non posse deficere, nam Calvinus & cæteri id concedunt.* Sed hîc res nobis est cum Socinianis, & aliis perseverantiæ Sanctorum hostibus, qui Apostasiam Sanctorum tuentes, contendunt Ecclesiæ perpetuam existentiam in mundo contingentem esse, non necessariam, ut *Ostorod.* Instit. c. 42. *Smalci.* Disput. 8. de Ecclesia. *Nemo*, inquit, *præcisè negat, potuisse extare aliquot semper, qui essent vera Christi Ecclesia; sed tantùm negatur præcisè eam manere debuisse.*

V. Orthodoxi contrà magno consensu docent semper fuisse, & semper fore in terris aliquam Christi Ecclesiam, ejusque perpetuam existentiam non contingentem esse, ita ut possit penitus deficere, sed planè necessariam, non quidem absolutè, sed hypotheticè, tum à parte causæ primæ, nimirum voluntatis Dei immutabilis Rom. 9. 11. tum secundæ & proximæ, nimirum Verbi Dei & Spiritus S. qui per illud efficaciter operatur Isa. 59. 21.

Ecclesia perennitas probatur. 1. Quia est Corpus Christi.

VI. Rationes sunt. Primò, A *natura Ecclesiæ.* Quia Ecclesia est *Corpus* Christi, Eph. 1. 21. quod divelli ab eo nequit, & tamdiu duraturum est, quamdiu & ipsum Caput, quod sine Corpore esse non potest. Quod verò mansurum sit tale usque ad consummationem seculorum, vel hinc liquet, quod crescit quotide & augescit usque ad sui perfectionem

nem, ultimo demum die futuram Eph. 4. 15. 16. Huc pertinet etiam titulus *Sponsæ* Christi, qui illi tribuitur. Cùm enim eam desponsaverit in æternùm ex oraculo Hosæ. 2. 19. Et eam etiam perpetuâ dilectione prosequatur, donec eam perfectè sanctificârit & stiterit inculpatam, & sine macula Deo in cœlis Ephes. 5. 26. 27. ubi consummari debet matrimonium istud mysticum per nuptias Agni, quæ novissimo die debent celebrari Apocal. 19. Nemo non videt perpetuam debere esse ejus durationem, ut istis fruatur beneficiis. QUÆST. VIII. *Et ejus sponsa. Hosæ. 2. 19.*

VII. Secundò, A *Natura Fœderis Gratiæ*, quod cùm Ecclesia pepigit: Cùm enim æternum sit, & nunquam abrogandum ex Oraculis sacris Isa. 59. 21. & 61. 8. Jer. 31. & 32. Ezech. 37. Ps. 89. 30. *&c.* necesse est Ecclesiam, quæ altera pars est fœderata, perpetuò durare, ut beneficia fœderis recipiendo, suo etiam erga Deum, cui obstringitur ex fœdere, defungatur officio. Eoque magis, quòd cùm à conservatione Ecclesiæ, mundi conservatio pendeat, siquidem non aliâ de causa mundum sustinet, quàm ut Electorum numerum, ex quibus Ecclesiæ corpus componitur, ex eo colligat, non posset penitus intercidere Ecclesia, quin mundus ipse, qui propter ipsam conservatur, interiret. *2. à Natura Fœderis Gratiæ.*

VIII. Tertiò, A *Promissionibus Divinis*, quæ perpetuitatem præsentiæ & gratiæ Dei Ecclesiæ in mundo asserunt, quum pollicetur Christus Matt. 16. 18. *Se ædificaturum Ecclesiam suam super Petram, & Portas inferorum non prævalituras adversus ipsam*, ubi asserit Christus qualescunque fuerint conatus & molimina Satanæ ad oppugnandam Ecclesiam, qualiscunque vis mortis & sepulchri, quæ sæpe per portas inferorum designatur Job. 38. 17. Psalm. 9. 14. Isa. 38. 10. nunquam tamen prævalituras ad eam penitus evertendam, quia Petræ æternæ & invictæ inædificatur. Hoc verò dici non posset, si posset in totum deficere, & interire in mundo; tunc enim verè diceretur portas inferorum adversus eam prævaluisse, & victricia fuisse inferorum & Diaboli ac mortis signa. Nec excipi potest *hic tantùm promitti Ecclesiam, quà Ecclesia est, semper mansuram invictam à morte & condemnatione.* Nam promissio fit Ecclesiæ, non modò quà Ecclesia est, id est, quamdiu manet Ecclesia, quæ vis est reduplicativæ ipsorum; sed etiam ut perpetuò sit Ecclesia. Non alia enim de causa portæ inferorum dicuntur non prævalituræ adversus Ecclesiam, nisi ut innuatur vanos & irritos esse conatus, quibus eam opprimere atque destruere satagunt. *3. à Promissionibus divinis. Matt. 16. 18.*

IX. Idem Christus confirmat illustri promissione Matth. 28. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculorum.* Ubi licèt Christus primò respiciat Apostolos, ut illis perpetuam præsentiam gratiæ suæ in exercitio vocationis polliceatur per totam vitam, etiamsi durare deberet usque ad finem mundi, quo sensu Paulus jubet Timotheum servare man- *Matt. 28. 20.*

da-

QUÆST. VIII.

datum usque ad adventum Christi 1. Tim. 6. 14. Licèt etiam possit referri ad veros & fideles Christi Ministros, qui in munere ordinario Pastorum dici possunt successisse Apostolis; Nam ut mandatum superius ad omnes Pastores ex æquo pertinuit, sic promissio ad eos omnino est extendenda, ut promittatur perpetua Christi præsentia fidelibus servis suis sanctè in munere suo versantibus. Non dubium est etiam rectè extendi ad totam Ecclesiam, quod non semel facit Augustinus, ut doceat Christum recessisse quidem ab ipsis corporali præsentiâ, sed adesse & adfuturum semper spirituali. Unde Jansenius, *In ipsis Apostolis loquitur omnibus fidelibus.* Quia alloquitur hic Discipulos, non modò ut Apostolos, sed etiam ut Electos Dei & veros fideles, repræsentans totum Corpus fidelium, cum quibus Christus ad finem usque seculorum permanet, juxta promissionem alibi datam Ecclesiæ Isa. 49. 14. & 54. 8. 9. 10. Ideo Joan. 17. prorectionem & custodiam Patris petit, non modò pro Apostolis, sed & pro omnibus, qui crediturí erant per eorum Verbum, quique sanctificandi erant in veritate. Frustra ergo sunt, qui volunt *promissionem istam restringi ad Apostolos & eorum successores in ministerio Euangelii, cum quibus futurus sit Christus, non absolutè, sed cum conditione, si illi dignè se gerant in suo munere.* Quia ita datur Apostolis, ut non minus ad Ecclesiam pertineat ex natura relatorum; dum enim promittit Christus se fore cum Apostolis efficacem scilicet per eorum ministerium ad fidem & conversionem Electorum; eo ipso supponit fideles semper fore in mundo, quibus Euangelium prædicetur, & in quibus vim suam exerat ad salutem, ut Marc. 16. 20. & Paulus 1. Tim. 3. 16. ex eventu promissionem declarant. Conditio verò quæ proponitur, præterquam quod non extat in textu, à Deo ipso impletur in fidelibus suis servis, quos reddit idoneos ad opus suum 2. Cor. 3. 5. 6. Perperam etiam dicitur promissionem istam spectasse Ecclesiam visibilem, quia spectat Apostolos & Pastores illis succedentes. Quia non potest spectare Ecclesiam visibilem, nisi quatenus in ea continetur invisibilis; aliàs sequeretur non potuisse perire ullum Cœtum visibilem ab Apostolis fundatum, quod tamen contigisse docet experientia.

4. *Ab Officio Mediatorio Christi.*

X. Quartò, Ab *Officio Christi Mediatorio*, quod perpetuum esse debet quoad tres ejus partes. 1. Quoad *Regnum*, quod æternum

Dan. 2. 44.

dicitur & sine fine Dan. 2. 44. *Regnum quod in secula non corrumpendum est aut evertendum*, & cujus non est finis futurus Luc. 1. 32. juxta quod Apostolus dicit *oportere eum regnare, donec posuerit inimicos scabellum pedum suorum, ultimum autem hostem, qui destruendus est, esse mortem* 1. Cor. 15. 25. 26. Si ergo regnare debet

1. Cor. 15. 25. 26.

usque ad destructionem mortis, quæ futura est novissimo die, debet

etiam

etiam Ecclesia in qua regnat perdurare, nisi velimus fingere Regem sine subditis, & Pastorem sine ovibus, quod est ἀδύνατον. Secundò quoad *Sacerdotium*; Nam cùm sit constitutus Sacerdos εἰς τὸ διηνεκὲς Psalm. 110. 4. nec possit hoc officio defungi perpetuò nisi quoad intercessionem; nullus daretur isti locus, si Ecclesia militans, pro qua intercedere debet, funditus intercideret. 3. Quoad *Prophetiam*, quia cùm hoc munus pertineat ad hominum electorum conversionem, & conversorum conservationem per idem Euangelii præconium ad coagmentationem scilicet Corporis Christi, si nulli amplius darentur Electi in mundo, cessaret etiam prædicationis necessitas, quam ad finem usque mundi durare debere testatur Apost. Eph. 4. 15. 16. Ut ergo in Ecclesia perpetuum debet esse Verbi Ministerium & usus Sacramentorum. Ita oportet eam esse perpetuam. QUÆST. VIII.

XI. Quintò, A *Perpetuitate præsentiæ Spiritus in Ecclesia*, Isa. 59. 21. *Hoc est fœdus quod feriam cum eis, Spiritus meus qui est super te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, ex nunc & in seculum.* Ubi Deus pollicetur perpetuam Verbi & Spiritus præsentiam per omnia secula usque ad finem mundi, quomodo verò hoc locum habere posset, si Ecclesia posset penitus interire & deficere? Idem probat promissio Paracleti à Christo data, qui mansurus sit cum fidelibus εἰς τὸν αἰῶνα Joann. 14. 16. id est, non ad aliquot annos tantùm, ut fuerat cum ipsis, sed perpetuò, ut illum eripere non possint sive hostes, sive mors ipsa. Nec dici potest hoc promitti sub conditione tacita observationis mandatorum Dei, qua deficiente fieri possit, ut Spiritus recedat & repellatur. Sic enim omnis certitudo jaciendorum fundamentorum Ecclesiæ non penderet à Spiritu, sed à voluntate hominum, nec Spiritus esset determinans & constabiliens, sed potius determinatus & constabilitus. Adde quod Christus voluit hîc suos solari; At hominem peccato obnoxium non consolatur qui dicit, *non discedit Spiritus nisi volueris*, quia sibi non metuit, nisi à seipso, sed qui dicit, *efficiet quoque Spiritus, ut id velis*; quo fundamento nituntur & preces nostræ, & gratiarum actiones. 5. *à Perpetuitate præsentiæ Spiritus.* *Isa.* 59. 21. *Joa.* 14. 16.

XII. Sextò, Ab *Experientia omnium seculorum.* Quia à principio mundi ad hoc usque tempus Ecclesia semper duravit, nec unquam penitus defecit. Quod facilè ostendi potest per singula secula, in quibus omnibus Deus suos fideles habuit, obscuriùs quidem nonnunquam latentes, sed verè tamen è mundo vocatos & in Dei communionem & fœdus receptos. Et quoad Vetus Testamentum quidem à Mose ad Christum, res extra omnem dubitationis aleam est constituta; siquidem Ecclesia non jam uni familiæ inclusa, sed diffusa in amplam gentem, hominum oculis exposita fuit. Quoad secula verò antecedentia, licèt aliquoties obscurior fuerit, & ad magnam paucitatem redacta, ut tempore Noachi & Abrahami 6. *ab Experientia omnium seculorum.*

QUÆST. VIII.

ante vocationem suam ex Ur Chaldæorum; fuisse tamen semper multa evincunt. In primo intervallo primi mundi ab Adamo ad Noachum, Ecclesia in Adamo & ejus familia cœpit. Unde Abelis fides celebratur Heb. 11.4. & Sethi ac Enosi pietas, cujus temporibus *cœptum est invocari Nomen Domini*, Gen. 4. ℣. ultimo, nimirum cultu publico & solenni, propter pluralitatem familiarum, quæ cultum divinum majore frequentia celebrarunt. Exinde in Enocho, & ejus posteris continuata est usque ad Noachum, & à Noacho ad Semum transit, qui usque ad tempora Abrahami vixit, cum quo Deus illustriori modo fœdus voluit pangere; atque ita Ecclesiam in ejus familia conservavit, quæ mirum in modum aucta est in Ægypto, donec in gentem numerosissimam excrevit, quam in Reip. formam collegit, cui Statuta sua & Leges dedit; & quæ ad Christum usque in eo regimine subsistere debuit, licèt cum variis mutationibus.

Gen 4.

XIII. De temporibus Novi Testamenti, non minus clarum est, Ecclesiam nunquam penitus defeciisse, ex ipsarum historiarum fide. Et sanè si defecit aliquando, id potissimùm contingere debuit, vel durantibus Roman. Imperatorum durissimis persecutionibus, vel tempore Arianæ hæresis, quæ pene totum orbem occupaverat, vel sub tyrannide Papali, antequam Reformatio fierit. Sed nihil minus dici potest. Nam tantùm abest, ut sub persecutionibus Imperatorum Ecclesia defecerit, ut manifestè creverit & propagata sit, Deo sanguinem & cineres Martyrum tanquam aliquod semen fœcundante. Arianismi lues, multas quidem orbis partes pervasit, sed non omnes, nec modò multi privati, sed plures Ecclesiæ ab ea immunes fuerunt. Tyrannis Papalis non ita grassata est, quin sub ea populum suum semper servârit, quem ex Babylone postea evocare voluit. Cùm ergo constet hactenus nunquam defeciisse Ecclesiam; Ex eo certò colligitur nunquam in posterum interituram, cùm eædem rationes utrobique ejus durationem postulent.

℣. à Causis conservantibus.

XIV. Septimò, A *Causis conservantibus Ecclesiam.* Quia omnes causæ defectionis ab ea removentur, & omnes causæ perennitatis de ea affirmantur. Nam si deficere posset Ecclesia, id fieret, vel quia posset à Satanâ vinci, vel à mundo seduci, vel à Carne in peccatum regnans ad mortem præcipitari. Sed nec potest à Satana superari, quia victus est & triumphatus à Christo, Col. 2. 14. Heb. 2. 14. ita ut nec possit cribrando facere ut fides nostra deficiat Luc. 22. 32. nec obtinere ut omnes suæ artes & molimina prævalcant adversus Ecclesiam Matt. 16. 18. Nec à mundo seduci, quia fides nostra est victoria, quæ vicit mundum 1. Joan. 5. 4. & Electi seduci non possunt Matth. 24. 24. vel à carne sub peccati dominium retrahi 1. Joan. 3. 9. Imò ex immutabili Dei Proposito Rom. 8. 28. & 2. Timot. 2. 19. ex Christi merito & intercessione 1. Jo. 2. 1. 2. Ro. 8. 33. 34. & ex Spiritus virtute ac præsidio fideles custodiuntur ad salutem per fidem

fidem Joa. 14. 16. 17. 1. Petr. 1. 5. ut fusiùs loco de Perseverantia démonstratum est. QUÆST. VIII.

XV. Aliud est Ecclesiam visibilem & externam Vocatorum deficere posse, & sæpe deficere in variis suis partibus; quod concedimus, & patet exemplo Ecclesiæ Judaïcæ, & variarum Christianarum. Quò pertinet *ablatio Regni, & amotio Candelabri*, de quibus Christus loquitur Matth. 21. 41. & Apocal. 2. 5. Aliud verò deficere posse Ecclesiam invisibilem Electorum, quod negamus; siquidem constat perpetuo consensu Scripturæ & experientiæ, semper etiam perturbatissimis & corruptissimis temporibus, reservationem aliquam Ecclesiæ secundùm Electionem gratuitam factam esse Rom. 11. 5. *Fontes Solutionum.*

XVI. Quòd dicitur eandem esse rationem Ecclesiæ Catholicæ, quæ est omnium particularium, quæ possunt deficere, quia eadem sit ratio totius, quæ partium; Valet tantùm in eodem ordine, non diverso; nimirum respectu Ecclesiæ Catholicæ Vocatorum, & particularium visibilium, non verò respectu Ecclesiæ invisibilis Electorum. Deinde nec absolutè & simpliciter admitti potest, omnes & singulas Ecclesias particulares simul & semel in terra deficere posse, sed successivè tantùm, & diversis temporibus.

XVII. Quod Christus ait Luc. 18. 8. *Cùm Filius hominis veniet an fidem in terra est reperturus?* Non absolutè intelligendum est, quasi nulli amplius fideles superfuturi essent in mundo, cùm Paulus profiteatur 1. Thessal. 4. 15. in adventu Domini eos qui vivi reperientur, inter quos etiam seipsum nominat, non præventuros esse eos qui dormiunt, & post horum resurrectionem ad Dominum in nubibus esse rapiendos; quod dicere non potuisset, nisi tum fideles aliquos extituros putasset. Sed hoc hyperbolicè & comparatè dictum est, quia Ecclesia exigua erit præ statu superiorum seculorum, & admodum pauci fideles sunt futuri superstites, quum adveniet; sic bene notant hæc verba obscurationem Ecclesiæ futuram, sed non ejus interitum. *Luc.* 18. 8.

XVIII. Aliud est Ecclesiam obscurari & abscondi, ut non appareat, Aliud deficere & extingui, ut esse desinat. Prius damus, sed non posterius. Aliud varios status experiri, & diversam faciem induere, modò splendidam, & serenam, modò deformatam & mœstam, quod illi competere fatemur; Aliud aboleri quoad existentiam, quod negamus.

XIX. Apostasia universalis futura prædicitur 2. Thess. 2. 3. non absolutè, sed secundùm quid, quia pauci testes erunt superfuturi, Apocal. 11. 3. Et ideo hoc commemoratur ab Apostolo, ut fideles illius temporis diligentius à seductione sibi caveant. Quando *tota terra* dicitur *adoraturo bestiam* Apocal. 13. 3. per totam terram intelliguntur genera singulorum, non singula generum, omnes scilicet incolæ terræ indiscrimi- *2. Thess.* 2. 3. *Apoc.* 13. 3.

QUÆST. VIII. natim cujuscunque gentis, conditionis, sexus, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, ut exponitur ℣. 8. id. qui sunt reprobi oppositè ad Electos & fideles.

XX. Si in Apocalypsi multæ persecutiones gravissimæ impendentes Ecclesiæ novissimis temporibus prædicuntur, nihil de ejus interitu totali colligi potest. Fuga mulieris in desertum Apocal. 12. 6. 14. notat quidem Ecclesiæ obscurationem & dissipationem propter persecutiones Draconis, à quibus ut se tueatur, fugâ debet sibi consulere, sed non innuit rejus abolitionem & interitum; Imò ne pereat aptantur illi alæ aquilinæ, ut subitò evolet à Dracone, & in solitudinem se recipiat, ubi tutò latere possit. *Apo.* 12. 6. 14.

XXI. Alius est status Naturæ, Alius Gratiæ. In illo Ecclesia se habuit mutabiliter & potuit deficere, & revera defecit. Sed in isto est immutabilis, nec totaliter aut finaliter deficere potest, non minus ac singuli fideles.

XXII. Quamvis hæc & illa particularis Ecclesia deficere possit, ut quo in loco Deus sibi hodie per prædicationem Verbi & administrationem Sacramentorum Ecclesiam colligit, ex eo per hæreses & persecutiones puritas Verbi divini temporis decursu expellatur; nec ulli particulari Ecclesiæ data sit absoluta promissio, quòd futura sit perpetua, & defectioni haudquaquam obnoxia: Tamen absolutè & simpliciter loquendo Ecclesia nunquam deficit, quia colligit sibi Deus Ecclesiam ex genere humano usque ad finem mundi, si non in hoc, at in alio populo & loco.

QUÆSTIO IX.

DE ECCLESIÆ SPLENDORE.

An Ecclesia debeat èsse in perpetuo splendore & eminentiâ; An verò possit aliquando ita obscurari & imminui, ut nullus ejus Cœtus in terris publicè appareat? Prius Neg. Poster. Affir. cont. Pontif.

I. UT Præcedens Quæstio asseruit Ecclesiæ *perennitatem* & indefectibilitatem; Ita ista *modum* istius *perennitatis* exponet; qui non sit semper cum splendore & eminentiâ, sed sæpe cum obscuritate conjunctus. Licèt verò hæc controversia propriè pertineat ad statum externum Ecclesiæ; quia tamen magnam cum præcedenti cognationem habet, hîc à nobis tractatur.

II. Ad

II. Ad Statum Quæstionis, Nota 1. non agi de Ecclesia Catholica invisibili, quæ est universitas Credentium toto orbe dispersorum. Sed de Ecclesia quavis particulari visibili, in qua sunt Pastores & oves, & ut Bellarminus loquitur, *Prælati & subditi*; Et quidem non definitè de hac vel illa, sed in specie de omni particulari Ecclesia, sine ullius exceptione, sive divisim singulæ, sive conjunctim universæ considerentur. *Quæst. IX. Status Quæstionis*

III. 2. Non quæri de *Splendore interno*, qui in fide, spe, charitate, & internis Spiritus Sancti donis consistit, hunc enim Ecclesiæ essentialem esse & perpetuum agnoscimus. Sed de *externo*, qui in frequentia hominum, tranquillitate à persecutionibus, claritate & puritate doctrinæ, & ministerio Verbi illustri & incorrupto versatur, quem, ut accidentalem, posse abesse, & non raro in eo desiderari censemus.

IV. 3. Non quæri, An splendor iste sæpius obtinuerit in Ecclesia, & obtinere adhuc possit, quod facilè largimur, & variis exemplis, tam in Veteri quàm in N. Testamento demonstratur. Sed An perpetuus & constans esse debeat, ut Ecclesia in tali splendore semper constituatur, ut latere neminem possit, sed omnium oculis sit exposita? An verò nonnunquam ita obscuretur, & corrumpatur, ut oculis hominum subducatur & non appareat? Quod pertendimus, Adversarii verò negant. 4. Non quæri de *Invisibilitate essentiali*, quæ à formâ ejus internâ fluit, quæ ab ea separari non potest, ut Quæstione VII. visum. Sed de *accidentali*, quæ respicit formam externam, An ea ita conspicua semper esse debeat, ut cuivis sit visibilis, An verò ita tegatur & corrumpatur nonnunquam, ut observari non possit?

V. Pontificii statuunt Ecclesiam non modò non posse deficere, ut non amplius sit; sed nec etiam posse obscurari aut imminui, quin semper maneat multitudo congregata, in qua Prælati & subditi, inprimis Romanus Pontifex, tanquam Caput Ecclesiæ Catholicæ cum majestate eminens, ut loquitur Bellarm. lib. 3. cap. 13. atque ita Ecclesiam non modò semper esse in mundo volunt, sed pertendunt esse visibilem & conspicuam, quæ perpetuò agnoscatur & videatur; non minus ac sunt alii cœtus & societates hominum, & Imperia mundi; eamque non aliam esse, quàm Ecclesiam Romanam, cujus sedi volunt Deum affixisse veram Ecclesiam.

VI. Nos verò sic censemus. Ecclesiam nunquam penitus deficere posse in terris, ut anteà visum, sed non semper conspicuam esse & illustrem, sed sæpe ita obscurari & obrui, sive per persecutiones, sive per errores, ut nullus ejus cœtus illustris in mundo appareat, sed obscura maneat, & oculis hominum subducatur. Nimirum ut Christus Caput Ecclesiæ, duplicem statum expertus est; Unum exinanitionis, in quo latuit ejus majestas sub velo carnis & sub pondere crucis; Alterum exaltatio-

QUÆST. IX.

tationis, in quo gloria ejus plenâ luce fulget. Ita Ecclesia, quæ est Corpus ejus mysticum, in vario statu versatur; modò humiliationis & obscuritatis, quando vel persecutorum violentiâ, vel hæreticorum astutia, vel scandalorum frequentiâ premitur, & latêre cogitur, ut *Columba degens in fissuris petræ, & in latibulo prærupto* Cantic. 2. 14. modò splendoris & claritâtis, quando tranquillâ Sacrorum administratione fruitur, & incorrupto ministerii splendore, & publico cultus divini exercitio coruscat & fulget. In quo Lunam optimè refert, Ut enim varias φάσεις, incrementa & decrementa obtinet, interdum plenâ luce fulgendo, interdum verò defectus & eclypses patiendo. Ita Ecclesia varias vices experitur, & diversa lucis & obscuritatis habet tempora, prout à Sole suo magis minúsve illustratur, pro temporum seu iniquitate, seu felicitate, modò fulget per publicum & liberum cultus divini & ministerii exercitium, modò obscuratur per hæresium invalescentium tenebras, & per gravitatem persecutionum, quibus dissipata & disjecta congregari & conspici desinit. Quanquam etiam tum, de petrarum fissuris, gemitum & planctum edere non cesset, & vel sanguine suo & martyriis in mundo se conspicuam reddere gestiat. Quò pertinent ista Ambrosii lib. 4. hexaem. cap. 8. *Ecclesia sicut Luna defectus habet & ortus frequentes, sed defectibus suis crevit, & hoc meruit ampliari; dum persecutionibus minuitur, & confessionibus coronatur.*

Cantic. 2. 14.

Probatur Ecclesiam sæpe obscuvari. 1. A conditione Ecclesiæ V. T.

VII. Sententia nostra variis firmatur rationibus. Prima petitur A *conditione Ecclesiæ* sub Veteri Testamento, sub quo eam non rarò obscuratam fuisse, & omni splendore destitutam constat, quod per varia ejus intervalla facilè demonstrari potest. Ante diluvium quis negaverit eam fuisse sine splendore, quum omnis caro corruperat viam suam, Gen. 6. & in diluvio quum ad octo animas redacta in Arca fuit inclusa? Tempore Abrahami ante vocationem suam ex Ur Chaldæorum latebat in familia paterna idololatriæ debita Joh. 24. 1. 2. Quis splendor Ecclesiæ in Ægypto, ubi captiva tamdiu fuit sine ulla vel Reipublicæ vel ministerii sacri forma? Quis splendor ejus fuit sub Judicibus, quum post mortem Josuæ Israëlitæ relicto Deo Patrum suorum post alios Deos iverunt Judic. 2. 7. & 3. 8. 10.? de quibus temporibus loquens Azaria 2. Chron. 15. 3. dicit *plures dies præteriisse, in quibus Israëlitæ fuerunt sine vero Deo, sine Sacerdote docente, & sine Lege.* Quæ facies & quis splendor Ecclesiæ fuit tempore Eliæ 1. Reg. 19. quum solum se relictum putat, qui coleret Deum, Deo interim eum solante, ex eo quòd septem millia fidelium sibi soli notorum servasset, qui genua Bahali non flexerant? Quis splendor Ecclesiæ Judaïcæ sub Achazo, Manasse, Ammone, & aliis impiis Regibus, sub quibus juge sacrificium interruptum est, fores Templi clausæ; Altare ad formam Damasceni ab Uria S. Sacerdote ex-

extructum, & idololatria passim introducta? ut refertur 2. Reg. 16. 11. 12. 14. &c. & 2. Chron. 28. 3. 4. 24. 25. Et si ad Captivitatem Babylonicam descendimus, Ubi erat splendor Ecclesiæ postquam Urbs solo æquata, Templum pollutum, vasa sacra ablata, sacrificia abolita, cultus Dei interruptus, qui non potuit nisi Jerosolymis peragi, & populus in tristissimam servitutem abductus est? Unde gravissimè lugent pii sibi Prophetas, & omnia signa ablata Ps. 74. 9. Quæ facies denique & eminentia potuit esse Ecclesiæ sub persecutionibus diritissimis Antiochi & successorum ejus, de quibus mentio fit in Libris Maccabæorum, & apud Joseph. lib. 1. de bello Judaïco? quo tempore Paulus dicit Heb. 11. 37. 38. *Fideles lapidatos fuisse, occisione gladii, cæsos, destitutos, vexatos, oberrasse cum ovillis & caprinis pellibus, in desertis & montibus & cavernis terræ.* Quæst. IX.

VIII. Frustra hîc reponunt Adversarii. 1. *Synagogam & Ecclesiam differre, Synagogam desituram fuisse, sed Ecclesiam habere promissionem de sua firmitate & stabilitate, quam illa non habuit. Synagogam non fuisse Ecclesiam Catholicam, ut est Ecclesia Christiana, & extra eam fuisse varios fideles, ut Melchisedecum, Jobum, Centurionem, Cornelium &c.* Nam licèt multiplex sit disparitas inter Ecclesiam Veteris & Novi Testamenti, quoad modum dispensationis; nulla tamen occurrit quoad rem ipsam, utrobique fuit vera Dei Ecclesia, cujus fuit eadem fides, eadem spes, & quæ in essentialibus convenire debuit. Si ergo splendor est proprietas essentialis Ecclesiæ, quæ illi semper & ubique competat, non minus obtinere debuit in Veteri Testamento, quàm in Novo. Hinc alibi à Spiritu Sancto Ecclesia vetus in typum affertur Ecclesiæ Christianæ, Rom. 11. & 1. Cor. 10. 2. Synagoga quidem desitura fuit post Christum; sed durare debuit ex Oraculis sacris usque ad ejus adventum, atque adeò splendorem retinere, si ea fors est veræ Ecclesiæ; quod factum non fuisse exempla præcedentia luce meridianâ clarius demonstrant. 3. Ecclesia Judaïca non fuit Catholica eo planè sensu, quô Christiana per totum orbem diffusa; sed rectè tamen potest ita vocari, quia in complexu suo continebat universitatem Credentium Vocatorum, & extra eam nullus alius visibilis erat Cœtus fidelium Psalm. 147. 20. nusquam alibi Templum, Sacerdotium, & publicum divini cultus erat exercitium; Et si qui ex gentibus ad Deum convertebantur, erant membra istius Ecclesiæ, si non loco & externa societate, ut fiebat respectu Proselytorum; at cordis desiderio, & interna communione. Quod ad Jobum & Melchisedecum, ut constat eos vixisse ante constitutionem Ecclesiæ Israëliticæ; huc non pertinent.

IX. Ad exemplum Eliæ regerunt, *Eliam non loqui de Ecclesia Judaïca, in qua ejus tempore regnabant optimi Reges Asa & Josaphat, sed de Ecclesia Israëlitica, quæ erat subjecta Regi Samariæ.* Sed 1. quicquid

sit

QUÆST. IX. sit de Ecclesia Judaïca, certum est ex isto exemplo constare, in Israël, id est, inter illos Judæos, qui sub Achabi & Jezabelis imperio vivebant, fuisse septem millia hominum, qui veram constituebant Ecclesiam, sed ita invisibilem & latitantem, ut ne Elias quidem eam nosset; atque ita veram Ecclesiam non semper illustrem esse & conspicuam, sed ibi posse latere & conservari ubi minimè putemus, ut non modò non plerique agnoscant, sed ne pii quidem ipsi. Ideo Elias se solum relictum queritur, non quidem Prophetam, ut quidam vellent, sed verum Dei cultorem, ut ex Dei responso liquet, *Reliqui mihi septem millia hominum*, non Prophetarum, sed fidelium; *qui genua Baali non flexerunt.* 2. Paulus Rom. 11. 3. locum hunc extendit ad totum Israëlem in genere, cùm seipsum, qui erat de tribu Benjamin, atque adeò de Ecclesia Judaïca vocat Israëlitam ℣. 5. & ex his verbis totius Ecclesiæ conditionem depingit, ut probet, sicut tempore Eliæ nulla inter Judæos videbatur relicta Ecclesia, quum conqueritur se solum relictum esse, tamen tunc multa millia erant verorum fidelium, quos Deus sibi servaverat; Ita ne nunc quidem totam Ecclesiam Judaïcam defeciisse, etsi maxima pars excidisset; manere semper reliquias secundùm electionem gratiæ. Rationes non desunt, quibus colligatur agi de tota Ecclesia Judaïca, quia altaribus eversis loquitur, quæ nulla erant legitima nisi Jerosolymis, quia se recipit in desertum, non in Judæam, quò potuisset aliàs ire, & pios Dei cultores invenire, quia tanto mœrore afficitur, ut præ ægritudine mortem optaverit; quæ totius Ecclesiæ corruptionem satis arguunt; Unde 2. Reg. 17. 19. in descriptione status Ecclesiæ illorum temporum, *Regnum Judæ* dicitur *ambulasse in erroribus Israel, nec custodivisse mandata Domini.*

X. Nec id semel, sed sæpius contigisse patet ex aliis locis, ubi corruptissimus Ecclesiæ Judaïcæ status describitur, ut sub Roboamo primo Rege Judæ post divisionem Regni 1. Reg. 14. 22. *Fecit Juda malum coram Domino, & zelare fecerunt eum super omnibus quæ fecerant Patres eorum in peccatis suis, quæ peccaverant,* ℣. 23. *Ædificaverant enim & ipsi Excelsa, & statuas & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam.* Idem factum sub variis aliis Regibus sequentibus dicitur, & præsertim tempore Manassis, de quo sic loquitur Historia 2. Reg. 21. 2. *Fecitque malum in conspectu Domini juxta idola Gentium, quas delevit Deus a facie filiorum Israël. Iterum enim ædificat Excelsa, quæ destruxerat Pater ejus, & erexit aras Baali, & fecit lucum, quemadmodum fecerat Achab Rex Israëlis; adoravit omnem exercitum cœli & coluit eum, & extruxit insuper aras pro omni militia cœli in atriis Domus Domini, & traduxit filium suum per ignem &c. & ingentia mala designavit in oculis Domini, ut illum ad iram concitaret.* Et ne quis putet id unum Regem

1. Reg. 14. 22.

2. Reg. 21.

specta-

pectare, populum verò fuisse ab his criminibus immunem, additur, *Seduxit Israëlitas Manasses, ut facerent pejora quàm Gentes, quas delevit Dominus à facie filiorum Israël.* Eò pertinent variæ Prophetarum querelæ, qui de corruptissimo Ecclesiæ sui temporis statu loquuntur. Isa. 1. 2. 3. 4. 5. 21. 22. 29. & 5. 4. Jerem. 2. 8. 11. 13. 26. 27. & 6. 13. & 7. 28. Ezech. 7. 26. & 22. 26. 28. 30. Ose. 4. 1. 6. 9. 12. Mich. 7. 1. Licèt enim exinde non possit colligi nullos fuisse amplius pios Dei cultores, bene tamen infertur fuisse paucissimos, qui in obscuro latebant, nec constituebant aliquem visibilem & illustrem cœtum, publico ministerio, & toto Ecclesiæ visibilis corpore fœdè corrupto. Quæst. IX.

XI. Secundò, *Ex Statu Ecclesiæ Novi Testamenti tempore Christi*, quem obscurum fuisse & sine splendore res ipsa clamat, cùm contineretur in Christo, & paucis obscuris hominibus, Josepho, B. Virgine, Simeone, Anna Zaccharia, Elizabetha, piscatoribus, publicanis, aliisque ex infima plebe; dum Pontifices, Primores populi, Sacerdotes, & Pharisæi, qui dignitate & autoritate ac potentiâ præcellebant, & qui Ecclesiæ nomine gloriabantur, imò sibi solis hoc privilegium arrogabant, nihil tale erant re ipsa, & à Christo ut spurii & extranei rejiciuntur. Nec audiendus Stapletonus, qui tales fuisse veram Ecclesiam non erubescit asserere. Quasi illi qui hostes aperti Christi fuerunt, qui eum odio internecino persequuti sunt, & obstinatâ incredulitate & rebellione doctrinam ejus & miracula rejecerunt, & tandem crudelissimæ morti tradiderunt, Ecclesiæ nomen mereantur, non verò illi qui Christum sequentes in illum crediderunt, & ejus genuini discipuli fuerunt. Sic tempore passionis in magna obscuritate & ad paucissimos redactam fuisse Ecclesiam constat, Apostolis fugientibus & deserentibus Christum, & nonnullis etiam abnegantibus; Ubi tunc fuit splendor & gloria Ecclesiæ? 2. *Ex Statu Ecclesiæ N. Test.*

XII. Licèt verò post resurrectionem & ascensionem ejus, splendorem memorabilem obtinuerit per effusionem Spiritus Sancti, & per vocationem Gentium; Non multò post mirum quantum obscurata est per persecutiones cruentas & diras, quibus afflicta fuit & dispersa per trecentos annos, tum à Judæis, tum ab Imperatoribus Paganis, in quibus nihil omissum est ad eam funditus delendam. Quænam verò potuit esse eminentia & splendor Ecclesiæ, dum tristissimus erat ejus status, dum ædes sacræ evertebantur, Pastores trucidabantur, greges dispergebantur, & diversimodè cruciabantur fideles, qui vel crudelissimis suppliciorum generibus interficiebantur, vel in exilium miserè pellebantur, vel in cryptis & cavernis delitescere ad fugiendam persecutorum barbariem cogebantur? Nec à Paganis modò, sed etiam ab Arianis postea crudeliter in fideles sævitum est, quum pestifera ista lues Cataclysmi instar Ecclesiam in-

QUÆST. IX. vasit, & densa caligine tandem involvit. Ubi fuit tum splendor Ecclesiæ, cùm Ariani occupabant sedes Episcopales, Imperatores à partibus eorum stabant, Athanasius & pauci alii Confessores in exilium pellebantur, nec liberum habebant religionis exercitium, *Et totus orbis ingemiscebat, & se Arianum esse mirabatur*, ut loquitur Hiero.?

XIII. Nequicquam verò Perronius conatur vim istius argumenti eludere, dum ait, *Ecclesiam non modò liliis, sed & rosis illustrem esse, id est, non modò conspicuam & evidentem esse in exercitiis tranquillis & pacificis, quæ habentur ad audiendum Verbum & adorandum, & participanda mysteria Sacramentorum, sed etiam in exercitiis militaribus, quæ sunt martyria & supplicia tolerata pro fidei defensione.* Quia qualiscunque sit gloria Martyrum; non potest splendorem Ecclesiæ afferre, quem volunt Pontificii, ut sit Cœtus visibilis & illustris Pastorum & Ovium, cùm contrà per persecutiones istiusmodi in quibus Martyres coronantur, cœtus dispergantur, & facies Ecclesiæ obscuretur. Cùm ergo crux & persecutio sit individua comes Ecclesiæ, Psalm. 129. 1. Matth. 24. 20. & Joan. 15. 20. Nemo non videt splendorem & claritatem quam illi tribuunt, non posse illi competere.

3. *Ex Apoc.* 12. 6. 14. XIV. Tertiò, Ex loco Apoc. 12. 6. Ubi *Mulier quæ peperit masculum fugere cogitur in desertum, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi nutriatur per mille ducentos & sexaginta dies.* Nam si Ecclesia per mulierem illam designata, quæ peperit masculum, id est, Christum mysticum in membris suis, cogitur fugere in desertum id. locum solitarium & obscurum, extra mundi conspectum, ut ibi tutiùs lateat, & effugiat furorem & sævitiam Draconis, id est, Diaboli illam persequentis; quomodo status ejus illustris potest semper esse & visibilis? Nec sine causa alæ aquilæ illi concessæ dicuntur, non tantùm ad pernicitatem fugæ designandam, sed etiam ejus imperceptibilitatem, aquilæ quippe vestigia ignota, ut loquitus Sapiens. Nec opponi potest, quod si desertum ad invisibilitatem re-

Apoc. 17. 3. fertur, Babylon dicenda erit invisibilis, quia Apoc. 17. 3. *Johannes dicitur raptus in desertum, ut videret mulierem insidentem bellua.* Nam ingens est discrimen. Non dicitur Babylon in desertum rapta & à Deo recepta, sed Johannes raptus dicitur spiritu in desertum, ut sit descriptio extasis, & visionis sedes. Nempe raptus est extra se & extra urbes, & cœtus hominum, in locum arcanum, ubi nullis aliis objectis intercepta mens liberior ad hoc unicè ferretur.

4. *Ex Revelatione Antichristi.* XV. Quartò, *Ex Revelatione Antichristi*, qui debet *sedere in Templo Dei*, id. Ecclesiâ, & efferri supra id *omne quod dicitur Deus* &c. 2. Thess.

2. Thess. 2. 9. 2. 9. Si verò sedere debet, id est, imperium exercere in Ecclesiam, quisnam tum ejus splendor esse poterit, imò quænam caligo & obscuritas ejus cœlum occupare non debet? Pontificii ipsi non diffitentur, Bellarminus

lib.

lib. 3. de R. P. cap. 7. *Certum est Antichristi persecutionem fore gravissimam, & notissimam, ita ut cessent omnes publicæ Religionis cæremoniæ & sacrificia.* Et postea, *Antichristus interdicturus est omnem divinum cultum, qui in Ecclesia Christianorum exercetur.* Et Stapleto. lib. 13. princip. doctr. cap. 2. *Pellis sanè poterit in desertum Ecclesia regnante Antichristo, & illo momento temporis in deserto, id est, in locis abditis, in speluncis in latibulis, quò sancti se recipiunt, non incommodè quæretur Ecclesia.* Remenses in 2. Thes. sect. 10. *Paulo ante mundi finem externus status Ecclesiæ Romanæ cessabit, & publicum fidelium cum eadem commercium, & apostasia passim tunc obtinebit, & tamen tunc pii, corde & animo cum Papa & Romana Ecclesia communicabunt.* Et in c. 12. Apoc. fatentur *fieri posse ut Ecclesia aliquando non habeat externum splendorem, publicum statum & Regimen, nec liberè sanctorum munerum exercitia.* Gregor. de Valen. in analy. agnoscit ex Hilario & Hieron. *Non semper in tectis & exteriori pompa quærendam Ecclesiam, sed potius in carceribus & speluncis.* Cur ergo pro ejus perpetuo splendore pugnant? QUÆST. IX.

XVI. Quintò, Ab *Ecclesiæ fallibilitate.* Quia quælibet Ecclesia particularis visibilis exitialiter errare potest tam in fide, quàm in moribus, ut postea probabitur. Ergo potest etiam obscurari & deficere; tales enim errores sunt causæ proximæ corrumpentes & destruentes Ecclesiam. Aliàs nihil opus fuisset Christum tam sollicitè monere fideles, ut sibi caverent à Pseudo-Christis & Pseudo-Prophetis, ut facit Matth. 24. 24. Nec Johannes explorationem spirituum Christianis debuisset tanto cum studio præcipere 1. Joann. 4. 1. 2. si in omnibus ætatibus Ecclesia vera debuit illustris esse & conspicua. Satis fuisset eos uno verbo monere, ut nunquam à talis Ecclesiæ communione discederent. 5. *Ab Ecclesiæ Fallibilitate.*

XVII. Sextò, A *Suffragiis Patrum*, qui ad nos hîc accedunt. Athanas. in Epist. ad vitam solitariam agentes. *Quæ nunc Ecclesia Christum liberè adorat, siquidem ea si pia est, periculo subjacet? Nam si alicubi sunt pii, & Christi studiosi, illi itidem, ut magnus ille Propheta Elias absconduntur, & in speluncas & cavernas terræ sese abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur.* Hilarius contra Auxentium sub finem, *Unum moneo, Cavete Antichristum, malè enim vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? montes mihi & sylvæ & lacus & carceres & voragines sunt tutiores, in his enim Prophetæ aut manentes aut demersi Spiritu Dei prophetabant.* Augustin. Epist. 80. *Ecclesia est Sol & Luna & stellæ ut dictum est, speciosa sicut Luna, & electa sicut Sol. Quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum* 6. *A Suffragiis Patrum.*

QUÆST. IX.

sævientibus &c. Et in Psalm. 119. *Ecclesia adhuc in ista mortalitate carnis constituta, propter ipsam mutabilitatem nomine Lunæ in Scripturis significatur.* Et Epist. 48. ad Vincent. *Ipsa est Ecclesia, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur scandalorum multitudine.* Hieron. in Psalm. 133. *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate, Ecclesia ibi est, ubi fides vera est, Cæterùm ante annos quindecim aut viginti, parietes omnes hic Ecclesiarii hæretici possidebant, ante viginti enim annos, omnes Ecclesias hic hæretici possidebant; Ecclesia autem illic erat, ubi erat vera fides.* Ambros. lib. 4. hexaem. cap 2. *Ecclesia videtur sicut Luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest.*

Fontes Solutionum.

XVIII. Loca varia Prophetarum quæ splendorem & eminentiam policentur Ecclesiæ, non favent Pontificiis. I. Quia per Jerusalem & Sionem non intelligunt societatem mixtam ex bonis & malis; nec cœtum aliquem visibilem certæ sedi affixum; sed societatem verorum fidelium, ad quam solam promissiones Dei diriguntur & pertinent. 2. Non tam loquuntur de gloria & splendore externo, quàm propriè de spirituali & interno, juxta stylum Veteris Testamenti, quò res cœlestes & spirituales, terrenis & corporeis adumbrantur, ut suprà dictum. Et sic exponendum cap. 60. Isaiæ, ubi Deus erecturus prostratam Ecclesiam, ostendit quanta sit Verbi efficacia, de qua locutus est capite præcedenti, & glorioſum Ecclesiæ statum sub Messia depingit symbolicè per gloriam Regnorum terrenorum, & per res quasque pretiosissimas & præstantissimas; quod tantùm abest, ut ad literam debeat intelligi de gloria sensibili & mundanâ, ut Spiritus Sanctus eam tribuat Babyloni Apoc. 17. quæ purpurâ induta, & gemmis ac auro ornata inducitur, Jerusalem verò cœlestis Agni Sponsa dicitur ornata *bysso pura & lucenti, quæ sunt justitia Sanctorum* Apocal. 19. 8. 3. Si splendor aliquis, & conspicuitas est intelligenda, non ad omnia tempora Ecclesiæ est extendenda; sed ista quatuor potissimùm respicit, in quibus magis conspicua debuit esse. Primum in *initio Christianismi per vocationem Gentium*, quâ Ecclesia Christiana illustris & conspicua debuit esse per totum orbem, quum Apostoli præconio Euangelii, Regnum Christi fundarent, & de idololatria & erroribus Paganismi glorioſè triumpharunt; quòspectant Oracula Psalm. 87. 3. 4. 6. & 110. 2. 3. Isa. 2. 1. 2. quia tunc Lex dicitur exiisse ex Sione, & sceptrum virtutis ex ea in orbem transmissum, Sic & cap. 60. 3. 4. 5. Secundum, in *progressu ejusdem Christianismi*, quando mirificè auctus fuit & illustratus, sive per conversionem Imperatorum & Principum, sub quibus Ecclesia pace & tranquillitate aliqua frui potuit, dum Reges & Principes facti sunt ejus nutritii, & Reginæ ejus nutrices Isa. 49. 23. quarum mammas sugere debuit cap. 60. 16. sive per insignes ejus reformationes, variis temporibus factas. Tertium *in Conversione*

Isa. 60.

Ps. 87. 3. 4. 6. & 110. 2. 3.

Isa. 2. 1. 2. & cap. 60. 3. 4. 5.

Isa. 49. 23. & 60. 16.

sione generali Judæorum sub finem mundi, postquam plenitudo gentium introducta erit, quo tempore prophetæ, & post eos Paulus insignem gloriam Ecclesiæ pollicentur, quæ futura sit veluti resurrectio à mortuis, Rom. 11. 15. ad quam respexisse Isaiam cap. 60. Paulus testatur, quum vaticinium immediatè præcedens ex cap. 59. 19. 20. eò refert Rom. 11. 26. Quartum *in fine seculorum* per gloriosam resurrectionem & felicitatis æternæ consummationem, ad quam Spiritum Sanctum in prædicto oraculo spectasse, verba quæ referuntur ℣. 18. 19. 20. evincunt, quæ idem Spiritus Sanctus optimus sui interpres ad Jerusalem cœlestem transfert Apocal. 21. 23. 24. 25. Licèt verò Ecclesia Christiana splendorem aliquem obtinere debuerit. Non sequitur eundem semper habituram, quia Deus vult eam varios status experiri. QUÆST. IX. *Isa.* 59. 19 20. *Rom.* 11. 26. *Apo.* 21. 23. 24. 25.

XIX. Aliud est Ministerium Euangelicum esse ordinarium medium collectionis & conservationis Ecclesiæ, quod perpetuò sit duraturum usque ad consummationem seculi, quod Paulus asserit Ephes. 4. 11. 12. *&c.* & à nobis conceditur. Aliud ministerium hoc perpetuandum esse in continua successionis serie in una aliqua sede, nimirum Romanâ; Et eodem semper splendore tam incorruptæ doctrinæ, quàm inviolati ordinis, & spectatæ dignitatis, quod negamus post Scripturam, quæ variam conditionem & vicissitudinem ministerii in hoc mundo non semel exponit Act. 20. 29. 2. Thess. 2. 3. 1. Tim. 4. 1. 2. 3.

XX. Ex fundatione æterna Ecclesiæ, de qua agitur Ps. 48. 9. sequitur quidem ejus perpetuitas & constans duratio; Sed non potest colligi ejus conspicuitas & eminentia perpetua, quia à remotione accidentis separabilis, qualis est splendor externus Ecclesiæ, ad ipsius essentiæ remotionem rité duci non potest argumentum, nec statim Ecclesia potest dici defecisse, quæ hoc splendore destituitur. *Psal.* 48. 9.

XXI. Quod dicitur Isa. 61. 8. *Fœdus perpetuum feriam cum illis, & sciatur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Ostendit quidem Ecclesiam Novi Testamenti in Gentibus esse propagandam, & tanta fore, tamque plæclara divinæ gratiæ in illa signa & effecta, ut omnes qui ea intuituri sunt, rapiendi sint in admirationem, & cogi debeant fateri hos esse filios Dei, semen cui benedixit Dominus: ut de Abrahamo dici debuit Gen. 12. 3. & de Ecclesia Judaica ex captivitate reduce Psal. 126. 4. Sed non sequitur, talem fore semper ejus statum. Nec necesse est ad implerionem Oraculi, ut testimonium hoc ab omnibus & semper reddatur; sufficit ut certis intervallis hoc fiat, donec perfectio accedat novissimo Judicii die, quò Deus ipse suos confessurus est coram cœlo & terra, & omnes agnituri sunt fidelium felicitatem. *Isa.* 61. 8.

XXII. Aliud est Christum semper adesse Ecclesiæ suæ ad eam docen-

QUÆST. IX. dam, sanctificandam, consolandam & defendendam adversus hostes à quibus impetitur, ne unquam deficiat, vel portæ inferorum adversus eam prævaleant, quod Christus pollicetur Matth. 16. 18. & 28. 20. Aliud verò Christum vim illam suam exerere in conservatione Ecclesiæ sensibilibus effectis, & benedictionibus temporalibus, quæ statum ejus quietum & optabilem efficiant, quod etsi nonnunquam contingat, perpetuum tamen non est. Nec aliter promittitur in Novo Testamento quàm sub ista conditione, quantum scilicet expedit ad Dei gloriam & salutem Electorum promovendam & perficiendam. Quamvis ergo interdum, imò sæpenumero accidat, ut status ille interturbetur; non ideo putandum promissis suis non stetisse Deum.

Mat. 16. 18. & 28. 20.

XXIII. Non sunt transferenda ad splendorem perpetuum Ecclesiæ, quæ statum & officium Apostolorum & fidelium Dei servorum spectant. Nec si isti sunt lux mundi, & Civitas supra montem posita, quæ non potest abscondi, Matt. 5. 14. ubicunque ministerium suum exercebunt, & & dum illud exercebunt; sequitur ministerium hoc nunquam obscurandum vel auferendum esse, & Ecclesiam istâ luce semper fruituram, ut nec nebulis tegatur, nec sub modio unquam reponatur.

Matt. 5. 14.

XXIV. Aliud est loqui de perpetua duratione Regni Christi, & de ejus gloria & splendore interno; Aliud de ejus splendore & eminentiâ externâ. Prius dicitur Ps. 89. 29. quum promittitur Christo, quod Deus positurus sit in seculum semen ejus, *Ponens in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli*, & ℣. 36. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Sed non posterius, potest enim Christi Regnum durare, & gloriam externam non habere. Nec eadem est ratio Regni Christi, quæ Regnorum mundanorum. Ista in paucis, iisque disjectis, & occultis consistere non possunt, sed multitudinem & splendorem visibilem requirunt; sed ut Regnum Christi non est de hoc mundo potest in paucis iisque dispersis regnare per Spiritum, qui ideo Regnum ejus cœleste bene dicuntur.

Ps. 89. 29. 36.

XXV. Licèt Ecclesia particularis visibilis, non semper sit conspicua & eminens; Non sequitur impossibile esse se adjungere Ecclesiæ ad salutem, cùm ad Ecclesiam occultam nemo possit se recipere. Quia Ecclesia cui adjungere non tenemur, & extra quam non est salus, non est Ecclesia particularis visibilis, quasi affixa sit uni genti aut loco; sed Ecclesia Catholica & invisibilis, cui adhærere possunt etiam illi, qui cum Ecclesia visibili communionem habere non possunt. 2. Quamvis communio externa cum Ecclesia visibili sit etiam necessaria, quoties & quantum illius datur facilitas, nec iniquitate temporum aut hominum impeditur, quia in visibili continetur invisibilis; non tamen simplex ejus privatio damnat; sed tantùm contemptus, quando possumus. Sic 7000. hominum tempore

pore Eliæ nullam communionem habebant externam cum Ecclesia; si- QUÆST.
quidem ipsi Eliæ ignoti erant; nec minus tamen salvandi erant. Ingressus IX.
in Ecclesiam per fidem etiam tum fit, cùm Ecclesia nulla apparet Heb. 12.
22. per professionem verò fieri potest, etiam cum minus illustris est Ecclesia, & mundi oculos fugit.

XXVI. Quamvis confessio oris cum fide cordis jungatur ab Apostolo
Rom. 10. 10. quia qui corpus & animum creavit & redemit, vult ab utro- *Rom. 10. 10.*
que glorificari; Dispar est tamen fidei & confessionis necessitas; fides enim semper & ubique requiritur, sed confessio non item; sed tantum quum gloria Dei & vocatio nostra eam exigit, quando petitur à nobis 1. Pet. 3. 15. vel fides nostra probanda, & salus proximi per eam est promovenda. Deinde confessio alia est publica, alia privata, alia quæ fit coram quibusvis etiam veritatis hostibus, alia quæ coram fidelibus; alia coram Deo, alia coram hominibus. Confessio coram Deo semper est necessaria, sed non confessio coram hominibus: Et quamvis nunquam liceat negare Dominum; non tenemur semper actum positivum confessionis publicæ & apertæ edere, nisi vacatione nostrâ & Dei gloriâ hoc exigente. Licèt ergo multi dum Ecclesia latet, non possint palam profiteri fidem coram hominibus publicè; satis est quòd eam approbent Deo & piis ejus cultoribus. Dilemma quô urgent nos Adversarii, dum aiunt, *Vel homines illi occulti, qui invisibilem Ecclesiam constituunt, profitentur palam fidem, & ab idololatria abstinent, vel non. Si profitentur, utique visibilis est Ecclesia, si non profitentur, nulla est vera Ecclesia, cujus proprium est corde credere & ore confiteri.* Non nos ferit, quia peccat insufficienti enumeratione, & deest tertium membrum, quod additum solvit nodum, nimirum vel profitentur palam fidem, vel non, vel occultè servant fidem, & ab idololatria abstinent; quomodo fiebat à centum Prophetis, quos Abdias tempore Jezabelis in spelunca occultaverat 1. Reg. 18. 3. nec refragari potest Bellarminus, quum ait lib. 3. de Eccles. cap. 2. *Quosdam in Ecclesia esse corpore tantùm, quosdam animo tantùm, alios animo & corpore simul.* Idem argumentum potest torqueri adversus 7000. hominum latentium tempore Eliæ; Vel enim tales confessi sunt ore publicè, vel non, si prius, non latuerunt, si posterius, quæstio redit de illis, quomode fideles sint, & non confessores. Idem dici potest de omnibus qui fugâ se persecutoribus subducunt, & in caverna vel crypta se recipiunt; quos tamen licèt palam profiteri non possint fidem, nemo ex numero fidelium expunxerit.

XXVII. Quamvis Ecclesia ex officio illi à Christo demandato, debeat *esse columna & firmamentum veritatis* ad eam promulgandam & vindicandam: Non sequitur eam vel isto semper officio defungi, vel defungi conspicuè & eminenter, quod vel ipsius Ecclesiæ Ephesinæ, de qua in hypothesi eo loco agitur, defectio & interitus satis testatur.

QUÆ-

QUÆST. X.

QUÆSTIO X.

Ubinam Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum & Zuinglium, & quibus mediis sit conservata?

I. LIcèt ex iis quæ dicta sunt in Quæstione præcedenti de Obscuratione Ecclesiæ, facile sit respondere ad Quæstionem propositam. Nam si Ecclesia aliquando ita obscurari & latère potest, ut nuspiam conspicua sit in terris, quod ipsi Adversarii non diffitentur de temporibus Antichristi, Quidni dicere possumus Ecclesiam nostram fuisse quidem, sed latentem & obscuram? Quia verò non desinunt identidem nos lacessere hac quæstione, ut evincant Ecclesiam nostam omnino tunc non fuisse, siquidem non potest ostendi, ubinam fuerit, atque adeò novitiam esse & recens natam; Videndum est, quid ad tale postulatum respondendum sit.

II. Hic autem ante omnia Observandum, per Ecclesiam nostram seu Reformatam, non intelligi eam, quæ expresso illo titulo & notione ab aliis cœtibus fuit distincta, sed quæ consanguinitate, & professione ejusdem doctrinæ quoad Fidei articulos, veraque communione Ecclesiastica eadem fuit cum nostra hodierna. 3. Veram & Catholicam doctrinam distinguendam hîc esse à disciplina, & cæremonias à dogmatibus, & in dogmatibus quæsita & placita Scholarum, seu privatas Doctorum opiniones, ab articulis fidei necessariis, communi Ecclesiarum fide amplectendis. Rursus in iis quæ præscribit Ecclesia, alia esse de jure divino, quæ absolutè ad fidem & salutem sunt necessaria, in quibus essentia Christianismi consistit; Alia de jure positivo, quæ utilia quidem sunt, sed ita tamen ut ea mutari & refingi successu temporis nihil prohibeat.

Absurditas postulati ostenditur.

III. Antequam verò ad Quæstionem respondeamus, *Absurditas & iniquitas postulati* notanda. Primò, quia supponit falsam hypothesim, quod est πρῶτον ψεῦδος Adversariorum, quâ semel negatâ & eversâ, quicquid ei nititur pariter corruere necesse est; Nimirum veram Ecclesiam perpetuo splendore conspicuam esse debere in mundo. Quod cùm falsissimum esse superiori Quæstione probatum sit, & constet dari tempora Eliana, quibus Ecclesia latet & hominum conspectui subducitur; frustra à nobis petitur, ut ostendamus, Ubi fuerit Ecclesia nostra? quia potuit latère sine splendore & eminentiâ.

IV. Se-

IV. Secundò, Perperam argumentantur ab *ignoratione rei ad ejus negationem*; quasi necesse sit rem aliquam non esse, eo quòd ignoretur. At rei veritas ex seipsa metienda est, non ex cognitione vel ignoratione nostra. Quis enim dubitat rem esse posse, quæ me alioque latet, sive quia occulta est & abscondita, sive quia ad ejus investigationem sedulò non attendimus? Hæc sanè illatio Eliæ olim fucum fecit, qui quum nesciret, ubinam esset Ecclesia sui temporis, nec quinam essent ejus Doctores, se solum arbitrabatur, quia cæteri ipsi erant incogniti, 1. Reg. 19. 10. & Rom. 11. 4. Sed vitiosam hanc esse ratiocinationem Dominus docuit, dum ait, *Se sibi reliquisse septem millia quæ non curvaverant genua Bahali.* Si Ergo Ecclesia Israëlis ita latère potuit, ut Elias eam ignoraret, quis Majorum nostrorum tempore idem contigisse mirabitur? QUÆST. X.

V. Tertio, Vitiosè etiam ratiocinantur ab *Ignoratione loci ad negationem rei.* Licèt enim locus rei mihi sit ignotus, non sequitur rem ipsam non esse absolutè. Licèt nesciam ubi thesauri sint in mari, non ideo negandum est eos ibi esse. Ita aliud est scire dari veram Ecclesiam, aliud scire ubinam illa sit; De primo possum persuaderi, etsi nihil certi habeam de secundo.

VI. Quartò, Quia Quæstio est *historiæ*, non *fidei*, cujus proinde solutio non est necessaria ad salutem; sufficit Christiano privato scire & persuasum esse veram esse Ecclesiam, illum cœtum, in cujus societate vivit, utpote in quo habet quod illi plenè sufficit ad salutem, & nihil quod officiat; licèt nihil sciat de temporibus præteritis, ubinam fuerit Ecclesia. Etsi enim gratissimum sit spectaculum totius Ecclesiæ omnibus seculis faciem conspicere; tamen neque ullus id hominum potest, neque ad fidem & salutem nostram refert, neque hæc nisi à peritissimis historiarum teneri possunt, neque aliâ quàm fide historicâ ista dignoscuntur; nec ulla hac de re in die Judicii instituenda inquisitio, ut ex ejus ignoratione periclitetur salus nostra. Finge hominem in ultimam Thulem deportatum, vi tempestatis aliò abreptum, gnarum tamen precum & veræ Religionis, sed qui planè historiarum sit imperitus; Num propterea minus ille servandus, quia ignorat, ubi Ecclesia fuerit ante se? Finge urbem à Piratis direptam, Patres & Matres & grandiores ad servitutem abreptos, supereſse tantùm infantes, qui tum ex libris, tum ex institutionis vestigiis eandem pietatem retineant, Quis eos ideo à salute excludat, licèt de hac Quæstione nihil teneant?

VII. Non magis nostra refert scire, ubi erat Ecclesia nostra tempore Patrum, quam ubi erat tempore Decianæ persecutionis, quæ cùm extincta planè videretur, è cineribus tamen revixit. Illud certò tenendum, Ecclesiam fuisse, & revixisse, locum novit Deus, Ille Ecclesiæ suæ metator est, Ille loca & hospitia prospexit, quum desunt homines, submittit corvos; quum deficiunt panes, suo Verbo pascit, novit ille

QUÆST. X. qui sui sunt, sacro signaculo suo notati. Quod eò rectius dici potest, quòd certò scimus in Ecclesiam Christianam ea tempora & mala ventura & grassatura fuisse, quæ fœdâ apostasiâ Christianum nomen macularent, & tantùm non extinguerent. Quamobrem Apocalypsis liber conscriptus est, & ad singularem Ecclesiæ consulationem posteritati relictus, ut in tanta rerum caligine certam haberemus cynosuram.

VIII. Quintò, Iniquitas postulati in eo luculenter etiam patet, quòd cùm Patrum scripta dolosè corrumpant, & quicquid candoris supereſt delere conentur, omnemque vetustatis memoriam quantum in ipsis est extinguant, nequissimi homines, quæ ipsi combusserunt, induxerunt, expunxerunt veritatis armâ, quia proferre illa non possumus, adversus nos movere volunt. Qui pios ferro & flammis persecuti sunt, ludibriis nunc excipiunt, planè ut Judæi, qui bacillis Christum percutientes, quis te percussit vaticinare dicebant. Ita vaticinari nos volunt, & anteacti temporis rationem reddere.

IX. Sextò, Si adversarii volunt, ut respondeamus ad Quæstionem propositam, tenentur etiam nobis respondere. Ubinam fuerit Ecclesia ipsorum tempore Christi & Apostolorum, quô nihil dum vel de Transubstantiatione & Missæ Sacrificio, de Sanctorum Invocatione, & Imaginum cultu, de Purgatorio, & Indulgentiis, de Papa & ejus autoritate, cæterisque erroribus tam theoreticis quàm practicis adhuc inter fideles invaluerat? Ostendant nobis, Ubi tunc esset apparatus ille magnificus Templorum & Cæremoniarum, qui totum Christianismum corrupit, & Cultum Divinum in scenam convertit? Ubinam fuerit Papatus sex prioribus seculis purioris, vel saltem minus impuri Christianismi? Licèt enim varii errores jam incepissent proserpere in Ecclesiam; Certum tamen longè plures & graviores sequentibus seculis pullulasse vel robur accepisse, de Cultu Imaginum, Transubstantiatione, Communione sub una specie, Infallibilitate & Monarchia Papæ, linguæ peregrinæ usu in Sacris *&c.* Ostendant, Ubi esset Ecclesia seculo illo x. quod *ferreum* vocat Baronius, quô plusquam 50. Pontifices sibi invicem succedentes, non tam Apostolici, quàm *Apostatici*, & *Apostactici* fuerunt, teste Genebrardo?

Quæstio respicit 3. Fidem.

X. Ne tamen videamur declinare Quæstionem, quasi nobis esset ἀλλοῦ, directè respondere possumus; Quæstionem quadruplicem respectum induere, vel quatuor spectare. Primò *doctrinam* & *fidem* Electorum, qui Ecclesiam constituunt. 2. Eorum *personas* & *conditionem*. 3. *Locum* ubi fuerunt. 4. *Formam regiminis* sub qua vixerunt, & *cultum* externum quem habuerunt. Quoad primum, si agitur de *fide Christiana*, dicimus substantiam rerum credendarum & faciendarum ad salutem fuisse semper in Scriptura, in Symbolo Apostolorum, in Lege Dei, & oratione Dominica obsignatam Sacramentis, quam

per

per singularem providentiam conservare voluit semper in Ecclesia ad sustentandum Electos, licèt variis erroribus doctrina illa subinde permixta fuerit. Ut hîc distinguenda sit accuratè substantia fidei, ab accidentibus corruptelæ, tam in doctrina, quàm in cultu, in quibus Deus novit Electos conservare in ea puritate, quæ necessaria erat ad salutem, usque ad Reformationis seculum. QUÆST. X.

XI. Secundò, Si agitur de *Personis* ipsis, id. de Ecclesiâ propriè dictâ, quatenus notat Corpus Christi mysticum, quod ex solis Electis constituitur, dicimus eam substitisse in omnibus Electis, qui fuerunt à tempore Apostolorum, qui in omnibus seculis in Christum crediderunt juxta veritatem Euangelii publicè prædicatam, qui substantiam doctrinæ salutaris in Ministerio publico secreverunt ab erroribus subinde gliscentibus. Quos non magis tenemur illis ostendere, quàm Elias septem hominum millia, qui non flexerant genua Bahali, licèt verè essent in Israële. 2. *Personæ.*

XII. Conditio istius Ecclesiæ misera fuit & afflicta, tum quia *obscura fuit* & splendore destituta, quod adumbratum fuit per mulierem fugientem in desertum Apocal. 12. *exigua* numero, & ad magnam paucitatem redacta, quod per *duos testes* designatur Apocal. 11. 3. quia pauciſſimi fuerunt præ multitudine errantium: tum quia ex parte *corrupta* fuit, aliquid participans de erroribus Papatus, licèt fundamentum salutis semper retinuerit; atque adeò à Papatu secesserit, si non positivè, at negativè, si non loco, at fide & religione, improbando ejus errores, & iis se quoad licuit opponendo.

XIII. Tertiò, Quoad *Locum* bifariam quæstio potest intelligi, vel *definitè* de certa & constanti sede Ecclesiæ, qualis est Roma, & in ea continuata Episcoporum seu Pastorum serie, quod vellent Pontificii. Sed perperam, primò, quia Ecclesia Novi Testamenti nulli certo loco est alligata, ut in Veteri, sed est ambulatoria, & migrans de loco in locum, ut constat exemplo Asiaticarum Ecclesiarum, de quibus agitur Apocal. 2. 3. cap. & aliarum quam plurium, quæ interierunt. 2. Quia non tenetur habere illam successionem, cùm ea aut planè deficiat cum ipsis Ecclesiis, aut mutetur in successionem luporum qui diripiunt gregem Act. 20. 30. vel qui ei impiè dominantur 2. Thess. 2. 3. 4. Vel *indefinitè* de sede & domicilio in genere, quod varium modò hîc, modò illic juxta dispensationem Dei fuit sortita. 3. *Locus.*

XIV. Hoc sensu dicimus veram Ecclesiam ante Lutherum & Zuinglium jam fuisse in variis Cœtibus separatis ab Ecclesia Romana, quales fuisse non paucos tum in Oriente, tum in Occidente certum est; quibus Episcopi Romani αὐθάδειαν & tyrannis tam in corruptione doctrinæ, quàm in depravatione cultus & immutatione ordinis & regiminis Ecclesiæ, adeò displicuit, ut non modò illi nunquam se subjicere voluerint,

QUÆST. X. sed apertè non dubitaverint illam oppugnare, & aversari. Quales fuisse inprimis Valdenses & Albigenses notum est. Isti verò quamdiu vel Principum autoritate subnixi, vel numero suo freti, publicos Cœtus habere potuerunt, reddiderunt Ecclesiam visibilem & conspicuam. Ut in Bohemia, in quibusdam Angliæ partibus, & in Provinciis Galliæ meridionalis, Aquitaniâ, Occitaniâ, & in tractu Narbonensi usque ad Alpes. At postquam Principes Episcopi Romani furore & artibus excitati, & cœco zelo fascinati, pios istos fideles, ut illi gratificarentur, armis persecuti sunt, eosque variis cladibus attritos, & crudelissimè habitos, ex urbibus & naturalibus sedibus ejecerunt, & ferro ac flammis delere conati sunt; Tum partis illius Ecclesiæ facies externa, ita quidem obscurata fuit, ut penitus defeciisse videretur; interim substitisse adhuc ejus reliquias, ut ut dissipatas & dispersas, variis in locis, & inprimis in saltu Pyrenæo, & in Convallibus, quæ sunt ad radices Alpium, historiæ monumenta testantur. Quod vel unum sufficeret ad retundendam injustam Adversariorum criminationem; quòd non possimus ostendere ubinam Ecclesia nostra fuerit ante Lutherum, siquidem constat puriores illos Christianos, qui eandem nobiscum in essentialibus fidem habebant, variis illis in locis fuisse, & Cœtus suos segreges habuisse licèt occultiores. Et cùm nulla fiat mentio apud historicos ipsorum secessionis ab Ecclesia Romana, non sine ratione colligitur eos nullam cum ea communionem unquam habuisse, sed separatos ab ea semper vixisse, & veritatem ipsis per Euangelii prædicationem traditam puram & illibatam servasse.

XV. Sed addimus insuper, fuisse Ecclesiam nostram in ipso Papatu, quatenus Deus in media Babylone sibi semper servavit reliquias secundùm Electionem gratiæ, veros scilicet fideles, qui sub illa captivitate gementes, ad liberationem spiritualem anhelabant; qui in Papatu fuisse dicuntur, non quod communionem cum eo, utpote cujus errores & superstitiones improbabant & aversabantur; sed quoad commorationem & hospitia, quia in medio Ecclesiæ Papalis vivebant, non conjunctim, sed sparsim per regna, provincias, civitates, & familias, in quibus Deus mirabili ratione populum suum conservavit.

Ecclesiam fuisse ante Reformationem probatur 1. Ex locis Scripturæ 2. Thess 2. 4. Apoc. 7. 3.

XVI. Hoc verò non una ratione probatu. 1. *Ex Locis variis Scripturæ*, ut 2. Thessal. 2. 4. ubi *Filius perditionis*, & *homo peccati* dicitur *sessurus in Templo Dei*, id est, imperium exerciturus in Ecclesiam, quæ passim hoc nomine insignitur, quæ proinde ibi tum esse debuit oppressa & captiva. Et Apocal. 7. 3. ubi Angeli prohibentur nocere terræ, donec *signati sint in frontibus servi Dei*; ut innuatur pios ejus cultores, qui illi constanter adhærent tempore apostasiæ, sigillo Dei notari, ut certa ipsorum per Dei providentiam custodia notetur, quâ eximantur ab imminentibus calamitatibus, allusivè vel ad morem Regum, qui sigillo suo obsignant, quod

quod tangi nolunt Dan. 6. 17. vel ad morem Pastorum, qui oves suas signant, ut ab aliis internoscantur; vel ad signationes typicas Veteris Testamenti, quibus procurabatur exemptio ab aliqua clade, & discretio à cæteris qui eâ involvebantur, ut Israëlitarum ab Ægyptiis Exod. 12. 12. Rahabæ à pereuntibus Jos. 2. 17. & gementium in populo Dei, à reliquis qui internecioni devovendi erant Ezech. 9. 4. Quod manifestum est indicium, in media corruptione mundi superesse semper fideles electos, quos sub signaculo custodia sua Deus tuetur. Eodem pertinet quod dicitur Apoc. 11. 1. 2. de dimensione Altaris & Templi & adorantium in eo, dum excluditur Atrium exterius, & Urbs quæ datur calcanda gentibus, ut innuatur Deum servare semper Sanctuarium & Ecclesiam, & veros fideles, qui puro corde eum colunt, in media urbe, id est, in Ecclesia visibili, quæ profanatur & polluitur per Gentiles incircumcisos, id est, impios & infideles. Quod additur ℣. 3. de *duobus testibus prophetantibus*, id est, paucis veritatis divinæ assertoribus, qui fœdam Ecclesiæ corruptionem assiduis querelis deflere debebant, & puritatem fidei & cultus Euangelici contra errores & superstitiones Papales confirmaturi erant, tum verbis & operibus, tum proprio sanguine. Et quod subjicitur cap. 12. de muliere, quæ in deserto alitur, de Angelis, id est, Præconibus Euangelicis cap. 14. & præcipuè de populo Dei, qui Babylone exire jubetur cap. 18. 4. quod dici non posset, nisi populus Dei, id. vera Ecclesia in media Babylone adhuc futurus esset.

Quæst. X.

Apoc. 11. 1. 2.

vers 3.

Cap. 18. 4.

XVII. 2. Ex *Fide historiæ*, quæ multiplices Dei cultores & Testes veritatis exhibet, qui subinde erroribus Papisticis se opposuerunt, & veritati testimonium præbuerunt. Si enim plures dantur, qui dictis, factis & scriptis Curiam Romanam exagitarunt propter ejus errores, idololatrias, & tyrannidem, quique eâ de causâ indignissimis habiti fuerunt modis, & crudelissimis persecutionibus expositi, dubium non est, quin veram illi constituerint Ecclesiam quam quærimus. Tales autem fuisse innumeros probant *Catalogi Magdeburgensium*, *Illyrici*, *Plessæi*, *Foxii* & aliorum, qui referunt nomina & scripta plangentium Ecclesiæ conditionem sub Papatu, & ex Papatu deploratissimam, & Reformationem expetentium & consulentium. Videndus etiam *Usserius* de successione & statu Ecclesiarum in Occidente cap. 6. & *Voetius in Desperata Causa Papatus* lib. 3. sect. 2. Ubi successionem veræ fidei & Ecclesiæ sub Novo Testamento probat per omnia secula usque ad Reformationem, & varia exempla affert piorum gementium, & protestantium contra errores Papatus.

2. ex Fide historiæ.

XVIII. 3. *Exemplis similibus* Ecclesiæ tum Veteris tum Novi Testamenti; In Vet. Testamento. 1. Ecclesiæ in Ægypto post mortem Josephi & fratrum ejus Ezech. 16. 2. Ecclesiæ Israëliticæ sub Elia, qui se solum relictum queritur, Deo tamen sibi 7000. reservante 1 Reg. 19. 18.

3. ab Exemplis similibus.

QUÆST. X.

3. Ecclesiæ in Samaria post abductas in Assyriam decem tribus 2. Chron. 30. & 34. 4. Ecclesiæ Judaïcæ in Captivitate Babylonica, cum qua confertur status Ecclesiæ sub tyrannide Antichristi Apoc. 17. & 18. Sub Novo Testamento Tempore nativitatis Christi, Ecclesia non quærenda fuit inter Scribas, Pharisæos, & Pontifices, qui Ecclesiæ nomine gloriabantur, sed Dei & Christi erant hostes. Verùm in paucis piis & fidelibus expectantibus Redemptionem Israëlis. Tempore Pauli Ecclesia Judaïca ad paucos electos cum Paulo redacta erat, cæteris manentibus induratis, & incredulis, Rom. 11. 1. 5. Quid mirum ergo si dicamus pariter Ecclesiam veram fuisse in media Babylone & Ægypto spirituali, suis insignibus, & externis ornamentis spoliatam?

4. Ex Conformitate Ecclesiæ Veteris cum nostræ.

XIX. 4. Ex *Conformitate Ecclesiæ nostræ cum Ecclesia primitiva Apostolica.* Cùm enim nemo negare possit Ecclesiam primitivam à Christo & Apostolis institutam fuisse; non potest etiam negari Ecclesiam nostram, si conformis est illi, tum in fide, tum in cultu, jam tum in illa fuisse. Conformem autem esse facile est evincere, si ad doctrinæ examen devenimus, ut toties à nobis expetitum est. Ex quo quippe constabit, nihil à nobis recipi credendum aut faciendum, quod à Christo & Apostolis non sit traditum, & quicquid à nobis rejicitur, nullum in eorum scriptis habere fundamentum, sed esse παρ' ὁ γέγραπται, & præter id quod euangelizatum est Gal. 1. 8. Nec hîc dicendum Ecclesiam veterem non posse dici eandem cum nostra, quia non rejecit Papismum, ut à nobis factum. Quia fides & Religio per se & essentialiter non est negativa, sed positiva, negatio quippe seu rejectio erroris est per accidens, & ad unitatem essentialem Ecclesiæ sufficit fides positiva. 2. Si non rejecit explicitè, quia nondum ortus erat Papismus, rejecit implicitè & virtualiter ea docendo, quæ cum eo sunt ἀσύμβατα, quo modo Scriptura dicitur per positionem veri rejicere errores nondum exortos, sed tantùm successu temporis exorituros.

5. Ex Confessione Adversariorum.

XX. 5. Ex *Confessione Adversariorum*, qui non possunt diffiteri ante Lutherum & Zuinglium, innumeros fuisse, qui fidem nostram profitebantur, & qui publicè protestabantur contra errores Papales. Vide quid de Valdensibus & Albigensibus, Hussitis, Wiclefistis, Lollardis, & Picardis referant *Thuanus* lib. 6. & 27. *Æneas Sylvius*, seu Pius II. Histor. Bohemi. cap. 35. *Poplinerius* Histor. Franci. lib. 1. *Carolus Molinæus* de Monarch. Gall. p. 56. & alii non pauci, qui eorum originem longè ante Reformationem repetunt. Nec diffiteri potest hoc *Eckius* Io. com. cap. 28. quum ait Lutherum nihil aliud fecisse, quàm revocare hæreses pridem damnatas in Valdensibus, Albigensibus, Hussitis, & aliis; & *Cochlæus* lib. 5. agnoscit Lutheranos ab Hussitis doctrinam suam accepisse. Nec omittendum hîc testimonium *Reynerii* ante annos 300. Inquisitoris con-

tra

tea hæreticos de Convallensibus, vulgò Valdensibus dictis, quò de eorum antiquitate & integritate fidem facit in libro de illis conscripto & à Gretsero edito & recuso in Bibli. Patr. tom. 4. part. 2. *Inter omnes sectas*, inquit, *quæ adhuc sunt vel fuerunt, nulla fuit perniciosior Ecclesiæ quam Leonistarum*, (sive pauperum de Lugduno, id est, Valdensium, contra quos tractatus directè inscribitur.) *Et hoc tribus de Causis. Prima est, quia est diuturnior omnium, aliqui enim dicunt, quòd duravit à tempore Sylvestri, aliqui à tempore Apostolorum. Secunda, quia generalior fuit, ferè enim nulla est terra, in qua hæc secta excepta non sit. Tertia, quia cùm omnes alia secta immanitate blasphemiarum in Deum audientibus horrorem inducunt, hæc magnam habet speciem pietatis, eò quòd coram hominibus juste vivant & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos qui in Symbolo continentur observent, solummodo Romanam Ecclesiam blasphemant & Clerum* &c. Claudius Sessellius Archiepiscopus Taurinensis in libro quem scripsit contra Valdenses, refert *Sectam Valdensium originem duxisse a quodam Leone Viro religiosissimo tempore Constantini Magni primi Christianorum Imperatoris, qui aversatus avaritiam Sylvestri, & nimiam liberalitatem Constantini, maluit sequi paupertatem in fidei simplicitate, quàm cum Sylvestro manere & pingui beneficio contaminari, cui adhærebant quotquot bene de fide sentiebant.* Religionem porrò & fidem ipsorum nostræ fuisse conformem colligitur, non modò ex locis citatis Thuani, & Æneæ Sylvii, in quibus præcipua capita fidei ipsorum referuntur; sed etiam ex veteribus Confessionibus, & scriptis ipsorum relatis, tum à *Joh. Paulo Perrino* in Histor. Valdensium, tum ante paucos annos à *Joh. Legero* ibidem Pastore in Historia Ecclesiarum illarum cap. 3. & 4. & seq. ubi accuratè agitur de earum antiquitate & fide. QUÆST. X.

XXI. Atque ita ostensum est, Ubinam fuerit Ecclesia nostra ante Lutherum quoad locum vel sedem, Si verò quartò quæstio respicit *formam reginiinis & cultus externi*, qualis jam obtinet inter nos; Cùm certum sit eam successisse formæ, quæ in Ecclesia Romana invaluerat, ut reformationem corruptioni, & sanationem morbo, quæ ad principium, id est, ad institutionem Christi & Apostolorum omnia reduxit; facilè concedimus non fuisse ante Reformationem, cùm per ipsam Reformationem restituta sit. Sed hoc non impedit perpetuam subsistentiam Ecclesiæ, ut sanatio lethalis morbi, qui hominem in senectute exercuit, non obstat quin idem homo sit quoad substantiam, qui fuit antea. Imò necessariò eam supponit, cùm Reformatio necessariò subjectum præexistens reformandum postulet. *4. De forma reginiinis.*

XXII. Licèt verò à tempore Apostolorum substiterit semper Ministerium visibile Ecclesiæ, non potest dici substitisse purum, sed cum variis corruptelis, quæ faciem ejus ita deformarunt, ut vix agnosci potuerit.

Un-

QUÆST. X. Unde Deus veluti per resurrectionem illud restaurare dicitur Ezech. 37. Apocal. 20. Et necesse fuit ea de causa variis temporibus reformationes institui ad repurgandum illud à suis sordibus, ut pristino nitori temporum Apostolicorum restitueretur.

XXIII. Si quis porrò ulterius quærat, Quosnam Pastores habuerit Ecclesia illorum temporum? Responsio est in promptu, Spiritum quidem Sanctum internè semper Ecclesiam suam docuisse ex promissione Christi Joan. 16. 13. externè verò, illos ipsos qui publicè docebant, Doctores nimirum Ecclesiæ Romanæ. Nam licèt Errores multos graves & exitiales puriori doctrinæ Euangelii permiscerent, quia tamen profitebantur retinere se adhuc Religionis & salutis fundamenta, potuerunt veri fideles puriorem & sanam doctrinam, ab exitiali, & cibum salutarem à veneno secernere, quomodo oves in pascuis, tam venenatis quàm salubribus herbis refertis, salubres eligere norunt, & à noxiis abstinere. Maximè cùm illis temporibus, Errores illi, & falsi cultus non abiissent in Leges, nec publicâ dum autoritate essent sanciti, & sub anathematis pœnâ obtrusi conscientiis, ut factum postea, quos proinde liberum fuit admittere, vel rejicere.

XXIV. Si verò de istis Doctoribus quærere quis pergat; Quomodo veritatem à falsis Doctoribus, & seductoribus, quales dicimus fuisse Romanos Doctores, recipere potuerint? Respondemus eos sub duplici χέσει spectari posse, vel quatenus Euangelium & fidei doctrinam eo contentam auditoribus suis proponebant, vel quatenus fermentum corruptolarum suarum & traditionum immiscebant. Priori sensu dici potest eos veros fuisse Doctores, quia tradebant ea quæ acceperant à Christo. Sed posteriori rectè seductores dicuntur. Planè eo modo, quó Scribæ & Pharisæi, & veri Doctores, & Seductores erant; veri Doctores, quum sedentes in cathedra Mosis, ita illius doctrinam tradebant, Matth. 23. 2. ut populus teneretur ea facere quæ præcipiebant. Seductores verò, quum in sua Cathedra sedentes, suas traditiones ac commenta proponebant, à quorum ideo fermento cavere suos voluit Christus. Priori sensu audiendi fuerunt, sed posteriori fugiendi. Ita in Ecclesia Christiana Romanæ Ecclesiæ Doctores, eatenus veri Doctores haberi poterant, & audiendi erant, quatenus Verbum Dei & doctrinam salutis proponebant; sed quando ad hanc veritatem mendacium suum addiderunt, ad hoc Dei Verbum Traditiones suas, ad hunc panem spiritualem fermentum suum; tunc in propriâ Cathedrâ sedebant, nec amplius audiendi fuerunt, ut nec auditi sunt à fidelibus; qui ut oves rationales, vocem Christi norant & sequebantur, sed fermentum secernebant à salutari cibo, ut, illo omisso, isto vescerentur.

XXV. At-

XXV. Atque hinc non obscurè jam colligi potest, Quibus mediis conservata fuerit ista Ecclesia, quæ est altera pars Quæstionis propositæ. Licèt enim non magnæ necessitatis videatur hoc cognoscere, imò quamvis à nobis explicari non posset, quomodo Deus Electos suos conservaverit in Papatu, res tamen ipsa quæ tot argumentis constat, in dubium revocanda non esset, & certò persuaderi deberemus, Deum, qui potest innumera præstare supra id quod cogitare valemus, mille modos habuisse Ecclesiam conservandi. Possumus tamen hâc etiam in parte Quæsito satisfacere; Si dicamus iisdem mediis, quibus ab initio collecta & fundata fuit Ecclesia, fuisse etiam conservatam & propagatam per omnia secula. Nimirum Spiritus Sancti efficaciâ, & Verbi ministerio juxta Oraculum Isaiæ 59. 21. Spiritus quippe, ut Doctor veritatis, qui datus est Ecclesiæ, ut maneat cum fidelibus in æternùm, & ut ducat eos in omnem veritatem, efficax fuit semper plus minus in veris fidelibus ad fidei & pietatis conservationem mediante Dei Verbo, quod etsi linguâ latinâ velatum & veluti obseratum fuit, à pluribus tamen lectum fuit subinde & intellectum. Quid quod non defuerunt etiam variæ ejus versiones, quæ à non paucis, licèt non promiscuè ab omnibus, legebantur. Accedit quòd per Dei providentiam præcipua Religionis capita Symbolo Apostolico, Decalogo, Oratione Dominicâ, & Sacramentis comprehensa, licèt diversimodè interpolata, semper ibi conservata sunt, ex quibus quod credendum & faciendum erat ad salutem habere poterant.

QUÆST. X.

Quibus mediis Ecclesia ante Reformationem sit conservata.

XXVI. Ad hoc verò non parum conferebat Ministerium publicum ordinarium, quod obtinebat in Papatu. Quamvis enim multis modis corruptum esset variis exitialibus erroribus sanæ doctrinæ additis; quia tamen retinebat adhuc & proponebat præcipua illa Christianismi capita, Deus non desinebat per vitiosa ista organa opus suum efficere, procurando gratiâ suâ, ut oves Christi λογικὰ spiritu discretionis veritatem à mendacio, & cibum solidum & salutarem à veneno admixto secernerent, ut antea dictum. Quod eò faciliùs fieri potuit, Quòd istæ corruptelæ quæ obtinebant, non introductæ erant per viam oppositionis apertæ, & rejectionis fidei & Religionis Christianæ ab Apostolis traditæ; sed per viam conjunctionis & mixturæ mendacii cum veritate, & superstitionum ac εἰδωλοθρησκειῶν cum puro Dei cultu. Unde non difficile fuit fidelibus Spiritus Sancti dono præditis bonum retinere rejecto malo, & veritatem solam amplecti repudiato mendacio. Imò quia doctrina Papalis composita erat ex articulis re ipsa contradictoriis, partim à Deo traditis in Verbo, partim ab hominibus excogitatis, v. g. Ex Sacrificio Crucis & Sacrificio missatico, Ex cultu Dei, & Sanctorum & imaginum, Ex meritis Christi, & meritis humanis; fiebat ut veritatis retentio, erroris rejectionem induceret; verbi gratiâ, Præceptum de merito & justitiâ Christi perfectissimâ

QUÆST. X. amplectendâ ad justificationem, eo ipso excludebat merita & satisfactiones humanas. Mandatum de uno Deo adorando proscribebat cultum Sanctorum & Imaginum, Et doctrina de Sacrificio Crucis, vero animarum λύτρῳ, evertebat Sacrificii missatici propitiatorii figmentum: Unde fiebat ut sanctiora sæpe essent corda auditorum, quàm ora Sacerdotum & Doctorum.

XXVII. Huic Ministerio publico, quod publicis, solennibusque conventibus exercebatur, privatum addebatur, quod privatim instituebatur, tum in Collegiis & Monasteriis, cujus insignia exempla occurrunt in Luthero, Zuinglio, Bucero, Martyre, Oecolampadio, & aliis, qui in Claustris & Cœnobiis Religionem didicerunt, sive lectione Scripturæ, & Patrum purierum, aliorumque id genus Scriptorum, in quibus radii veritatis fulgebant, sive eorum institutione, qui purum Christianismum ab Erroribus Papalibus secernere noverant. Tum etiam in familiis, ubi institutio privata & domestica sæpe potuit corrigere errores publicos, & pii tum precibus, tum lectione, & meditatione Capitum Religionis, Euangeliorum Dominicalium, variorumque Scriptorum vernaculorum asceticorum & practicorum, in quibus longè aliter tractabatur de Salutis certitudine, & variis Fidei capitibus, quàm in umbraticis Scholarum disputationibus, semen veritatis conservabant, liberis suis instillabant, & ad posteros propagabant.

XXVIII. Sed præter Ministerium ordinarium, Deus suis etiam prospexit per extraordinarium; subinde excitando fideles veritatis Testes, qui erroribus glisscentibus se opponerent, & fidei doctrinam puritati suæ restituerent. Ut olim in populo excitabat Prophetas, qui falsos cultus redarguerent, & idololatriam grassantem sive in regno Judaïco, sive Israëlitico strenuè oppugnarent. Ita Dei providentia in Christianismo strenuos veritatis defensores variis in locis excivit, qui corruptelis subnascentibus masculè resisterent. Ut in causa cultus Imaginum factum à Carolo M. & Patribus Concilii Francofurtensis, In causa præsentiæ corporalis Christi, & Transsubstantiationis à Bertramo Presbytero sub Carolo Calvo, & postea à Berengario. Tales Apoc. 11. 3. per *duos testes* designantur & *duas olivas*, & *duo candelabra*, utpote quibus Deus lucem veritatis, & unctionem sacram seu dona Spiritus fovebat in cordibus fidelium. Et cap. 14. per *Angelum* cœlitus volantem, & Euangelium æternum terræ afferentem ℣. 6. & per alios ibidem casum Babylonis prædicentes, ℣. 8. 9. quibus symbolicè fideles Dei servi, & præcones Euangelici adumbrantur, qui adversus Antichristum concionibus & scriptis detonantes, ad excutiendum tyrannicum ejus jugum, & ad libertatem Euangelicam fideles hortabantur; quales in Gallia Valdus, in Anglia Wiclefus, In Bohemia Joh. Hussus & Hiero Pragensis, In Italia Martyr, In Germania Lutherus, & alii complures.

Apoc. 11. 3. & 14. 6. 8. 9.

XXIX. Huc

XXIX. Huc denique accedit Providentiæ divinæ admirabilis dispensatio, quæ licèt ad castigandam hominum impietatem voluerit permittere Ecclesiam suam progressu temporis à puritate Apostolicâ degenerare, & in errores exitiales cadere; noluit tamen errores illos ad ἀκμὴν statim pervenire, & tam latè grassari, ut illorum recipiendorum necessitas omnibus imponeretur; sed ita eos reprimere voluit, ut paulatim & sensim invalescerent, vel à Doctoribus privatis primò inducti, & in Scholis propositi & variè agitati, vel ex mera consuetudine à populis recepti, antequam autoritate publicâ sancirentur, & in leges abirent, quæ conscientiam obligarent, & contra quas sentire vel mussitare fas non esset, malumque esset planè insanabile. Cùm ergo Errores Papales nondum in Leges abiissent, nec sub anathematis pœnâ conscientiis obtruderentur, ut factum postea à Concilio Tridentino, non ægrè concipi potest, quomodo fideles potuerint se ab illis immunes præstare. Quæst. X.

XXX. Non difficilius fuit conservari pios in Papatu, quàm septem millia hominum tempore Eliæ, quàm fideles, qui tempore adventus Christi in Ecclesia Judaïca corrupta vivebant, & quàm Orthodoxos sub ministerio corrupto Arianorum. Ut enim potuit illis sufficere secessio negativa, per rejectionem errorum, & abstinentiam à superstitione & idololatriâ, quæ grassabatur; Ita satis fuit Nostris secedere à Papatu negativè, donec daretur ipsis via & facultas secedendi positivè. *Fontes Solutionum.*

XXXI. Licèt Ecclesia quæ fuit in Papatu ante Reformationem non habuerit inter articulos fidei suæ, Justificationem per solam fidem, rejectionem sacrificiorum omnium sensibilium præter Sacrificium Christi, & repudiationem Cultus Imaginum, & Invocationis Sanctorum, & alios articulos, de quibus inter nos controvertitur; Non sequitur fideles non habuisse in doctrina recepta pro illo tempore alimenta necessaria ad salutem. Quia tales articuli non sunt positivi & affirmativi, qui continent ea quæ credenda & facienda sunt, in quibus ideo essentia fidei & Religionis consistit. Sed negativi, & exclusivi errorum qui rejiciendi sunt, qui non pertinent ad fidem ædificandam. Ut nemo inter alimenta posuerit, curam vitandi venena quæ mortem afferre possent. Sic Articuli positivi salutem propriè operantur, negativi verò removent tantùm ea quæ possunt nocere saluti.

XXXII. Quamvis impossibile sit salutem suam operari sub ministerio Sociniano, quia destruit formaliter & directè fundamentum Christianismi, negando mysterium Trinitatis & Divinitatis Christi, & veritatem Satisfactionis ejus. Non pariter dici debet impossibile fuisse vivere sub ministerio Papali, licèt diversimodè corrupto. Quia non destruebat fundamentum formaliter illud negando & oppugnando, sed illi addendo alia, quæ erant cum illo ἀσύμφωνα. In utroque ministerio graviter quidem &

QUÆST. X. exitialiter peccatur; Sed in Sociniano longè periculosiùs, quia peccatur per subſtractionem Veritatum fundamentalium. In altero verò per additionem & mixturam errorum exitialium cum fundamento. Quis verò non videt longè facilius esse rejicere quod excedit, separando verum à falso, quàm supplere, non modò quod deficit, sed etiam quod rejicitur & oppugnatur ab aliquo ministerio?

XXXIII. Rectè dicitur Ecclesiam ante Reformationem fuisse in Papatu, & Papatum in Ecclesia diverso respectu. Ecclesia erat in Papatu quoad formam externam, quatenus sub illa deformi & corrupta superficie latebat. Papatus verò erat in Ecclesia, quia ut accidens adnatum & subjecti corruptivum illi adhærebat. Unde accuratè distinguendum est, Inter Ecclesiam quæ est in Papatu, & Papatum ipsum; Papatus erat quidem in Ecclesia, sed non erat ipsa Ecclesia, sed tantùm ulcus & gangræna illam depascens. Et pii qui vivebant sub Papatu, manebant quidem quoad locum & sedem in illo cœtu; sed non quoad sensum & fidem, pertinebant ad Ecclesiam quà Christianam, sed non quà Papalem & Antichristianam, & qui secesserunt, secesserunt tantùm à Papatu, non verò ab Ecclesia.

XXXIV. Licèt facies externa Ecclesiæ quoad politiam & ritus externos & formam regiminis, diversa fuerit in Ecclesia, quæ præcessit Reformationem, ab ea quam obtinet hodie Reformata? Non sequitur Ecclesiam diversam fuisse à nostra quoad essentialia, quia ista quæ sunt peristatica & accidentalia, essentialem veritatem & unitatem Ecclesiæ non tollunt aut ponunt; nec externa communio aut diversitas in iis ejus identitatem vel diversitatem facit.

XXXV. Non confundenda sunt quæ pertinent ad essentiam Ecclesiæ, cum iis quæ spectant ejus statum & formam externam. Illa est immutabilis & eadem semper durat. Ista verò diversimodè potest mutari. Essentia Ecclesiæ consistit in eo quòd sit unum Corpus compositum ex multis fidelibus unitis simul in communione & cultu veri Dei sub uno Christo eorum Mediatore & Capite; quia hoc posito ponitur, & hoc sublato tollitur Ecclesia, sine eo non potest esse, & cum eo non potest non esse. Status verò juxta quem mutari potest positus est in iis omnibus, quæ pendent à diversa dispositione temporum, locorum, & personarum, v. g. habere præsentiam corporalem Christi, habere Apostolos & Euangelistas pro Pastoribus suis, frui dono miraculorum, & sim. status est Ecclesiæ Christianæ primitivæ, sed qui mutatus fuit in seculis sequentibus. Habere Pastores eximios & insignes zelo, scientia, pietate, esse tranquillam, & conspicuam, sine persecutione, sine schismate, sine errore, status est in quo fuit, & esse potest Ecclesia, sed nec semper, nec ubique, nec respectu omnium personarum ex quibus componitur, sed aliquando tantùm, alicubi, & respectu certarum personarum. Ita multitudo, splendor exter-

nus;

nus, pax & libertas professionis, visibilitas cœtuum, puritas ministerii, forma regiminis & disciplinæ, sunt res quæ pertinent, non ad essentiam Ecclesiæ, sed ad statum, quibus potest privari vel ex toto vel parte, nec tamen penitus deficere. Licèt ergo Ecclesia nostra mutari potuerit quoad ista in variis; Eadem tamen mansit semper quoad essentiam. Nec novitas illi hoc respectu potest impingi; nisi probetur, quod nunquam fiet, societatem nostram & fidem diversam esse essentialiter ab ea, quam Christus & Apostoli ab initio fundarunt, & quæ ad hoc usque tempus duravit, illique aliquid deesse quod necessarium est ad constitutionem Ecclesiæ. Quæst. X.

XXXVI. Si piis ante Reformationem potuit sufficere ad salutem Ministerium latinum licèt corruptum sine apertâ secessione; Non ideo potuit & nobis sufficere; Quia alia sunt tempora, & alia rerum facies. Tunc erant adhuc tempora captivitatis, in quibus nondum aperuerat Deus viam ad secedendum, & errores licèt graves & periculosi nondum ad ἀκμὴν pervenerant, nec ita in leges abierant, ut ineluctabili necessitate & sub pœna anathematis recipiendi essent. Sed ex quo malum factum est planè immedicabile, & errores intolerandi, & sub anathematis pœna sanciti; Ex quo Deus vexillum Euangelii ubique erexit ad excutiendum jugum Antichristi, & fideles vocandos ad libertatem, necessaria fuit secessio positiva, quia prospici debuit conscientiis præsentium & futurorum; Et Ecclesia reformanda fuit à suis sordibus, ut suam fidem & cultum publicum, suos ritus & sacra à pristinis corruptelis repurgata haberet.

QUÆSTIO XI.

De Ecclesiæ Infallibilitate.

An Ecclesia sit infallibilis, An verò errare possit circa fidem?
Prius Neg. Posterius Affirm. cont. Pontif.

I. Quæstio *de Infallibilitate Ecclesiæ* ex omnibus, quæ circa Ecclesiam nobis cum Pontificiis intercedunt, vexatissima est, & tanti momenti, ut Papatus hoc præcipuo fulcro niti videatur. Non alia quippe de causa tam acriter pro Ecclesiæ infallibilitate dimicant, quàm ut Ecclesiæ suæ, quam solam veram esse pertendunt, privilegium hoc tribuant, atque ita supremum illi & ἀναπόδρατον in rebus fidei judicium vindicent, cui omnes & singuli ἀβασανίστως & obedientiâ cœcâ se submittere teneantur.

QUÆST. XI. *Status Quæstionis.*

II. Ut verò Status Quæstionis, qui non satis accuratè sæpe proponitur, ritè teneatur. Observandum 1. Non quæri simplicitur de Ecclesia invisibili Electorum, seu universitate Credentium, An errare possit in fundamento, quod per calumniam nobis affingi doctrina nostra de Perseverantia Sanctorum satis evincit. Sed An ita dicenda sit infallibilis, ut nulli errori sit obnoxia, quod negamus. 2. Non quæri propriè de Ecclesia visibili collectivâ fidelium, Sed potissimùm de Ecclesia repræsentativâ Pastorum, non quidem primorum, qui eam fundarunt, quales fuerunt Apostoli, quos infallibiles fuisse apud omnes est in confesso; Sed subsequentium, qui Ecclesiam fundatam conservarunt & rexerunt. Nec agi de illis seorsim spectatis, quos errare posse non diffitentur Adversarii, sed conjunctim sumptis & in concilio congregatis.

III. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 14. sic exponit sententiam apud ipsos receptam, *Nostra sententia*, inquit, *est Ecclesiam absolutè errare non posse, nec in rebus absolutè necessariis, nec in aliis quæ credenda vel facienda nobis proponit: Et cum dicimus Ecclesiam errare non posse, id intelligimus tam de universitate fidelium, quàm de universitate Episcoporum, ita ut sensus istius propositionis* Ecclesia non potest errare, *sit, id quod omnes fideles tenentur credere est verum & de fide, & similiter id quod omnes Episcopi docent tanquam ad fidem pertinens, est verum & de fide.* Licèt verò hoc privilegium extendatur hîc à Bellarmino ad universam fidelium multitudinem, alibi tamen parum sibi constans ad Episcopos restringit lib. 2. de Conci. cap. 2. quum probare intendit Concilia generalia probata errare non posse. *Quia*, inquit, *tota auctoritas Ecclesiæ formaliter non est nisi in Prælatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantùm in capite. Ergo idem est Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, Et Episcopos non posse errare.* Si verò quæritur, An hoc omnibus & singulis Episcopis competat? ibidem docet hoc de illis congregatis in Concilio tantùm intelligi, *quia singuli seorsim errare possunt.* Rursus si quis petat, An hoc absolutè & simpliciter Episcopis congregatis competat? ne hoc quidem agnoscere vult nisi à Pontifice Concilia approbentur. *Catholici omnes*, inquit, lib. 2. de Conci. cap. 2. *constanter docent Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse.* Unde colligitur fundamentum istius infallibilitatis refundi in solum Pontificem, *ex cujus arbitrio pendent decreta sancire, & sancita mutare*, ut loquitur Baronius ad An. 373. num. 21. Atque ita sub Ecclesiæ nomine intelligunt Rom. Pontificem ejus Caput. Interim istam infallibilitatem Papæ non absolutè intelligendam esse, idem Bellarmin. docet lib. 4. de Pontif. cap. 2. ubi ait, *Catholicos consentire Pontificem etiam ut Pontificem, & cum cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio errare posse in Controversiis facti, quæ ex informationibus & testimoniis humanis pen-*

pendent. Et posse Pontificem ut privatum Doctorem errare etiam in quæstionibus juris universalibus, tam fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit, quanquam alibi lib. 4. de P. R. cap. 6. dicit esse probabile, & piè credi posse etiam ut particularem personam hæreticum esse non posse. Addit postea, *Consentire Catholicos, Pontificem cum generali Concilio non posse errare, in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. Et Pontificem sive hæreticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum à tota Ecclesia credendum.* Et cap. 3. propos. 1. *Summus Pontifex*, inquit, *cùm totam Ecclesiam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest*, in quibus suam ἀκαταστασίαν satis prodit. Non minus ac *Andr. Duvallius* de suprema Papæ in Eccles. potestate part. 2. Quum ait, *Etiamsi de fide non sit summum Pontificem seorsim à Concilio, privilegio infallibilitatis, licèt agat ut Pontifex, gaudere*, quod variis rationibus solidè probat, *id tamen absolutè certum est & indubitatum.* Sed in eo non substiterunt Jesuitæ, ulterius progressi sunt, & infallibilitatem Papæ extendunt non modò ad Quæstiones Juris, sed etiam ad Quæstiones facti, ut constat ex Thesibus propugnatis Lutetiæ in Collegio Claromontano an. 1661. in quibus asseritur, *Christum Ecclesiæ suæ Regimen ita Papis commisisse, ut illis eandem quam habebat ipse infallibilitatem concesserit, quoties ex Cathedra loquerentur*, ex quo ita concludunt. *Datur ergo in Ecclesia Romana Controversiarum fidei Judex infallibilis etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus juris, tum facti.* Cui assertioni antea in Gallia inauditæ Senatus parisiensis masculè se opposuit decreto suo 22. Janua. 1663. Quæst. XI.

IV. Fatendum tamen non eandem esse hac in parte omnium Pontificiorum sententiam. Ut enim non pauci putant errare posse Ecclesiam in iis quæ non revelata sunt, ut Canus l. 4. lo. com. c. 4. vel in iis quæ ad fidem non pertinent, vel quæ facti sunt, non juris, ut Alph. à Castro lib. 6. c. hæres. Ita quoad Pontificem plurimi sunt magni nominis inter ipsos, imò & Concilia ipsa, quibus ista infallibilitas non probatur, imò à quibus apertè negatur; quod non diffitetur Bellar. lib. 4. de P. cap. 2. dum refert sententiam eorum, qui volunt *Pontificem ut Pontificem, posse esse hæreticum, & docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse*, quam sententiam tribuit Nilo in lib. adversus Primatum Papæ, Gersoni, Almaino, Adriano VI. Papæ, Parisiensibus, qui non in Pontifice, sed in Ecclesia, seu in Concilio generali infallibilitatem judicii de rebus fidei constituunt. Concilii Basileensis Patres in epist. Synod. 3. fatentur *se sæpius expertos esse & legisse Papam errare.* Glossa C. si Papa Dist. 40. dicit, *Papam à nemine esse judicandum, nisi deprehendatur à fide devius*, quorsum verò ista restrictio abhiberetur, si hoc impossibile esset? Idem censuerunt P. de Alliaco Cardin. Cameracensis,

de

QUÆST. XI.

de auth. Eccles. p. 3. c. 3. Cusanus lib. 1. de Concor. Catho. cap. 15. Et communiter Ecclesia Gallicana & Sorbona, nominatim in Censura Regi exhibita anno 1663. propositionum Amadei Guimenii & Vernantii, ubi infallibilitas Papæ adstruebatur. Facultas in sexta Propositione ait, *Non esse doctrinam, nec dogma Facultatis, quod summus Pontifex nullo accedente Ecclesiæ consensu sit infallibilis.* Quod confirmavit Cleri Gallicani Cœtus ante biennium, inter varia hoc etiam decernendo in 4. Propos. *Papam habere præcipuam autoritatem in rebus fidei; sed decisiones ejus non esse certas sine consensu Ecclesiæ.*

V. Sic inter se Pontificii in varias partes circa hanc Ecclesiæ infallibilitatem scinduntur. Orthodoxorum verò sententia eò redit. 1. Ecclesiam Catholicam invisibilem, utcunque possit dici infallibilis *objectivè*, quatenus normam habet infallibilem, puta Verbum Dei quò dirigitur, & *subjectivè*, quatenus non potest exitialiter errare in fundamento, ita ut absolutè desinat esse, ut suprà probatum; Tamen dum militat in terris, variis erroribus non minus ac peccatis semper esse obnoxiam. 2. Ecclesiam visibilem, quæ in cœtibus particularibus cogitur per totum orbem, sive spectetur collectivè sive repræsentativè in Rectoribus suis; vel seorsim singulis, vel omnibus conjunctum in Concilio consideratis, non esse infallibilem, sed exitialiter errare posse tam in fide, quàm in moribus, tam in quæstionibus juris quàm facti, Et privilegium ἀναμαρτησίας, nulli Ecclesiæ, vel personæ post Apostolicum tempus datum fuisse, vel amplius competere.

Probatur Ecclesiam non esse infallibilem 1. Ab imperfectione regenerationis.

VI. Rationes sunt variæ. 1a petitur Ab *imperfectione regenerationis*, quia infallibilitas supponit perfectam rerum cognitionem, & excludit omnem ignorantiam, quæ erroris est mater. At nulli Ecclesiæ vel fideli ista perfectio competit, quandiu in terris versatur: Imò in eo Ecclesia triumphans differt à militante, quòd illa facie ad faciem Deum videns, sit omnimodè perfecta & quoad cognitionem & quoad sanctitatem, expers omnis erroris & vitii. Ista verò, quia reliquias peccati semper secum circumfert & in speculo ac ænigmate tantùm intuetur, utrique adhuc sit obnoxia. *Ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus* 1. Cor. 13. 9. *& ambulamus per fidem, non per aspectum* 2. Cor. 5. 7. Ut ergo nemo est qui non peccet; Ita nemo est qui non erret, vel qui errare non possit; *Errores quis intelligit? ab occultis munda me* Psal. 19. 13.

2. à natura promissionum datarum Ecclesiæ.

VII. 2. A *natura promissionum*, quæ datæ sunt Ecclesiæ, quæ conditionem tacitam vel expressam perseverantiæ in fide semper includunt; Joan. 8. 31. *Si in Verbo meo perstatis, verè discipuli mei eritis*, & cap. 14. 21. *qui habet mandata mea, & ea servat, ille est qui me amat, & qui me amat, amabitur à Patre meo, & ego eum diligam & me ipsi manifestabo*, & ℣. 23. *Si quis me diligit, servabit Verbum meum, &*

Pa-

Pater meus diliget ipsum, & veniemus ad ipsum. Ita Ecclesiæ Romanæ promittitur benignitas Dei, si modò in ea permaneat, aliàs excisio denunciatur, Rom. 11. 22. *Vide ergo bonitatem & severitatem, in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem, siquidem permanseris, alioqui & tu excinderis.* Ut ergo promissiones istæ sunt conditionales, locum habere non possunt, nisi positâ conditione, quæ cùm desit in variis, hoc etiam privilegium cessare necesse est. Fateor in Electis Deum ipsam conditionem etiam operari, ut immunes sint saltem ab errore fundamentali; sed hoc respectu aliorum dici non potest. QUÆST. XI. Rom. 11. 22.

VIII. 111. Ex *hypothesi Adversariorum.* Quia Ecclesia juxta Pontificios constat non modò ex veris fidelibus, sed etiam ex infidelibus & reprobis, qui possunt carere omnibus virtutibus internis, fide, spe, & charitate, ut loquitur Bellar. lib. 3. de Eccles. c. 2. ut antea visum; quibus privilegium infallibilitatis datum esse nemo dixerit. Frustra verò idem addit ibidem, se credere omnes virtutes inveniri in Ecclesia, quia disertè profitetur, hoc de necessitate ejus non esse. 3. *Ex hypothesi Adversariorum.*

IX. 1v. Ex *fallibilitate singulorum.* Quia singuli Pastores & Rectores Ecclesiarum sunt fallibiles, ut Adversarii fatentur. Ergo & universi. Nam quod singuli non habent seorsim, non possunt habere conjunctim, Nec Cœtus vel Concilium, quod ex membris fallibilibus constat, potest esse infallibile. Nec præsentia Christi magis eos reddit infallibiles, quàm duos vel tres fideles, qui congregantur in Nomine Christi, in quorum medio Christus futurum se pollicetur. 4. *Ex fallibilitate singulorum.*

X. v. Ex *silentio Scripturæ.* Nam si Ecclesia debuit esse infallibilis, Spiritus Sanctus procul dubio de eo fideles alicubi monuisset, tanquam de re maximi momenti ad fidem piorum confirmandam, & prævertendas omnes seductiones; aliàs defuisse videretur in re omnium maximè necessariâ, & quam nosse inprimis intererat Ecclesiæ. Sed nuspiam hujus privilegii certæ cuidam Ecclesiæ dati mentio occurrit; quotquot enim loca ab Adversariis ad eam rem probandam afferuntur, hoc non evincere postea ostendetur. Tantùm abest ut Romanæ Ecclesiæ hoc concessum dicatur, ut omnino dicendum fuit; si tale quid ipsi competeret, ut contrà Paulus illam moneat sedulò de periculo defectionis & casus ipsi imminenti, c. 11. 20. *Per incredulitatem fracti sunt, Tu verò fide stas, ne efferaris animo, sed time; nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne quà fiat, ut nec tibi parcat* &c. Quorsum verò talia dixisset Apostolus si donum infallibilitatis illi collatum fuisse credidisset? Et cap. 16. 17. monet eos *ut observent illos, qui offendicula & dissensiones faciunt, præter doctrinam quam didicerunt, & ab illis declinent.* Nec vanam fuisse hanc præmonitionem, facilè deprehendet, qui Romanam Ecclesiam hodiernam cum primitiva contulerit. 5. *Ex silentio Scripturæ.*

QUÆST. XI. 6. *Ab Experientia omnium seculorum.* Exod. 32. 5.

XI. VI. Ab *Experientia omnium seculorum.* Quia constat Ecclesiam sæpius errasse sub Veteri Testamento. Ecclesia Israëlitica erravit cùm Aaron vitulum aureum fudit, & altare extruxit coram eo Exod. 32. 2. 5. Parum refert autem sive hoc contigerit per judicium ordinatum Ecclesiæ, vel per tumultuarium concursum populi; modò constet Rectores ipsos Ecclesiæ cum populo in tale peccatum incidisse. Nec juvat sive diu sive parum in eo peccato manserint, sufficit tale crimen commissum fuisse, ut evincatur Ecclesiam illam non fuisse infallibilem. Licèt verò Aaron nondum solenni modo in Pontificem consecratus esset, fuisse tamen à Deo jam designatum & constitutum, & à populo agnitum, vel ex eo constat, quòd jubentur Sacerdotes se sanctificare Exod. 19. 22. & quòd populus ad eum accessit ad vituli confectionem, quod non fecisset, nisi jam eum pro Sacerdote habuisset. Quod dicitur de Levitis quòd non agnoverint patres aut fratres in ultione facta de Idololatris Exo. 32. 26. & Deut. 33. 9. ostendit quidem potuisse inter Levitas plures reperiri, qui hoc crimine se non polluerant, vel qui peccatum commissum statim agnoverunt, & hoc facto eluere conati sunt; sed non arguit tribum Leviticam absolutè ab eo immunem fuisse, cùm Aaron Levitarum caput fuerit istius peccati autor.

XII. Erravit Ecclesia Israëlitica sub Judicibus, quum post mortem Josuæ deseruerunt Dominum, & servierunt Bahalim; cujus corruptionis magnitudo graphicè describitur Judi. 2. Erravit sub Regibus impiis & idololatris tam Samariæ quàm Jerosolymis, temporibus Jorami, Achazi, Manasse, Achabi & aliorum, sub quibus populus in fœdam idololatriam prolapsus est, Templum Dei non semel clausum, & Cultus publicus neglectus & miserè corruptus est. Et ne quis dicat Prophetas, Sacerdotes, & majorem ac illustriorem populi partem non eodem modo fuisse infectam, consulenda sunt vaticinia Prophetarum, quibus constat ab eo Rectores Ecclesiæ, ac Sacerdotes & Prophetas immunes non fuisse. Isaias c. 29. 10. 11. acerrimè invehitur in Sacerdotes & Pastores populi, quòd inebrientur, quòd occæcentur & spiritu soporis occupentur, cap. 42. 19. quòd cæci sint & surdi, cap. 56. 10. 11. canes muti, speculatores cæci omnes, qui dormiant & ament somnia, & ignorent intelligentiam. Jeremias exprobrat illis mendacium, & falsitatem, idololatriam & avaritiam, perfidiam & defectionem à Deo cap. 2. 8. & 5. 30. 31. & 6. 13. & 8. 8. 9. 10. & 10. 21. & 23. 27. 28. & 50. 6. Ezechiel quòd vim faciant Legi, inter sanctum & profanum non discernant, & quòd polluant Sanctuaria. c. 7. 26. & 22. 26. Et sic passim apud alios. Nec discrimen inter Ecclesiam Veteris Testamenti, & Ecclesiam Novi potest hîc afferri. Quia Bellarm. lib. 3. de Eccles. cap. ult. fatetur *Judæos Sacerdotes habuisse non errandi privilegium donec Christus veniret.* Non melius dicitur verba Prophetica esse figurata, quæ dirigantur quidem ad omnes, sed

quæ

quæ non sint tamen intelligenda de omnibus, sed tantùm de multis. Quia licèt Deus sibi servaverit semper reliquias gratiæ in corruptissimo statu, Isa. 1. 9. hinc tamen liquidò constat, multitudinem Sacerdotum, qui Ecclesiæ titulum sibi arrogabant turpiter errasse. Nec addendum est hoc non dici de Concilio Sacerdotum, sed de Pastoribus & Prophetis, qui separatim populum decipiebant. Nam qui separati tales erant, conjuncti nihilo meliores esse debuerunt. Adde quòd Spiritus Sanctus non de uno vel altero seorsim, sed de ordine universo & toto Sacerdotum Collegio loquitur. Jer. 4. 9. *Obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ terrebuntur*, Ezech. 7. 26. *Lex peribit a Sacerdote, & consilium à senibus.* Mich. 3. 6. *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro divinatione, & occumbet sol super Prophetas*, Hos. 6. 9. ipsam societatem Sacerdotum latronibus comparat, qui viarum angustias obsident. Denique exemplum quadringentorum Pseudoprophetarum Micheæ oppositorum 1. Reg. 22. non unum vel alterum, sed Collegium ipsum errasse evincit. Nec tales erant Prophetæ Bahalis, quod illis non exprobrat Michæas, sed Prophetæ Jehovæ, qui eo nomine se jactabant licèt falsò. Unde Josaphat v. 7. præter eos petit, annon aliquis esset עוד *amplius* Propheta Jehovæ? ut Caieta bene observat. Quæst. XI. *Jer.* 4. 9. *Ezech.* 7. 26. *Mich.* 3. 6. 1. *Reg.* 22.

XIII. Erravit Synagoga gravissimè tempore Christi, Traditionibus suis irritum faciendo Dei mandatum, Matth. 15. 1. 2. Legem corruptelis suis depravando Matt. 5. fermento exitiali variorum errorum puriorem doctrinam inficiendo, & in lapidem offensionis impingendo. Nec pauci & ignobiles, sed Primores Populi, Sacerdotes, & Scribæ, Pastores, qui successionem locorum & personarum habebant, non tantùm seorsim, sed conjunctim in Synedrio, in quo non modò sancitum, ut fieret ἀποσυναγωγὸς qui Christum sequeretur Joann. 9. sed Christi condemnatio & mors decreta est Joann. 11. 50. Matth. 26. 65. 66. tanquam Impostoris & Pseudo-Messiæ. Cùm verò nemo negare possit, omnium scelerum hoc fuisse maximum; Fatendum etiam Synagogam, penes quam tunc temporis erat Ecclesia visibilis, turpissimè errasse. *Joan.* 11. 50. *Matt.* 26. 65. 66.

XIV. Vana sunt quotquot ad eludendam vim istius argumenti, quod eos premit, captant effugia Pontificii. 1. *Cajapham non errasse in hoc Oraculo*, quando dicit expedire ut unus homo moriatur pro populo, quia à Johanne dicitur *prophetasse*, id est, Spiritu prophetico ea protulisse, quæ faciebant ad Decreti divini executionem. Sed quis sine horrore hoc audiat? quasi Diabolus & impii non peccarent, quando Deus iis utitur, licèt contra illorum mentem, ad consilium suum exequendum. Nec si prophetasse dicitur ita loquendo, ideo non erravit. Quia hoc non fecit sciens & volens, sed ex Spiritus Sancti consilio, qui talia verba proferri ab eo voluit, quæ hoc Dei consilium aperirent, licèt præter ejus men-

QUÆST. XI.

mentem. 2. *Errasse mente, non verbis.* Sed refutat hoc Bellarm. lib. 2. de Conci. cap. 8. ex Matt. 26. 65. ubi Cajaphas ait de Christo, *blasphemavit, quid egemus adhuc testibus? Tunc enim, certè*, inquit, *non prophetavit, sed blasphemavit.* Adde quòd quum quæritur, An Concilia errare possint, non disputatur de verbis, sed de mente Concilii; Leges enim non in verbis, sed in sensu consistunt; Nec Conciliis obsequi illi dicendi sunt, qui verborum tenaces, sententiam ac mentem aspernantur. 3. *Errasse de facto, non de jure.* Non damnando Messiam, sed eum quem falsò nomen Messiæ usurpare credebant. Sed & hoc bene refutatur à Bellarmino, quia hoc ipsum ad jus pertinet, & dogma omnium momentosissimum de vero Messia spectat. Facti ignorantia, tum fit ignorantia juris, quum nulla ratio est dubitandi de facto; aliàs excusandi essent hodie Judæi, qui Christum blasphemando putant se non verum Messiam, sed mentitum negare. 4. *Concilium hoc non fuisse legitimum.* Sed licèt non fuerit legitimum *intrinsecus*, quia non in Nomine Dei congregati erant, nec sibi Dei gloriam proponebant, sed suos affectus vitiosos, non tamen potest dici illegitimum *extrinsecus*, quia nihil deerat ad constitutionem Concilii extrinsecus legitimi, præerat Caput, aderant ejus membra legitimè convocata, & re jam sæpius in Concilium vocatâ decretum factum est. 5. *Errasse quidem, sed præsente Christo privilegium non errandi cessasse, nec Christo agente in terris, cujus autoritas summa erat & plane infallibilis, opus fuisse, ut Concilium errare non posset; imò prædictum fuisse, quòd erraturum esset.* Sed 1. vel istud privilegium cessavit adventu Christi in carnem, vel tantùm ejus morte. Si prius, cur Christus toties ad Sacerdotes misit? cur sedentes in Cathedra Mosis audiri jussit? Cur Templum frequentavit, & sacris quæ ab ipsis peragebantur interfuit? Si posterius, ut Lombardus statuit lib. 3. sent. Dict. 3. *In Christi morte demum omnia legalia esse terminata.* Ergo Sacerdotum officia & privilegia, quæ Sacerdotium sequebantur, adhuc manebant, nec debuissent errare. 2. Si Synagogæ casus prædictus fuit, ita & Ecclesiæ Christianæ: Et si fieri potuit, ut Christo vivente & loquente in terris, Ecclesia tam turpiter erraverit; quid obstat, quominus & hoc fieri possit hodie, Christo jam absente, & in cœlum recepto, nec nisi in Scripturis loquente?

7. Ex Prædictionibus. 2. Thess. 2.

XV. VII. A *Prædictionibus* variis, quibus constat Ecclesiam Novi Test. errare debuisse 2. Thess. 2. Paulus loquens de Apostasia novissimorum temporum, dicit, *Diem Domini non venturum, donec venerit apostasia, & homo peccati revelatus sit, filius perditionis sese opponens & efferens supra id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in Templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Ubi quot sunt verba, tot sunt ferè rationum pondera, Mentio fit *Apostasiæ*, quæ futura erat scilicet

cet à fide, per *hominem peccati*, & *filium perditionis*, id est, apostatam insignem, qui autor debuit esse tantæ defectionis, tum in se pessimus, tum aliis errandi autor, atque ideo perditioni & exitio æterno devotus, qui se *ἄνομον exlegem* jactat, omnibus legibus scilicet solutum, qui à nemine judicandus sit, & qui omnes judicandi autoritatem sibi arroget, qui debet *sedere*, id est, autoritatem & imperium exercere in *Templo Dei*, seu Ecclesiâ, *quasi esset Deus*, imperium exercens in conscientias, *extollens se supra Deum*, opponens scilicet autoritatem suam autoritati Dei, prohibendo quod permisit, & permittendo quod prohibuit, & *supra id quod nominatur Deus*; nimirum supra Reges & Principes, qui hoc nomine sæpe designantur in Scriptura, dum ab ipsis cultum, submissionem & obsequium exigit. Jam verò si talis & tanta Apostasia in Ecclesia locum habere debet, quis dixerit donum infallibilitatis illi competere? QUÆST. XI.

XVI. Non potest intelligi per Apostasiam istam 1. *Defectio politica ab Imperio Romano*, non spiritualis & Ecclesiastica à fide Christi. Quia nec verba, nec adjuncta quibus describitur hoc patiuntur: Non verba, quia quoties Scriptura Novi Testamenti utitur voce ἀποστασία, vel verbo ἀφίστημι notat defectionem à fide Act. 21. 21. 1. Tim. 4. 1. Non adjuncta, quia agitur de defectione, quæ conjuncta est cum miraculis mendacii, & omni iniquitatis seductione ℣. 9. 10. quæ mysterium iniquitatis operatur ℣. 7. quæ per efficaciam erroris sese exerit, ut credant mendacio, qui noluerunt credere veritati ℣. 11. Unde alibi describitur per defectionem à fide, per attentionem datam spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum; & per scortationem & adulterium spirituale Apocal. 17. id. idololatriam, quâ abrumpitur vinculum matrimonii Dei cum Ecclesiâ. 2. Nec *Defectio ad Mahumetismum*. Quia non convenit Mahumeti sedere in Templo Dei, nec Turcica dominatio tam fraude, quàm vi sæviit, nec tam in conscientias quàm in corpora grassata est; nec talibus mendacii signis seu præstigiis usus legitur ad venenum suum instillandum. Aliud est gladio cogere ut Tyrannum, aliud clavibus abducere ut Pseudo-Episcopum; Aliud cum Dracone ore aperto prædæ inhiare? Aliud sub agnina pelle & cornibus Draconis blasphemias eructare. Denique Paulus loquitur de tali mysterio, quod jam tum incipiebat; & cujus eruptionem & apertam revelationem morabatur Imperium Romanum, quod per ὁ κατέχων intelligit Apostolus, quod de Mahumetismo dici non potest. Nec *Defectio ad Gentilismum*. Quia tale est mysterium, cujus revelationi aliquid obstabat. At nihil obstabat Gentilismo tunc temporis; imò omnia videbantur eò revocare; nec mysterium debuit vocari, quod vis externa, vel carnis illecebræ apertè suadebant. Adde quòd non potuisset dici revelandus adhuc filius perditionis, quin jam satis manifestus erat Gentilismus, qui apud omnes ferè gentes obtinebat. Denique in

QUÆST. XI. Templo Dei dicitur sessurus, quod ad Gentiles non pertinet. Unde patet Apostasiam istam non posse aliò respicere, quàm ad defectionem generalem, quæ in Ecclesia Christiana oriri debuit per adventum Antichristi, ut alibi probatum est fusius Disput. VII. de Secessione ab Ecclesia Romana, ubi figmentum Grotii de Caligula & Simone Mago refellitur, & plura de hoc loco habentur.

XVII. Huc pertinent aliæ prædictiones non paucæ de corruptelis & erroribus introducendis in Ecclesiam per Pseudo Christos & spiritus seductores novissimis temporibus, à quibus fideles cavere jubentur Matth. 7. 15. & 24. 24. *Cavete à Pseudoprophetis, qui ad vos veniunt in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces*, &c. 24. 24. *Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam Electi*, Act. 20. 28. *Attendite vobis ipsis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos, quia intrabunt post discessum meum lupi rapaces in vos non parcentes gregi, viri loquentes perversa ut abducant discipulos post se.* 1. Tim. 4. 1. *Spiritus manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus deficient quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus & doctrinis Dæmoniorum* &c. 2. Pet. 2. 1. *Erunt in vobis Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis* &c. 1. Joann. 2. 18. *Filioli novissimum tempus est, & ut audivistis, Antichristum venturum, ab hoc tempore multi sunt Antichristi* &c. Sed præcipuè in libro Apocalypsis ubi meretrix magna Babylonica, & mater fornicationum dicitur vino scortationis, puta idololatriæ inebriare Reges terræ & incolas mundi, cap. 17. & 18. è qua ideo Deus populum suum evocat, ne participando ejus peccatis, participet etiam ejus plagis. Cùm verò ex istis omnibus constet exitiales errores locum habituros fuisse in Ecclesiâ; nemo non videt falsò infallibilitatem de eâ prædicari.

Matt. 7. 15. & 24. 24. Act. 20. 28. 1. Tim. 4. 1. & 2. Pet. 2. 1. 1. Joan. 2. 18. Apocal. 17. & 18.

8. *Ab examine doctrinæ.* Isa. 8. 20.

XVIII. VIII. *Ab examine doctrinæ fidelibus imposito*, Quia revocantur *ad Legem & testimonium*, Isa. 8. 20. id est, ad Legem, quæ continet testimonium divinæ erga nos voluntatis, quam unicè consulere debent, spretis Magis & ariolis, ut quicquid illis traditur ad hanc normam exigatur. Alibi jubentur *scrutari Scripturas*, Jon. 5. 39. *Explorare Spiritus an sint ex Deo*, 1. Joan. 4. 1. id. ad lapidem lydium Scripturarum, non tantùm per judicium publicum Ecclesiæ, sed etiam per judicium privatum, quod piis omnibus competit, ut fidem suam stabiliant ex Dei Verbo. Quomodo Paulus vult 1. Thessal. 5. 21. Fideles *omnia probare*, id est, dogmata omnia quæ ipsis proponuntur, juxta cynosuram Verbi & analogiam fidei, & *quod bonum est retinere*, id. sanam doctrinam rejecto errore & mendacio. Idem alibi jubet Corinthios judicare de iis quæ dicebat 1. Cor. 10. 15. conferendo scilicet cum Scripturis, an hæc ita se haberent, exemplo Beroënsium Act. 17. 11. Ideo testatur

Joan. 5. 39. 1. Joan. 4. 1. 1. Thess. 5. 21. 1. Cor. 10. 15.

2. Cor.

2. Cor. 4. 2. *Se commendare seipsum conscientiis hominum per manifestationem veritatis*; quod sine examine fieri non poterat. Quorsum verò istud Examen, vel judicium præciperetur tam sedulò fidelibus; si Ecclesiæ data fuisset infallibilitas? Nonne sufficiebat de hoc privilegio monere fideles, ut submissione absolutâ & sine examine reciperent quicquid ab Ecclesia tradebatur? Quod cùm nuspiam fiat, imò contrà quisque vivere fide sua jubeatur, liquidò hinc patet perperam & sine fundamento infallibilitatis commentum obtrudi. QUÆST. XI. 2. Cor. 4. 2.

XIX. 9. Ex *incertitudine istius dogmatis* inter ipsos Pontificios. Quia nondum convenit inter ipsos de sede istius infallibilitatis, nec scitur adhuc penes quos debeat esse, an penes Papam, an verò penes Concilium. Aliis Concilio hoc privilegium vindicantibus, ut fit ab iis omnibus, qui Papam fallibilem esse credunt, & qui ideo Concilium volunt esse supra ipsum, ut in Concilio Constantiensi & Basileensi sancitum est, & constanter creditur ab Ecclesia Gallicana. Aliis illud Papæ tribuentibus, ut fit ab iis, qui illum Concilio superiorem esse pertendunt, ut Concilium Tridentinum statuit, & cum eo Canonistæ & Scholastici. Rursus licèt constaret penes quos talis infallibilitas esset, non minus nutaret istius mysterii fides, quia ex ipsorum hypothesi de necessaria Ministri intentione ad essentiam Sacramenti, nullo certo argumento constare potest, Vel hunc Cœtum esse Concilium Oecumenicum legitimè congregatum, & membris idoneis constans, Vel illum hominem qui sedet Romæ, esse verum Pontificem, in cujus infallibilitatem fides nostra resolvi debeat, cùm juxta ipsos non sit de fide hunc numero Papam hodie sedentem esse legitimum Petri Successorem, & Vicarium Christi; multo minus illos, qui in Concilio congregantur, esse legitimos Episcopos, ritè baptizatos, & ordinatos. Quomodo ergo possunt esse certi suæ infallibilitatis, aut exigere ab aliis istam certitudinem, quam nec ipsimet habere possunt? Adeò omnia nutant & incerta manent inter ipsos, quia ultima fidei resolutio non fit in Scripturam solam θεόπνευστον, sed in inane commentum infallibilitatis Ecclesiæ, de cujus certa sede inter se dissident, & quam non posse reperiri sive in Concilio, sive in Pontifice, est certissimum. 9. *Ex incertitudine istius dogmatis inter Pontificios.*

XX. Nam quoad Concilium, præterquam quod plerique ex Pontificiis Concilia etiam generalia esse errori obnoxia statuunt, unde illa distribuunt in *reprobata*, *approbata*, & *mixta*; quodque eorum infallibilitatem à Pontificis confirmatione suspendunt. Certum est non magis ἀναμαρτησίαν competere posse omnibus membris Concilii conjunctim, quàm singulis Pastoribus seorsim, qui fallibiles ab ipsis creduntur. Nec ullam promissionem infallibilitatis Concilio dari potius quàm privatis. Adde quòd notum est varia Concilia errasse, ut Ariminense & Seleucienſe sub Constantio, quod Arianismum confirmavit, Ephesinum secundum

QUÆST. XI.

dum ἀκρισίαν sub Theodosio Juniore, in quo Eutychiana hæresis approbata est; & alia non pauca. Quod non obscurè confirmatur ex dissonantiâ & contrarietate Conciliorum, quæ pugnantia decreta condiderunt; Romanum sub Stephano Formosi acta rescindit, & Romanum sub Joanne IX. Stephani acta infringit, & Formosum restituit. Nicænum II. Imagines erigit, Constantinopolitanum & Francofurtense evertunt &c. Papam subjiciunt Concilio Synodus Constantiensis & Basileensis, evehunt verò Lateranensis & Tridentina. Calicem eripit populo Constantiensis, restituit Basileensis sub certis conditionibus. Cæterùm quisnam spiritus fuerit in posterioribus Conciliis, quibus maximè utuntur Pontificii, vel cæco liquere potest ex actis Concilii Nicæni secundi & Constantiensis, quorum illud secundum Decalogi præceptum, istud verò Christi de Cœna à se institutâ integrè percipiendâ mandatum sacrilegè proculcat.

XXI. Pontifices etiam non esse infallibiles multa probant. 1. *Fides historiæ*, ex quâ constat, plurimos ex ipsis non modò scelestissimos fuisse. magos, simoniacos, veneficos, atheos, & quibuslibet vitiis deditos, quales erant illi de quibus, velut totidem monstris in sedem illam intrusis, queritur Baronius ad ann. 900. & Genebrardus lib. 4. Chrono, dum ait, *quòd per annos ferè 150. Pontifices circiter quinquaginta à Joanne scilicet 8. usque ad Leonem 9. virtute majorum prorsus defecerint, Apostatici, Apostaticive potius quàm Apostolici.* Sed etiam in hæresim lapsos esse, ut Liberium Arianismo subscribentem, Honorium I. Monothelismum tuentem, & ideo in Concilio VI. generali damnatum actio. 13. Marcellinum I. idolis sacrificantem, Vigilium Eutychianismo faventem, Joannem 23. immortalitatem animorum & resurrectionem carnis negantem in Concilio Constantiensi damnatum. Gregorium VII. & Bonifacium VIII. supremam potestatem in Reges & Principes sibi vindicantes, & alios complures, de quibus ipsi Pontificii & historici non tacent. 2. Pontifices ipsi non crediderunt istam infallibilitatem, qui tam sæpe antecessorum suorum acta rescinderunt, & varia decreta pugnantia circa multa fidei capita condiderunt, in quibus posteriores à priorum sententia & placitis recedunt, quod utique non feciissent, si hanc infallibilitatem sedis illius privilegium credidissent. 3. Multa Concilia in Pontifices potestatem suam exercuerunt, eos deponendo propter hæreses & crimina, & hæreticos eos pronunciando. 4. Appellationes ad futurum Concilium factæ sæpius adversus attentata Pontificum & Curiæ Romanæ idem testantur. 5. Nihil opus fuisse tam operosè convocare Concilia ad sententiam dubiæ autoritatis proferendam, si judicium infallibile potuit inveniri in Pontifice; frustra enim fit per plura, quod per pauciora commodiùs & certiùs expediri potest. Denique ne alias plures rationes congeramus

quæ

quæ afferri possent, Si Papa esset infallibilis, foret sibi ipsi credendi principium & norma, & eo moriente infallibilitas Ecclesiæ deficeret. Quæst. XI.

XXII. Nec quicquam juvant Pontificios ridiculæ ipsorum distinctiunculæ, quibus conantur fucum facere simplicioribus, & absurdum hoc commentum utcunque incrustare, dum pertendunt 1. *Papam quidem ut privatum doctorem posse errare, sed non ut Pontificem ex cathedra loquentem.* Nam licèt nonnunquam eadem persona possit induere πρόσωπον publicam ut Consul, & privatam ut Paterfamilias, juxta duplicem ejus statum & officium; non potest dari locus in hoc argumento isti abstractioni, quia agitur ubique de eodem Doctoris officio, & de eadem doctrina quæ docenda est. Quomodo verò fieri potest ut quà Pontifex statuat & judicet, contra quàm ipse sentiet, quà privatus? An ex eodem ore potest manare dulce & amarum? Sic idem quà Pontifex erit Orthodoxus, quà homo privatus verò hæreticus, Idem quà Pontifex ut infallibilis absolvi poterit & salvari in judicio Dei, & quà privatus ut errans in eodem judicio damnari. Cur verò hic homo non consulit se ipsum ut desinat errare & non pereat? Rursus cùm nondum constet quid sit illa Cathedra, quomodo constare poterit, & quibus notis discernetur, quando ex Cathedra loquetur, quando non? Imò cùm Papa ab eo momento, quô electus & inauguratus est, censeatur sacram illam Petri sedem occupare, nullum dari potest temporis momentum, quô extra illam quæri aut concipi possit, adeoque quo aliquid agat vel statuat extra Cathedram quod sit errori obnoxium. Et si Deus voluisset Pontificem esse infallibilem ad salutem Ecclesiæ, nonne prospexisset ut nihil erroneum statueret, per actum privatum & personalem, non minus quàm per actum publicum & judicialem?

XXIII. 11. *Errare posse in quæstionibus facti, non juris.* Sed primò hoc non admittunt Jesuïtæ, qui utramque infallibilitatem illi tribuunt, & quamvis hæc sententia varia absurda gravissima post se trahat, ut observant Censores Thesis Claromontanæ; in eam tamen recidunt, quotquot Papæ infallibilitatem in Controversiis juris tuentur, quia quæstio facti resolvitur sæpe in quæstionem juris, v. g. qui potest errare in facto, poterit errare in applicatione locorum Scripturæ ad capita Fidei controversa, at ista involvit necessariò quæstionem juris. Ita qui potest errare in facto, potest etiam dubitare de creatione Mundi, de adventu Christi in mundum, & de ejus resurrectione, quæ omnia quæstiones juris momentosissimas post se trahunt. 111. *Errare posse in iis quæ pertinent ad mores, sed non in iis quæ sunt de fide.* Sed Bellarminus contrarium statuit lib. 4. de R. P. cap. 5. *Pontifex*, inquit, *non solùm in decretis fidei errare non potest, sed neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur.* Deinde non potest errare contra bonos mores statuendo aliquid ex plenitudine potestatis,

QUÆST. XI. quod in se sit injustum & illicitum, quin prius gravissimo isto errore in fide teneantur, id sibi juris competere. Deniq; si datur assistentia perpetua Spiritus S. ad infallibilitatem tribuendam Pontifici in rebus fidei, Cur non poterit eandem habere ad ea quæ ad mores pertinent? Nec valet distinctio *infallibilitatis dogmaticæ & practicæ*, quasi illi bene tribuatur prior, non posterior, exemplo Petri, qui in fide infallibilis, peccavit tamen in moribus. Quia non agitur hîc de impeccantia hominum in vitæ actionibus, quæ nulli concessa legitur, ne quidem Apostolis, sed de publico muneris exercitio, de dogmatis fidei & præceptis morum sanciendis, circa quæ distinctio infallibilitatis dogmaticæ & practicæ locum habere non potest.

Fontes Solutionum.

XXIV. Ecclesia quæ gubernatur à Christo & Spiritu Sancto tantùm & semper, non errat; Sed Ecclesia militans, nec tantùm nec semper ita gubernatur à Spiritu Sancto, quia non rarò gubernatur etiam à carne, quæ concupiscit adversus Spiritum Galat. 5. 17. Nec ideo error vel infirmitas Ecclesiæ vel particularium ejus membrorum, magis tribui potest Christo & Spiritui Sancto mysticum hoc Corpus, & singula ejus membra vegetanti, quàm pedis aut manus luxatio tribuitur animæ corpus naturale & singula ejus membra informanti. Ut hîc obtinere semper debeat illud Augustini, Deum sic administrare omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios motus exercere sinat. Unde non eadem quærenda est perfectio in Ecclesia, in primario Veritatis Doctore, qui est Spiritus S. ita agens in Ecclesia, prout fert ejus captus & modulus, nec magis omnem hîc maculam abstergens, quâm lachrymam.

XXV. Licèt Christus sit Sponsus Ecclesiæ; Non sequitur statim eam debere esse infallibilem, nec si vult eam præservare ab omni errore fundamentali, ne totaliter vel finaliter erret, ab illa omnem statuit errorem amovere; Cùm contrà velit subinde fidem ejus explorare permittendo ut in errores aliquando incidat. Nec si Sponsi vocem, quandoque dormitans non audit Ecclesia, propterea Sponsum planè deserit aut repudiat, ut qui rationis dictamen in aliqua actione surdâ aure præterit, non mox rationem ipsam ejerat. Ut infidelis mox non evadit, qui fidei doctrinam quacunque ratione labefactat; sed is demum qui fundamentum convellit, & Caput non retinet Col. 2. 19. Nam ut carnale matrimonium non quovis jurgio dirimitur, sic spiritualis connubii vinculum, non quovis errore, aut qualibet hæresi abrumpitur. Et quamvis idololatria, quæ spirituale est adulterium, justissimam divortii causam præbeat; tamen Deus Sponsam suam diutumâ patientiâ & clementiâ ad meliorem frugem revocat, priusquam eam repudiet.

XXVI. Quamvis in Ecclesia sit perpetuus Canon, & norma doctrinæ certissima, nullam erroris labem in se suscipiens; Non sequitur Ecclesiam

siam esse absolutè infallibilem, quia istam ἀκρίβειαν non planè capit quæ in cœno reptat Ecclesia; neque hoc affirmare potest, nisi qui principium cum fine, Carceres cum Meta, & viam cum patria confundit. Itaque Ecclesia quà credit doctrinæ Verbi divini, immunis est à lapsu, at quà imperfectè credit, & humanæ doctrinæ vento circumagitur, errat. Quæst. XI.

XXVII. Aliud est Christum præsentem semper adesse Ecclesiæ invisibili Electorum ad eam præservandam ab errore fundamentali, & lapsu totali ac finali. Aliud adesse Ecclesiæ visibili, & in specie repræsentativæ ad infallibilitatem illi in omnibus decretis conciliandam. Christus promittit prius Isa. 59. 21. Mat. 16. 18. & 28. 20. Joan. 14. 16. Sed non posterius, quia istæ promissiones non in aliis implentur, quàm in veris fidelibus & Electis, in quorum numero esse eos omnes, qui componunt Cœtus Ecclesiasticos, nemini potest esse compertum, imò variis exemplis constat impiorum & mundanorum numerum sæpe in iis prævalere.

XXVIII. Quum Christus pollicetur præsentiam Spiritus discipulis suis, qui eos ducturus sit in omnem veritatem Joan. 16. 13. primario & præcipuè respexit Apostolos, qui ut fundatores Ecclesiæ, & Canonis fidei conditores debuerunt esse infallibiles, ut Toletus, Jansenius, & alii ex Pontificiis agnoscunt; secundariò quidem extenditur ad Pastores ordinarios, & ad singulos fideles, sed non in eodem gradu & mensurâ donorum; aliàs omnes deberent ex æquo esse infallibiles. Ductus ergo Spiritus Sancti non absolutè & simpliciter est intelligendus quoad omnem veritatem universaliter, sed limitatè & secundùm quid respectu materiæ subjectæ, id est, veritatis necessariæ ad salutem, ut Carthusianus observat, eo modo quô 1. Cor. 1. 5. Corinthii dicuntur *divites in omni verbo.* Et Paulus dicitur *annunciasse omne Dei Consilium* Act. 20. 27. Ministri deducuntur in omnem veritatem per Spiritum Dei in Scripturis loquentem, & tamdiu reguntur à Spiritu, quamdiu Verbum à Spiritu propositum audiunt, & ab hac regula non deflectunt: Sed eos nunquam deflexuros ab hac orbita, nemo ausit dicere, contrarium testante Paulo Act. 20. 29. 30. & omnium seculorum experientiâ. Aliàs ut cuique ex Apostolis seorsim, ita cuique Pastori seorsim competeret, quod nolunt Adversarii. Promissio ergo hæc Christi data primò Apostolis, bene quidem dicitur extendi ad eorum successores, sed in gradu inferiori qui potest competere ordinariis ministris, non quoad ὑπεροχὴν Apostolicam infallibilitatis, quæ illis propria fuit. Deinde ad genuinos Apostolorum successores tantùm spectat, qui non alii sunt, quàm qui eorum doctrinam retinent. *Joan.* 16. 13.

XXIX. Quum Ecclesia dicitur à Paulo 1. Tim. 3. 15. *columna & firmamentum veritatis*, notat quidem ejus officium & munus in proponen- *1 Tim.* 3. 15.

QUÆST. XI. da, retinenda, propugnanda & vindicanda veritate; sed non ejus immutabile privilegium; Quid facere teneatur, non verò quid semper faciat,
Mala. 2. 7. eodem modo, quò Malac. 2. 7. *Labia Sacerdotis dicuntur custodire scientiam, & Lex requiri ab ore ejus, quia est Angelus Jehovæ exercituum.* Non quòd semper hoc ab ipso fiat, siquidem mox additur ℣. sequenti, *At vos recessistis ab illa via, fecistis ut impingerent multi in Legem.* Sed quia hoc minus illi impositum est. Sic sæpe verba quæ actionem significant de debito sunt intellgenda Ezech. 34. 2. Mala. 1. 6. 2. Agitur hic de Ecclesia Ephesina in particulari, in qua Timotheo ejus Episcopo erat versandum, cui infallibilitatem Roma tribuere nolit. 3. Hoc dicitur de Ecclesia collectiva contradistinctè à Pastoribus, non verò repræsentativa de qua propriè ab ipsis quæstio movetur. Plura de loci hujus sensu Vide P. 1. Loc. II. de Script. Qu. 7.

Mat. 10. 40. Luc. 10. 16. XXX. Non sunt absolutè intelligenda, quæ conditionatè tantùm dicuntur, ut Matt. 10. 40. *Qui vos recipit, me recipit*, & Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit*; nimirum si vos me auditis, & nihil nisi Verbum meum proponitis; non aliud tradendo quàm quod à me accepistis, nec aliud loquendo quàm quod vos docui Ezech. 3. 17. 1. Cor. 11. 23. quod semper non fieri à Pastoribus res ipsa clamat. Aliàs si proprii ingenii figmenta proponunt, & doctrinas hominum, tantùm abest, ut audiendi sint, ut rejiciendi sint, & habendi tanquam anathemata Gal. 1. 8. Sic Matt. 23. 2. 3. jubentur audiri Scribæ & Pharisæi sedentes in Cathredra Mosis, id est, quamdiu & quatenus in ea sedent, scilicet retinendo & prædicando doctrinam Mosis, cum tamen ab eorum fermento, nim. falsæ doctrinæ sibi cavere alibi pios jusserit. Matt. 16. 6. 12.

Mat. 18. 17. XXXI. Non ideo magis infallibilis Ecclesia est censenda, quum audiri jubetur Matth. 18. 17. vel Præpositi, quum illis obedire jubemur Heb. 13. 17. quàm vel Judex quilibet ordinarius, cui itidem obediendum Deut. 17. 12. vel quilibet Parentum, quibus religiosè tenemur auscultare ex præscripto Salomonis Prover. 6. 20. 21. Ergo locutio ista eò tantùm spectat, ut concilietur autoritas iis qui sunt in officio publico, sed semper sub hac conditione, ut nihil turpe præscribant, tunc enim locus datur resistentiæ. Ita falsum est nos sub pœna anathematis obligari absolutè ad credendum quicquid Ecclesia præcipit. Nam ut Christus Pastoribus præcipit docere quæ ipse mandavit, Matt. 28. 20. Sic fidelibus eadem præcipit credere, & non alia, quod tam certum est, ut non dubitet Paulus anathema denunciare aliud Euangelium prædicanti Gal. 1. 8. 2. Agitur in eo loco de particularis cujusque Ecclesiæ Presbyterio, cui tamen nemo ausit infallibilitatem tribuere; & de exercitio disciplinæ, non de dogmatis fidei. Nec urgeri debet gravis pœna quæ denunciatur audire nolenti, quòd debeat esse instar Ethnici &

Pu-

Publicani, quia etiam graves pœnæ denunciantur in eos qui non obediunt Magistratui, & Parentibus, quos tamen infallibiles nemo dixerit. Ita Anathemata quæ Concilia vibrant in hæreses, quas damnant ex Scripturis, non magis eorum arguunt infallibilitatem, quàm solemnes denunciationes iræ divinæ in peccata, quæ fiunt à singulis Pastoribus eos infallibiles demonstrant. Quò facit illud Magistri Sententiarum lib. 4. dist. *Non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium, quæ per subreptionem & ignorantiam interdum judicat, Deus autem judicat semper secundùm veritatem.* Quæst. XI.

XXXII. Licèt non data sit infallibilitas Ecclesiæ à Deo, Non ideo dici potest Deum in necessariis illi defuisse, quia non necesse est Ecclesiæ habere supremum & infallibile tribunal inter homines, ex cujus decretis & responsis fides nostra suspendatur; Cùm ei sufficiat habere normam infallibilem fidei & morum in Scriptura, cui quamdiu institerit, à recto tramite non aberrabit.

XXXIII. Ex eo quòd Christus promittit se futurum in medio duorum vel trium in Nomine suo congregatorum Matt. 18. 19. 20. bene colligitur illum piis Pastoribus & fidelibus quibusvis in Nomine suo convenientibus, id est, ex ejus vocatione, & nomine ipsius invocato, ut gloriam ipsius quærant & causam agant, & animo sequendi ejus præscriptum, tantum gratiæ & opis daturum, quantùm ipsis erit necessarium pro conditione & vocatione sua. Sed malè quis inferret, vel omnes qui congregantur, convenire in Nomine Christi hoc modo, vel illis qui ritè conveniunt absolutam dari infallibilitatem, quia eâ non egent in suâ vocatione; cùm non debeant esse norma fidei, sed id solis Scripturis competat, ad quas omnia sunt probanda; aliàs idem privilegium quibuslibet laïcis in Nomine Christi convenientibus competeret. *Mat.* 18. 19. 20.

XXXIV. Negatâ infallibilitate Ecclesiæ; Non sequitur, ut pertendit Episcopus Meldensis in collatione suâ cum Celeber. Claudio, quemlibet privatum licèt ignarum, teneri credere se rectiùs posse intelligere Dei Verbum, quàm Synodos universas, & totam veram Ecclesiam; nec à nobis hoc creditur vel dicitur. Sed tantùm fideles privatos Spiritu Sancto donatos teneri expendere juxta Verbum Dei quæcunque ipsis credenda vel facienda proponuntur à Rectoribus Ecclesiæ, tam singulis seorsim, quàm pluribus collectivè in Synodo congregatis, & credere quòd ex Spiritus Sancti ductu, piis precibus, & sedulo Scripturæ studio adhibito, possint melius assequi sensum Scripturæ, in rebus necessariis ad salutem, quàm Synodos integras, à Verbo Dei recedentes, & quàm societatem, quæ nomen veræ Ecclesiæ, sed falsò sibi arrogat. Examen ergo quod facere tenentur non fit ad corrigendum sensum veræ Ecclesiæ, & rectiorem inveniendum, quasi possint eâ plus sapere, sed ad eum

QUÆST. XI. investigandum & sequendum. Nec jus examinis in eo fundatur, quòd debeamus nos credere doctiores & oculatiores integris Synodis, & totâ verâ Ecclesiâ. Sed in eo quòd, cùm privilegium infallibilitatis nulli Ecclesiæ vel Pastori à Deo datum sit; Nec certò nobis constet, An illi qui componunt Cœtus Ecclesiasticos sint membra veræ Ecclesiæ, & fideles Dei servi, qui participes sint Spiritus S. & sequantur ejus ductum; Imò fieri possit, & nimis sæpe hoc contigerit, ut tales Cœtus erraverint in Decisionibus suis; Nullum aliud medium supersit fideli cognoscendi legitimam autoritatem Cœtuum istorum, & Decisionum ab ipsis factarum ad fidei certitudinem, quàm collatio & examen earum cum Verbo Dei, quod non modò permittit Deus, ut possibile & licitum, sed præcipit ut justum & necessarium. Non potest ergo censeri temeritas vel superbia, quod pertinet ad executionem officii indispensabilis omnibus fidelibus impositi. Nec sub prætextu vitandæ superbiæ fideles debent se ipsos excæcare, & privandi sunt jure suo, ut conscientiæ per cæcam obedientiam redigantur in servitutem.

XXXV. Non absurdum est fideles piè & in timore Domini Scripturas scrutantes, melius assequi earum sensum, quàm Rectores Ecclesiæ mundanos & hypocritas, qui cæcæ rationis ductum sequendo, ingenii sui figmenta & traditiones humanas pro Verbo Dei obtrudere satagunt. Sic enim Deus pro liberrimâ suâ gratiâ *revelat mysteria sua parvulis, dum ea occultat sapientibus & intelligentibus* Matth. 11. 25. Sic dat *discipulis cognoscere mysteria Regni cœlorum, quod aliis denegat* Matt. 13. 11. Sic *Arcanum Domini est pro timentibus ipsum* Psal. 25. 14. *Et si quis voluerit facere voluntatem Patris cognoscet de Doctrina Christi, an sit ex Deo, an verò ex seipso loquatur* Joan. 7. 17.

Mat. 11. 25. & 13. 11. Ps 25. 14. Joa. 7. 17.

XXXVI. Cùm fides non perficiatur momento in nobis, sed paulatim & per gradus promoveatur, & sese exerat; Nihil est absurdi dicere puerum, vel Christianum recens baptizatum, qui nondum vidit aut legit Scripturam, non posse statim elicere actum fidei divinæ circa infallibilitatem Scripturæ formaliter consideratæ; & posse non quidem dubitare ex professo per ignorantiam pravæ dispositionis de ejus veritate, vel falsitate, sed simpliciter nescire, an talis detur Scriptura per ignorantiam purè negationis; Vel illud credere duntaxit fide humanâ, quæ talis sit, non quidem ratione objecti, vel principii, sed ratione argumenti & motivi, quod est merè humanum, puta parentum vel Ecclesiæ ipsius institutio & autoritas, antequam illud credat fide divinâ, id est, argumentis & motivis divinis petitis ex ipsius Scripturæ lectione. Adde quòd, licèt dari possit Christianus recèns baptizatus, qui nondum novit Scripturam formaliter, & qui per consequens nullum actum fidei circa illam adhuc exeruit; nullum potest concipi momentum, quô si rationis usum habeat, ali-

aliquam notitiam non habere debeat præcipuorum Religionis Capitum, quæ Scripturâ continentur, & quorum fides ab adulto baptizando, & à puero baptizato statim atque ætatem discretionis attigit exigi solet, circa quæ proinde actum fidei potest elicere. Cæterùm nihil hîc opponi potest de impossibilitate actus fidei circa Scripturam in Christiano recèns baptizato, quod pari, imò longè potiori ratione retorqueri non queat respectu actus fidei circa Ecclesiam & ejus infallibilitatem. Quæst. XI.

XXXVII. Licèt autoritas quæ secundùm nos competit Synodis magnâ sit, non tamen est absoluta & illimitata, cui nos subjicere teneamur cæcâ obedientiâ & sine examine, sed limitata & ministerialis à duplici conditione pendens; Prima est ut nihil decidant nisi ex Verbo Dei. Altera ut relinquant semper libertatem examini Decisionum suarum fidelibus. *Clausula submissionis*, quæ apponitur in literis ad Synodum, non aliud innuit, quum protestantur Ecclesiæ, quòd *se submissuræ sint iis omnibus quæ in S. Cœtu sancienda sunt, persuasæ* scil. *quòd Spiritus Sanctus ibi sit adfuturus & ducturus ejus membra in omnem veritatem & æquitatem per regulam Verbi sui.* Hæc enim tacitam includere conditionem patet, nimi. ut Decisiones fiant juxta regulam Verbi; à qua si deprehendantur recessisse, eo ipso cessat omnis obligatio submissionis. Persuasio ergo ista de præsentiâ & ductu Spiritus Sancti est persuasio charitatis, quæ bene judicat & sperat de illo Cœtu, quòd omnia sit ex Verbo Dei decisurus, donec contrarium appareat, & tacitum includit votum pro tali ductu. Sed non est persuasio infallibilitatis, quæ submissionem absolutam importet, & quæ jus examinis excludat. Nec præsumptio favorabilis, quam habere possumus de eruditione & orthodoxiâ eorum qui Synodum constituunt, obstare potest, quominus fideles teneantur semper ad exemplum Beroënsium conferre, an quicquid ibi decernitur sit Scripturæ consentaneum.

XXXVIII. Quamvis verò conditio in literis expressè & explicitè non exprimeretur, ista reticentia non posset censeri illusio, vel æquivocatio, & reservatio mentalis; Quia conditio ista de jure subintelligitur, naturalis est & fundamentalis, quæ sponte fluit ex principiis nostris, & quæ expressè statuitur in Articulo v. Confessionis nostræ, & aliis scriptis nostrorum, ita ut sit obvia cuivis, & neminem latere possit. Licèt autem clausula submissionis habeat vim juramenti, non statim infert certitudinem infallibilitatis; quia alia ratio est juramentorum quæ fiunt de rebus factis & præteritis, quæ rerum certitudine, non merâ præsumptione niti debent; alia juramentorum seu promissionum de rebus futuris, quæ præsumptione nituntur, & tacitam conditionem includunt. Ut juramentum fidelitatis quod miles præstat Duci, nititur tantùm præsumptione fidelitatis Ducis ipsius erga Principem; & hanc conditionem necessariò supponit,

QUÆST XI.

ponit. Nec alia ratio fœderum, quæ præsumptione simili nituntur, & conditionem si non expressam; at tacitam & implicitam semper includunt.

XXXIX. Licèt Decisio Synodi Nationalis sit ultima in ordine mediorum humanorum, à qua non datur provocatio ad tribunal superius, & cui se submittere tenentur fideles in foro externo ad pacem Ecclesiæ, & εὐταξίαν conservandam; Non ideo censetur infallibilis, quæ conscientiam ipsam obliget, quia semper competit fideli jus examinandi quicquid ipsi credendum proponitur, nec ulterius ista decisio obligat conscientiam, nisi quatenus illi constabit eam esse conformem Dei Verbo. Sed de Decisionum istarum naturâ & vi plura dicenda erunt in sequentibus, quum de Potestate Ecclesiasticâ agetur.

QUÆSTIO XII.

DE VERIS ECCLESIÆ NOTIS.

An Veritas Doctrinæ, quæ in Cœtu aliquo obtinet, seu conformitas cum Dei Verbo per puram Verbi prædicationem & professionem, & legitimam Sacramentorum administrationem & usum, sit nota veræ Ecclesiæ visibilis? Affirm. cont. Pontif.

I. POstquam de Ecclesiæ Naturâ, Proprietatibus, & Adjunctis actum est, Ordo postulat, ut de ejus *Notis* disputemus; quæ quæstio ad statum ejus externum pertinet, & maximi est in Religione momenti: Cùm enim salus obtineri non possit nisi in veræ Ecclesiæ communione, & multi sancto hoc nomine glorientur, qui veritate ejus destituuntur; Plurimùm interest veras ejus notas perspectas habere, ut possimus distinguere verum Christi Ovile à Luporum lustris, & genuinam piorum Christianorum societatem ad cujus communionem vocamur, à conventiculis hæreticorum, quæ nobis fugienda sunt; ut ita sciamus quisnam sit ille Cœtus, cui nos adjungere necesse est, ut salutem assequamur. Quia verò bipertita potest esse Quæstio, prima de *veris Notis*, quæ à nobis asseruntur, altera de *falsis & adulterinis*, quæ à Pontificiis obtruduntur, distinctè utramque exequemur, & de prima nunc agimus.

Quid sint notæ.

II. Per notas autem vulgò intelliguntur signa quædam externa & in sensus incurrentia, per quæ in rei occultæ cognitionem devenitur, quæ Græcis dicuntur γνωρίσματα. Ea verò vel sunt *probabilia* tantum & verisimi-

similia, quæ εἰκότως dicuntur, quorum ea est natura, ut probabili, sed minimè necessaria ratione rem utcunque designent, puta quæ petuntur ex adjunctis externis & accidentalibus, quæ rem ipsam vestiunt & comitantur. Alia verò *necessaria & essentialia*, quæ πικμήρια vocantur, quæ rem, quæ investigatur, certò & infallibiliter indicant, ut fumus ignem, respiratio vitam, quia à rei essentia aut ejus proprietatibus inseparabilibus desumuntur. Hîc verò non agitur de notis primi ordinis, sed posterioris. Quæst. XII.

III. Ad veritatem notæ varii varia requirunt. Alii ut sit essentialis, non accidentalis, propria, non communis, certa, clara, & sensibilis, non dubia & inevidens. Alii ut Bellarminus ut sit propria, notior, & inseparabilis. Nos duo tantùm requiri censemus, ad quæ cætera facilè referuntur, ut propria sit, & ut sit notior: Nam si propria est, est etiam necessaria, essentialis, & inseparabilis, si notior, est evidens & sensibilis.

IV. Ut verò Ecclesia potest spectari, vel quoad statum internum & mysticum, & ut invisibilis, vel quoad statum externum, & ut visibilis & instituta, diversimodè de notis ejus potest disputari. Vel quatenus est *invisibilis*, ad dignoscendos veros Electos & Fideles, quo sensu pro notis habet, fidem, spem, charitatem, per vocationem efficacem inditas, ex quibus quisque certus est de sua vocatione 2. Pet. 1. 10. & per quas eam aliis saltem probabiliter certam reddit Matth. 5. 16. Jaco. 2. 18. Sed de istis notis non agitur hic. Vel quatenus est *visibilis* & secundùm formam collectionis & unionis externæ; Et sic de notis ejus quæritur, scilicet, quænam sint notæ & characteres, quibus vera Ecclesia visibilis, cui fideles se debent adjungere ad salutem, internoscatur? *Status Quæstionis.*

V. 2. Non quæritur etiam de Notis Ecclesiæ Christianæ in genere, hanc enim professio Christianismi satis distinguit ab Ethnicis & aliis infidelibus. Sed in specie de Ecclesiæ particularis visibilis notis agitur; ut Ecclesiam Orthodoxam & puriorem ab heterodoxa & hæretica discernamus; ut hac derelicta, in illius communionem nos recipiamus. Ut hîc distinguenda sit duplex Christianorum *confœderatio*, alia *generalis*, quæ nititur professione Christianismi, & Symbolo Apostolorum, ac Baptismo tanquam Christianismi tesseris continetur, quæ quidem potest sufficere ad constituendum Christianum baptizatum, sed non ad salutem certò obtinendam; cùm sæpe variis erroribus fundamentalibus tam in fide quàm in cultu obnoxia sit. Alia *specialis*, in Communione quæ habet puritatem Verbi & Sacramentorum, nullâ hæresi & idololatriâ mixtam, in qua salus potest obtineri, de qua hîc propriè agitur. Non quomodo dignosci possit Societas Christianorum à Cœtibus Paganorum, Turcarum & aliorum infidelium; Sed quomodo ex variis Cœtibus, qui Christi nomen profitentur, verus & orthodoxus possit distingui à falsis, & hæreticis, qui veræ Ecclesiæ nomine sunt indigni.

QUÆST. XII. VI. Quamvis autem in assignandis veræ Ecclesiæ notis quædam in verbis occurrat diversitas inter Orthodoxos, in re ipsa tamen est consensus. Nam sive unica dicatur, doctrinæ scilicet veritas & conformitas cum Dei Verbo, sive plures, pura scilicet Verbi prædicatio, cum legitima Sacramentorum administratione, quibus alii addunt Disciplinæ exercitium, & sanctitatem vitæ seu obedientiam Verbo præstitam, res eodem redit. Nam ubi Veritas publicè obtinet, ibi quoque suo modo vigent charitas & sanctitas; Nec potest purum Dei Verbum alicubi prædicari, quin ibidem & Sacramenta legitimè administrentur, & Disciplina Dei Verbo præscripta obtineat & vigeat, cùm hæc duo ex Dei Verbo fluant, & sint ejus appendices.

VII. Porrò observandum circa Notas istas 1. diversos esse necessitatis gradus, & alias aliis magis necessarias esse. In primo gradu necessitatis est pura Verbi prædicatio & professio, utpote sine qua Ecclesia esse non potest. Sed non parem habet necessitatis gradum Sacramentorum administratio, quæ ita ex priore pendet, ut abesse tamen ad tempus possit, ut visum in Ecclesia Israëliticâ in deserto, quæ caruit circumcisione; Eadem est disciplinæ ratio, quæ ad tuendum Ecclesiæ statum pertinet, sed quâ sublatâ vel corruptâ, non statim tollitur Ecclesia. II. Dari notarum istarum quamdam latitudinem, ut gradus varios admittant puritatis modò perfectiores, modò imperfectiores, prout magis vel minus accedunt ad regulam Scripturæ, unde Ecclesiam arguunt vel puriorem vel impuriorem. Sed non eò usque esse extendam istam latitudinem, ut errores fundamentales tolerentur, sed tantùm nævi & errores leviores. Ut ergo veræ Ecclesiæ nomen retinere non potest illa societas, quæ errores capitales & salutis fundamentum evertentes fovet; Ita veræ Ecclesiæ nomen illico non amittit, quæ alicubi in doctrina impingit. Et licèt non amplius possit vocari Ecclesia pura, non desinet tamen esse vera. Fœnum & stipula non statim adimunt Cœtui alicui Ecclesiæ dignitatem, modò pro fundamento non substernantur juxta regulam Apostoli 1. Cor. 3. 13. III. Ecclesiam posse spectari, vel ut constitutam, vel ut constituendam, vel in statu puro & incorrupto, vel in statu impuro & ex parte corrupto. Quæstionem verò hîc institui de ejus notis, ratione prioris status, non posterioris. IV. Ecclesiæ sententiam non æstimandam esse ex Aristarchorum & Antistitum privatis opinionibus, qui Disputationum œstro abrepti, sæpe ad abrupta transeunt; quæ tamen ab Ecclesia vel non intelliguntur, vel non approbantur; Sed ex doctrinâ & praxi publicè receptâ & retentâ.

VIII. Cùm Doctrinæ veritas & conformitas cum Dei Verbo, sive sincera Euangelii prædicatio & observatio dicitur esse propria Ecclesiæ dignoscendæ nota, non excluduntur, sed includuntur cæteræ. Nam sive vocem Dei attendas, Verbum est, sive fidem hominum, circa Ver-

Verbum est, sive vitam & obedientiam, fructus est Verbi, sive δόξαν, à Verbo est, sive Sacramenta, Verbi sunt sigilla & appendices, & Verbum visibile. Itaque quocunque oculos convertamus, verum Ecclesiæ κριτήριον est Verbum divinum, quod propterea vexillum, sceptrum, lux, norma & statera dicitur, ad cujus cynosuram & regulam omnia sunt examinanda. Nota autem potest dici bifariam, vel ratione causæ efficientis, nempe Dei, qui illo utitur ad signandam veram Ecclesiam; vel ratione subjecti recipientis, quando receptum ab auditoribus, fructus fidei & pietatis profert ex quibus dignoscitur. Quæst. XII.

IX. Talem autem veram & essentialem esse Ecclesiæ notam probatur. *Probatur veritatem Doctrinæ esse notam Ecclesiæ ex Joan. 10.27.*

1. Ex *Scripturâ*, quæ hoc charactere veros Christianos ut membra Ecclesiæ à falsis discernit. Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt & me sequuntur*, Ubi Christus probat Judæos incredulos non esse de suo ovili, id est, non pertinere ad veram Ecclesiam, quia non audiunt vocem Pastoris, *Non estis*, inquit, *ex ovibus meis sicut dixi vobis*, ratione hâc additâ ℣. 27. quia *Oves meæ vocem meam audiunt*. Ut ergo qui non audiunt vocem Christi, non sunt ex ejus ovili. Ita ex oppositio qui eam audiunt & sequuntur ad illud verè pertinent, & sunt ejus membra. Quæ autem est ratio singulorum, eadem debet esse totius Ecclesiæ, quæ ex singulis coalescit. Nec hîc excipi debet 1. *Proponi notam ovium, non Ecclesiæ, & deberi quinam sint Electi, non verò ubi sit Ecclesia.* Quia utrumque necessariò hîc continetur, & unum ex altero pendet. Nam non possunt cognosci oves Christi, seu quinam sint Electi, quin ex hoc ipso cognoscatur Ecclesia, quæ ex ovibus & electis constat, & ubinam illa sit. Nam si Ecclesia est grex ovium, & oves non aliæ sunt, quàm quæ audiunt vocem Christi, Ergo ubicunque vox Christi auditur, ibi oves Christi, atque adeò veram Ecclesiam esse necesse est. 11. *Non esse notam sensibilem, quia auditus iste cordis esse debet, ut sit verus, non corporis.* Quia auditus iste ita debet fieri corde, ut extrinsecus etiam se exerat, tum per externam docilitatem & professionem Verbi, tum per realem obedientiam & sequelam Christi. Licèt verò hæc docilitas respectu aliorum non pariat certitudinem infallibilem, sed tantùm moralem ex judicio charitatis, quia non potest nobis certò constare de ejus sinceritate; tamen facit argumentum indubitatum, tum respectu singulorum, quia qui persuasus est se audire vocem Christi, eo ipso novit se esse discipulum Christi & membrum Ecclesiæ; tum respectu totius Cœtus; quia ubi resonat & auditur vox Christi, non potest non ibi esse vera Ecclesia.

X. 11. Eodem pertinet quod Christus ait Joa. 8. 31. 32. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos liberabit*, & ℣. 47. *Quisquis ex Deo est, vocem Dei audit*, Et cap. 14. 23. *Si quis sermonem meum servaverit, Pater meus diliget eum*, 2. ex Joa 8. 31. 47. & 14.23.

QUEST. XII. *eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.* Ubi observatio sermonis Christi & præceptorum ejus proponitur ut nota verorum ejus discipulorum, & ut medium obtinendæ præsentiæ ejus in medio ipsorum. Ubi autem habitat Christus cum Patre, ibi Ecclesiam veram esse negari non potest, cùm sit Domus & Templum ejus.

Mat. 18.20. Confirmatur ex Matth. 18. 20. ubi pollicetur Christus præsentiam suam in medio eorum, qui congregati fuerint in Nomine suo. Cum enim salutaris Christi præsentia in sola vera Ecclesia locum habeat, & ea promittatur iis qui in Nomine Christi congregantur, id est, qui ejus autoritate ad Verbum ejus prædicandum & audiendum conveniunt; dubium non est quin Ecclesia illa vera sit, ubi fideles conveniunt in Nomine Christi. Nec dici potest *demonstrari quidem ex isto loco ubi sit Christus, sed non ubi sit Ecclesia.* Quia non potest inveniri Christus, quin inveniatur etiam Ecclesia, in qua habitat, & quæ Corpus ejus est, quod ab eo separari non potest.

3. Ex Act. 2. 42. XI. III. Idem probatur ex Act. 2. 42. ubi Ecclesiæ Apostolicæ character proponitur per perseverantiam in doctrina Apostolorum, per communionem, & fractionem panis &c. *Perseverabant discipuli in doctrina Apostolorum & in communione, & in fractione panis, & in orationibus.* Sic pia exercitia Ecclesiæ primitivæ notantur, quæ totidem sunt ejus notæ, quibus à posteriori distinguebatur Ecclesia Christi à Synagoga Judaïca, & aliis infidelium cœtibus. Tria verò memorantur ut præcipua, Prædicatio & auditio Verbi, Preces, & Communio Eucharistiæ, quæ describitur synecdochicè per *fractionem panis*, ut Act. 20. 7. Et sic κοινωνίᾳ ἢ τῇ κλάσει per Endyadin ponitur pro κοινωνίᾳ τῆς κλάσεως, ut apud Virgil. *pateris libamus & auro*, id est, pateris aureis. Ut ergo Ecclesia Apostolica istis χαρακτήρισι discernebatur, ex iisdem etiam hodie debet cognosci. Ubicunque ergo dabitur doctrina Apostolorum, & legitimus Sacramentorum, & Precum usus, ibi certum est esse veram Christi Ecclesiam.

XII. IV. Quia eadem debet esse ratio distinguendæ veræ Ecclesiæ à falsa, quæ est dignoscendæ falsæ Ecclesiæ à vera, & Pseudo-Prophetarum à veris Doctoribus. At hæc non alia est, quam falsitas Doctrinæ, & ejus à Verbo Dei dissensus Isa. 8. 20. Deut. 13. 1. 2. Luc. 16. 29. hinc Chri-

Matt. 7. 16. stus loquens de Pseudoprophetis Mat. 7. 16. *ex fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos*; non modò quoad mores & vitam, sed præcipuè quoad

1. Joan. 4. 1. doctrinam, ut colligitur ex Luc. 6. 45. Et 1. Jo. cap. 4. 1. vult probari Spiritus id. Doctores, an sint ex Deo, si quæras normam probationis, affert ipse ℣. sequenti, ex veritate doctrinæ, *Cognoscite ex hoc*, inquit, *Spiritum Dei, omnis spiritus qui confitetur Jesum venisse in carnem, est ex Deo, omnis spiritus qui non confitetur Jesum venisse in carnem, non est ex Deo.* Et clariùs in secunda Epist. ℣. 9. *Omnis qui recedit, & non per-*

permanet in doctrina Christi, Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet ℣. 10. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum.* Quod Paulus confirmat Gal. 1. 8. quum anathema denunciat ei, qui Euangelizare voluerit præter id quod Euangelizatum est. *Si ego, vel Angelus è cœlo Euangelizaverit præter id quod Euangelizatum est, sit anathema.* Non tantùm vult rejici quicquid erit alienum ab Euangelio, sed anathema denunciari illi, qui tale quid in medium afferre ausus fuerit, qualiscunque ille fuerit, sive Apostolus in terra, sive Angelus etiam è cœlo, quibus post Christum nihil illustrius magisque venerandum dari potest. Sic Paulus excludit speciosissimas notas autoritatis, & maxima miracula quæ possent obtendi, qualis est descensus Angeli de cœlo. Si verò præsentia Angeli, vel autoritas Apostoli non potest fidem à nobis impetrare, si opponatur Euangelio; quanto magis nihili facienda erit autoritatis, quam successio localis vel personalis potest conciliare, cùm tales successores non possint censeri majores Apostolis? Rursus si Apostoli voluerunt doctrinam Euangelii esse regulam, ad quam veri aut falsi Doctores cognoscuntur quanto magis hodie, ubi nihil nobis supereſt infallibile præter Scripturam? Quæst. XII. Gal. 1. 8.

XIII. v. Quia, Quod soli & toti Ecclesiæ semper convenit, debet esse ejus nota essentialis & specifica, quâ ab aliis omnibus cœtibus, non modò infidelium, sed & hæreticorum discernitur. At veritas doctrinæ, quæ in prædicatione Verbi & Sacramentorum administratione elucet talis est. Sola enim Ecclesia est Domus Dei, columna & firmamentum veritatis 1. Timot. 3. 15. Sola fundamento Apostolorum & Prophetarum superstructa Eph. 2. 19. 20. sola habet sigilla fœderis Matt. 28. 20. & 26. 28. Act. 2. 42. Gen. 17. Sola Verbum possidet & per illud à cæteris Cœtibus distinguitur Ps. 147. 19. Deut. 4. 6. Nec ista privilegia illi competunt ad tempus, sed semper & in perpetuum usque ad consummationem seculorum Eph. 4. 11. 12. Ut bene inde colligatur. Ubi est prædicatio Verbi & Sacramentorum administratio, Ibi est Ecclesia, & vicissim, Ubi est Ecclesia, ibi est prædicatio Verbi, & Sacramentorum administratio.

XIV. vi. Quó Ecclesia visibilis constituitur, congregatur & conservatur, ita ut eo posito ponatur, & eo sublato tollatur; Illud etiam ejus est nota propria & essentialis; quia nulla certior nota est, quàm quæ petitur ab ejus causa & proprietate inseparabili. At tale est Verbum prædicatum & receptum 1. Cor. 4. 15. Eph. 2. 19. 20. & 5. 26. 1. Pet. 1. 23. Jaco. 1. 18. Matth. 28. 19. 20. quod constituit, conservat & alit Ecclesiam, ita ut eo posito ponatur, & eo sublato tollatur. Hinc Candelabri seu Ministerii Verbi ablatio destructionem Ecclesiæ post se trahit, Apoc. 2. 5. & Prophetiæ cessatio, populi dissipationem infert Pro. 29. 18. *Ubi non datur visio, populus dissipatur.*

QUÆST. XII. XV. VII. Patres nobis suffragantur. Tertull. lib. de præscript. adversus hæreticos c. 21. *Id sine dubio tenendum quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit* &c. Et cap. 32. loquens de hæreticis, *Ipsa doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici* &c. Et cap. 37. Ecclesiam sic loquentem introducit. *Ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt Testamento suo, sicut fidei commiserunt, sic teneo*, Et postea. *Unde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit?* Chrysostom. homil. 33. in Acta, *Venit Gentilis, ac dicit vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream, multæ sunt inter vos pugnæ, seditiones ac tumultus, nescio quod dogma eligam, quod præferam, singuli dicunt, ego verum dico, cui credam nescio, cum ego Scripturarum sim ignarus, & illi idem utrumque prætexunt, sane hoc multum pro nobis; nam siquidem diceremus nos rationibus credere, merito turbareris; sed cum Scripturas accipimus & illæ simplices sint ac veræ, facile tibi fuerit judicare. Si quis illis consentit, Christianus est, si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc Canone.* Et homil. 6. in Matt. *Ubi est fides, ibi est Ecclesia, ubi non est fides, ibi non est Ecclesia.* Et hom. 16. oper. imperf. in Matth. *Cum hæresis, quæ est exercitus Antichristi, obtinet, nulla est probatio Ecclesiæ, nisi tantummodo per Scripturas.* Author comment. in Psalm. sub nomine Hiero. in Psal. 133. *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate, Ecclesia ibi est, ubi fides vera est. Cæterum ante annos quindecim aut viginti parietes omnes hic Ecclesiarum hæretici possidebant. Ecclesia autem illuc erat ubi fides vera erat.* Ambros. in Luc. lib. 6. cap. 9. *Fides igitur imprimis Ecclesiæ quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubie legenda, sin vero populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga censetur.* Aug. lib. de Unit. Eccles. cap. 3. *Non audiamus hoc dico, hæc dicis, sed audiamus hoc dicit Dominus. Sunt sanè libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Et cap. 10. *Habet manifestissimam vocem Pastoris mei commendantis mihi, & sine ullis ambagibus exprimentis Ecclesiam, mihi imputabo, si ab ejus grege, quod est ipsa Ecclesia per verba hominum seduci atque aberrare voluero, cum me præsertim admonuerit dicens, Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me; Ecce vox ejus clara & aperta audita; Qui eum non sequitur, quomodo se ovem ejus dicere audebit?* &c. Et cap. 16. *Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet Caput Christum. Habere autem Caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus*

Cor-

Corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum Caput in Scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis & dictis & visis inquirere &c. *Ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus Arrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis ac prodigiis fallacibus* &c. *Sed in præscripto Legis, in Prophetarum prædictis, in cantibus Psalmorum, in ipsius Pastoris vocibus, In Euangelistarum prædicationibus, id est, in omnibus Canonicis S. librorum autoritatibus.* Sic cap. 2. *Inter Nos & Donatistas quæstio est ubi sit Ecclesia; quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Capitis sui D. N. Jesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærerere debemus, qui Veritas est & optimè novit Corpus suum.* Plura id genus huc facientia ibidem leguntur, quæ brevitatis studio omittimus. Sic Epist. 166. *In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. has Scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum & Ecclesiam retinebimus?* Vincentius Lyrinensis, ut notat Sixtus Senensis bibli. li. 6. annot. 104. primam regulam discernendi veram Ecclesiam ab hæretica ponit Scripturarum autoritatem. QUÆST. XII.

XVI. VIII. Pontificii non pauci nobis hîc assentiuntur. Bellar. doctrinæ sanctitatem reponit inter notas Ecclesiæ, & lib. 3. de Eccl. cap. 2. illam definit *per ejusdem fidei Christianæ professionem, & eorumdem Sacramentorum communicationem.* Alibi lib. 4. concedit *quando Scriptura est recepta & clarè loquitur, & oritur quæstio de Ecclesia, tunc Ecclesiam ex Scriptura tanquam notiore judicari posse.* Sic lib. de notis Ecclesiæ c. 2. dum respondet ad Augustini dicta quibus Ecclesiam ex Scriptura demonstrandam esse affirmat, fatetur *Scripturam docere, quanam sint notæ Ecclesiæ.* Unde non minus evidenter, quàm necessariò conficitur, Scripturam non modò notam esse Ecclesiæ, sed etiam omnium notarum præcipuam & primariam, cùm ex ipsa, & per ipsam reliquæ ejus notæ dignoscantur. Driedo lib. 4. de dogmat. variis cap. 4. *Ecclesia ex Scripturis quarenda & cognoscenda.* Cassander Consult. art. 7. agnoscit *Notas Ecclesiæ esse doctrinam Euangelii & usum Sacramentorum.* Stapleto. lib. 1. de princ. fid. cap. 22. *Euangelii prædicationem dicit esse propriam, & valde illustrem notam Catholicæ Ecclesiæ* &c. Et in relect. princip. fidei Controv. 1. q. 4. art 5. concedit, *Ecclesiam Christi à sapientibus & spiritualibus cognosci per sanam doctrinam, & rectum Sacramentorum usum.* Gregor. de Valen. tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. S. 18. *Nos fatemur neque veritate doctrinæ, neque legitimo Sacramentorum usu Ecclesiam Christi carere posse, & apud quos hæc omnino sunt salva ex iis constare veram Ecclesiam.* Idem fatentur & alii.

XVII. Aliud est sibi falsò tribuere notas Ecclesiæ, & de illis gloria- *Fontes Solutionum.*

QUÆST. XII. riari. Aliud eas verè possidere. Illud est facti, hoc juris. Gloriatio falsa hæreticorum, notas Cœtibus suis vindicantium, non præjudicare debet certæ persuasioni fidelium; quia non ex ægrorum somniis vel tumulentorum opinione, sed ex rei veritate de notis judicandum est. Nec magis dici potest notas nostras non esse proprias, sed communes, quia hæretici vel schismatici eas sibi tribuunt, quàm si quis dixerit fœdus Dei Judæis resectis & recisis cum Christianis esse commune, quia de eo illi gloriantur; vel justitiam causæ tam actori quàm reo convenire, quia eam uterque jactat. 2. ad hominem eâdem ratione notæ Pontificiorum rejiciendæ erunt, quia non pauci præter eos eas sibi tribuunt, ut Antiquitatem, Unitatem, doctrinæ sanctitatem, & alia hujusmodi. 3. Imò nullæ dari possunt rei notæ in mundo, quas aliquis impudens & mendax Sophista sibi non arroget; Quis nescit Diabolum se pro Deo haberi velle; Principem tenebrarum se in Angelum lucis transformare, Antichristum nomen Christi sibi vendicare, & meretricem matronæ habitum mentiri?

XVIII. Aliud est nosse sigillatim quinam sint Electi, Aliud ubinam sint, & in quo cœtu reperiantur. Notæ nostræ non eò tendunt, ut prius nobis manifestent, sed tantùm posterius, quod sufficit, ut teneamus cuinam Cœtui nos adjungere debeamus. Ut in Civitate non necesse est distinctè & certò nosse, quinam sint veri & fidi cives, qui ex animo legibus obsequuntur: sufficit ut sciamus, quænam sit Resp. in qua tales Leges vigent.

XIX. Licèt pura Verbi prædicatio non semper obtineat in Ecclesiâ; Non sequitur notam istam esse separabilem ab Ecclesiâ, ac proinde falsò dici notam; Quia ista puritas debet intelligi cum quadam latitudine, nec statim cessat Ecclesia, ubi secundùm gradus aliquos cessat puritas, modò non cesset in totum. Puritas debet esse in fundamentalibus, ut vera sit Ecclesia, licèt de cætero possint in ea varii obtinere errores, ex quibus impuritatis varios gradus contrahere poterit, qui ut ut nomen Ecclesiæ puræ illi adimant, non tollent tamen nomen veræ, quamdiu fundamentum salvum & illibatum manebit. Pura prædicatio Verbi, & puritas Ecclesiæ pari passu ambulant, Si illa est omni ex parte pura & erroris expers, ista etiam pura erit; Si verò illi admiscentur errores, status Ecclesiæ incipit esse corruptus, sed non statim desinit esse vera Ecclesia, donec fundamentum impetatur.

XX. Quamvis Verbi & Sacramentorum dispensatio, sint bona & dotes Ecclesiæ, non minus tamen sunt ejus notæ, cùm alterum alteri non adversetur; Ut in rebus terrenis, possessio & usus earum est nota translati dominii, neque propterea desinit fructus esse seu bonum. Sic fœderis à Deo cum Ecclesia sanciti nota, est Verbum, tanquam instrumentum ejus authenticum, Sacramentorum sigillis obsignatum; ex quo-

quorum legitima dispensatione fructus uberrimi redeunt ad possessores. Quæst. XII.

XXI. Aliud est *notius naturâ*, Aliud *notius nobis*. Scriptura notior est Ecclesiâ naturâ, quia est ejus principium & fundamentum; Unde non potest certò & infallibiliter cognosci nisi ex Scripturâ. Ecclesia est Scripturâ notior nobis cognitione confusâ & inchoatâ, quia est medium & instrumentum quod nos ducit ad Scripturam, & quod nobis eam tradit. Ita Scriptura & Ecclesia mutuas sibi præstant operas; Sed autoritas est Scripturæ, & ministerium Ecclesiæ; Ostendit Ecclesia Scripturam ministerio suo & à posteriori, ut effectus causam, & candelabrum lumen. Scriptura ostendit Ecclesiam autoritate suâ, & à priori ut causa effectum.

XXII. Frustra cavillatur Perronius, quum opponit; *Doctrinam non posse esse notam Ecclesiæ, nec eam quæ non est controversa, quia de ea omnes partes consentiunt, & sic non est distinctionis, sed potius communionis nota, nec controversam, quia sub judice lis est, nec decisio fieri potest quam per Ecclesiam.* R. Quia. 1. Non dicimus simpliciter doctrinam esse notam Ecclesiæ, sed quatenus est conformis Scripturæ, quæ principium est receptum inter Christianos. Si controversiæ decidendæ nulla esset regula, aut adeò obscura, ut vix an ne vix quidem cognosci posset, fateor non posse doctrinam controversam esse notam. Sed Canonem habemus in Verbo, juxta quem pii facilè de veritate conformitatis cum regula edoceri possunt. 2. Doctrina non controversa, qualis est Oratio Dominica, Lex, & Symbolum Apostolorum, potest doctrinam controversam decidere, si cum ea conveniat, vel si ab ea differat. Sic articuli affirmativi de quibus inter nos consensus est, sunt regula negativorum de quibus disceptamus, ut rectum est index sui & obliqui. Nam si Christus est Mediator & Advocatus noster, eo ipso solus debet esse, quia est impatiens consortis; Si sacrificium Crucis Christi est ἅπαξ, non potest dari locus alteri; Si Christus est Caput Ecclesiæ, Ergo non potest esse Papa, quia ista sunt ἀντίθετα. 3. Si quis litem movet Adversarius, aliqua nota desinit esse nota, periclitantur omnes notæ quæ proferentur ab Adversariis, quia de illis controverti potest.

XXIII. Non melius supponit conclusiones de fide, & decisiones infallibiles non posse fieri nisi per medium infallibile, quod nec possit esse ratiocinatio humana, quæ fallibilis, nec inspiratio privata, quæ sæpe fallax potest esse, sed tantùm autoritas Ecclesiæ, quam Deus nobis in interpretem infallibilem dedit. Quia perperam confunditur infallibilitas objecti, seu dogmatum, cum infallibilitate subjecti, seu ingenii humani. Dogmata habent infallibilitatem absolutam, sed ingenium humanum nullam propriè habet infallibilitatem. Licèt suam habeat in operando certitudinem, quæ non fallit: Nec necesse est ut quod fallibile

QUÆST. XII. est naturâ suâ, actu semper fallat, aliàs nulla daretur certitudo cognitionis, quæ datur tamen. Non opus est ergo ut medium, quod nos deducit ad cognitionem dogmatis infallibilis, statim sit infallibile; sufficit ut tale sit quod ritè adhibitum non fallat. Ita mens humana non sola, sed illustrata per Spiritum Sanctum potest tale medium esse, quô veritas ab errore dignoscatur, quo sensu Paulus dicit hominem spiritualem omnia judicare 1. Cor. 2. & Johannes Unctionem omnia nos docere 1. c. 2. nihil ut opus sit fidelem subjici ulli Tribunali Ecclesiastico ad cognoscendam doctrinam, cùm nullus sit Apostolus, imò ne Angelus quidem, & multò minus ullus Pontifex, aut Concilium, quod non subjiciatur isti examini ex Oraculo Pauli Gal. 1. 8. Nec si fanatici falsò jactant inspirationes suas; Sequitur, fidelem non posse certò persuaderi de inspiratione suâ, ut non desinit sapiens certò scire se compotem sui esse & benè ratiocinari; licèt insanus idem sibi tribuat. 2. Perpetuam Cardinalis confundit media & organa interna cognitionis cum objecto externo, quum confert inter se ratiocinationem, inspirationem, & autoritatem Ecclesiæ; ratiocinatio enim & inspiratio sunt media & organa interna quibus devenimus ad cognitionem veritatis; Sed authoritas Ecclesiæ est medium externum, quod se habet instar objecti, quod eam proponit. Si verò priora duo media sunt fallibilia, erunt ex æquo tam respectu Ecclesiæ, quàm Scripturæ, nec minus poterunt errare in recipiendis decisionibus Conciliorum, quàm in judicandis doctrinis Scripturarum.

XXIV. Dici non potest simplicem popellum & rusticos non esse capaces Examinis doctrinæ, ideo egere aliis notis sensibilibus, quæ accommodatæ sint ad eorum captum; Quia agitur hîc de examine non cujusvis doctrinæ, & quæstionum omnium, quæ circa eam moveri possunt, sed tantùm doctrinæ necessariæ ad salutem, in qua essentia fidei consistit, quæ perspicuè extat in Scriptura, & potest à quolibet fideli percipi, aliàs frustra diceret Psaltes, Legem Dei parvulis dare sapientiam Ps. 19. 8. Et Paulus Timotheum à pueritia noviſſe S. Literas, quæ possunt ad salutem sapientem eum reddere 2. Tim. 3. Et 1. Cor. 2. 15. *Hominem spiritualem omnia discernere.* Nec minus difficile est, simplici populo capere notas Ecclesiæ, quæ afferuntur à Pontificiis, & earum veritatem assequi, quàm examen doctrinæ facere; ut postea probabitur.

XXV. Licèt non necesse sit, ut nota sit forma essentialis rei, seu differentia ejus specifica; Non obstat tamen quominus possit esse nota, imò nulla certior dari potest, cùm forma det esse rei. Nec impedit, quòd formæ & differentiæ rerum ut plurimum lateant, nota autem debeat esse sensibilis & externa. Quia alia ratio est rerum naturalium & corporearum, quæ incurrunt in sensus, & quarum notæ per consequens debent esse

esse externæ & sensibiles; Alia verò spiritualium & moralium, quæ cadunt sub intellectum. Talis autem est Ecclesia, de qua quæritur, quæ esse suum morale & spirituale habet, quia non attenditur hîc simpliciter ut cœtus hominum inter se unitorum per actus externos Religionis, sed per veram fidem Christi, & sinceram administrationem Sacramentorum. Veritas autem ista fidei, & puritas cultus divini nonnisi per intellectum discernitur, per collationem doctrinæ cum Verbo. QUÆST. XII.

XXVI. Quum Ecclesia per doctrinam ostenditur, non magis idem per idem declaratur, quàm quum definitum per definitionem explicatur, licèt enim definitio conveniat definito, nec ab eo re ipsa differat; tamen clarior & explicatior est definito quod notificat; ut quum hominem dico esse animal ratione præditum, Grammaticum, qui Grammaticam callet vel docet. Nec potest dici esse principii petitionem, quia res per formam & differentiam suam explicatur.

XXVII. Licèt infidelis & hæreticus prius possit pervenire ad cognitionem confusam & obscuram Ecclesiæ, quàm ad cognitionem doctrinæ; nunquam tamen de veritate Ecclesiæ, & de ejus puritate & impuritate certò & infallibiliter poterit persuaderi, nisi cognitâ prius puritate vel impuritate doctrinæ; in qua Ecclesia fundatur. Materialis cognitio sensus est nec demonstrationem efficit, sed formalis non potest ulla dari nisi formâ cognitâ, & probato hanc formam huic materiæ inesse.

XXVIII. Nota vel spectatur in se, & in abstracto, vel in concreto, quatenus applicatur alicui subjecto; Ut sigillum Principis vel attenditur in se & respectu naturæ suæ, & usus ad quem destinatur; vel respectu applicationis quæ fit literis, vel rebus quæ debent obsignari. Priori sensu nota Ecclesiæ est in Scriptura, quia hæc est regula, norma, & canon omnis veritatis. Posteriori nota ista est impressa Ecclesiæ per professionem doctrinæ & cultus divini praxim conformem Scripturæ. Quum quæritur de nota Ecclesiæ quatenus potest discerni ab aliis societatibus, non intelligitur priori sensu, sed posteriori, ratione conformitatis cum Verbo.

XXIX. Cùm verò ex dictis constet veritatem Doctrinæ seu conformitatem cum Dei Verbo, veram esse ac genuinam Ecclesiæ veræ notam in thesi. Exinde etiam non difficile est colligere in hypothesi, quænam sit illa vera Ecclesia, cui nos adjungere tenemur ad salutem consequendam. An sit Ecclesia Romana hodierna, quæ tot errores capitales & idololatrias Verbo Dei διὰ παντὸς adversantes in fide & cultu retinet; An verò nostra, quæ uno Dei Verbo contenta est. Sed de his, in sequentibus, plura dicenda erunt.

QUÆST. XIII.

QUÆSTIO XIII.

An Nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio continua, Amplitudo, Successio Episcoporum, Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua, Unio membrorum inter se & cum Capite, Sanctitas doctrinæ, Ejusdem efficacia, Vitæ sanctimonia, Gloria miraculorum, Lumen Propheticum, Confessio Adversariorum, infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & eorum qui ipsam defenderunt Temporaria felicitas sint notæ veræ Ecclesiæ? Neg. contra Pontificios.

I. SUperiori Quæstione vidimus quænam sit sententia Orthodoxorum de Notis Ecclesiæ, quibusque rationibus astruatur & vindicetur. Nunc agendum de sententia Pontificiorum, qui prout animo conceperunt ideam Ecclesiæ Monarchiæ Civili; Ita notas ei congruentes confingunt, & Ecclesiæ suæ vindicant. De quarum tamen numero ac ordine, ne inter ipsos quidem convenit; alii quippe pauciores, alii plures enumerant.

Sententiæ variantes Pontificiorum de Notis.

II. Quidam unâ contenti sunt, quam volunt esse vel Rom. Pontificem & Cathedram Petri, ut Lindanus Panop. lib. 4. cap. 83. Vel subesse Pontifici, ut Canisius in Catech. Vel successionem Pastorum Roman. ut Horantius lib. 6. c. 6. Alii duas ponunt ut Cateches. Tridenti. in Symbo. quòd sit Catholica & Apostolica. Alii tres ut Stapleto: Multitudinem, Visibilitatem, Perpetuitatem, in proœmi. lib. 4. Alii sex ut Sanderus lib. 8. de visib. Monar. cap. 50. 1. Altitudinem & sublimitatem. 2. Splendorem & claritatem. 3. Latitudinem & immensitatem. 4. Successionem & perpetuitatem. 5. Consensionem & unitatem. 6. Invictam fidem & constantiam. Alii quatuor, ut Hosius in Confess. Petrocovi. cap. 2. quòd Sancta sit, quòd Catholica, quòd Una, quòd Apostolica. Bellarm. numerum auget usque ad quindecim lib. 4. cap. 3. ut alios multitudine vincat, quas tamen fatetur aliquo modo posse ad illas quatuor revocari, quæ communiter assignantur ex Symbolo Constantinopolitano, Una, Sancta, Catholica, Apostolica.

III. Notæ istæ sunt 1. *Nomen Catholicum*, 2. *Antiquitas*, 3. *Duratio perpetua*, 4. *Multitudo*, 5. *Successio*, 6. *Conspiratio in doctrina cum Ec-*

Ecclesia Veteri, 7. *Unio membrorum inter se & cum Capite*, 8. *Sanctitas doctrinæ*, 9. *Efficacia doctrinæ*. 10. *Sanctitas vitæ primorum Authorum*. 11. *Gloria miraculorum*. 12. *Lumen Propheticum*. 13. *Confessio Adversariorum*. 14. *Infelix exitus persecutorum*. 15. *Felicitas temporalis ejus Defensorum*. De quibus primò in genere quædam notabimus, secundò in specie singulas excutiemus. QUÆST. XIII.

IV. In genere adversus istas Notas observamus. 1. Si notæ istæ simul sumantur longè difficiliores esse ad cognoscendum eâ quam proponimus, nimirum, conformitate doctrinæ cum Verbo, ideoque non posse esse notas quæ debent esse notiores, qualis est antiquitas, successio, perpetuitas, quæ non possent cognosci nisi perspectâ omnium Conciliorum historiâ, & evolutis omnium seculorum Annalibus. 2. Pleraſque à rebus merè externis, politicis, temporalibus, accidentalibus, & congruentibus peti, quæ proinde notas verè accidentales & contingentes, non necessarias & essentiales efficere possunt, quales sunt Confessio Adversariorum, felicitas temporalis, infelix exitus Persecutorum, sanctitas vitæ primorum Authorum &c. 3. Communes esse aliis Cœtibus, non proprias, quæque adeò confundunt potius quàm distingunt, ut multitudo, antiquitas, duratio perpetua &c. 4. Posse adversus illas retorqueri meritò, quod immeritò nostris objicitur, quòd nec sint propriæ, nec notiores, nec inseparabiles. 5. Si quid veri habent, istud omne ad primariam veræ Ecclesiæ, omnisque in Religione veritatis normam, quam supra dedimus, reduci. 6. Ne in ipsam quidem Romanam Ecclesiam cadere. *Contra Notas Pontificiorum in genere.*

V. Si Augustinus nonnunquam varias ex istis notis videtur afferre, ut inprimis contra Epist. fundamenti cap. 4. Primò hoc fit per accidens & ad hominem respectu hæreticorum, adversus quos vera nota locum habere non poterat, quia Scripturas non admittebant. 2. Non afferuntur ab ipso ut præcipua & primaria motiva, quæ animum persuadere debeant, sed ut secundaria & minus præcipua, quæ possunt animum præparare ad Ecclesiam cognoscendam, donec veritas ipsa persuadeat. 3. Fatetur veritatem longè potiorem esse & præferendam istis omnibus prærogativis. *Ut ergo hanc omittam sapientiam*, inquit, *quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia quæ me in ejus gremio justissimè teneant, Tenet consensio populorum atque Gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata*, &c. *Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen* &c. *Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem credentem tenent in Catholica Ecclesia, etiamsi propter intelligentiæ nostræ tarditatem veritas se apertissimè non ostendat* &c. *Si tam manifesta monstratur veritas ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor*. Et cap. 14. *Sequamur eos, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide va-*

QUÆST. XIII.

valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non tam hominibus, quam Deo mentem nostram firmante & illuminante. Ex quibus constat Augustinum hæc non principaliter, sed secundariò & tanquam quid ἔμπεζον contra Manichæos adducere.

In specie 1. contra nomen Catholicum.
Isa. 1 10
Ro. 2. 17. 28.
Apoc. 3. 1.

VI. In specie contra *nomen Catholicum* dicimus 1. Non posse esse notam *essentialem*, quia sæpe est titulus sine re Isa. 1. 10. Rom. 2. 17. 28. & Apocal. 3. 1. Angelus Sardensis dicitur *vivere, qui* tamen *mortuus erat.* Christus prædixit Pseudochristos venturos, qui se Christos vocitarent Mat. 24. 24. Judæi se populum Dei & filios Abrahæ esse gloriabantur, qui tamen nihil minus erant Joan. 8. 33. Pseudo-Apostoli se vocant ministros Justitiæ 2. Cor. 11. 14. fideles non à nomine, sed à rei veritate æstimandi sunt, nec quærendum quinam Catholici dicantur, sed quinam sint re ipsa. Augustin. tr. 5. in epist. Joh. *Quomodo gloriaris te esse Christianum? nomen habes, & factum non habes.* Et postea, *Si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum voceni, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?* Idem de nomine Catholico dicendum. 11. Non esse *propriam*, quia olim Novatiani, Donatistæ, Ariani, & alii hæretici hoc nomen sibi vindicarunt. Lactant. lib. 4. cap. ult. *Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Augustinus contra epist. funda. cap. 4. *Omnes hæretici se Catholicos dici volunt.* 111. Non esse *inseparabilem*, quia fuit Ecclesia in Veteri & Novo Testamento, cùm nec Catholica, nec Christiana vocaretur. 1v. Malè controversæ rei nota à nomine desumitur, cùm impositio nominum non modò sit arbitraria, sed etiam sæpe ab omni ratione aliena, præsertim verò ineptum est ex nomine, quod quisque sibi tribuit eum talem esse velle, qualem vox illa significat. Nam exprobratur quibusdam, quòd se vocent Judæos, cùm non sint, sed mentiantur, & sint Synagoga Satanæ Apoc. 2. 9. Ita argumentum à nomine est levissimum ac sophisticum. Nam plerumque adulatores & sophistæ rei turpissimæ speciosa imponunt nomina. Nec semper ab instituto oritur, sed sæpe ab usu & vulgi opinione, quod nomina & titulos tribuit indignissimis. Nos verò hîc quærimus notas reales, non nominales; quæ tacentibus etiam hominibus rem designent, non vocabula, quibus mutatis res ipsa non mutetur. v. Si Catholicum appellari, est nota Ecclesiæ, vel hoc à Deo oritur: Sed de eo planè silet Scriptura, vel ab Adversariis; Sed hi non sunt Judices nostri, Vel à domesticis; Sed quid juris habent ut nomen quod sibi tribuunt in notam assumant, cùm speciosa nomina sibi præfigere soleant hæretici.

VII. Frustra objiciunt Adversarii, Nomen Catholicum nullis hæreticis aut schismaticis, qui denominantur ab Authoribus suis, Ario, Nestorio, Eutyche, Pelagio &c. Sed soli veræ Ecclesiæ convenire. Nam vel intelligitur de solo nomine sine re, & sic convenire posse schismaticis & hæreticis

ticis experientia tam superiorum quàm nostrorum temporum testatur. Vel de re ipsa cum nomine, & sic certum est quod non conveniat ipsis; sed ita receditur à quæstione, quæ est de nomine, non de causa denominationis. 2. Falsò, supponitur & hæreticos & schismaticos ab authoribus suis semper denominari, cùm multarum hæresium autores ignorentur, qui à re ipsa denominantur, quales sunt Acephali, Angelici, Collyridiani, Gnostici, Alogiani, Cataphryges, Apostolici, Nazaræi & sim. Quæst. XIII.

VIII. Si Patres olim Orthodoxos ab hæreticis nomine Catholico distinxerunt, hoc non ideo fecerunt, quòd larvâ nominis istos ab his discriminari censerent, sed propter doctrinam Catholicam & Orthodoxam, quam constanter tenebant. Et si habitâ locorum & temporum ratione, nomen hoc commendant, non magis in eo Legem Ecclesiæ notandæ statuere voluerunt, quàm nostri in Reformatorum nomine. Rursus quum Patres ita loquuntur, non nomen solùm, sed rem cum nomine conjunctam intelligunt, quod Cyrill. in c. 18. Catech. docet Ecclesiam vocari καθολικὴν, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς, καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, *Omnia docet Catholicè & perfectè omnia dogmata quæ homines tenentur cognoscere.*

IX. 11. Nota Pontificiorum est *Antiquitas.* Sed 1. Nec est *nota essentialis*, quia est communis affectio rerum omnium vetustarum, sive bonæ sint, sive malæ. 2. Non est *propria*, cùm antiqua etiam sit antiqui serpentis synagoga, inde à Caïno huc usque propagata. 3. Non *inseparabilis*, quia Ecclesia nascens in Vet. & Novo Testamento non fuit antiqua, & quæ hodie vetera sunt, aliàs nova fuerunt. Ut cœpit genus humanum, sic & Ecclesia. 4. Non est clara, sed *obscurissima*, quia ejus cognitio pendet ex accuratâ omnium cognitione, quotusquisque autem est, qui possit hanc notitiam assequi, & certò scire quando hæc vel illa doctrina & Ecclesia cœperit? 5. Est *fallax*, nam ut Gabaonitæ simulatâ longâ profectione deceperunt Israëlitas, sic antiquitatem multi mentiuntur, qui heri tantùm aut nudiustertius orti sunt, & quorum inventa valde sunt recentia. 6. Pagani in suis contrà Christianos disputationibus ad antiquitatem perpetuò provocant. Justin. Apol. 2. Ethnicis tribuit, quòd dixerint τὰ παλαῖα ἔθη καλὸν εἶναι τηρεῖν, *bonum esse veteres consuetudines servare, & consuetudini veritatem posthabere dicit esse ἀνοήτων insipientium.* Symmach. in Epist. ad Theodosium apud Ambros. lib. 3. epist. 30. *Si longa ætas auctoritatem religionibus conciliat, servanda est tot seculis fides, & sequendi nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.* Lactant. lib. 2. Instit. cap. 6. *Hæ sunt religiones, quas sibi a majoribus suis traditas pertinacissimè tueri & defendere perseverant, nec considerant quales sint, sed in hoc probatas atque veras esse confidunt, quòd eas veteres tradiderunt, tantaque est auctoritas vetustatis, ut inquire-* 2. contra Antiquitatem.

re

QUÆST. XIII. *re in eam scelus esse ducatur.* August. lib. de quæst. Vet. & N. Test. q. 114. *Pagani antiquitatis causâ verum se tenere contendunt, quia quod anterius est, inquiunt; falsum esse non potest, quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati.* Et paulò post. *Hic est mos diabolicus, ut per antiquitatis traducem commendetur fallacia.* Quod ergo Veteres Paganis respondebant, idem & Nos Pontificiis, Non ex antiquitate, sed ex veritate religionem quamque esse æstimandam.

X. 7. Antiquitas & *consuetudo sine veritate, Vetustas erroris est*, &c. ut loquitur Cypria. Ep. 74. & Ep. 63. *Si solius Christus est audiendus, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Nec enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Magister ejus Tertull. jam docuerat in Apolog. cap. 47. *Antiquior*, inquit, *omnibus veritas ni fallor, & hoc mihi profecit antiquitas præstructa divinæ literaturæ.* Et lib. de velan. Virg. c. 1. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum* &c. *Dominus noster veritatem se non consuetudinem cognominavit* &c. *Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit, quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.* Et contra Marcio. lib. 1. cap. 8. *Viva & germana divinitas nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur.* Arnob. lib. 2. contra Gentes, *Autoritas non tempore æstimanda, sed Numine.* Ita de fide certatur non annorum numero, sed rationum pondere, nec antiquitas efficit, ut errores in veritatem transeant, vel quod dubium est fiat certum. 8. In Jure Canonico autoritas antiquæ consuetudinis subjicitur veritati c. veritatem dist. 8. ex Augustino. *Veritate manifestatâ cedat consuetudo veritati* &c. *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Et c. si consuetudinem dist. eodem ex Gregorio. *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est quòd Dominus dixit, Ego sum via, veritas, & vita, non dixit, Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas & certè, ut B. Cypriani utamur sententiâ qualibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda* &c.

XI. Quum ergo de antiquitate Ecclesiæ agitur, non intellgenda est, Vel respectu *hominum*, ex quibus componitur, quia illi subinde mutantur, & quotidie in demortuorum locum alii succedunt; Vel respectu *locorum* & templorum, quia nihil impedit, quominus in vetustissimo ædificio nova personet doctrina; Vel ratione *cathedrarum*, quia qui in illis sedent, Prædecessorum suorum doctrinam mutare possint. Sed respectu *doctrinæ* quæ in ea traditur, quando eadem perstitit semper, nec unquam defecit, vel mutata est; quo sensu disputabitur de doctrina, quænam scilicet sit antiquissima. Atque ita antiqui-

tas

tas sola non poterit esse nota Ecclesiæ, quomodo pertendunt Pontificii, ut ex eâ, etiam doctrinâ ignoratâ, certò & infallibiliter cognosci possit, quænam sit vera Ecclesia. Sed antiquitas doctrinæ, quo sensu pertinebit ad notam nostram, & sic fatemur, doctrinam antiquissimam esse verissimam. QUÆST. XIII.

XII. Antiquitas autem dogmatum ex sola Scriptura æstimari potest, ut vera ea demum censeatur, non quæ ab aliquot seculis petitur, sed quæ est à prima *origine* & ab ipsa *institutione*. Nam quod nobis & seculo nostro antiquum potest dici, ut quod à mille vel amplius annis obtinuit, potest esse novum in Religione, si post ejus institutionem demum locum habuit. Eò nos revocat Christus Math. 19. 5. quum loquens de divortio dicit, *ab initio non fuisse sic*, ἀπ' ἀρχῆς οὐχ οὕτως ἦν, ut doceat ad principium seu primam Religionis originem ascendendum esse, si volumus veritatem ejus assequi, à rivis turbidis & lutulentis ad fontem, ab hominibus mendacibus, & inconstantibus ad Christum mentiri & mutari nescium, qui heri, hodie, & semper idem est. Quo sensu Tertullianis ait, id primum esse quod est verissimum lib. 4. cont. Marcio. *Si constat id verius, quod prius, id prius quod est ab initio, ab initio quod est ab Apostolis, pariter itaque constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ correcti sint, quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii* &c. Ubi probationem antiquitatis terminat ad Epistolas Pauli. Eo sensu quum loquitur adversus authores sectarum & hæresium, tanquam de novis & recens natis, lib. de præscr. hær. c. 37. postquam dixit, *Qui estis? Quando & unde venistis?* addit, *Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis autoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt Testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.* Nec ratio obscura; Cum enim sola Scriptura sit αὐτόπιστος & divina, cæterisque antiquior; Scripta verò Patrum è quibus suam antiquitatem haurire volunt, merè humana, & longè recentiora & intricatiora, multa etiam sint dubia, supposititia & spuria; solam etiam Scripturam normam istius antiquitatis doctrinalis esse necesse est. Juxta hanc regulam facilè patimur expendi Religionem & Ecclesiam nostram, & causam non dicimus, quin tanquam falsa damnetur, si hac antiquitate destituitur. Sed si hoc examen instituitur liquidò constabit penes nos veram illam & genuinam esse Antiquitatem, & penes Adversarios novitatem, quam nobis objiciunt; cùm doctrinæ, quæ ab Ecclesia Romana obtruduntur, de quibus inter nos controvertitur, nec à Christo, nec ab Apostolis uspiam traditæ legantur, atque ita necesse sit fidem ejus immutatam esse, & à pristina defeciisse. Matth. 19. 5.

XIII. Adversarii, ut novitatis accusationem à se amoliantur, pertendunt

QUÆST. XIII. dunt doctrinas suas semper obtinuisse in Ecclesia, nisi ostendatur præcisè, à quo sint autore, & quo tempore natæ sint; atque ita statuunt nullam factam esse in Ecclesia Romana mutationem, quia ut Bellarminus loquitur lib. 4. de Eccles. milit. c. 5. *In omni insigni mutatione semper ista sex demonstrari possunt.* 1. *author ejus*, 2. *dogma aliquod novum.* 3. *tempus quo cœpit.* 4. *locus ubi cœpit.* 5. *quis eam oppugnaverit.* 6. *exiguus aliquis cœtus, qui paulatim aliis accedentibus crescere cœperit*; Quæ omnia optimè competere Ecclesiis nostris asserit, nullo modo autem suæ. Quod ingeniosum commentum avidè arripuit, & magno molimine confirmare conatus est *Arnaldus* in Tract. *de Perpetuitate Fidei*, ut evincat nullam factam esse mutationem in fide Ecclesiæ Romanæ circa Eucharistiam, dum contendit, possibilem non fuisse, & ex eo probat; quòd tam insignis mutatio non potuerit fieri in Ecclesia sine magna animorum contentione, & sine multis contractionibus, quarum tamen mentio nulla fiat apud Veteres.

XIV. Sed subtile istud figmentum, in quo mirè sibi plaudunt Adversarii, meram esse illusionem, quâ simplicioribus imponere conantur, propius illud expendenti facile est agnoscere. Primò, Ridiculum est ubi de re constat, venari circumstantias, & cùm mutatio pateat, negare ejus possibilitatem. Si quis hominem in fovea jacentem invenerit, an dubitabit vel negabit eum in fovea esse quem tamen ibi esse videt, nisi prius intelligit à quo & quando in eam conjectus fuerit? Si quis in via deprehenderit vulneratum & animam agentem, imò & mortuum, non credet tamen, nisi cædis authorem, tempus & locum noverit? Si quis navem submersam invenerit, non credet, nisi sciat quomodo, & quo tempore cœperit primùm aquam imbibere? Hæc verò cùm absurdissima sint, cui non ludibrium debent Adversarii, qui eodem argumento nos conveniunt ut novitatis & defectionis crimen à se amoliantur? Nos Ecclesiam Romanam miserè mutatam à fide Majorum defeciisse dicimus, & parati sumus ostendere. Illi verò, ut declinent istud examen, confugiunt ad impossibilitatem mutationis, & nolunt credere ullam mutationem factam, nisi autores, locum, tempus, & alias circumstantias istius mutationis illis demonstremus. Secundò, falsò pertendunt ad demonstrandam mutationem sex ista concurrere debere, sufficit secundum caput nimirum novitas dogmatis. Nam si certo argumento demonstrari potest novum esse dogma, & à Scriptura non traditum, sufficit ad ostendendam mutationem, licet ignoretur autor dogmatis, vel tempus, & locus mutationis. Regula veritatis quam Deus nobis dedit, Verbum est, non historia seculorum, Christiani tenentur illud cognoscere ad salutem ut solum θεοπνεῦστον; sed ad istam cognoscendam, utpote scriptum merè humanum non obligantur. Adde quòd Deus nos obstringit ad rejiciendum quic-

quicquid Verbo additur, vel in eo non extat. Ut ergo dogma antiquum & non novum esse comperiatur, ex Scriptura probandum est; quod Cyprianus epist. ad Pompejum eximiè docet. *Unde est ista traditio*, inquit, *utrumne de Dominica & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis & Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur, & proponit ad Jesum Nave, dicens, non recedet liber Legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt.* Quæst. XIII.

XVI. Tertiò, absurdissima est illatio ex ignoratione autoris, vel temporis, & loci alicujus mutationis, colligere nullam esse; ac si furto apud aliquem deprehenso, fur putaret ad suam justificationem sufficere, quòd legitimus rei dominus non posset locum, tempus, modum indicare, quô sibi surrepta res fuisset. At si penes receptatorem furtum deprehendatur, possessor bonæ fidei, bonum suum sibi vendicans & Jus suum comprobans, causam obtinet, & receptator condemnatur, quamvis indicare nequeat, ubi, à quo, & quando furtum commissum sit; mendacium verò notum est, fures autem solent noctu & clanculum hominibus insciis furari; Et bene cum furibus ageretur, si fures non haberentur, nec jus esset in rem meam furto ablatam, ni sex illa demonstrarem; unum sufficit, rem esse meam, hoc ubi teneo, justa datur actio. Ita simul atque constat errorem esse & novum dogma, res confecta est, nec ulteriori opus est vel autoris vel temporis probatione. Quartò, *mutatio alia est in bonum*, alia in *malum*, Illa quidem lux est, tenebras dispellens, ideoque evidentior, & quæ faciliùs potest observari: lux enim micat; nec artes clancularias quærit. Sed ista non apertè, sed clam & subdolè fieri solet, ne ab hominibus observetur, & ut faciliùs subintrare solet, ad modum adulterorum, qui clam irrepunt, & per posticum procul ab hominum conspectu, & furum, qui noctu & hominibus insciis ædes perrumpere & grassari solent. Talis est superseminatio zizaniorum, quæ noctu facta obdormiente Patrefamilias & domesticis, qui ideo factum mirantur, Matt. 13. 26. *Cum dormirent homines, venit inimicus, & seminavit zizania in medio tritici & abiit.* Nec dicendum cum Bellarmino, zizania noctu sata, non nata, sed mox nata apparuisse; nam non dicitur vel interdiu tantùm nata, vel simul atque nata sunt apparuisse; Sed quum *germinasset herba, & fructum edidisset, tunc apparuisse zizania.* Unde servi mutationem quidem vident, sed authorem, aut tempus, & modum ignorant, quia ipsis dormientibus facta est. Sic hominibus non attendentibus, inimicus homo zizania spargit in Ecclesia Dei, & verum statum mutat.

XVII. Quintò, Ut in morbis alii sunt *subitanei*, qui hominem prius sanum & valentem subitò aggrediuntur, quorum tempus & causa notari potest, ut pestis, apoplexia &c. Alii sunt *lenti*, quorum initia sunt occulta,

QUÆST. XIII. culta, incrementa tarda, quæ primò quidem non sentiuntur, vel certè non observantur, tandem verò totum corpus occupant ut phtisis, hydrops, cancer & gangræna, quorum causa & tempus non ita exactè notari potest. Ita in corpore Ecclesiæ quædam *mutationes* sunt *subitaneæ & apertæ*, quum subitò & palam in uno vel pluribus articulis fit secessio à Veritate, resistentibus piis & orthodoxis Doctoribus, quarum circumstantiæ notari possunt. Aliæ verò *lentæ & occultæ*, quæ exiguum quidem habent initium, postea verò magis magisque instar gangrenæ serpunt 2. Timot. 2. 17. donec tandem universum Ecclesiæ Corpus occupent. quarum ideo circumstantiæ sive quoad tempus, sive quoad autores, & modum vix ac ne vix quidem notari possunt. Talem autem mutationem in Ecclesia Romana factam esse res ipsa clamat, & mysterii iniquitatis nomen satis innuit. Huc pertinet quod Aristot. lib. 3. polit, observat μεταβολὰς quæ sensim fiunt, sensu non percipi; videri quidem factas, sed quomodo & quando fiant, observari non posse; Ut in massa videtur fermentatio, quæ fit à fermento, sed nec initium nec modus ejus percipi potest. Ita si ex magno quopiam granorum acervo aliquot quotidie grana auferrentur; aliaque totidem eorum in locum substituerentur, & in acervo confunderentur, quis posset eam mutationem agnoscere? Quis notaverit quantum quotidie accedat ad proceritatem puero, aut quantum quotidie senescat homo? Quis cani senis faciem rugis deformatam habentis momentum, horam, mensem, annum, quô senescere, colorem immutare & virium diminutionem pati cœpit, præcisè notare possit, mente tamen captus esset, qui tam apertam mutationem in senectute, vel negaret, vel non agnosceret. Innumera possunt afferri exempla mutationum, vel in scientiis, vel in Rebuspublicis, vel in rebus physicis, quæ quia paulatim & sensim ac sine sensu fieri solent, nec earum initia præcisè, nec progressus observari possunt. Sic in Republica Romana magnam factam fuisse mutationem Historici observant, qua ut Livius lib. 2. refert, *Labente paulatim disciplinâ, dissidentes mores deinde magis magisque lapsi sunt, tum ire cœperunt præcipites, donec ad Augusti tempora, quibus nec vitia sua, nec remidia pati poterant, perventum esset.* Nec tamen illius mutationis primi autores, vel tempus, vel aliæ circumstantiæ indicari possunt. Pari planè pacto in Ecclesiâ Romanâ insignem mutationem doctrinæ, & à fide Majorum degenerationem, ex collatione cum Romanâ Ecclesiâ Veteri deprehendimus, licèt singulas illius mutationis circumstantias exactè notare nemo possit. Hoc autem in Religionis negotio eò magis locum habet, quòd Diabolus tectè & fraudulenter ac per cuniculos venenum insinuat, ut voti fiat compos, mysterium iniquitatis opertè & dolosè operando 2. Thess. 2. cornua agni præferens Apocal. 13. & in angelum lucis se transformans 2. Cor. 11. Nec uno autore,

tece, sed multis usus, nec simul & semel, sed paulatim & successivè cor- Quæst.
ruptelas in doctrinam & cultum invexit, non per oppositionem directam, XIII.
& oppugnationem aut extinctionem veritatis creditæ, sed per appositionem indirectam, & conjunctionem erroris cum veritate, quæ potest sub specie explicationis sensim irrepere, & sub veritatis ipsius pallio & terminis introduci.

XVIII. Sextò, hoc ipsum variis exemplis demonstrari potest. In Judaïca Ecclesia maximam & turpissimam factam fuisse in doctrinâ mutationem, à tempore Malachiæ usque ad adventum Christi, nemo est qui nesciat. Sed frustra esset qui laboraret in autoribus, locis, & temporibus tam exitialis depravationis specificandis. Nec Christus, qui omnium temporum & rerum momenta in numerato habuit; & quo nemo melius hoc præstare potuit, absolutissimam chronologiæ & historiæ notitiam habens, hac unquam ratione conveniisse legitur Scribas, & Pharisæos, & Legis Doctores, dum eos redarguebat & convincebat immutatæ & corruptæ antiquæ Legis Doctrinæ; Scripturâ tantùm & Doctrinâ utebatur, exemplo suo nos docens, quam viam in detegendis & reformandis erroribus sequi debeamus, Verbi scilicet normam, non scrupulosam illam omnium circumstantiarum observationem, quæ nihil ad rem faciunt; quum de re ipsa constat. Sic notum est in Ecclesia Galatarum & Corinthiorum errores gravissimos invectos fuisse non multò post prædicationem Pauli, quis tamen vel authores certò, vel tempus præcisè notare posset? Nemo ignorat etiam in Ecclesia primitiva obtinuisse errorem Millenariorum, quis tamen designare posset, à quo, ubi, & quando cœperit? Idem de Eucharistiâ infantibus administrandâ, de animabus Sanctorum immediatè ab excessu Paradisum non intrantibus, & de aliis variis erroribus, qui in Ecclesia veteri locum habuerunt, dici posset.

XIX. Septimo, si ad examen errorum, qui docentur in Ecclesiâ Romanâ deveniendum esset; facilè ostendi posset, & ignotos fuisse Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ; & variis temporibus postea introductos, adeoque novitios esse & recentiores, qui à nobis merito ex ipsa Pontificiorum hypothesi rejici debeant. Veneratio & Cultus Imaginum seculo demum 8. in secunda Synodo Nicæna anno 781. sub Adriano I. Papa sancitus fuit, sed damnatus postea paulò post à Concilio Francofurtensi à Carolo Magno congregato. Suprema Pontificis autoritas tam in spiritualibus quàm temporalibus, quâ dicitur judicare totum mundum, & à nemine judicari, & posse absolvere subditos à juramento fidelitatis, deponere Reges & Imperatores, & similia id genus, quæ *dictatus Papæ* vocantur, an. 1076. per Gregiorum VII. sancita est, ut agnoscit Baron. ad ann. 1076. Paulo ante annum 1050. sub Nicolao II. in Concilio particulari decretum est

QUÆST. XIII. Corpus Christi sensualiter tangi & frangi manibus Sacerdotum, & dentibus fidelium teri. Seculo decimo tertio ineunte, Transsubstantiatio ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi sancita est, & novo symbolo addita, ut articulus fidei anno 1218. Et anno 1264. festum Sacramenti ab Urbano IV. & processio ejusdem anno 1336. à Joanne XXII. instituta. Purgatorii doctrina in Concilio Florentino sub Eugenio IV. recepta est in articulum fidei anno 1439. Communio sub una specie subtracto populis calice paulo ante ann. 1414. in Concilio Constantiensi decreta fuerat. Idem facilè ostendi posset circa alios errores, quorum tempus & autores non ignorantur. Imo non obscurè demonstrari potest, pleroſque errores & ritus superstitioſos, Vel à Paganismo, & Judaïsmo originem duxisse, Vel à Veteribus hæreticis manasse, si instituti nostri ratio hoc pateretur.

XX. Perperam Adversarii pertendunt novitatem Religionis nostræ colligi ex novitate eorum qui eam professi sunt, quales fuerunt Valdus, Viclefus, Hussus, Lutherus & alii. Quia non fuerunt Autores ejus, sed tantùm *Præcones* & *Instauratores*, qui non aliam doctrinam quàm Propheticam & Apostolicam proponebant. Aliud est doctrinam antiquam repurgare à corruptelis suis, & ad eam homines revocare. Aliud novam doctrinam nondum traditam excogitare, & credendum proponere. Prius fecerunt Reformatores, non posterius. Nihil de suo dederunt, sed quod acceperant à Christo tradiderunt. Unde non refundenda est Religio in ipsos, sed in Christum, qui Verbo suo eam docuerat.

XXI. Loca Patrum quæ ab Adversariis afferuntur pro Antiquitate, Vel ad antiquitatem doctrinæ referenda sunt, quod facilè concedimus. Vel ad signa tantùm probabilia, non ad notas certas & essentiales pertinent, quibus veritas sit semper anteponenda, ut August. ad Epist. funda. cap. 4. notat, quum ait, si Manichæi possent ostendere se habere veritatem, posthabitis aliis omnibus quibus in Ecclesia Catholica tenebatur, se velle ad eos transire.

3. *Contra Durationem perpetuam.*

XXII. *Tertia nota* Bellarmini est *Duratio perpetua & minimè interrupta*, Ecclesia enim Catholica vocatur, non tantùm quia semper fuit, sed etiam, quia semper erit; Et in hoc differt ista à præcedenti, quod illa tempus præteritum, hæc vero tempus futurum respiciat. Sed perperam. 1. Quia nec est nota essentialis, siquidem duratio est accidens rei ejus essentiæ contradistinctum. 2. Nec propria, cùm nec omni Ecclesiæ v. g. recenti & novæ, nec soli conveniat, quia sic durarunt & durant adhuc Cœtus Paganorum, Judæorum, Arianorum, Mahumetanorum *&c.* Zizania usque ad tempus Messis durare debent Matth. 13. nec hœdi ab ovibus separantur usque ad judicii diem. 3. Nec inseparabilis ut Ecclesiæ veteris & novi Testamenti exempla ostendunt, quibus non una contigit durationis interruptio & variatio. 4. Cùm perpetua cœtus alicujus duratio seorsim

à vera

à vera doctrina considerata, veram Ecclesiam illum non faciat, hæc dura- Quæst.
tio non potest esse nota, ex qua ille, qui doctrinam ignorat, ad certam & XIII.
infallibilem Ecclesiæ cognitionem pervenire queat; sed à doctrinæ examine inchoandum semper erit. Nec aliunde quàm ex Scriptura certò judicari potest de fidei & doctrinæ, quam aliquis cœtus profitetur, duratione perpetuâ, cùm solum Dei Verbum sit incorruptibile & maneat in æternum. Sed hoc ab Adversariis tanquam scopulus periculosus declinatur.

XXIII. Aliud est Ecclesiam invisibilem Electorum semper durare, & nunquam deficere, Aliud Ecclesiam visibilem particularem, cui nos adjungere debemus. Prius damus & antea probavimus. Posterius negamus. Loca quæ de æternitate Regni Christi loquuntur, & quæ portas inferorum non prævalituras contra Ecclesiam dicunt, intelligenda esse de Ecclesia Catholica, invisibili & propriè dictâ, quæ non est alligata certæ sedi aut successioni, non de visibili & particulari, antea probatum.

XXIV. Licèt Paulus 2. Tim. 3. 9. loquens de hæreticis dicat, *Non* 2. *Tim.* 3. 9.
proficient amplius, quia eorum stultitia manifesta fiet omnibus; Non sequitur universaliter dici posse de cœtibus hæreticorum, quòd diu non sint duraturi, cùm contrarium constet variis exemplis, imò Apostolus ℣. 13. addat, *Eos in pejus profecturos & fore seducentes & seductos.* Sed sensus Apostoli est, quòd si pii Pastores diligenter officium suum fecerint, fore ut προκόπτωσιν & hæretici, non tantùm proficiant, quantum vellent; futurum quidem ut multos fallant, sed non veros & pios fideles, qui seduci non possunt.

XXV. Quarta nota est *Amplitudo*, sive *multitudo Credentium*, quam 4. *Contra Amplitudinem.*
probant ex eo, quòd Ecclesia verè Catholica non solùm amplecti debet omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, & omnia hominum genera. Sed primò non potest esse nota essentialis Ecclesiæ, quia est merum accidens, quod contingenter Ecclesiæ competit, nihil enim facit ad orthodoxiam, sive pauci, sive multi sint qui eam profitentur; Ubi duo vel tres tantùm sunt congregati, non desinit esse Ecclesia. 2. Non est propria, quia tantùm abest ut Ecclesia amplitudine commendetur, ut contrà paucitas ejus sit character. Unde *parvus grex* à Christo vocatur Luc. 12. 32. comparatè ad mundum, & *angusta dicitur esse porta & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui eam inveniunt*, dum *lata & spatiosa est via quæ abducit in exitium, & multi sunt qui introeunt per eam* Matth. 7. 13. 14. & falsa Ecclesia multitudinem post se trahit. Unde *universa terra dicitur secutura bestiam; & omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & servi, accipere debent ejus characterem in manu sua dextera & in frontibus suis* Apoc. 13. 3. 16. & *meretrix sessura dicitur super aquas multas* Apoc. 17. 1. Nec obscurum est eam penes Arianismum fuisse, qui totum Orientem & Occidentem aliquando

Luc. 12. 32. *Matt.* 7. 13. *Ap.* 13. 3. 16.

oc-

QUÆST. XIII. occupavit. Imo & Paganismo, & Mahumetismo hodie competere; si fides Brerevvodio, lib. de Linguis & Religionibus orbis cap. 14. *Si distribuantur*, inquit, *notæ regiones terræ in triginta partes æquales, portio Christianorum erit ut quinque, Mahumetanorum ut sex, & Paganorum ut novemdecim*, 3. Non est inseparabilis. Quia tempus fuit quô paucissima fuit, ut tempore Noachi, Abrahami, Christi, & tristissimis illis seculis, quibus mulier cogi debuit au fugere in desertum, ut experientia hoc demonstrat. Nec ipsi Pontificii diffiteri possunt, qui sub adventum Antichristi Ecclesiam crudelibus ejus persecutionibus ad summam paucitatem redactum iri sentiunt. Et sub finem seculi in adventu Christi rarissimam fore fidem ipse prædixt. 4. Nota hæc non potest esse nota cuivis, quotusquisque enim novit, qui, & quot fidem profiteantur per totum orbem? Nec quicquam de eo scire poterit, nisi ex fallaci & dubia hominum mendacium relatione.

XXVI. 5. Patres non semel hoc confirmant. Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 26. *Quid mihi cum multitudine? malo unum pretiosum lapidem, quàm obolos multos*, &c. Et hom. 40. *Quænam precor utilitas est, multum esse fœnum, potius quàm paucos lapides esse pretiosos? non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit, Elias unus erat, sed totus mundus non dignus erat qui penderetur ei.* In operi. Athan. tract. 2. est oratio adversus Eutychianos, cujus titulus est adversus eos qui veritatem multitudine metiuntur; ubi docet Christum mittendo discipulos, non jussisse discipulos sequi turbas & myriadas sed myriadas adhærere duodecim. Veritatem suum robur semper habere, licèt apud paucos inveniatur, multitudinem sine demonstratione veritatis, posse quidem terrorem incutere, sed non persuadere; Et postea, *Nonne audimus Dominum Jesum dicentem, multi vocati, pauci electi, porta est angusta quæ ad vitam ducit, & pauci sunt qui eam ingrediuntur*; *Quis ergo non mavult esse ex numero paucorum qui salvantur, quàm ex multitudine eorum qui per latam portam in exitium ruunt?* &c. Multa ibidem subjicit, quæ apprimè faciunt ad rem, lectione dignissima. Grego. Nazi. orat. 25. contra Arianos multitudine sua gloriantes. *Ubi sunt*, inquit, *qui Ecclesiam multitudine definiunt & parvum gregem despicantur? His domos habent, nos inquilinum, hi Templa, nos Deum, idque præterea quòd Templa Dei vivi sumus, victimæ vivæ, holocausta spiritualia, hi vulgus habent, nos Angelos, hi temeritatem & audaciam, nos fidem, hi minas, nos preces & orationes, hi aurum & argentum, nos repurgatam fidei doctrinam.* Hierony. li. 3. adversus Pelag. sub nomine Attici ad Critobulum, *Multitudo sociorum nequaquam te Catholicum, sed hæreticum esse monstrabit.* vid. Aug. in Ps. 29. & 128.

XXVII. Loca quæ amplitudinem Regni Christi describunt, ut Psalm. 2. 8. & Psalm. 72. 8. sunt Oracula de vocatione Gentium, quæ

non

non absolutè sunt intelligenda, sed comparatè & secundùm quid, non respectu mundi & universitatis impiorum, quæ semper major fuit universitate fidelium; sed per antithesim ad statum & Ecclesiam Veteris Testamenti, quæ uni regioni & genti affixa erat. Aliud verò est Ecclesiam Novi Testamenti amplam esse & ad omnes gentes indiscriminatim extendi. Aliud verò amplitudinem esse notam Ecclesiæ. Licèt disseminanda fuerit Ecclesia per omnes gentes; Non sequitur vel omnes gentes eodem tempore & simul amplexuras Euangelium, vel omnes homines in illis gentibus ad Ecclesiam pertinere; sed sufficit si aliquæ gentes Euangelium recipiant, & in illis gentibus aliqui ad Ecclesiam pertineant. Quæst. XIII.

XXVIII. Licèt Christus admirabilem successum dederit prædicationi Apostolorum, numerus tamen Paganorum diu major fuit in Imperio Romano numero Christianorum, & quando prævaluerunt Christiani Ethnicis in Imperio, nunquam possunt dici prævaluisse respectu totius mundi.

XXIX. Quinta nota est *Successio continua Episcoporum, sine ulla interruptione ab Apostolis ad nostra usque tempora deducta.* Sed hîc primò distinguenda est *successio*, alia *personalis & localis*, quoad personas & loca. Alia verò *Doctrinalis* quoad fidem. Istam notam esse non diffitemur, & sic coincidit cum nostra. Sed illa, de quâ hîc agitur, non potest esse nota. 1. Quia est merè contingens & præter naturam Ecclesiæ, nisi in unitate sanæ doctrinæ, & veræ fidei fundetur Ephes. 4. 4. 5. 11. 12. Imò cùm Ecclesia ambulatoria sit, nec alligata huic vel illi loco, talis etiam est ejus successio. 2. Non est propria, quia competit etiam falsis Doctoribus. Annas & Cajaphas successerunt Aaroni in Sacerdotio, Scribæ & Pharisæi succedebant Patribus & Legis interpretibus, Ariani succedebant Orthodoxis, Ecclesia Græca, quam Pontificii habent pro schismatica & hæretica, successione non interruptâ Episcoporum ab Apostolis gloriatur. Bellarminus ipse de notis Eccles. lib. 4. cap. 8. sub finem, fatetur, *non posse inferri necessariò Ecclesiam esse, ubi est successio.* 3. Successio localis & personalis potest esse sine doctrinæ successione, Ergo non potest esse nota Ecclesiæ, quia non potest esse vera Ecclesia quæ Apostolicam doctrinam non habet. Nam Ecclesia non in parietibus & templis est quærenda, sed in dogmatibus, Ecclesia est ubi vera fides est. Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 6. *Non habent Petri hæreditatem, qui fidem Petri non habent.* 4. Non est inseparabilis, quia in primordiis Ecclesiarum nascentium non datur locus successioni. Ecclesia Christiana ab initio fuit vera & Apostolica, & tamen non habuit successionem. 5. Si successio localis est nota Ecclesiæ, Ergo multæ Ecclesiæ hæreticæ & schismaticæ sunt veræ Ecclesiæ, quia possunt habere talem successionem, ubi falsi Doctores succedunt in loca & in sedes verorum Pastorum. 6. Miserè nobiscum

3. *Contra Successionem.*

QUÆST. XIII. ageretur si fides nostra niteretur eorum fide, qui inter nos & Apostolos fuerunt, quales qui fuerint, nostrorum non est inquirere, nec hilum proficit. Adde quòd cognitio ista tantùm potest haberi ex Historicis & Annalibus subleste fidei, quam etiam doctissimi sæpe non possunt assequi.

Matth. 23. 2. XXX. Cathedra Mosis in qua dicuntur sedere Scribæ & Pharisæi Mat. 23. 2. non est continua successio personalis ad officium Mosis; Cùm enim munus ejus fuerit extraordinarium, quod in eo terminabatur, nullam potuit habere successionem; Nec Cathedra ulla illi assignata unquam dicitur. Sed intelligenda est doctrina Mosis, quæ commissa erat Scribis & Pharisæis, quæque in Synagogis singulis Sabbathis legi solebat & exponi Act. 15. Eo sensu Gregor. Nazianz. in orat. de Athanasio, eximiè ait, Τὸ μὲν ὁμόγνωμον καὶ ὁμόθρονον, τὸ δὲ ἀντίδοξον, καὶ ἀντίθρονον, καὶ τὴν μὲν προσηγορίαν, τὴν δὲ ἀληθείαν ἔχει διαδοχῆς, εἰδ' ὁ τὰ ἐναντία δοξάζων, διάδοχος, ἀλλ' ὁ τὴν αὐτῆς πίστεως, εἰμὴ οὕτω τις λέγοι διάδοχον, ὡς νόσου ὑγείας, καὶ φωτὸς σκότος, ζάλης γαλήνης, καὶ σωφροσύνης ἔκστασιν. *Quod est ejusdem sententiæ, est ejusdem sedis, quod verò est repugnantis, est etiam contrariæ sedis, hoc quidem denominationem, illud vero veritatem habet successionis, neque qui contraria docet successor est, sed qui est ejusdem fidei, nisi quis dicat esse successorem, ut morbum sanitatis, tenebras lucis, tempestatem malaciæ, & extasin prudentiæ.*

XXXI. Quum Patres successionem afferunt disputando contra hæreticos, non tam intelligunt successionem personalem vel localem, quàm doctrinalem, vel istam semper conjungunt & supponunt. Tertullianus apertè hoc tradit de præscript. hæretic. cap. 37. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit authorem & antecessorem. Confingant tale quid hæretici, sed etsi confinxerint nihil promovebunt, ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit, quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, Ita & Apostolici non contraria Apostolis ed.dissent.* Sic Irenæ. adverf. hæref. lib. 4. cap. 43. *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum beneplacitum Patris acceperunt; Reliquos verò qui absistunt a principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & male sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, vel rursus ut hypocritas quæstus gratiâ, & vanagloriæ hic operantis &c.* Augustl. lib. de Uni. Eccles. cap. 4. *Quicunque è Scripturis Sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt Ecclesia.* Et cap. 16. *Nolumus nos Ecclc-*

cleſiam noſtram probare vel ex ſucceſſione Epiſcoporum, vel ex autoritate Conciliorum, vel ex miraculorum frequentiâ &c. QUÆST. XIII.

XXXII. Sexta nota eſt *Conſpiratio in doctrina cum Veteri Eccleſia, & Patribus poſt Apoſtolos.* Circa quam dicimus, ſi per antiquam Eccleſiam intelligerent Apoſtolicam, qualem in Scriptis Euangelicis & Apoſtolicis habemus, Concedimus poſſe dici notam, & ita coincidit cum noſtra. Sed ſi per eam intelligunt, vel veterem Eccleſiam quatuor aut quinque ſeculorum priorum ab Apoſtolis, vel quæ præceſſit tempora noſtra aliquot abhinc ſeculis. Negamus eſſe notam. 1. Quia non eſt *eſſentialis*; Eccleſia quippe ſuperſtruitur tantùm ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Epheſ. 2. 20. non ſuper monumentis Patrum Ezech. 20. 18. 19. Matth. 5. 21. 27. Galat. 1. 8. 9. 2. Nec *propria*, quia conſenſum illum etiam hæretici jactant, & ſaltem in quibuſdam habere poſſunt; ut non eadem ſemper fuit Eccleſiæ veteris puritas & integritas. 3. Nec *inſeparabilis*, quia Eccleſiæ Patriarchali & Apoſtolicæ competere nequit. *6. Contra Conſpirationem in doctrina.*

XXXIII. 4. Quia fallax eſt, & cujus nomine facillimè imponatur hominibus incautis, ut dictum de Antiquitate; maximè cùm non extent vel Teſtes, vel Acta authentica, & Canonica, quibus abſolutè ſit fides habenda. Nec Patres omnes ſcripſerunt, nec de omnibus, nec ſibi propoſuerunt regulam fidei nobis tradere, & multa eorum ſcripta interciderunt, & ad nos non pervenerunt. 5. Quia eſt obſcuriſſima & difficillima cognitu populo, ac infiniti laboris; quæ requirit plenam & perfectam omnium ſeculorum cognitionem, & ſententiæ ſingulorum Patrum; At quotuſquiſque eſt qui eò perveniat? Doctiſſimi laborant in legendo & intelligendo, nec ſententiam ſemper in omnibus aſſequuntur, torquent ſe in locis conciliandis, nec ſe expedire ſæpe poſſunt à difficultatibus quæ occurrunt. 6. Vel agitur de dogmatibus, in quibus conſenſus; Vel de controverſis; Si de iſtis, ut neceſſe eſt, quia quærimus notas ad diſcrimen, maxima pars Controverſiarum noſtrarum Patribus inaudita fuit, vel non ſcripta; Eſt autem iniquum Patrum voces ſecuriùs prolatas, antequam obſervaſſent rerum exitum pertrahere ad hodiernas opiniones. 7. Non pro Veterum doctrina habendum quicquid in uno vel altero legitur; Sed quod vel in Conciliis generalibus pro fidei dogmate habitum, vel ex Patrum omnium conſenſu pro dogmate proponitur. 8. Quia qui ſcripſerunt etiam antiquiſſimi, ſuis nævis & erroribus non caruerunt, ſæpe à ſe ipſis diſſident, nec ſunt omnes in omnibus concordes. Adde ſcripta ipſorum ad nos pura & integra non perveniſſe, ſed miſerè corrupta & vitiata, multoſque fœtus adulterinos & ſpurios illis eſſe ſuppoſitos per Pſeudepigrapha, ut à viris doctis pridem demonſtratum; Et Patres ipſos noluiſſe noſtris ſcriptis alligari & ſuis teneri opinionibus, ut à nobis probatum fuit

QUÆST. XIII. Parte I. Loco II. Quæst. XXI. 9. Ipsi Pontificii sæpius à Patribus recedunt, nec se teneri volunt illorum placitis quum sibi adversari eos vident. Baron. ad An. 34. sect. 213. *Sanctissimos Patres in interpretatione Scripturæ non semper in omnibus Catholica sequitur Ecclesia.* Idem passim agit Bellarminus, Patrum sententias, quæ minus ipsi arridents, carpendo & refutando.

XXXIV. Ecclesia antiqua aut *Apostolica* est, aut *primitiva Patrum* post Apostolos. Cum illa quæ consentit, est vera Ecclesia simpliciter Eph. 2. 20. Cum ista autem, secundùm quid tantùm, id est, eatenus quatenus doctrinæ Apostolicæ fundamentum retinet 1. Cor. 3. 11. 12. Frustra jactatur consensus cum Ecclesia sequiorum seculorum, quæ nostram paucis abhinc seculis præcessit; quia nulla antiquitas vera est, nisi quæ ab initio repetitur ex regula Christi Mat. 19. 8.

7. *Contra Unionem membrorum cum Capite.*

XXXV. Septima nota est *Unio membrorum cum Capite & inter se.* Sed nec ea potest esse nota. Nam cùm *Unio* duplex possit esse, alia *interna*, alia *externa*, neutra potest esse nota. Non *interna* & mystica fidelium cum Christo & inter se, quia est invisibilis, soli Deo nota. Non *externa* vel cum Capite visibili, quia nullum est, vel cum membris inter se per doctrinæ ejusdem professionem, & eorundem sacrorum communionem, ac mutuæ dilectionis symbola & officia; quia potest esse fucata & hypocritica, & separata à veritate doctrinæ, sine qua nulla potest dari vera Unio.

XXXVI. Rursus non potest esse nota propria & essentialis, quia competit etiam multis profanis cœtibus, & hæreticis. Ante diluvium terra erat unius labii, & omnis caro corruperat viam suam Genes. 6. Decem tribus in Bethel vitulos adorant, Judæorum Synagoga uniter contra Christum ad eum perdendum, Antichristum magno consensu & concursu dicitur sectaturus mundus Apocal. 17. Ariani de unione suâ etiam gloriabantur, quò pertinent ista Hilarii ad Auxenti. *Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra opinio unitatis, sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ & Euangeliorum unicam pacem esse, quæ Christi est &c. Imminentis Antichristi prævii, ministrique, pace sua, id impietatis suæ unitate se jactant, agentes se non ut Christi Episcopos, sed ut Antichristi Sacerdotes.*

XXXVII. 3. Non est inseparabilis, quia inter Christianos dissensio esse potest salva veritate, & sæpe fuit Act. 11. 2. & 15. 39. Philip. 3. 15. 16. Est quidem Ecclesiæ bene constitutæ proprietas, est omnium officium; Est Ecclesiæ tuendæ & conservandæ doctrinæ ratio certissima, pax & concordia à Christo & ab Apostolis ἀναλείπτως commendata. Sed non protinus Ecclesia vera esse desinit, quæ dissidiis quibusdam laborat, & cujus partes distrahuntur in variis capitibus, modò consensus maneat in fundamento. Sic olim varia dissidia fuerunt inter Apostolos circa primatum,

tum, inter Paulum & Petrum, Paulum & Barnabam; Sic apud Veteres inter Ecclesias Orientales & Occidentales circa celebrationem Paschatis, acerrima fuit contentio quæ multis seculis duravit. Inter Patres non una fuit dissensio ut inter Irenæum & Victorem, Cyprianum & Stephanum, Chrysostomum & Epiphanium, Hieronymum & Ruffinum, Cyrillum & Theodoretum, & alios varios, quæ non effecerunt tamen ut Ecclesiæ illius temporis amitterent, vel nomen vel veritatem. Quæst. XIII.

XXXVIII. 4. Cùm variæ unionis sint species, aliæ in malo, aliæ in bono & vero, illa demum unitas probanda est, quæ veritate nititur. Unde unitas ex fide, non fides ex unitate æstimanda est: Atque ita prius veritas doctrinæ, quâ omnis vera & salutaris unio nititur, cognoscenda erit, antequam de Ecclesiâ constet; aliàs ut bene Nazian. Oratio de pace κρείσσων ἐμπαθὴς ὁμονοίας ἢ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις, *Melius est dissidium pietatis causâ ortum, quàm vitiosa concordia.* Accuratè itaque attendendum & definiendum, in quo unio Christiana sit constituenda; ne sit Vel *tyrannica* & servilis propter suppliciorum metum & inquisitionis rigorem; Vel *herodiana*, ut quum Herodes & Pilatus, aliàs minimè concordes, consociantur ad persequendum Christum; Vel *erronea*, quum datur conjunctio in professione ejusdem erroris, quæ non tam consensio & vera unio quàm exitialis conspiratio dicenda est; quales factæ sunt in variis Conciliis λῃστρικοῖς, quæ exitiales errores vel Arianorum, vel Eutychianorum, vel Pelagianorum, & similium hæreticorum adoptarunt, & calculo suo approbarunt. Sed ut sit *Evangelica* & veritate fidei nixa.

XXXIX. Veteres nunquam crediderunt Ecclesiæ notam esse consensum vel obedientiam R. P. præstitam; Nam Ecclesias Asiaticas habuerunt pro Ecclesiis, etsi eas excommunicasset Victor, ut & Africanas licèt dissiderent à Pontifice. Ita Ecclesiæ Græcæ non minus quàm Latinæ nomen suum retinuerunt, etsi sæpe dissiderent à Romanis, nec ullam Papæ exhiberent subjectionem. Athanasius non desiit Orthodoxus esse, etsi Liberius consensisset in ejus condemnationem. Nec Cyprianus, licèt Stephanus eum à sua communione repulisset, & Episcopos ab illo ex Africa legatos, nec ad sermonem communis colloquii admisisset, & præcepisset universæ fraternitati, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm tectum, sed etiam pax negaretur, ut notat Cassander ad articulum septimum.

XL. Loca Scripturæ, quæ Ecclesiam unum Corpus, unam Sponsam, unum Ovile esse dicunt Rom. 12. Cantic. 6. Joann. 10. non agunt propriè de Ecclesia visibili de cujus notis quæritur, sed de invisibili verorum fidelium. 2. Docent quidem ad Ecclesiæ constitutionem unionem requiri, scilicet in fide & veritate, Ephes. 4. 4. 5. Sed non inde sequitur unionem simpliciter & seorsim posse esse notam Ecclesiæ, quæ

QUEST. XIII. innumeris aliis rebus, quæ unitatem vel naturalem, vel politicam habent, convenit.

8. Sanctitas doctrinæ. XLI. Octava nota est *Sanctitas veræ doctrinæ, quia vera Ecclesia*, ut loquitur Bellam. cap. 11. *non solùm est Catholica, Apostolica, & una, sed etiam sancta; ut habet Concilium Constantinopolitanum; sancta autem est Ecclesia, quia professio ejus est sancta, nihil continens falsum, quoad fidei doctrinam, nihil injustum, quoad doctrinam morum*; Sed hæc nota non obscurè coincidit cum nostra, & nobis concedit, quod alibi Adversarii nobis eripere conantur. Nam si sanctitas doctrinæ est Ecclesiæ nota; Ergo doctrina ipsa multò magis est nota, cùm sanctitas sit tantùm doctrinæ qualitas. Rursus si Ecclesia est sancta propter doctrinæ sanctitatem. Ergo multò magis propter doctrinam ipsam, cui talis sanctitas competit. Tertiò cùm sanctitas doctrinæ, non aliunde cognoscatur, quam ex veritate doctrinæ, à qua derivatur, *Sanctifica eos in veritate tuâ, Verbum tuum est veritas* Joan. 17. 17. & Joan. 15. 3. *Mundi estis propter sermonem quem dixi vobis.* Dicere sanctitatem doctrinæ esse notam Ecclesiæ, est dicere veritatem doctrinæ, seu conformitatem cum Verbo Dei esse notam, quod volumus. Nec recusamus, quin Ecclesia illa quæ sancta dicitur, quia nihil continet falsum quoad doctrinam fidei, nihil injustum quoad doctrinam morum, quod non aliunde cognosci potest, quàm ex collatione cum Scriptura, sit vera.

9. Efficacia doctrinæ. XLII. Idem dicendum de *Efficacia doctrinæ*, quæ illis est nona nota; quia sola vera Ecclesia doctrinam habet, non solùm immaculatam, sed etiam convertentem animas, ut dicitur Psal. 19. 8. & Hebr. 4. 12. Nam cùm nulla doctrina efficaciam istam divinam ad hominum conversionem habere possit, nisi quæ est θεόπνευστος, scriptis Prophetarum & Apostolorum consignata, non potest doctrinæ efficacia esse nota Ecclesiæ, quin ipsa doctrina, quæ talem effectum operatur, multò magis sit nota. Secundò cùm error etiam suam vim & efficaciam ad fallendum obtineat, juxta quam *adventus hominis peccati* dicitur *futurus ex vi & efficacia Satanæ cum omni potentia* &c. & *Deus* dicitur *missurus* ἐνέργειαν πλάνης, *efficaciam erroris, ut homines credant mendacio* 2. Thess. 2. 9. 10. Et Babylon dicatur inebriare omnes incolas terræ, vino scortationum suarum Apocal. 17. 18. *&c.* Inter satanæ & divini Spiritus efficaciam non aliunde, quàm ex divini Verbi face discerni potest. Nec enim quælibet hominum conversio ab una religione ad aliam, arguit statim divinam gratiæ efficaciam, & veram Ecclesiam; sed ea quæ fit tantùm ad veram fidem & religionem, quæ non aliunde quàm ex Verbo Dei, & doctrinæ veritate ex illo hausta cognosci potest. Cæterùm quia Adversarii efficaciam doctrinæ metiri volunt ex multitudine conversorum, dicimus hoc sensu non posse esse notam Ecclesiæ, quia licèt Verbum Dei prædicatum nunquam

in-

incassum omnino cadat Isa. 55. 11. tamen nec semper, nec ubique, nec æquali gradu Deus Verbo suo coöperatur, sed quando, ubi, & quantum illi placet Matt. 11. 26. 27. & 13. 11. Dantur tempora fœcunditatis, in quibus ampla messis Domino colligitur, & tempora sterilitatis, quibus pauci convertuntur, & fideles Dei servi de rebellione & incredulitate peccatorum conqueruntur, ut sæpe fit à Prophetis, à Christo, & Apostolis. Quæst. XIII.

XLIII. Decima nota est *sanctitas vitæ Autorum, sive primorum Patrum Religionis*, Sed 1. cùm sanctitas vitæ sit fructus efficaciæ doctrinæ, & doctrinæ efficacia pendeat ex ejus veritate, sanctitas vitæ non potest veritatem Ecclesiæ probare, nisi relatè ad veritatem doctrinæ cujus est effectus. 2. Cùm nemini infallibiliter constet de sanctitate vitæ aliorum, quia sanctitas vera est quid internum, quod soli Deo cordium scrutatori notum est, & sæpe ab hypocritis ita simuletur, ut pro sanctis habeantur, qui sunt corruptissimi, ut *Satan se transformat in Angelum lucis, & operarii dolosi se transfigurant in ministros justitiæ* 2. Cor. 11. 13. 14. Non potest sanctitas vitæ esse nota, quam quærimus. Nam si agitur de interna, est invisibilis, externa verò est fallax & dubia. 3. Hæretici non pauci sanctitatem peculiarem jactabant, ut Donatistæ, Cathari, & Manichæi, de quibus August. lib. de morib. Ecclesiæ dicit tantam sanctitatis speciem præ se tulisse, ut multos deciperent. Imò Antichristo propriam fore hypocriticæ sanctitatis simulationem docent, Pererius in Dani. lib. 14. & Acosta de tempo. novissi. cap. 20. 3. Quoad Patres seu Autores Religionis, cùm neminem agnoscamus pro autore Religionis nostræ præter Christum, cujus interpretes θεόπνευστοι fuerunt soli Prophetæ & Apostoli; sanctitas vitæ ejus utut perfectissima, non potest esse nota, quam quærimus: cùm omnes Christiani qui Scripturam agnoscunt, eam sibi vindicent, communia autem non faciunt discrimen. Facit quidem ad probandam veritatem Christianæ Religionis adversus infideles, sed non ad distinguendam veram Ecclesiam Orthodoxam à falsis Cœtibus, qui nomine Christi gloriantur. 10. *Contra sanctitatem vitæ Patrum*

XLIV. Undecima est *Gloria miraculorum.* Sed 1. non potest esse nota essentialis, quia pendent & dijudicanda sunt ex doctrina, nec recipienda sunt, nisi quatenus doctrina, ad cujus confirmationem fiunt, est conformis Dei Verbo, aliàs rejicienda sunt ut adulterina Deut. 13. 1. 2. Non est propria, quia Pseudoprophetæ gloriantur etiam miraculis Matt. 7. 22. 23. & 24. 24. 25. & ea hæretici jactant, ut Donatistæ apud August. lib. de Unit. Eccles. & tr. 13. in Joh. Nazaræi apud eundem lib. de hæres. & præ cæteris famosus illis debet esse Antichristus 2. Thessal. 2. 10. 11. Apocal. 13. & 17. Non est inseparabilis, quia Ecclesia à multis Prophetis, & à Johan. Baptista collecta nullis claruit miraculis, 11. *Contra gloriam miraculorum.*

&

QUÆST. XIII. & miracula sunt accidentaria & dona extraordinaria, quæ ad tempus tantùm data sunt Ecclesiæ, non ad semper; ad Christianismi primam constitutionem, sed non ad ejus continuationem. *Necessaria*, inquit Ferus, præfa. lib. 2. commen. in Matth. *in exordio Euangelii fuerunt hujusmodi miracula, donec Verbum Domini, in possessionem, ut ita dicam, veritatis collocaretur. Nunc autem cùm semel jam ab omnibus receptum sit & creditum ut verè Verbum Dei, non opus est novis miraculis, sed sufficit proferre miracula à Christo & Apostolis facta* &c. Idem confirmat *Stella* in Lucam cap. 11. *Maldon.* in Matth. 7.

XLV. 5. Patres hoc non semel profitentur, August. tr. 13. in Johan. *Contra istos mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens in novissimis diebus exsurgent multi Pseudoprophetæ facientes signa & portenta, ut in errorem inducant, si fieri possit, etiam Electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit Sponsus, quia & miraculis decipi non debemus.* Et de Unit. Eccles. cap. 16. *Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum; aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quod cùm Dominus dixisset quosdam futuros esse fallaces* &c. *adjecit vehementer commendans, & ait. Ecce prædixi Vobis.* Et postea, *De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt, & quia ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis, & quia multos seduxerunt somnia sua. Audiunt etiam quæ narrent Pagani de Templis & Diis sui mirabiliter vel facta vel visa, & tamen Dii gentium dæmonia* &c. Chrysostom. homil. 23. in Johann. *Nonne & nunc quoque signorum petitio, tentantium est? Sunt sanè & hâc nostrâ ætate qui quærant, quare & nunc signa non fiunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur*, Gregor. Mag. ho. 29. in Euang. *Nunquid fratres mei, quia miracula ista non facitis, minimè creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, ut multitudo ad fidem cresceret; quia nos cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.*

XLVI. 6. In miraculis nemo nescit innumeras esse fraudes & imposturas, quæ vanitatem eorum retegunt, & fidem faciunt pro miraculis obtrudi vili popello ea quæ nihil tale sunt re ipsa; Vel quia recitantur casus, qui nunquam evenerunt; Vel quia sunt mirabilia, quæ possunt causarum naturalium ordinariarum vires excedere, sed non vera miracula, quæ superent omnem virtutem finitam; Vel quia mera sunt figmenta, quibus plebeculæ miserè illuditur; quod Lyra. in Dani. 14. observat, *Maxima fit deceptio populi fictis miraculis à Sacerdotibus, vel eis adhærentibus propter lucrum temporale* &c. Valla de Constantini donatione, Circulatores & Agyrtas ludificatos esse populum ait fictis miracu-

raculis. Nec difficile esse talium figmentorum & falsorum miraculorum exempla innumera afferre, si id nunc ageremus. Quæst. XIII.

XLVII. Non quidquid necessarium est ad tempus, est necessarium absolutè, Nec quod necessarium est ad rem, idem statim est rei nota. Miracula fuerunt necessaria Mosi & Christo ad doctrinæ suæ confirmationem; Sed non pariter nobis, Quia non valet consequentia ab Ecclesia constituenda ad constitutam, à doctrina confirmanda ad confirmatam; Bellar. ipse non potest hoc diffiteri, quum ait, *necessaria esse miracula ad novam fidem, vel ad extraordinariam missionem.* At nos nec novam fidem prædicamus, sed revocamus ad veterem, quæ Christi & Apostolorum miraculis est confirmata, nec extraordinariam jactamus missionem, quæ sit præter ordinem a Deo institutum, quanquam, ut suo loco ostendetur, non omnis extraordinaria missio eget miraculis.

XLVII. Duodecima est *lumen Propheticum.* Sed perperam, sive per illud intelligatur donum prophetandi futura, vel donum interpretandi prophetias. 1. Quia est donum extraordinarium, non perpetuum, quod ad charismata miraculosa pertinet, ut species ad suum genus. 2. Quia donum hoc aliquando concessum est à Deo etiam falsis Prophetis, & Impostoribus Deut. 13. 2. Num. 23. 7. & 24. 3. Joan. 11. 51. Matt. 7. 22. Ostentarunt etiam Ethnici sua oracula, & hæretici suas revelationes. Nec ipsi Adversarii hoc diffitentur Thomas 2. 2. q. 172. art. 6. Perer. in Exod. 11. disput. II. Maldo. in Matth. 7. 3. Quia multæ sunt veræ Ecclesiæ, quæ donis illis illustribus carent, quæ peculiariter indulta sunt Ecclesiæ Apostolicæ sub initium Novi Testamenti. Defit Spiritus Prophetiæ in Veteri Ecclesia à tempore Malachiæ ad Christum, nec tamen defiit esse Ecclesia. Neque post doctrinam nobis in Scripturis revelatam novis revelationibus inhiandum, aut temere credendum. 4. Quia si esset Ecclesiæ nota, novæ quotidie Prophetiæ expectandæ essent, quod absurdum. 12. *Contra lumen Propheticum.*

XLIX. Locus Joëlis 2. 28. promittit quidem sub Novo Testamento uberrimam Spiritus Sancti effusionem miraculosam in primordio, sed perpetuam postea Spiritus assistentiam, & dona ordinaria, non miraculosa, ex stylo Vet. Tastam. ubi mysteria Euangelica terminis legalibus exprimuntur; Sed non propterea probat esse notam Ecclesiæ, quia non omne donum est nota. *Joel.* 2. 28.

L. Decimatertia est *Adversariorum Confessio.* Sed non est nota essentialis, utpote testimonium externum, ab extraneis profectum, quod vim nullam habet in causa, quæ divino tantum testimonio decidi debet; cùm is demum sit probatus, quem Dominus commendat 2. Cor. 10. 18. Nec propria, quia Christiani pro candore suo tum gentibus, tum hæreticis, libenter tribuunt, si quid laudis & virtutis habent. Sic Basilius Libanium Sophistam laudat, Ausonius Symmachum, Augu- 13. *Contra Adversariorum confessionem*

QUÆST. XIII.

stinus Tychonium Donatistam; Nec ideo eorum fidem probant; Ingenuitatis est virtutem etiam in hoste laudare. Non inseparabilis, quia si quandoque coguntur vi veritatis aliquam laudem Ecclesiæ tribuere, sæpius eam convitiis proscindunt, & calumniis diffamant, ex prædictione Christi Matth. 5. 11. Non legitima, quia nulla inde veritatis confirmatio; honestum non est à testimoniis hostium robur mutuari. Unde Christus os Satanæ occlusit, ne prædicaret eum esse Messiam. Efficax quidem potest esse argumentum ad hominem testimonium Adversarii, sed ideo Ecclesiæ nota non est.

14. Contra infelicem exitum hostium.

LI. Decimaquarta, *Infelix exitus hostium & persecutorum.* Sed quis dixerit id quod est extra Ecclesiam posse esse ejus notam, nedum ut sit nota essentialis & propria? Adde quòd etiam Ecclesiæ & membris ejus sæpe tristis exitus contingit in hac vita, exemplo Christi, Apostolorum, & sanctorum Martyrum; beatus quidem est piorum exitus, sed non est conspicuus mundo, imò miserrimi videntur. Denique licèt quamplurima sint judicii divini in Persecutores exempla tremenda, non omnes tamen infeliciter perierunt, nec defuerunt, qui siccâ placidâque morte obierunt.

15. Contra felicitatem temporalem.

LII. Decimaquinta tandem statuitur *felicitas temporalis.* Sed totâ Scripturâ reclamante, quæ de cruce & calamitate loquitur, ut de vexillo Christi, veritatis comite, & portione fidelium Act. 14. 22. 2. Tim. 3. 12. 1. Cor. 15. 19. Mat. 5. 10. Illa verò est insigne Babylonis, quod mundo tribuitur Joan. 16. 20. Apoc. 18. 7. Tantum abest ergo ut ex felicitate temporali vera Ecclesia discerni possit à falsa, ut contra hoc criterio longè certiùs à vera internoscatur falsa, quæ dicit, *Sedeo Regina, nec video luctum.* Promissiones benedictionum temporalium, quæ fiunt pietati 1. Timot. 4. 8. 2. Sam. 2. 30. & quæ contigerunt piis Patriarchis & Regibus, intelligendæ sunt de vera & solida felicitate, non autem de externâ tantum, quæ fluxa est & evanida, & impiis etiam communis. Idque cum exceptione castigationis & crucis, quam addit Scriptura Isa. 30. 20. Marc. 10. 30. Psal. 99. 8. Deinde aliud est promissionem aliquam dari Ecclesiæ, aliud esse ejus notam.

LIII. Ex quibus constat notas istas omnes perperam à Bellarm. adduci ad probandam veram Ecclesiam. Non melius alii ex quatuor Symboli Elogiis totidem notas ejus extruere nituntur, nimir. quòd sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.* Hæc enim veræ Ecclesiæ insignia, nonnisi propter fidem & doctrinam veram alicui Ecclesiæ conveniunt, ut eademum sola Ecclesiæ nota sit. Illa enim verè est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, quæ *unitatem fidei semel traditæ sanctis* Jud. 3. & *sanctitatem* veritatis Catholicæ juxta fundamentum *Prophetarum & Apostolorum* Ephes. 2. 20. religiosè retinet.

LIV. Quam-

LIV. Quamvis autem istæ, quas Pontificii pro notis obtrudunt, tam veræ essent, quàm sunt adulterinæ. Facilè est ostendere Romam falsò de illis gloriari, nec posse illi re ipsa competere. Non *Nomen Catholicum*, quia ἀσύγκριτον est Ecclesiam particularem, qualis est Romana, Catholicam & Universalem statuere, ut Orbis est major Urbe. Nec *Antiquitas*, quia Ecclesia Græca est antiquior Romanâ, & dogmata quæ Roma hodie credenda proponit à nostris discrepantia, notiva sunt & recens nata, vel ab aliquot seculis tantùm cognita; inaudita verò & incognita fuerunt primæ & veræ antiquitati, quæ à temporibus Christi & Apostolorum reperenda est, de quibus meritò dicere possumus cum Christo, οὐχ οὕτως ἦν ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio non fuit sic*, Matth. 19. 5. Quod de Papæ primatu & infallibilitate, de Purgatorio & Satisfactionibus humanis ac Indulgentiarum Thesauro; De Præsentia corporali, Transubstantiatione, & Sacrificio Missatico: De merito operum & liberi arbitrii viribus, De Invocatione Sanctorum, & Imaginum cultu, De Traditionibus ἀγράφοις, & aliis id genus erroribus tam theoreticis quàm practicis, quos Roma sancivit, & sub anathematis pœna credendos obtrusit, proclive foret demonstrare. Ut probatum est fusè à nostris. Quæst. XIII.

LV. Non *amplitudo*, quia amplior est jurisdictio & communio Alexandrini & Constantinopolitani Episcopi per Asiam & Africam, quàm Papæ per Europam, in quâ si Hispanos ferè ac Italos excipias, nulla est gens, quæ ipsi in solidum adhærescat, & potentissima sunt Regni & Status, qui jugum ejus excusserunt. Non *successio* non interrupta, præterquam quod enim caret successione doctrinali, ut ex doctrinæ examine colligi potest. *Nulla autem est vera successio absque veri à doctrinâ*, ut ait Stapleto. in Relect. Princip. fidei Controv. 1. de Eccles. q. 4. art. 2. Quis successionis personalis filum jamdiu in ea sede abruptum esse negare potest? Tum per diuturnam sedis vocationem, vel Antipaparum dissensionem, Tum per illegitimam sedis occupationem, sive per vim, sive per fraudes, sive per simoniam, & artes magicas; Tum per hæreses & schismata varia, quæ in Ecclesia Romana locum habuerunt, per quæ successionem non posse continuari diffiteri non possunt ipsi adversarii. Ubinam v. g. erat successio non interrupta, quum varii Pontifices hæretici sedem occupabant, varii qui malis artibus in eam intrudebantur? Ubi erat seculo nono & decimo, quod ferreum vocat Baronius, quo, teste Genebrardo, plusquam 50. Pontifices à Majorum virtute prorsus defecerunt Apostatici & Apotactici potius quàm Apostolici? *Quæ tunc facies erat Ecclesiæ Romanæ*, inquit Baron. ad an. 912. *quam fœdissima, cùm Romæ dominarentur potentissimæ equè ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, crearentur Episcopi, & quod audiu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudopontifices, qui non sunt nisi*

QUÆST. XIII. *ad consignanda tanta tempora in Catalogo Romanorum Pontificum scripti. Quis enim a scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel postea consentientis aliqua mentio, Canones omnes pressi silentio, decreta Pontificum suffocata, proscripta antiquæ traditiones, vetereque in eligendo summo Pontifice consuetudines, sacrique ritus, & pristinus usus prorsus extincti &c. Dormiebat tunc planè alto sopore Christus in navi &c. Et quod deterius videbatur, deerant qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent discipuli, stertentibus omnibus. Qualesnam reris delectos ab hisce monstris Presbyteros & Diaconos Cardinales fuisse putandum?* &c. Eant nunc Adversarii & de successione suâ non interruptâ glorientur. Idem ostendi posset de tempore gravissimorum & diutinorum illorum schismatum, quibus Respublica Christiana miserè discerpebatur, Antipapis in sè invicem censuris, & excommunicationibus sævientibus, quæ ab historicis prolixè referuntur.

LVI. Nec *Conspiratio in doctrina cum Veteri Ecclesia*, sive primitiva & Apostolica spectetur, à cujus fide immane quantum discrepat, sive ea quæ Apostolica tempora in seculis sequentibus excepit, cum qua parum convenire collatio utriusque abundè docere potest. Nec difficile esset ostendere Patres, quidquid jactent Pontificii, Ecclesiæ Romanæ neutiquam favere, positis variis cautelis. 1. Si Scriptores priorum adhuc seculorum respicias; in quibus purior adhuc fuit Christianismus; nam in sequentibus crevisse cum opibus errores non diffitemur. 2. Si Pseudepigrapha tollas, & supposititia reseces. 3. Si consensum omnium exquiras, nec in uno vel altero acquiescas. 4. Si non tantùm unum aut alterum locum, sed sententiam & mentem autorum ex omnibus eorum scriptis diligenter excerpas & expendas. 5. Si dicta omnia suppositia, vel adjecta & insulta demas, quod constare potest ex multorum codicum collatione. 6. Si loca omnia integra, nec abscissa & trunca a legas. 7. Si affictas sententias, & falsò tributas opiniones removeas. 8. Si discernas quæ panegyricè dixerunt potius quàm didacticè, quæ disputationis calore abrepti & ad extrema vergentes, quæ ut causæ inservirent, quæ dubio & hæsitante animo, quæ allegoricè & figuratè, potius quàm propriè. 9. Si privatas opiniones eorum, vel errores à dogmatibus in Ecclesia receptis distinguas, & alia id genus observes, quæ fusè exposita vide apud *Rivet.* in Cath. Orthod. *Iuvellum* contra Harding. & Campianum, *Scultetum* in Præfa. medul. Patr. *Morionum* Apol. Catho. *Molinæum*, *Cappellum*, & præ cæteris *Dallæum* de Usu Patrum.

LVII. Tantum abest vero ut consensum suum cum veteri Ecclesia puriori probare possit Roma, quod ex collatione doctrinæ utrobique receptæ, tam in fide quam in cultu proclive est demonstrare, ut factum à nostris sæpius. Ut potius conspirationem & consensum ejus cum variis

riis hæreticis olim damnatis, facile sit animadvertere. Cum Angelicis, Collyridianis, & Staurolatris, in Angelorum, B. Virginis, & Crucis cultu. Cum Montanistis, Manichæis, Encratitis & Tatianis, in ciborum delectu, statis Jejuniis, & Cœlibatus Lege. Cum Pelagianis & Semipelagianis, in doctrina de libero arbitrio, de meritis operum & de perfectione justitiæ; Cum marcionitis & Pepusianis, in baptismo mulierum; Cum Manichæis, in prohibitione calicis, & communione sub una specie; Cum Esseniis, in linguæ peregrinæ in sacris usu; Cum Euchetis, Nudipedalibus & Apostolicis, in Monachorum votis; Cum Sampsæis, in reliquiarum cultu; Cum Basilidianis, Carpocratianis, & Gnosimachis, in Scripturæ prohibitione. Cum Eutychianis, Marcosianis, & Elcesaitis, in Transubstantiatione. Cum Heracleonitis in extrema unctione, & cum omnibus hæreticis in Traditionum necessitate & Scripturarum accusatione, ut fusè à *Reveto* in procem. Catholi. Orthodo. *Molinæo*, *Dovvnamo*, & aliis probatum est. Quæst. XIII.

LVIII. Nec *Unio Membrorum inter se & cum Capite*; Cùm acerrimæ sint inter ipsos Romanenses contentiones & dissidia, non de externis tantùm ritibus & cæremoniis, sed de gravissimis dogmatibus, & præcipuis fidei capitibus, ut de Papæ infallibilitate, de ejus authoritate supra Concilium, aut Concilii supra Papam, de Prædestinatione, Gratiâ, & Libero Arbitrio, de Conceptione B. Virginis, De Meritis Operum, de Visibilitate & Localitate Corporis Christi in Eucharistia, De Transubstantiatione & ejus consequentiis, & aliis innumeris id genus, quæ inter Thomistas & Scotistas, Molinistas & Jansenistas, Prædeterminantes & scientiæ mediæ Patronos, Franciscanos & Dominicanos agitantur quotidie, quæque Caput ipsorum nondum potuit componere.

LIX. Nec *Sanctitas doctrinæ*, cum variis dogmatibus suis latam portam scelcribus aperiat, & fœdissimos errores, impias idololatrias, ac tyrannidem durissimam stabiliat. Nec *efficacia doctrinæ*, nisi intelligas erroris efficaciam, quam Apostolus tribuit mysterio iniquitatis 2. Thessal. 2. quàm parum enim apta sit conversioni peccatorum res ipsa clamat; & Adversarii de eo satis convicti videntur, qui ad fidem propagandam, non tam persuasionis lumine utuntur; quàm armorum violentiâ, non tam rationibus ex Scriptura petitis & veritatis demonstratione ad convictionem conscientiæ, quàm promissionum illecebris, & minarum ac tormentorum terriculamentis; hinc dignitatum, deliciarum & divitiarum ostentatione viles animas inescando, inde verò ferro & flammis, edictis sanguinolentis, & dirissimis persecutionibus sæviendo; atque ita gladium oris divini, quò error confici debuit, in os gladii, quò fideles ipsi perimantur, convertendo.

LX. Non *Sanctitas vitæ primorum Autorum Religionis*. Nam vel in-

QUÆST. XIII. telliguntur Prophetæ & Apostoli, quorum sanctitas non potest quicquam conferre illis, qui ab eorum fide deficiunt; Vel Pontifices & Institutores Ordinum Religiosorum; Sed quàm parum castigati plerorumque mores fuerint, ne dicam quàm impuri & impii, Scriptores non dissimulant. Non *Miracula*, sive respicias miracula Christi & Apostolorum, quia inservire quidem possunt ad confirmationem doctrinæ Apostolicæ, quam retinemus, sed nihil faciunt ad confirmationem errorum, quos præter & contra Scripturam invexerunt, & ridiculum esset iis probare velle Purgatorium, Transubstantiationem, Indulgentias, aliasque ejusmodi fabulas, quarum tunc ne nomina quidem erant cognita. Sive attendis ad miracula sequentium seculorum, & quæ novissimis temporibus venditantur à Pontificiis. Quia jactant illi quidem, sed non demonstrant, nec nobis præsentibus & spectantibus faciunt, quos tamen par erat vel flectere vel ulcisci, imò sæpe professi sunt præsentiam alicujus Protestantis vim illam θαυματουργὸν suarum imaginum & reliquiarum impedire. Et quamvis passim jactent miracula hic & illic fieri; tamen vix ulla ex illis Papæ approbationem consequuntur, adeò fraudum & mendaciorum in eo genere probè sibi sunt conscii. Quæ si quis referre vellet, ex talibus imposturis volumen integrum fieri posset. Vide *Cappellum* adversus Ferra. c. de Impostoris, & *Molinæum* in 2. Thessal. 2. Nec ignotum est quàm multa falsi convicta sint publicè, ut videre est apud Paponum in Arrestis Curiæ Parlamenti. Canus lib. 11. cap. 6. *Negare*, inquit, *non possumus viros aliquando gravissimos, in divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse*; Et paulò post. *Nec ego hic libri illius authorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur, nec historiæ etiam ejus quæ Legenda aurea nominantur; In illo enim sæpius miraculorum monstra quam vera miracula legas, hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum severi & prudentis.* Licet verò tam vera essent quàm falsa sunt talia miracula, qui ea venditant non forent audiendi, quum doctrinam Euangelicæ contrarium afferunt ex Galat. 1. 8. Eò vel magis quòd Antichristus venturus dicitur cum signis & prodigiis mendacii.

LXI. Nec *Lumen Propheticum*, quod dudum cessavit in Ecclesia cum dono miraculorum. Nec illud vel Pontificibus vel Conciliis tribuere audent. Et si quæ apud eos jactantur revelationes, tam vanæ sunt & insulsæ, ut fidem apud suos impetrare nequeant. Nec *Confessio Adversariorum*, quamvis enim non dissimulent nostri, si quid boni in Ecclesia Romanâ adhuc supereset, nemo tamen, qui ejus errores novit, potest illi veræ & orthodoxæ Ecclesiæ nomen tribuere. Nec *infelix exitus ejus Adversariorum*, quidquid de Reformatorum nostrorum infausta morte falsissimè blaterent Pontificii, ut non semel à Nostris cer-

tissi-

tissimis argumentis evictum est. Sed quàm potiore jure reponere possumus tragica exempla judiciorum Dei in morte variorum Pontificum, Regum, Principum, & aliorum persecutorum Ecclesiæ, quæ ab historicis referuntur? Nec *felicitas temporalis*, cui multum jam decessisse per varias plagas Ecclesiæ Romanæ illatas, non possunt diffiteri ipsi Adversarii. Sed de his satis. Quæst. XIV.

QUÆSTIO XIV.

Num Ecclesia Romana hodierna vera dici possit Ecclesia Christi? Neg. cont. Pontif.

I. EX iis quæ in Thesi de Notis Ecclesiæ dicta sunt, facile est colligere, quid in Hypothesi sentiendum sit, vel de Ecclesiâ Romanâ, vel de Ecclesiâ Reformatâ & Euangelicâ, de quâ distinctè agemus, & primò de Romanâ.

II. Quæstio est, Non de omni *Ecclesiâ Romanâ*, etiam illa, quæ Apostolorum ætate floruit, & cujus fides per totum orbem celebratur tempore Pauli Rom. 1. 8. Sed de *Hodiernâ Papali*, quæ Papæ dominatui & potestati subest. Quam Pontificii non modò veram esse pertendunt, sed & Catholicam & unicam in terris, extra quam nulla salus dari possit. Nos verò nec unicam & solam Catholicam, nec veram esse aut dici posse censemus. *Status Quæstionis.*

III. Quia verò *Ecclesia Romana* sub duplici ἀφέσει spectari potest, vel quâ est *Christiana*; ratione professionis Christianismi; Et veritatum Euangelicarum, quas retinet; Vel quâ *Papalis*, ratione subjectionis Pontifici, & corruptelarum & errorum capitalium tam in fide, quàm in moribus, quos cum veritatibus illis miscuit & superstruxit præter & contra Dei Verbum. De eâ diversimodè loqui possumus. Priori respectu, veri aliquid in ea subesse non diffitemur. Sed posteriori, sub quo hîc à nobis attenditur, negamus posse dici Christianam & Apostolicam, sed Antichristianam & Apostaticam. Hoc sensu *impropriè* & *secundum quid* fatemur dici posse adhuc Ecclesiam Christianam triplici respectu. Primò ratione *populi Dei*, sive Electorum in eâ adhuc manentium, & qui jubentur ex eâ exire, etiam sub tempus excidii Babylonici Apocal. 18. 4. 2. ratione *formæ externæ* seu ruderum quorundam Ecclesiæ dissipatæ, in quibus vestigia ejus hodieque conspiciuntur, tum respectu Verbi Dei, ejusque prædicationis, quæ in eâ licèt corrupta adhuc remanet, tum respectu Sacramentorum administrationis, & potissimum Baptismi, qui adhuc quoad substantiam integer in ea servatur. 3. ratione *veritatum Christiana-*

rum.

QUÆST. XIV.

rum & *Evangelicarum*, de Deo Uno & Trino, de Christo Mediatore θεανθρώπῳ de ejus Incarnatione, Morte & Resurrectione, & aliis capitibus, quibus à Cœtibus Paganorum & infidelium distinguitur. Sed negamus propriè & simpliciter dici posse veram Ecclesiam, nedum ut sit Unica & Catholica, ut vellent.

IV. Hoc autem ut demonstremus, vel hoc unum sufficere posset, quod ante probavimus, veræ Ecclesiæ propriam & essentialem notam non aliam esse, quàm doctrinæ, quæ in aliquo Cœtu retinetur, cum Verbo Dei conformitatem. Cùm enim luce meridianâ clarius liqueat ex collatione utrinque factâ, Ecclesiæ Romanæ doctrinam in multis & gravissimis capitibus è diametro cum Scripturâ pugnare, quibuscunque pigmentis & coloribus incrustetur ad fucandam ejus fœditatem, & duritiem emolliendam; Eo ipso constat, veram Ecclesiam nec esse, nec nisi falsò dici posse.

V. Sed ut distinctiùs hoc pateat, attendendi sunt varii illi characteres, & divinitatis radii, qui in Verbo fulgent, & quibus insigniri & probari debet doctrina salutaris & fundamentalis, quæ ex Dei Verbo petitur, & in vera Ecclesia docetur. Nimirum *Veritas in fide* immunis ab hæresi, *Veritas in cultu* repurgata ob omni superstitione & idololatria, *Libertas in regimine* aliena à servitute & tyrannide, *Sanctitas quoad mores*, opposita sordibus vitiorum & carnis immunditiei, & *Certitudo ac Consolatio* procul à dubitatione & diffidentiâ. Ut Ergo non potest non vera dici Ecclesia, quæ hoc salutis fundamentum retinet, Et cujus doctrina characteres istos præ se fert. Ita quæcunque iis destituitur, qualem esse Romanam censemus, veram Ecclesiam dici non posse jure pertendimus.

Ecclesiam Roman. non esse veram Ecclesiam probatur. 1. quia impingit in fundamentum.

VI. 1. Quia non modò *non superstructa est fundamento Prophetarum & Apostolorum*, nec illi soli innititur, ut vera Christi Ecclesia Ephes. 2. 20. Galat. 1. 8. 9. Sed multifariam *in ipsum impingit*, tum per additionem, tum per subtractionem. Primò per *additionem*, Cum Scripturis Canonicis, quæ nobis datæ sunt in credendorum & faciendorum regulam, traditiones humanas ἀχρόφυς à Christo ipso rejectas, Matth. 15. 19. adjungendo. Aliud fundamentum ponendo, præter id quod positum est, 1. Corint. 3. 11. aliud fingendo Caput Ecclesiæ præter Christum, alia merita, quàm solam ejus obedientiam, aliud sacrificium propitiatorium, quàm ejus Crucem; aliud purgatorium quàm ejus Sanguinem; alia nomina per quæ possimus servari, quàm Nomen Jesu; & plura id genus dogmata proponendo, quæ cum articulis fundamentalibus sunt planè ἀσύστατα, eorumque per directam & immediatam consequentiam evidenter eversiva. Nec audiendi sunt, qui ista inter se componi posse censent, *eo quòd subordinata non pugnent*; Nec aliquid addere fundamento, esse statim fundamentum ipsum evertere. Sanè qui addit fundamento

quæ

quæ illi sunt homogenea non evertit fundamentum; Sed qui addit contraria & ἀσύστατα, *addendo evertit*, conjungit enim ἀσύγκλωστα, & quæ simul stare nequeunt. Sic qui addit Traditiones ἀνεφάφως pari affectu & reverentiâ cum Scripturâ suspiciendas, eo ipso negat Scripturam esse regulam cui nihil addendum & detrahendum sit; Qui addit sacrificio Crucis, aliud sacrificium ἱλαστικὸν, eo ipso negat unitatem & perfectionem Sacrificii Christi; Qui alia merita assuit merito Christi, negat justitiam ejus nobis sufficere. Ita cùm de ratione fundamenti sit ejus unitas, ut non aliud poni possit præter id quod positum est, 1. Cor. 3. 11. Nec in alio quàm Christo detur salus Act. 4. 12. nemo potest aliquid illi addere pro fundamento, quin addendo destruat, & componendo opponat. Unde Paulus toties incompossibilitatem justitiæ propriæ cum justitia Christi, & meriti operum cum gratiâ & fide docet Rom. 10. 3. & 11. 6. & Gal. 5. 4. Et non *teneri Caput* asserit ab iis, qui Christo alia cultus objecta adjungebant Coloss. 2. 19. Secundò *per subtractionem*, negatâ perfectione, integritate, & autoritate Scripturæ, rejectâ imputatâ Christi solius justitiâ ad justificationem nostram coram Deo, inducto secundo Decalogi præcepto, & ablato Laïcis Calice Eucharistico. QUÆST. XIV.

VII. Secundò, Quia est *Apostatica & hæretica*, quæ defecit à fide semel sanctis tradita, & varias hæreses exitiales docet, & sub anathematis pœna credendas obtrudit. Qualia sunt dogmata de Justificatione per opera, & eorum meritis, de Satisfactionibus humanis, & Indulgentiis, de Transubstantiatione & Sacrificio Missatico, de Peccato & Libero Arbitrio, de Gratiâ sufficiente, de Legis possibili observatione, de Oecumenico Pontifice, & Primatu Papæ, de Ecclesiæ naturâ, infallibilitate, & autoritate, de Sacramentorum efficaciâ & numero, aliaque id genus dogmata erronea, quæ apud ipsos obtinent, & ea inprimis, quæ ab Apostolo doctrinis dæmoniorum accensentur, puta ciborum delectus, & matrimonii prohibitio 1. Tim. 4. 1. ut suis locis à nobis jam probatum est, vel in sequentibus probabitur. 2. *Quia est hæretica.*

VIII. Frustra hîc Adversarii regerunt. 1. *Errores istos, si qui sunt, non esse fundamentales.* Cùm res ipsa clamet primaria fidei Capita ab illis impeti, ut Verbi perfectionem, Mediationem Christi, Sacrificii ejus unitatem, Gratiæ ejus efficaciam, & cætera id genus, in quibus essentia Religionis posita est. Deinde licèt per se & seorsim singuli non forent capitales, fiunt tales conjunctim, eo ipso, quo ab ipsis reponuntur inter articulos fidei necessarios, qui sub anathematis pœna credendi proponuntur conscientiis, vi ad eos alligatis, neque tamen convictis. Denique quamvis omnes non essent æquè fundamentales, satis esset unum vel alterum talem esse: imò vel si unicus occurreret, sufficeret ad Religionem intolerabilem, & Ecclesiam falsam reddendam, in qua salus obtineri non posset. 11. *Sepa-*

QUÆST. XIV. *privatas Doctorum opiniones pro sententia Ecclesiæ proponi.* Sed errores suprà notatos, non esse privatos, quorundam tantùm, sed publicos totius Ecclesiæ, testantur Conciliorum sanctiones, Decreta Pontificum, & alia id genus Scripta authentica, & totius Ecclesiæ praxis & usus, quo omnibus & singulis credendi & profitendi præscribuntur, ut doctrina communis, & publicè recepta. III. *Perperam à nobis concipi mentem Ecclesiæ Romanæ, & falsum sensum illi affingi.* Sed nihil falsius & magis præter rationem dici posse facilè deprehendit, qui attentè examen istud instituere voluerit; Nec Expositiones & elucidationes, quæ à nonnullis arte subdolâ conquiruntur ad errores palliandos, venenum tegendum, & idololatriæ crimen declinandum, ut factum fuit novissimè ab Episcopo Condomiensi in Expositione fidei Catholicæ possunt hoc evincere. Quia quemcunque colorem inducant ingeniosa istiusmodi scripta erroribus incrustandis, & detergendis maculis, quibus hucusque facies Ecclesiæ Romanæ fœdata est; Non obscurè colligitur; Vel fucum subesse, & dolum malum, quo bona verba dantur, quæ ad veritatem videntur accedere, dum interim nihil remittitur de Errorum omnium fonte, Ecclesiæ scilicet infallibilitate, & Papæ primatu, ad incautos faciliùs inescandos & decipiendos; Vel recedi à communi & constanti Ecclesiæ doctrinâ & praxi, & alium illi sensum affingi ab eo, quem Decisiones Conciliorum, Declarationes Pontificum, Confessiones & formulæ publicæ, & alia id genus scripta symbolica præ se ferunt, & qui hactenus obtinuit inter primaria Romanæ Ecclesiæ columina, & præcipuos ejus Doctores, quos non satis rectè vel intellexisse hactenus, vel exposuisse sententiam Ecclesiæ suæ, nemo sibi persuadere poterit.

IX. IV. *Errores qui illis adscribuntur, non fluere ex doctrinâ suâ, nisi per illationes, argumentationes, consequentias ex illa deductas, & has quidem rejectas & reprobatas, quæ ideo non sine calumniæ labe possint illi tribui*; ut idem Episcopus loquitur Exposit. pag. 11. 12. Verùm 1. supponitur hîc gratis nulla *directè & formaliter* à suis tradi, quæ in fundamentum incurrant. Atqui res ipsa apertè contrarium testatur. Quid enim, An per consequentias tantùm, & contortas illas ac reprobatas, Pontificiis impingimus, quòd Traditiones firmâ fide ac pari pietatis affectu & reverentiâ suscipi velint, quâ Verbum scriptum; Quòd Missa sit sacrificium verum & proprium & propitiatorium; Quòd detur transubstantiatio; Quòd sit Purgatorium; Quod homo non justificetur solâ fide, sed etiam operibus; Quòd Papa sit Caput Ecclesiæ; Quòd adorandum sit Sacramentum cultu latriæ; Quòd procumbendum sit cultu religioso coram imaginibus Dei, Christi, Virginis & Sanctorum; Quòd colendi & invocandi sint Sancti, & alia id genus dogmata tam theoretica quàm practica? Nonne directè & positivè talia Pontificii profitentur doctrinâ & praxi? 2. Si

con-

consequentiæ quædam urgentur adversus ipsos, non sunt remotæ, violentæ, & inevidentes, quarum nulla habenda est ratio; sed necessariæ, proximæ, evidentes, & innatæ, quæ sponte fluunt ex eorum principiis, & quæ vim probationis firmæ & necessariæ habent. Sic ex doctrina de Transubstantiatione, Sacrificio Altaris, adoratione hostiæ, invocatione Sanctorum, inferimus necessaria consecutione everti naturam Corporis Christi, infirmari perfectissimum sacrificium Crucis, deferri creaturæ summum honorem Deo debitum. Sic ex communione sub una specie colligimus mutilari Sacramentum, & violari institutionem Christi. Quia ex positione unius contradictorii, necessariò sequitur alterius remotio & subversio, nisi velimus contradictionem in adjecto facere, & oppositum in appositio statuere. Nec consequentiarum istarum necessitas vel evidentia, inanibus distinctiunculis, ut pulvere oculis adspersо, quas nec Scriptura tradit, nec priora secula agnoverunt, nec plebes intelligunt, nec praxis introducta observat imò palam destruit, obscurari potest, vel enervari. 3. tum demum subest calumniæ labes, quando consequentiæ deducuntur, non ex principiis receptis & assertis, sed ex affictis & negatis, non ex sententiâ & praxi publicâ & constanti Ecclesiæ, sed ex vi factâ tum verbis, tum confessionibus, tam menti jugiter & à principio declaratæ & expositæ. Quales sunt consequentiæ illæ, quæ à Pontificiis nobis impinguntur iniquissimè ex pessimè detortâ sententiâ nostrâ, quas ideo ut violentas & falsissimas, non modò non agnoscimus, sed toto pectore aversamur & damnamus. Sed nihil tale à nobis hîc fieri, Ecclesiæ Romanæ definitiones, solennis praxis & constans ejus disciplina, satis nobis etiam tacentibus evincunt. Quæst. XIV.

X. Tertiò, Quia est *Idololatrica* & superstitiosa, tum ratione *Objecti* quod colit, tum ratione *modi* quô colit. Ratione *Objecti*, quatenus præter Deum, qui ut solus omniscius, omnipotens, & optimus, unicum debet esse cultus & invocationis objectum, Creaturas etiam, quæ naturâ non sunt Dii Galat. 4. 8. veneratur & adorat, ut B. Virginem, Angelos, Sanctos defunctos, Hostiam consecratam, & Sacramentum, Crucem, & Pontificem, Reliquias Christi & Sanctorum. Ratione *modi*, In simulachrorum & Imaginum fabricâ, cultu & adoratione, quæ tam solemniter Lege Dei est prohibita. Et hæc non ex privatis Doctorum opinionibus constant, sed ex sanctionibus publicis, & constanti praxi. Ut nihil hîc à nobis illis affingatur. 3. *Quia est idololatrica.*

XI. Nec quicquam juvant Adversarios varia, quæ hîc captare solent effugia, ad elevandam vim istius argumenti, & fucandam erroris sui turpitudinem. 1. *Cultum istum omnem, qui exhibetur Creaturis, religiosum dici, quia ad Deum terminatur necessariò*, ut loquitur Episcopus in Exposit. Catholi. sect. 3. Quia non sufficit ad cultum legitimum reddendum,

QUÆST. XIV. ut terminetur ad Deum tanquam ad ultimum finem, & interim extendatur ad alia objecta præter Deum. Sed requiritur ut soli Deo exhibeatur exclusivè ad creaturas, quia Dei zelotypia non patitur gloriam suam alteri dari. Deinde hoc prætextu facilè excusari potuissent idololatræ inter Ethnicos, qui cultum suum non terminabant ad lignum, lapidem, vel aurum; ex quibus idola conflata erant, sed pertendebant referri & terminari ad Numina per idola repræsentata; Nec Israëlitæ peccassent in Vituli cultu, quem ad Jehovam, qui eos eduxerat ex Ægypto, terminabant.

XII. 11. *Invocationem ad Sanctos directam eodem spiritu charitatis fieri, quô fideles viventes in terris orantur, ut nobiscum & pro nobis orent, Et modum orandi Sanctos longè differre à modo orandi Deum; Deum quidem orari ut misereatur nostri, Sanctos verò tantùm ut pro nobis orent.* Sic loquitur idem Episcopus Expositi. Catho. pag. 19. 20. 21. Sed ista gratis dicuntur ad fucum faciendum simplicioribus. Confunditur perperam *cultus civilis* Christianæ societatis, opis mutuæ inter vivos & præsentes, cum *actu religionis*, invocationis, adorationis, fiduciæ, voti, sacrificii, cujus objectum sunt mortui, procul à civili commercio, nec præsentes naturâ, nec operatione, nec scientiâ, neque invocari unquam jussi, minus eo modo & fine, quem Roma hodierna probat. Quis verò non videt quantum sit inter ista discrimen? Quis unquam vivos religiosè invocari dixit? 2. Supponitur etiam non iri ad Sanctos, ut causas principales, quæ vel bona dent, vel liberent à malis, nec iisdem quibus ad Deum precandi formulis. At Tridentini Patres eos *suppliciter invocandos* sanciunt, & ad eorum opem & auxilium confugiendum. Hinc divini erga eos cultus partes omnes, Invocatio, adoratio, supplicationes, vota, Templa, Altaria, Thura, Donaria, gratiarum actiones. Hinc Sacrificium Missaticum, quô Christus dicitur Patri offerri, in honorem Sancti offertur, quo nihil religiosius censeri potest. Hinc formulæ publicæ, quicquid contendant Adversarii, quibus orantur, ut misereri velint, ut parcant, liberent, salvent, exaudiant, deleant peccata, corda illuminent, largiantur spiritualem gratiam, suscipiant in hora mortis, ut passim in Litaniis & orationibus ad B. Virginem, ad Petrum & Paulum, *&c.* In officio B. Mariæ reformato Jussu Pii V. edito orat. ad Virginem, eam sic compellant, *Consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantium.* Et in hortulo animæ edito Antuerp. anno 1557. *Ave mundi spes Maria, Exaudi me miserum peccatorem in tua misericordia & pietate confidentem; Mater misericordiæ, Mater gratiæ, spes omnium desolatorum, consolatrix omnium desperantium, salus omnium in te sperantium.* Nec eam ut *spem* solùm suam, sed etiam ut *spem unicam* invocant, *Tu es spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.*

Bre-

Brevia. Rom. 9. Sept. Hinc Costerus in Hymnum *Ave maris stella*, hæc verba exponens, *solve vincula reis*, ita commentatur, *solve precibus*, *solve merito*, *solve autoritate*, *solve imperio*. An hoc est tantùm orare Virginem ut oret pro nobis? nonne etiam ut nostri misereatur, & gratiam ipsam per se conferat? Et si nihil intenditur in cultu Virginis, quàm ut oret pro nobis, Cur *liber consiliorum salutarium ad indiscretos B. Virginis cultores*, Coloniæ editus, qui non aliò tendit, quàm ut cultum Virginis eò referat, & superstitiosam ac idololatricam praxim, quæ ubique obtinet, corrigere satagat, censoriæ virgulæ notam, tum Romæ, tum Inquisitionis Hispanicæ effugere non potuit, quasi *impietatis in Scripturas*, *in Virginem*, *in Sanctos*, *in Imagines*, autor reus esset? Cùm contra liber *Crasseti* de *Cultu Virginis* illi oppositus anno 1679. editus cum approbatione Provincialis, & sub auspiciis Archiepiscopi Parisiensis, reponat & probet quicquid insaniores Mariolatræ antea dicere non erubuerant, Ut *quòd omnipotentia in cœlo & in terra ad illam pertineat*, *quòd nihil illi sit impossibile*, *quòd possit salvare desperatos*, *quòd accedat ad Tribunal Dei*, *non solùm ut ancilla quæ Dominum suum orat*, *sed ut Mater quæ imperat filio*, pag. 28. & alia id genus quamplurima, quæ sine sancta indignatione legi non possunt. Vide etiam quæ *Rivetus* in Apol. pro B. Virgine & *Drelincurtius* de Honore debito B. Virgini scripserunt. Nec alia est praxis erga reliquos Sanctos, quos invocant religiosè, non modò ut Intercessores, sed ut protectores à malis, & largitores tum gratiæ, tum gloriæ. QUÆST. XIV.

XIII. 111. Se non λατρείαν seu *cultum summum Sanctis reddere*, *sed* δουλείαν vel ὑπερδουλείαν tantùm seu *cultum subalternum & inferiorem*. Sed vanitatem istius distinctionis alibi excussimus Loco XI. de Lege Qu. VII. Sect. 10. Et ex eo satis refellitur, quòd supponat dari gradus, vel species in Cultu religioso, quem unicum esse & individuum pertendimus, & non minus Deo soli proprium, quàm marito soli conjugalis benevolentia debetur. IV. Quoad imagines, *nullam ab ipsis divinitatem*, *nullam virtutem adscribi*, *nisi excitandæ prototyporum recordationi*, *cultum & honorem*, *qui illis debetur*, *referri ad prototypa*, *ut non tam colantur*, *quam prototypa coram ipsis*, *nec honorentur per se cultu absoluto*, *sed tantum relativo*. Sed si talis Exceptio valet, excusandi essent Ethnici ab idololatria; Nemo enim nescit iisdem coloribus palliasse cultum imaginum apud Tertullianum, Origenem, Minutium, Arnobium, Lactantium, & Augustinum, se non imaginibus divinitatem adhibere, sed Deos modò se in iis colere, & Numen per idolum significatum; haberi ut symbola divinitatis, ut signa & imagines Deorum, coli in honorem Dei, & plura id genus talia. Pontificii ipsi non dissimulant in multis non esse discrimen inter opinionem de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de Dijs suis, & ad summam adorationem,

QUÆST. XIV.

quæ à Paganis suis simulachris haberi consuevit, nihil à Pontificiis reliqui factum videri, ut Polydorus Virgil. lib. 6. cap. 13. Vives ad Aug. lib. 8. Cassan. consult. art. 21. notant. Quoad adorationem, licèt ab ea non pauci abhorrere videantur, & de veneratione sola & cultu loquantur; non possunt tamen eam negare, ex decreto Concilii Tridentini, quod venerationem imaginibus deferri præcipit, qualis sancita est secundâ Nicænâ Synodo; Ubi προσκυνησις *adoratio* disertè præcipitur, & quidem oppositè ad nudam τιμησιν seu *venerationem*, ut habetur Actione quarta, quæ est etiam sententia Thomæ, Bonaventuræ, Caietani, Bielis, Vasquezii, Bellarmini, & aliorum; Quod pariter praxis universa comprobat, & populorum cœca superstitio.

4. *Quia doctrina ejus dubia est, & adversatur certitudini salutis & paci conscientiæ.*

XIV. Quartò; Quia Ecclesiæ Romanæ doctrina *dubitationem fovet, & adversatur certitudini salutis & paci conscientiæ*, quæ in vera Ecclesia demum obtineri potest. Prius non modò colligitur ex innumeris Controversiis capitalibus, quæ inter Pontificios agitantur; quas nondum ipse Pontifex, licèt supremus controversiarum Judex componere potuit; Sed ex duobus istis articulis potissimum constat. 1. De *infallibilitate* prætensa *Ecclesiæ*, de quâ cùm nondum convenerint inter se partes, penes quem illa resideat, An penes Pontificem, An Concilium, nihil certi etiam de omni doctrina, quæ ab illa infallibilitate suspenditur, haberi potest. 2. De *Intentione Ministri* necessariò requisita in omni Sacramento est Concilio Trident. Sess. 7. Canon. 11. Cùm enim talis intentio occulta sit & nemini nisi Deo cordium scrutatori comperta, quæcunque à talibus Ministris fiunt, dubia etiam & incerta esse necesse est. Hinc fit, ut nemo possit certò persuaderi de suo baptismo, an sit Christianus & verè baptizatus, quia nescit an Episcopus, vel Sacerdos, qui eum baptizavit, intentionem habuerit eum baptizandi; Et an talis Episcopus & Sacerdos ritè ordinatus fuerit cum intentione ordinantis, ut hic mens hominis nodis inextricabilibus implicetur, nec quicquam habeat in quo quiescat. Hinc etiam oritur, ut ea incertitudine homo laborans; exponatur quotidie præsentissimo idololatriæ periculo in adoratione Hostiæ, dubius scilicet de Christi præsentia; quia scire nequit, an Sacerdos intentionem habuerit consecrandi, Et si eam habuerit, an consecrandi potestatem habeat, ritè scilicet ab Episcopo ordinatus; & alia id genus quæ dubium & anxium ejus animum perpetuò reddunt. Posterius, De inefficaciâ doctrinæ Pontificiæ ad tranquillandam conscientiam peccatoris coram Deo, abundè liquet ex dogmate ipsorum de *incertitudine fidei & salutis*, & *perpetuâ dubitatione* & ἀπιστίᾳ, in qua jubetur manere homo, ut suo loco vidimus Loc. XV. Qu. 17. quâ fit ut conscientia peccatorum sensu, & judicii divini metu territa, nullam nec in vita, nec in morte pacem & tranquillitatem solidam obtinere potest; sed

continuo dubitationum, & diffidentiæ æstu jactetur, quia certò scire nequit, an sit fidelis & in statu gratiæ, an in amore, an in odio Dei, an in cœlum recipi, an verò in infernum detrudi debeat. Nec mirum; Cùm relicta in Christum solum, ejusque justitiam perfectissimam, & Sacrificium fragrantissimum, quod unum iram Dei placare, justitiæ ejus satisfacere, & peccata expiare potest, fiduciâ, propriæ justitiæ & meritorum, satisfactionumque humanarum, & Indulgentiarum Papalium, putri & ficulneo fundamento niti velint, quæ cùm examen judicii divini ferre nequeant, nec adversus tela iræ & maledictionis divinæ peccatorem tegere & tueri valeant, hominem perpetuâ trepidatione perculsum & mancipatum tenent. Quam etiam non parum auget metus ardentium Purgatorii flammarum, & dirorum cruciatuum, quibus per multa secula torqueri debent animæ post mortem; quibus conscientia non potest non miserè vexari, & tantùm non ad desperationem adigi. Quæst. XIV.

XV. Quintò, Quia *adversatur multifariam pietati & bonis moribus*, per varia dogmata quæ honestati repugnant, & latam peccatis portam aperiunt. Qualia sunt 1. *Prohibitio matrimonii*, & *Lex cœlibatus* Clericis contra Dei Verbum imposita, juxta quam melius est iis qui donum continentiæ non habent, non *potius nubere quàm uri* ex præscripto Pauli 1. Corint. 7. 9. sed uri & scortari, libidinibusque nefandis se conspurcare, potius quàm nubere. Ex qua sentina dici vix potest, quot & quàm immania libidinum & pollutionum monstra profluxerint, ut non sine causa Pius II. P. R. apud Platinam dixerit, *Sacerdotibus, magna ratione sublatas nuptias, sed majori restituendas.* 11. *Vota Monastica*, quibus juvenes etiam minorennes à patria potestate, & debito parentibus obsequio subducuntur, & cœcæ obedientiæ ac servitutis jugum hominibus ita imponitur, ut absque ullo examine aut disquisitione quicquid faciendum præcipitur à Superioribus sive justum sive injustum, illud ilico & sine hæsitantia exequi teneantur, quo nihil iniquius, & rationis lumini, ac sanctæ fidelium libertati magis contrarium fingi potest. 111. *Confessio auricularis*, quam conscientiarum esse carnificinam, scelerum & impuritatum scholam, tyrannidis & rapacitatis Pontificiæ machinam, clavem arcanis familiarum & Regnorum rimandis & penetrandis aptissimam, & teterrimarum conspirationum, proditionum, & Regicidiorum magistram, experientia nimis docuit. Maximè propter sigillum Confessionis, quod resignare quacunque gravissimâ de causâ non liceat, etiam agatur de patris aut Regis nece, aut Reipublicæ eversione. *Nullum potest esse tantum malum*, inquit Eudæmono-Johannes in Anticottonum cap. 13. *cujus vitandi causâ confessionem prodere liceat.* Et Toletus de Instruct. Sacerdotum li. 3. cap. 16. *Advertendum obligationem sigilli esse tantam, ut nulla prorsus causa, neque etiam propter salvandam vitam propriam, nec propter salutem totius Reipubli-*

5. *Quia adversatur pietati & bonis moribus.*

QUÆST. XIV. *publicæ possit Confessarius peccatum pœnitentis revelare.* Idem habet Emanuel Sà in Aphorismis Verbo *Confessor*, & Suarez de Pœnit. disp. 33. sect. 1. iv. Dogma turpissimum *æquivocationum* & reservationum mentalium etiam in judicio exercendarum, quò pertendunt licere non solùm mentiri, sed & pejerare majoris boni gratiâ, quando res exigit, cum retentione mentali; ita ut nihil certi sit amplius in pactis & fœderibus; imò fas sit Christiano ejurare religionem suam coram Judice Ethnico, dicendo, *non sum Christianus*, sed supplendo apud se, *ut tibi dicam.* Vide quæ dicta sunt Loco XI. Quæst. 12. v. Huic affine est perfidum dogma de *fide hæreticis non servandâ.* Licèt enim privatos doctores nonnullos tam propudiosæ doctrinæ puduerit; Notum tamen publicè receptam esse, à Constantiensi Synodo declaratam Sess. 19. & ferali praxi in Johanne Hussо & Hieronymo Pragensi comprobatam, & alibi non semel confirmatam, in dirissimis cædibus & lanienis fidelium contra fidem datam exercitis. Vide Lo. XI. Quæst. XI.

XVI. VI. Dogma portentosum de *Potestate Papæ in deponendis Regibus, & absolvendis subditis à juramento fidelitatis*, quò fit, ut non modò homo mortalis sacrilegè involet in jura Dei, & dispensare impiè præsumat de vinculo indispensabili, Sed & teterrimis in Superiores rebellionibus, & Regicidiis nefandis lata porta aperiatur; Siquidem ex hoc principio post latam Excommunicationis sententiam, desinit Rex esse legitimus, nec potest amplius regnum nisi tyrannicè occupare, *Incipit esse tyrannus in titulo, quia non est legitimus Rex*, ut ait Suarez lib. 6. defens. cap. 4. *At occupantem tyrannicè potestatem quisque de populo potest occidere, si aliud non sit remedium, est enim publicus hostis.* Nam ex Urbani II. Canone *Excommunicatorum* 23. q. 5. cap. 4. non est homicida, qui excommunicatum occidit, *Non eos homicidas arbitramur, quos adversus Excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit.* Cujus pestilentissimi erroris atrocitatem Præses Forgetus oratione habitâ in Schola Sorbonica graphicè describit apud Thuanum lib. 114. *Ab hoc Errore*, inquit, *veluti projectas in Regnum faces, quibus digladiarentur inter se Cives*, &c. *ab hoc igne facem accensam, quæ totam deinceps Galliam pervagata est, ac pene in cinerem redegit, inde perniciosa de regno ad prædam exponendo, & exteris prodendo agitata consilia; ab his initus conjurationem detestandam contra Christianismum ac verè Catholicum Regem Henricum III. initium cepisse, ipsumque tandem abominando parricidio occisum, præoccupato pestiferæ hujus opinionis veneno, scelerati desertoris ingenio. Inde flammam, sanguinem, cædes, sacrilegia, latrocinia, immanitatem, monstra, prodigia, ac malorum Iliades, quæ miserum regnum jam septennium exercuêre*, &c. Quamvis verò non negandum, non paucos ex Pontificiis hoc dogma impium detestari, & Curiam Parisiensem

sem inprimis, non semel severissima in illud Edicta promulgasse. Certum tamen communiter & publicè receptum esse, & variis decretis Pontificum, & Canonibus Conciliorum sæpius sancitum fuisse, adeò ut *Bellarminus*, *Baronius*, & *Perronius*, hanc *sententiam & vocem totius Ecclesiæ Catholicæ* esse pertendant, quam magnâ testimoniorum copiâ confirmant. Eò pertinet quod Gregorius VII. inter Dictatus Papæ istos etiam recenset, *Quod Papæ liceat Imperatores deponere*, *Quòd à fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere*. Et quod idem Rom. Synodo Præsidens, Canone *Nos Sanctorum* confirmat, *Nos Sanctorum Antecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui Excommunicati fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolicâ autoritate à juramento absolvimus*, &c. Quod Gelasius confirmat Decret. Caus. 15. q. 6. Canone *Alius*, &c. & Gregor. IX. Decret. lib. 5. tit. 7. cap. 16. & Concilium Lateranense sub Innocentio III. anno 1215. Quæ omnia crudelissimâ praxi non semel comprobata esse historia testatur, à Gregorio VII. contra Henricum IV. Imperatorem, Innocentio III. contra Othonem IV. Innocentio IV. contra Fridericum II. Bonifacio VIII. contra Philippum Pulchrum Galliæ Regem. Julio II. contra Ludovicum XII. Pio V. contra Elisabetham Angliæ Reginam. Sixto V. contra Henricum III. & Gregorio XIV. contra Henricum IV. De quibus plura vide apud *Molinæi* hyperaspistem lib. 3. c. 1. 2. & *Tractatum Galli.* de *Doctrina & praxi sanguinolenta & factiosa Ecclesiæ Romanæ.* Et Disputationem nostram V. de Secessione ab Ecclesiâ Romanâ.

Quæst. XIV.

XVII. VII. Dogma nefarium de *Dispensatione Legum divinarum*, juxta quod Papa arrogat sibi potestatem dispensandi in Lege Dei, id est, gratiam faciendi obsequii, & liberandi à necessitate parendi Deo. Dispensat enim in votis & juramentis, filios impuberes liberat à potestate parentum, & subditos à subjectione juratâ Regibus & Principibus, solvit matrimonia ritè sociata, & dispensat, excepto primo gradu inter patrem & liberos, in gradibus aliis omnibus consanguinitatis Lege Dei prohibitis, etiam inter fratres & sorores; *Summus Pontifex*, inquit Bertach. reperto. voce Papa ex Antoni. Consi. 33. *concedere potest fratri ex causâ magna, ut uxorem fratris defuncti ducat.* Quam licentiam Henricus VIII. Angliæ Rex obtinuit, & alii non semel. Idem Antonius part. 3. tit. 1. cap. 11. Sect. 1. dicit *Martinum Quintum dispensasse cum quodam, qui contraxerat, & consummaverat matrimonium cum germana sua sorore, quam cognoverat fornicariè.* Decretales Paparum, & Glossæ Canonum affirmant, *Papam dispensare contra Apostolum.* Glossa Can. Lector. Dist. 34. Et de Concess. præbend. tit. 8. cap. proposuit, *Secundùm plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare.* Quod Glossa interpretatur, *Papa contra Apostolorum dispensat, item contra Vet. Testamentum,*

QUÆST. XIV. *item in Voto, & in Juramento.* Et Gloſſa Canonis, *Sunt quædam*, Cauſa 25. q. 1. *Papa diſpenſat in Euangelio interpretando ipſum.* Nam ſi fides Toleto lib. 1. de Inſtit. Sacerdo. cap. 68. *Non omnia quæ Apoſtoli inſtituerunt, jure divino ſunt inſtituta.* Unde Andradi. lib. 2. defenſ. Tridentinæ, dicit, *Eos non erraſſe, qui dixerunt Romanos Pontifices poſſe nonnunquam in legibus diſpenſare à Paulo, & quatuor primis Conciliis.* Nec mirum id cuiquam videri debet, ſiquidem, ut Bellarmin. loquitur contra Barklaium cap. 31. *In bono ſenſu dedit Chriſtus Petro, ac proinde & Pontifici, poteſtatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* Et lib. 4. de Pontif. c. 5. *Si Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona, & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.*

XVIII. VIII. *Fœda mercatura, & nundinatio rerum ſacrarum*, per quam Collybiſtarum menſas à Chriſto everſas Papa reſtituit, faciens inſtitoriam ubi debuit eſſe ſacrarium. Quam infamem corruptelam diſſimulare non potuit Æneas Sylvius ſeu Pius II. Papa Epiſt. 66. ad Joh. Peregallum. *Nihil eſt*, inquit, *quod abſque argento Romana Curia dedat, ipſa manuum impoſitio & Spiritus S. dona venduntur, nec peccatorum venia niſi nummatis impenditur.* Unde Bullis indulgentiarum ſemper inſeritur hæc clauſula, dari illas indulgentias, *manus porrigentibus adjutrices.* Cujus criminis fœditatem Eſpenſæus in Epiſt. ad Tit. digreſſ. 2. amarè deplorat, relatis ex variis, & præcipuè Mantuano de eo querelis,

Quiſquis opes ſacras nummo reperire profano
Quærit, eat Romam, ſacra ſunt venalia Romæ,
Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, corona,
Ignes, thura, preces, cœlum eſt venale, Deuſque.

Quod *Ferus* in 2. Johann. confirmat, *Quis Sacerdotum & Religioſorum & Pontificum inexplebilem avaritiam, ac impoſturas non videt? Apud hos omnia venalia ſunt, nedum oves & boves, beneficia ſcilicet & officia quæ vocant, & officia majora & minora, ſed etiam columbæ, id eſt, Spiritus Sancti dona & ſpiritualia bona.* Theodoricus à Niem jam ante graviter de eo poſt alios conqueſtus fuerat, quo nullus teſtis locupletior eſſe potuit, qui tribus Papis Amanuenſis, & à ſecretis fuit Tract. 6. *Nemoris unionis* c. 37. *Camera Apoſtolica*, inquit, *aſſimilatur mari, in quod intrant omnia, & non exundat. Sic enim in iſtam portantur ex diverſis mundi partibus auri pondo millia, & tamen non impletur. In qua ſunt multæ ſanguiſugæ dicentes Affer, affer*, &c. Qui videre voluerit infamis hujus quæſtus deſcriptionem conſulat *Taxam Cancellariæ Apoſtolicæ & Pœnitentiariæ.* Ubi quid pro beneficiis, proviſionibus, diſpenſationibus, abſolutionibus, etiam à graviſſimis

mis peccatis, aliisque id genus Immunitatibus & privilegiis solvi debeat, accuratè refertur, nec sine horrore legi potest. Quis verò dixerit ista esse ex veræ Ecclesiæ Christi charactere & genio, & ex Simonis Petri doctrinâ, qui quod acceperat gratis, gratis etiam dabat ex Christi præscripto, Mar. 10. 8. Non verò potius ex Simonis Magi ingenio, qui putavit donum Dei posse acquiri pecuniâ Act. 8. 18. Et ex Babylonis indole, quæ mercaturam fœdissimam facit rerum sacrarum & animarum hominum Apocal. 18. 13. Cujus regnum totum mera est nundinatio ad rem faciendam, & opes undiquaque corradendas composita? Vide *Espens.* in Tit. 1. de eo querentem. Quæst. XIV.

XIX. Possent alia plura afferri in medium ad Ecclesiæ Romanæ impuritatem, tam in doctrinâ, quàm in praxi ostendendam, de quibus querelæ passim leguntur apud *Bernardum*, *Theodoricum à Niem*, *Alvarum Pelagium*, *Petrarcham*, *Nicol. de Clemangis*, *Wesselum Groningensem*, *Mantuanum*, & alios, qui de corruptissimo Ecclesiæ illius statu scripserunt. Posset idem confirmari ex fœdissimâ lupanarium, quæ Romæ obtinet, permissione, & quæstu turpissimo, qui inde colligitur per vectigalia quæ ab ipsis exiguntur, & in thesaurum Ecclesiæ referuntur, licèt Deus vetuerit olim *in domum Dei inferre mercedem scorti & pretium canis, quia ista sunt pariter abominationi Jehovæ*, Deut. 23. 18. Ut taceam nefandas alias innumeras, & solo igne expiandas libidines, quæ impunè ibi grassantur, & laudibus etiam, horresco referens, publicè libris editis extolluntur, de quibus non silent Scriptores ante citati, & mentio fit in *Responsione ad Histor. Calviniſmi* part. 1. c. 10. Posset ulteriùs & hoc comprobari ex impura *Theologia morali* Jesuitarum, quæ ex doctrinis de *probabilitate*, *directione intentionis*, *attritione*, aliisque id genus principiis tota videtur in id comparata, ut extenuentur & excusentur quælibet scelera, & ita pulvilli consuantur sub axillis peccatorum, ut faciliùs genio indulgeant, & in quævis peccata se dent præcipites, ut prolixè est ostensum in *Literis Provincialibus*, In *Censura Amad. Guimenii* & *Vernantii*, & aliis scriptis, adversus ipsos editis. Sed quæ dicta sunt sufficere possunt ad ostendendam Rom. Eccl. doctrinam in variis capitibus pietati & bonis moribus adversari.

XX. Sextò, Quia *adversatur libertati*, quam Christus nobis acquisivit, per sævam *tyrannidem*, quam invehit & exercet tam in corpora, quàm in animas, quæ alienissima est à Spiritu Christianismi, & à Christi doctrinâ, quæ vult *fidem persuaderi*, & *non imperari*, Et cujus *arma non sunt carnalia*, *sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, & *ad captivandam omnem cognitionem in obsequium Christi*. 2. Corint. 10. 4. 5. Apostoli non vi & ferro Religionem fundarunt & propagarunt, sed solâ veritatis luce, & patientiæ invictæ robore, non occidendo, sed moriendo, non persecutionem inferendo, sed patiendo, & post Christum crucem ferendo. *6. Quia adversatur libertati per tyrannidem.*

QUÆST. XIV. Hanc etiam viam Christiani veteres secuti sunt, & saniores ex Adversariis sequendam esse non semel testati sunt, fatentes *bellum non esse legitimum modum tollendæ ex Ecclesia scissuræ*, ut loquitur Amplissimus *Thuanus* in Præfat. Rationibus hîc agendum & demonstratione veritatis, quâ convincantur conscientiæ, non vi quæ cogat corpora, argumentis pugnandum, non telis, & gladio oris divini conficiendus est Error, non acie gladii perimendi homines. Sed alia mens Ecclesiæ Romanæ & Pontificum, qui diffisi causæ suæ bonitati, non aliud medium efficacius stabiliendo tyrannico suo imperio esse putarunt, quàm violentiam & crudelitatem, ferro & flammis, cæde & sanguine passim grassando, & dirissimis persecutionibus in fideles sæviendo. Quod, nobis etiam tacentibus altiùs clamant, quàm ut ignorari queat, *Cruciatæ* multiplices funestissimæ in Albigenses & Valdenses institutæ, horrendæ *Lanienæ* perfidiâ plusquam Punicâ, & barbarie plusquam belluinâ in fideles exercitæ in Gallia, Calabria, Bohemia, Pedemontio, Hibernia, Hispania, Belgio, aliisque locis variis, *supplicia* innumera crudelissima tot myriadibus sanctorum inflicta & mille nocendi artes, quibus & jam olim, & hodierno etiamnum die, ex solius veritatis & Religionis quam profitentur odio, *Congregatio de Propaganda Fide, & extirpandis hæreticis*, genuinos Christi discipulos perdere nititur; In quarum censum referri debent sanguinolenta consilia Principibus suggesta in Religionis exitium, & feralia Edicta ab iis extorta, quibus contra pactorum fidem publicam, privilegia semel concessa, & sæpius confirmata fidelibus auferuntur, Templa diruuntur, Greges dissipantur, Pastores in exilium pelluntur, vel morti addicuntur, & Libertas exercitiorum sacrorum & conscientiarum, rebus quibusvis pretiosissimis longè carior, ipsis eripitur. Quibus si addamus tyrannidem in conscientias per jugi intolerandi variarum humanarum Traditionum & ἀθελοθρησκείαν impositionem, per Anathematum iniquissimorum fulmina, per laqueos animis injectos, per Inquisitionis Hispanicæ carnificinam, & innumera alia violentiæ furentis media, facilè concludemus nullam sectam, ne Paganismo quidem ipso excepto, crudeliorem unquam fuisse, quod fusè & accuratè probat Celeberr. *Autor Responsionis ad Historiam Calvinismi Maimburgii, parte 2. in Historia Papismi, In 1. & 2. recriminatione.*

7. Quia in ea sedet Antichristus.

XXI. Septimò, Quia in *ea sedet Antichristus*, Apostasiæ magnæ autor ab Apostolo descriptus 2. Thessal. 2. qui dum prætextu Vicariatus se ἀντὶ Χριστοῦ esse profitetur, autoritatem Domini sui impiè usurpando ἀντίχειμενον verè se prodit, æmulum ejus & hostem ἀντικείμενον, καὶ ὑπεραιρόμενον, qui in Templo Dei sedens, ac si esset Deus, sese effert supra id omne quod dicitur Deus, puta Imperatores, Reges, & Principes Terræ, & Sanctos defunctos in cœlis, & præ se fert se esse Deum, quæ omnia Antichristi criteria in Papa Romano deprehendi, ex utriusque

que

que collatione facile est colligere, ut à nobis fusè probatum Disput. VII. de Successione. Quæst. XIV.

XXII. Octavò, Quia *est Babylon mystica*, ex qua pii exire jubentur Apoc. 18. 6. tanquam corruptissima societate, quæ Sioni mysticæ, Ecclesiæ veræ Christi è diametro opponitur, & cum ea est ἀντίθετον. Per hanc verò non aliam quàm Romam designari, & descriptio Johannis evincit, & ipsi Adversarii non diffitentur. Descriptio Johannis Apocal. 17. ad amussim illi soli convenit, præcipuè quoad duos characteres quibus eam insignit, quòd sit Urbs ἑπτάλοφος, quæ *sedeat super septem montes*, ℣. 9. & quòd obtineat *imperium super Reges terræ*, ℣. 10. Cùm constet septicollem esse, & tempore Johannis nullam aliam præter ipsam fuisse Orbis dominam, Caput Mundi, & Reginam gentium, quæ à Græcis ideo βασιλεύουσα πόλις vocatur. Quod Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 2. agnoscit. *Johannes passim in Apocalypsi Romam vocat Babylonem, ut observavit Tertullian. & apertè colligitur ex capite 17. Apoc. ubi dicitur Babylon magna sedere super septem montes, & habere imperium super Reges terræ; nec enim alia civitas est, quæ Johannis tempore imperium habuerit super Reges terræ, quam Roma, & notissimum est supra septem colles ædificatam esse.* Cum eo faciunt *Baron.* ad ann. 45. *Ribera* in Apoc. 14. n. 27. 30. *Viegas* in Apo. 17. *Lessius*, *Gagneus*, & alii non pauci. 8 *Quia est Babylon.*

XXIII. Nec elabi possunt dicendo *Romam Ethnicam*; non Papalem intelligi, vel ad Ethnicismum relapsuram. Sola enim verborum lectio contrarium evincit, & docet ea isti Babyloni tribui, quæ Romæ Paganæ neutiquam conveniunt, sed Papali apprimè; Ut quòd inebriatura esset & fascinatura Gentes & Reges terræ poculo aureo fornicationum suarum Apocal. 17. 2. & cap. 18. 23. quòd cum ea scortaturi essent, quòd mercaturam & quæstum animarum exercitura esset Apoc. 18. 13. quòd in fronte nomen *mysterii* inscriptum gerat, Apoc. 17. quòd debeat fieri post excidium habitaculum dæmoniorum Apoc. 18. 3. quòd Reges terræ, qui cum illa scortati erunt, ejus exitium deflere debeant c. 18. 7. quòd suâ infallibilitate & majestate glorietur, ut *Regina, quæ non vidua est luctum* 18. 7. quòd cornua Agni gerere debeat, & os habere Draconis c. 13. 11. quòd ebria debeat esse sanguine Sanctorum c. 17. 6. in qua reperiantur corpora Prophetarum Domini, & alia id genus, quæ ita sunt per se perspicua, ut vix ac ne vix quidem applicatione egeant; præsertim si addamus miratum fuisse Joannem admiratione magnâ, cùm videret illam cap. 17. 6. Nulla quippe admirationis causa erat, Ethnicam Romam videre Idola colentem, vel Sanctos persequentem. Sed cùm Romam ad Christum conversam, & se omnium Ecclesiarum matrem & magistram indigitantem sibi hac visione repræsentatam intelligeret; id demum:

QUÆST. XIV. mum nec sine ratione miratus est; Sedem, quam vocant Apostolicam, non modò apostaticam factum iri, sed in tantùm à pristina pietate degeneraturam, ut omnium in Christiano orbe tum superstitionum, scortationumque mater & magistra, tum persecutionum adversus sanctos Dei Martyres causa esset extitura, & ipsius Antichristi sedes futura. Ut verò Roma pagana vetus non potest intelligi per eam; Ita nec *nova*, quæ *ad Ethnicismum* sub Antichristo supponitur esse *relapsura*, ut finxerunt *Lessius & Ribera*. Quia commentum hoc non modò est ἄγραφον, quod nullum in Scriptura fundamentum habet, sed & ἀντίγραφον, cùm Antichristus Imperium suum in Christianismo erigere debuerit, & sedere in Templo Dei ut dictum. Ideo à Justiniano, Suarezio, Malvenda, & aliis rejicitur. Quàm appositè verò Roma per Babylonem designetur, tam quoad fastum & superbiam, quàm quoad tyrannidem & crudelitatem, quoad errores & idololatriam, quoad impuritatem & sordes, & alia id genus adjuncta, alibi à nobis ostensum Disp. VI. de Secessi. Hoc unum notasse nunc sufficiat. Talis cùm sit, non posse eam à nobis pro verâ Ecclesiâ haberi, sed pro falsâ & Apostaticâ; A qua secedendi, ut justissimas Majores nostri causas habuerunt; Ita tenentur ex officio conscientiæ nuntium illi remittere, & divortium ab ea facere, quotquot Antichristo Christum, cultui idololatrico, & superstitioso, λογικὴν λατρείαν in spiritu & veritate, doctrinis erroneis & hæreticis veritatem Euangelicam & Orthodoxam, Tyrannidi intolerandæ sanctam libertatem, quam Christus suo sanguine nobis acquisivit, præferri oportere jure meritò statuunt.

Fontes Solutionum.

XXIV. Aliud est *retinere fundamentum solum*, sine additione, *totum* sine subtractione, *purum* & *illibatum* sine corruptione. Aliud retinere mixtum, mutilatum, & adulteratum. Ecclesia quæ retinet fundamentum priori sensu vera est Ecclesia, sed non quæ posteriori tantùm; Ut Ecclesia Romana, quæ licèt profiteatur se retinere fundamentum; Nec retinet *solum*, quia præter fundamentalia Capita, de quibus inter nos consensus est, adduntur ab Adversariis alii articuli bene multi, quoad credenda & facienda, & imperantur ut necessarii quoad fidem & mores sub anathematis pœna. Nec *totum*, quia varia ejus Capita subducunt; Nec *purum*, quia diversimodè illud corrumpunt. Quid prodest verò retinere Christianismi quædam Capita, si addantur alia Antichristianismi, & dapes salutares apponere, si veneno addito inficiantur, habere quædam vera, sed erronea plura? 2. Aliud est retinere *aliquid vera Ecclesiæ*, aliud esse *veram Ecclesiam* simpliciter. Ut aliud est Corpus habere partes aliquas sanas, aliud Corpus esse simpliciter sanum. Ecclesia Pharisaïca retinebat nonnulla veræ Ecclesiæ tempore Christi, nec tamen ideo vera Ecclesia fuit. Idem de Ariana, Donatistica, aliisque factiosis judicium est, quarum nec Baptismum, nec Ordinationes iterabant Catholici.

XXV. Aliud

XXV. Aliud est retinere Symbolum, Orationem Dominicam, & Decalogum, quibus substantia Religionis Christianæ continetur, *fide literali* tantùm, sed non *mentali*, oretenus & quoad verba & professionem, Aliud verò corde sincero quoad sensum & veritatem. Ecclesia Romana potest dici ista tenere priori modo, non posteriori, circa quem peccat multifariam in expositione istorum Capitum. Nec valet consequentia à professione omnium articulorum Symboli Apostolici ad veritatem Ecclesiæ; nequidem juxta Pontificios, qui nolunt nos esse veram Ecclesiam, licèt recipiamus totum Symbolum; Nec Sociniani vel à Pontificiis, vel à nobis pro verâ Ecclesiâ reputantur, licèt profiteantur Symbolum, quia verbis, non sensu illud retinent. Quæst. XIV.

XXVI. Si quidam ex nostris dixerunt fundamentalia remanere in Papatu; Non ideo existimarunt Ecclesiam Romanam esse veram, in qua salus obtineri possit, cujus contrarium tanto studio tuentur, successionem ab ea urgendo, ut rem summæ ad salutem necessitatis. Sed ita voluerunt tantùm veritatem fidei nostræ demonstrare, ex eo quòd nihil à nobis credatur, quoad articulos purè affirmativos, quod pariter à Pontificiis non retineatur. Ut ideo non sit necesse in probandâ fide nostrâ, quæ ab Adversariis non controvertitur, occupari. Licèt de cætero magnum statuant discrimen tam in modo, quò fundamentalia ista ubique retinentur, quàm in articulis negativis, in quibus δὶς ἀφ' πλοῦν discrepamus.

XXVII. Veritas Baptismi arguit quidem veritatem Ecclesiæ ratione Christianismi in genere, oppositè ad Cœtus infidelium: Sed non ratione Christianismi puri & defœcati ab erroribus hæreticorum; cùm verus baptismus apud hæreticos, qui non sunt vera Ecclesia, reperiri possit. Ut vera circumcisio & sacrificia uni Deo consecrata erant in Ecclesia decem tribuum, quæ non ideo erat vera Ecclesia. Nec Adversarii hoc possunt diffiteri, qui baptismum nostrum verum agnoscunt, quibus tamen veræ Ecclesiæ nomen denegant.

XXVIII. Licèt Ecclesia Romana fuerit olim vera Ecclesia tempore Pauli & in subsecutis seculis; Non sequitur veram fuisse semper, & esse etiamnum hodie; Cùm privilegium infallibilitatis nulli Ecclesiæ particulari visibili concessum sit, & constet ex collatione utriusque Ecclesiæ, hodiernam defeciisse à fide veteris, & innumeros errores capitales invexisse in Religionem tam theoreticos, quàm practicos, è diametro pugnantes cum doctrina ab Apostolo tradita Romanis & ab ipsis recepta & credita.

XXIX. Ubi est *Ministerium purum & incorruptum*, saltem in fundamentalibus, ibi etiam esse veram Ecclesiam non negamus. Sed non valet quoad *ministerium corruptum* & *impurum*, quale esse Ministerium Papisticum asserimus.

XXX. Ex-

QUÆST. XIV. XXX. Exceptio *longævæ possessionis*, quam obtendunt Pontificii, ut veritatem Ecclesiæ suæ demonstrent, & examen doctrinæ declinent, non potest titulum sufficientem illis largiri, ut in Jure præfertur conditio possidentis. 1. Quia nihil potest præscribere contra veritatem, nec falsæ doctrinæ possessio potest ejus professionem legitimam reddere; mendacium semper est mendacium, quantavis antiquitate se commendet, & hæresis ut ut vetus non minus est damnabilis. Nec ea quæ locum habere possent in jure civili, & positivo, possunt vel debent pariter obtinere, quoad jus divinum & naturale. Alia quippe ratio fundi & possessionis terrenæ, Alia articulorum fidei, & Religionis dogmatum; In illis datur locus præscriptioni per diutinam possessionem, ut sint certa dominia, nec sint æternæ lites; Sed non in istis, in quibus agitur de jure divino & indispensabili, quod cœlestem veritatem, & animarum salutem spectat, qualecunque tempus fluxerit ab erroris alicujus ortu, semper eum impugnare licet. 2. Hâc exceptione tutæ forent omnes Religiones per orbem, & omnes hæreses & superstitiones, ipso jure post longum tempus manerent certæ & fixæ, omni deinceps circa eas lite, scrutinio, & examine eliminatis; Nec Christus vel Apostoli jus habuissent idololatriam paganam oppugnandi, & possent Gentiles pari cum Pontificiis jure, ad veritatem Religionum suarum ostendendam urgere longævam suam possessionem, ut passim faciunt apud Tertull. Cypria. Orige. Minutium, Arnobium. 3. Requiritur in possidente justus titulus, seu justa causa possessionis. Sed hæc ipsa est inter Nos & Pontificios quæstio, quo scilicet jure teneant eam, quam sibi Papæ, Cardinales, Sacerdotes, potestatem vindicant, donatam ne à Christo, vel ab Apostolis, Ubi factum & quando? 4. Possessio debet esse tranquilla, ut fundet præscriptionem; aliàs si contradictio intervenerit, & oppositio, tollitur eo ipso præscriptio. Jam verò usurpatis Papæ juribus, Oecumenico Pontificatui, supremæ in Reges & Imperatores potestati, Cœlibatui Clericorum, Cultui Imaginum, Invocationi Sanctorum, Præsentiæ corporali Christi in Eucharistia, aliisque id genus erroribus Romanis, contradictum fuisse in orbe utroque orientali & occidentali publicè & sæpius, quis tam ignarus ut nesciat, quis tam impudens ut neget? 6. Cùm origo omnis legitimæ possessionis in Religionis negotio repetenda sit à prima institutione Christi & Apostolorum, frustra obtenditur possessio plurium seculorum, nisi ascendatur ad primam ætatem, & ostendatur tempore Christi & Apostolorum eam jam obtinuisse.

XXXI. Quamvis agnoscamus pios ante Reformationem potuisse salutem obtinere in Ecclesiâ Romanâ. Non sequitur Ecclesiam illam visibilem quà Papalem veram fuisse; Quia licèt in ea manerent corpore quoad sedem, non manebant tamen animo quoad fidem, secedentes ab ea negativè, si non positivè. Adde quòd alia est ratio illorum temporum,

alia

alia nostrorum; Nec si potuit sufficere ipsis secessio negativa, potest etiam nobis sufficere in tanta veritatis, & libertatis luce, ut supra dictum. Quæst. XIV.

XXXII. Quamvis Roma glorietur se esse solam veram Ecclesiam, ad instar Judæorum Templum Domini inclamantium, Jerem. 7. non ideo fidem à nobis potest impetrare. Quia nemo Judex esse potest in propria causa, & aliud est falsò & temerè aliquid sibi tribuere, aliud reipsa illud possidere. Nec quibuscunque fucis & pigmentis incrustetur, quod tam sollicitè facere conantur Adversarii, in fallacibus speculis eam nobis exhibendo, & falsâ & inani larvâ eam tegendo, poterit unquam verè haberi pro sanctâ & vera Christi Sponsâ.

QUÆSTIO XV.

An Ecclesiæ Euangelicæ & Reformatæ sint vera Ecclesia Christi? Affirm.

I. CUm ex dictis præcedenti Quæstione constet, Ecclesiam Romanam hodiernam non esse veram Ecclesiam Christi. Non minus liquere potest ex regula oppositorum, hunc titulum non posse denegari Ecclesiis Reformatis & Euangelicis, quæ à Romanâ Secessionem fecerunt, in quarum ideo communione salus certò possit obtineri, quicquid ex adverso statuant Pontificii temerariis suis & iniquissimis judiciis. *Ecclesiæ Reformatæ esse veram Ecclesiam probatur.*

II. Nec hoc difficile est ulterius comprobare, ex iis quæ de Notis Ecclesiæ antea dicta sunt. Cùm enim evictum sit, eam demum veram Ecclesiam esse, in qua obtinet pura Verbi prædicatio, Et Religio à Christo & Apostolis instituta; Negari non potest Ecclesias nostras hoc nomine rectè insigniri, si verum est, ut pertendimus, fidem & Religionem nostram non aliam esse à fide & Religione Christi & Apostolorum.

III. Rem verò sic se habere ex Religionis ipsius examine liquidò patet. Quomodocunque enim illa spectetur, sive quoad *fidem*, sive quoad *cultum*, sive quoad *regimen*, quæ tria solet complecti; Nihil in ea occurrit, quod Verbo Dei non nitatur, quodque à Christo & Apostolis non sit traditum & institutum. Ut ex singulorum Capitum examine constare potest. Atque hoc est primarium fidei nostræ fundamentum, ad quod semper provocavimus & provocamus. Nec causam dicimus, quin, si quid à nobis doceatur quod sit præter vel contra Dei Verbum, eo ipso Ecclesiæ nostræ pro falsis habeantur. Sed si contrà certum est nihil à nobis tradi,

QUÆST. XV. sive quoad fidem, sive quoad mores & cultum, quod doctrinæ à Christo & Apostolis in Verbo traditæ non consentiat; Nemo dubitare potest veritatem fidei, & Religionis, post se trahere necessariò Ecclesiæ, quæ eam profitetur, veritatem. Quòd si hoc negare, vel in dubium vocare voluerint Adversarii; Ad examen doctrinæ, quod tanto studio declinant, veniendum est.

IV. Scio Pontificios in doctrina nostra carpere varia, quæ sibi persuadent tam veritati quàm pietati adversari, & propter quæ hæreseos notam nobis impingere solent. Sed iniquissimam esse hanc criminationem ex rerum ipsarum discussione luce meridianâ clarius liquere potest. Ex eâ quippe constat. 1. Alia *per calumniam & falsissimè nobis impingi*, à quibus sumus alieniissimi, & quæ toto pectore detestamur. Ut quòd Deum faciamus authorem peccati, quia Providentiam ejus efficacem circa peccatum asserimus. Quòd negemus Dei omnipotentiam, quia docemus Deum non posse efficere, ut Corpus Christi pluribus simul locis sit essentialiter præsens. Quòd convellamus æqualitatem Personarum divinarum, quia Patri tribuamus ὑπεροχὴν divinitatis, Filium autem nolimus esse αὐτόθεον. Quòd absolutam & fatalem ac Stoicam necessitatem omnibus rebus imponamus ex divinâ providentiâ. Quòd peccata omnia æqualia faciamus, quia pertendimus esse omnia mortalia & nullum veniale. Quòd negemus veram Christi humanitatem, detrahendo ei personalitatem. Quòd asseramus Christum in cruce desperasse. Quòd negemus justitiam inhærentem, & nullam necessitatem bonorum operum agnoscamus; & alia id genus, quæ falsissima esse, & per calumniam meram nobis afficta, nemo, qui fidem nostram noverit, & Confessiones publicas ac Libros nostros symbolicos legerit, ignorare potest, ut à nobis in toto hoc opere quoad singula Capita est ostensum. 2. Alia per *consequentias falsissimas* ex veris principiis nostris perperam educi, Ut quòd Prædestinationis doctrina, prout à nobis traditur, extinguat in animis hominum omnem religionem, & sit aut profanitatis, aut desperationis magistra. Quòd Legem moralem tollamus, è medio sublatâ bonorum operum necessitate. Quòd in vocatione hominem faciamus truncum & stipitem, ut qui secundùm nos se habeat merè passivè in primo vocationis momento. Quòd in justificatione hominem censeamus non fieri justum in seipso, sed manere peccatorem injustum & immundum, & solùm censeri justum in Christo. Quòd homines quicquid peccent, de perseverantia sua nihilominus certi esse debeant. Quòd per dogma de certitudine Salutis & Justitiâ innamissibili corrumpamus ideam veræ perseverantiæ, timoris omnis usum abrogemus, & virtutum Christianarum naturam deleamus; & alia non pauca istiusmodi, quæ si quis attentiùs expenderit, alieniissima esse à doctrina nostra bene intellecta deprehendet, & quæ nonnisi per violentas, & contortas con-

contra naturam rerum ipsarum deduci possunt consequentias, ut suis locis à Nobis est probatum. Vel 3. *falsitatis* iniquissimè *insimulari*, *quæ in se sunt verissima*, & Verbo Dei consentanea, qualia sunt ea, quæ à nobis docentur contra Invocationem Sanctorum, & Cultum Imaginum; contra Purgatorium & Satisfactiones humanas, contra Transubstantiationem & Sacrificium Missaticum, contra Primatum Papæ, & cætera, quibus errores Papales impugnamus. Vel 4. *duriora* quorundam *verba*, & *privatas Doctorum sententias* ab Ecclesia nunquam receptas, pro publica & constanti ejus fide obtendi. Quæst. XV.

V. Hæc verò clariùs eluceſcent, Si veram & genuinam *Religionis* nostræ *ideam* animo concipiamus, oppositam falsis & fallacibus, quas Adversarii per meram calumniam, vel ignorantiam, & cœca præjudicia effingere solent ad eam traducendam, non modò ut absurdam, & merum *sceleton sine succo & unctione*, omnibus ornamentis nudatum, sed etiam ut impiam & impuram, omniumque odio & detestatione dignam; Cùm tamen reipsa nihil sanctius & purius, nihil hominum amore & veneratione dignius concipi possit. Religio scilicet nostra est, quæ tota occupatur in Deo Uno & Trino, Creatore, Conservatore, & Redemptore cognoscendo, & ex ipsius præscripto ritè colendo. Quæ salutis nostræ gloriam Deo soli acceptam fert in solidum, & in hominem solum veram peccati & exitii sui causam transcribit. Religio nostra est, quæ non aliam fidei morumque regulam agnoscit præter Scripturam Sacram, non alium Mediatorem & Caput Ecclesiæ quàm Christum; Non aliud sacrificium propitiatorium quàm ejus Mortem; Non aliud Purgatorium quàm ejus Sanguinem; Non aliud meritum quàm ejus Obedientiam; Non aliam intercessionem quàm ejus Preces. Religio nostra est, quæ solum Deum adorandum & invocandum statuit; Et quæ gloriam & cultum religiosum illi debitum ad Creaturas transferri non patitur. Religio nostra est, quæ deprimit quàm maximè hominem, omnem virium & meritorum propriorum præsumptionem illi auferendo; Et quæ summè extollit gratiam & misericordiam Dei, eam unicam salutis tam quoad acquisitionem, quàm quoad applicationem causam prædicando. Religio nostra est, quæ vitiis omnibus bellum indicit, virtutes omnes commendat, & necessitatem sanctitatis & bonorum operum ad salutem urget, quæ pietatem & cultum collocat; non in exercitiis corporalibus, quæ ad pauca prosunt, puta distinctione ciborum, observatione festorum, Jejuniis, peregrinationibus, flagellationibus, aliisque cæremoniis externis, & ἐθελοθρησκείαις, quas Deus nunquam præcepit; Sed in adoratione in spiritu & veritate, quæ in corde puro, bonâ conscientiâ, fide non fictâ, & charitatis & bonorum operum praxi posita est. Religio nostra est, quæ pacem & consolationem solidam in vita & morte affert animæ fideli, per fiduciam veram quam jubet collo-

QUÆST. XV. care, non in propriæ justitiæ, vel satisfactionum humanarum incertitudine & vanitate; Sed in solâ Dei misericordiâ & perfectissimâ Christi justitiâ, quæ cordi per fidem applicata dubitationem & diffidentiam eximit, & vividam salutis post hanc vitam persuasionem ingenerat. Religio nostra est, quæ lectionem Scripturæ S. non modò non vetat, ut periculosam, sed præcipit ut utilissimam & summè necessariam. Quæ non vult sacra peragi linguâ peregrinâ, per quam miser populus non intelligit Deum loquentem, nec ipse se, & in cœcâ detinetur ignorantiâ, longissime semotus à mysteriis: Sed usum linguæ vulgaris. & omnibus notæ commendat, ut omnium ædificationi & institutioni consulatur. Religio nostra est, quæ obedientiam Potestatibus superioribus debitam omnibus imponit, & quæ non sine grandi scelere, & sacrilegâ audaciâ, quemquam mortalium jus sibi arrogare posse Reges deponendi, & subditos à juramento fidelitatis absolvendi censet. Religio nostra est, quæ duobus Sacramentis à Christo institutis, Baptismo & Cœnâ contenta, alia omnia ut humani ingenii inventa respuit. Quæ Christi veram, spiritualem, & solam salutarem præsentiam in Cœna agnoscit, nec corporalem & Capernaiticam, quâ Deus non solùm ab homine fieri, sed & manducari creditur, tanquam sensui, rationi, & fidei adversam, & mille contradictionibus plenam admittere potest. Quid verò in istis omnibus, vel falsi vel impii deprehendi potest? Quid contrà, quod veritatem & sanctitatem non spiret, & Dei Verbo ac Spiritui Christianismi non conveniat? An ullus tam perfrictæ frontis dari potest, qui talia verè credentes, & sincerè observantes flammis æternis addictos esse, & sine spe salutis damnandos dicere ausit?

VI. Quòd si liberet parallelismum instituere Religionis Romanæ cum nostra, facilè colligi posset, Quænam sanctior sit, & hominum studio & veneratione dignior, Quænam verò impurior, & cujus nos pudere debeat. An Romana, quæ cultum soli Creatori Deo in æternum benedicto debitum, ad Creaturas transfert, & quæ hominem rationalem coram statuis & picturis mutis & inanimatis prosterni jubet. An nostra quæ solum Deum immortalem verum & vivum adorari & coli jubet. An Romana quæ dividit gloriam Redemptionis, Conversionis, & Salutis nostræ inter Deum & hominem. An nostra, quæ illam unicè Deo tribuit. An Romana, quæ hominem infirmum, peccatorem & mortalem agnoscit & veneratur ut Caput Ecclesiæ, & ut supremum Controversiarum & Conscientiarum Judicem. An nostra, quæ nec Corpus Christi mysticum, nec singula ejus membra alteri, quàm uni Christo Dei benedicti Filio ὁμουσίῳ subjicit. An Romana, quæ quærit adhuc Christum in terris sub speciebus rei perituræ, contra testimonium sensuum, rationis, & Scripturæ. An nostra, quæ illum in cœlis tantùm quærit in throno Patris sedentem, & quæ utitur Sacramento, non ad creandum

Chri-

Christum; sed ad eum honorandum, non ad Corpus ejus in nostra demittendum, sed ad corda nostra ad illum attollenda. An Romana, quæ ut facilius regnet in tenebris, Candelam sub modio reponit, Scripturæ & Testamenti Patris nostri lectionem prohibendo, & linguæ peregrinæ usum in sacris præcipiendo, & quæ fidem potius per ignorantiam & cœcam obedientiam, quàm per scientiam & cognitionem definiri pertendit. An nostra quæ ad Scripturæ lectionem & studium omnes hortatur, quæ veritatis manifestatione se commendat, & quæ fidem in mysteriorum sacrorum cognitione reponit. An Romana, quæ Traditiones humanas Verbo Dei æquat, quæ Legis præcepta corrumpit, & Sacramentum alterâ sui parte mutilat. An nostra, quæ solo Dei Verbo θεοπνεύστῳ contenta, nihil patitur illi addi, vel detrahi. Ex his verò, ne alia persequamur, quid de utriusque Religionis & Ecclesiæ veritate & falsitate judicandum sit, nemo non videt. Quæst. XV.

VII. Sed ut pressiùs cum Adversariis agamus, ex ipsorum confessione veritatem Religionis & Ecclesiæ nostræ colligimus. Cùm enim nihil credamus quoad *articulos merè affirmativos*, qui res credendas continent, sive quoad fidem, sive quoad mores & cultum, quod ipsi tanquam verissimum se nobiscum credere non profiteantur; Vel fateri debent fidem nostram esse veram, vel suam, quam nobiscum communem habent, esse falsam. Confirmatur ex eo, quòd tota lis nostra cum Pontificiis non sit circa articulos istos affirmativos, quos Catholica omnium seculorum Ecclesia constanter docuit, & ipsa nunc etiam Roma recipit & profitetur; Sed circa negativos & exclusivos, quos tanquam necessarios obtendit nobis credendos. Nos verò ut falsos & erroneos constanter repudiamus. Verbi gratiâ, Non quæritur inter Nos, An Scriptura sit Verbum Dei θεόπνευστον, regula fidei & morum, quæ nostra est fides, quam & ipsi admittunt. Sed, An præter Scripturam dentur Traditiones ἄγραφοι, quæ pari pietatis affectu & reverentiâ in fidei normam recipiendæ sint, quod illi vellent, Nos negamus. Non disputatur, An Christus sit noster apud Deum Mediator, & ejus Mors sacrificium ἱλαστικὸν pro peccatis nostris, quod utrinque est in confesso. Sed, An præter Christum, dentur alii Mediatores, sive Redemptionis, sive Intercessionis, & præter Crucis sacrificium, admittendum sit aliud sacrificium verè propitiatorium, quod pertendunt, Nos rejicimus. Non controvertitur, An Deus sit colendus & adorandus, de quo utrinque consentimus. Sed, An præter Deum possimus licitè & debeamus colere & invocare Creaturas. Non quæritur, An Christus sit Caput Ecclesiæ, quod asserimus utrique; Sed, An præter Christum Papa sit etiam Caput secundarium, qui ipsorum est error, quem aversamur. Denique ne plura capita persequamur. Non disceptatur, An justificemur per fidem meritum Christi apprehendentem; quod cum

QUÆST. XV.

Scriptura tuemur. Sed, An justificemur etiam per opera, quod urgent illi, Nos verò repudiamus. Ex quibus cùm liquidò pateat hæc fidei nostræ Capita in controversiam non venire cum Adversariis; Negari non potest Religionem nostram, quæ istis Capitibus continetur, veram esse, & ex consequenti Ecclesiam, quæ illam profitetur. Nec dici potest falsitatem ejus colligi, quoad articulos negativos, quia nolumus recipere & credere quæcunque nobis credenda obtrudunt. Quia aliud est non credere quicquid credendum imponitur, Aliud credere falsum. Prius Pontificii nobis exprobrare possunt. Sed non posterius. Nec fidei illius defectus potest nobis vitio verti, nisi ante ostendatur tales articulos, qui credendi obtruduntur, necessarios esse, & in Scripturâ traditos, quod nunquam sunt præstituri.

Fontes Solutionum.

VIII. Quia verò variis *præjudiciis* Religionis & Ecclesiæ nostræ veritatem obruere conantur. Eorum vanitas paucis est ostendenda. Primum

1. *Crimen Schismatis.*

est *Crimen Schismatis*, quòd ab Ecclesia Romana secessionem fecerimus, atque ita à vera Ecclesia simus divulsi. Sed varia sunt quæ reponi possunt. 1. Secessionem omnem non esse malam, & quæ schisma inducat, sed tantùm eam, quæ fit temerè & injustè, quod cùm dici non possit de nostra, quæ gravissimas & summè necessarias causas habuit, nec nobis schisma impingi potest, ut alibi probatum est à Nobis Disput. I. de Secessione. 2. Supponitur gratis secedere ab Ecclesiâ Romanâ, & secedere à verâ Ecclesiâ idem esse. At immane quantùm ista differunt; secessimus quidem ab Ecclesiâ Romanâ & Papali; sed non ideo à verâ Christi Ecclesiâ secessimus; Imò propterea communionem Romanam reliquimus, ut retineremus communionem Christi, cum qua illa erat ἀσύμφωνος. 2. Cùm privilegium infallibilitatis, nec Romæ, nec ulli Ecclesiæ particulari visibili concessum sit, ut antea probavimus, nulla potest prætendere secessionem à communione suâ esse injustam, nisi prius ostenderit penes se esse veritatem doctrinæ. Nam si verum est aliquam Ecclesiam esse hæreticam vel idololatricam, quis dubitare queat fidelem necessariò secedere debere ab eâ, si velit saluti suæ prospicere, ut omnino tenetur indispensabiliter. Nec enim putem quenquam sanæ mentis adoptare velle crudum illud & impium paradoxum, quod habet Autor lib. de præjudi. cap. 7. scilicet *Ab Ecclesiâ Romanâ nusquam secedendum esse, imò licèt hæretica esset & idololatrica*, quasi hæresis & idololatria non essent cum salute ἀσύμφωτοι, & Paulus falsò dixerit nullam esse communionem Christi cum Belial, lucis cum tenebris, & Templi cum idolis, Et idololatras à Regno Dei esse excludendos.

2. *Novitas Reformationis.*

IX. 11. *Novitas Reformationis* urgetur, quæ novitatem Religionis ostendat. Sed hîc perperam confunditur *Reformatio* cum *Religione*: Religio est Corpus Doctrinæ à Christo traditæ, quæ continet quæcunque nobis ad salutem vel credenda vel facienda sunt. Reformatio nihil aliud

est

est quàm repurgatio Errorum & Corruptelarum, quæ invectæ erant à Papatu in doctrinam fidei & morum à Christo traditam. Reformatio quidem nova est, id est, recens facta, ut quæ supponit statum præcedentem Ecclesiæ corruptum. Sed non ideo per hanc Reformationem nova instituta est Religio, vel Ecclesia, quæ antea non esset, sed ea quæ jam erat in melius est restituta per normam antiquam, puta Dei Verbum. Cæterùm novum non est veritatem novitatis accusari, & mendacium sacram & venerandam sibi prætexere antiquitatem. Novitatem hanc Judæi Christo objiciebant, se verò antiquitatis amatores & sectatores esse gloriabantur Marc. 7. 5. Matth. 15. 2. Ethnici specie novitatis primos Christianos in odium adducebant, & antiquitatis suæ monumenta, non superbè minus quàm falsò ostentabant. Sed ut Christus hujus criminationis falsitatem retundebat, provocando ad Scripturas, quæ de ipso testimonium perhiberent Joann. 5. 39. & doctrinam à se traditam confirmarent. Ut Christiani iisdem armis adversus Gentiles se tuebantur. Ita eadem nostri purgandi & crimen objectum diluendi ratio valere debet. Non personarum, sed doctrinæ antiquitatem considerari postulamus, quam à nobis stare jure petrèndimus. Quæst. XV.

X. 111. Præjudicium est *Defectus Vocationis & Missionis*, quòd simus ἀυτόκλητοι, qui autoritatem & jus nullum habuerimus reformandi Ecclesiam; atque adeò ex hoc ipso damnandi simus etiam inauditi. Sed 1. gratis hoc supponitur, non probatur. Nam nec Reformatores nostros legitimâ caruisse vocatione, nec nos eâ carere asserimus, ut in sequentibus demonstrabitur, quum de Vocatione Pastorum disputabimus. 2. Supponitur rursus perperam, ordinariam vocationem semper esse necessariam ad exercitium ministerii, & Ecclesiæ reformationem; Quia alia ratio est Ecclesiæ instituta & conservandæ, alia restituendæ & reformandæ. Ut in Republicâ bene ordinatâ non licet cuiquam contra ordinarios Regis præfectos insurgere, & si quis id tentaverit, seditionis, & læsæ majestatis reus peragitur; Sed si id proditionis alicujus in Regem & regnum excitatæ, avertendæ causâ contigerit in Republicâ perturbatâ, non jam crimen pœnâ dignum, sed actio heroïca & laude digna censetur. Ita si quis ordinis in Ecclesia bene constituti contemptu, voluerit invadere munus sacrum sine vocatione, quod fit ab Anabaptistis, & similibus turbonibus, meritò est damnandus. Sed ubi ministerium ipsum est corruptum, ubi omnia sunt perturbata in Ecclesiâ, & præsentissimum imminet exitii periculum, si quis saluti suæ & proximorum prospicere voluerit, peculiari vocatione non indiget, nec ullâ autoritate aliâ illi opus est, quàm zelo gloriæ Dei, & salutis suæ desiderio, ad quam procurandam ex vocatione generali quisque tenetur. Hunc verò statum fuisse Ecclesiæ Romanæ pertendimus, & probare parati sumus ex summâ, quæ ibi grassabatur, Religionis corrup- 3. *Defectus Vocationis & Missionis.*

QUÆST. XV.

ruptione. Si id falsò asserimus, causam non dicimus, quin temeritatis & insolentiæ rei peragamur. Sed si rem ita se habere probatum fuerit; Quis nobis vitio vertat, si saluti nostræ maturè prospicere voluerimus per mendacii & erroris rejectionem & veritatis publicam professionem? 3. Injustissimè pertendunt nos etiam inauditos condemnari posse ex defectu missionis; Cùm Leges ipsæ hoc constanter vetent; Unde Nicodemus Joan. 7. 51. *Num Lex nostra*, inquit, *quemquam condemnat, nisi prius eum audierit, & cognoverit quid fecerit?* Quomodo enim sine summâ temeritate id condemnari potest, quod non cognoscitur. Et quomodo id cognosci potest nisi examinetur? Adde quòd cùm veritas sibi audientiam conciliet à quocunque ad nos deferatur, si doctrina nostra vera est, audiendi sumus, licet missionem externam non haberemus, si verò sit falsa, ut ut missionem haberemus, detestandi, non audiendi sumus, eoque magis quòd missio ex doctrina probanda sit, non vero doctrina ex missione.

4. Dissidia.

XI. IV. Præjudicium sunt *dissidia*, quibus Ecclesiæ Euangelicæ laborant. Sed obstare non possunt quominus veræ Ecclesiæ nomen retineant, quia conveniunt in fundamento, & si quæ supersunt dissidia, quæ Deus permittere voluit ad probandam fidem nostram, sunt circa articulos minus necessarios, in quibus salvâ Religionis essentiâ potest dari dissensus; Ut Ecclesiæ Apostolicæ suis olim dissidiis & nævis laborarunt, ut constat ex Actis Apostolicis & Epistolis Paulinis; Nec ab iis immunes fuerunt Ecclesiæ Orientales & Occidentales, Latinæ & Græcæ, Africanæ & Italicæ, quæ veræ Ecclesiæ propterea esse non desierunt. Deinde contentiones & dissidia Euangelicorum longè sunt minora, iis quæ agitantur inter Pontificios, qui, ut antea visum, non raro se mutuo hæreseos insimulant. Nec moramur hîc judicia rigidiora nonnullorum ex iis, qui à magno Luthero nomen ducunt, quæ sinistris præjudiciis abrepti in nos ferre solent; Quantumvis enim eos duros experiamur, non desinimus eos fraterno affectu prosequi. Et si positis præjudiciis & privatis affectibus rem ipsam ex Charitatis, Veritatis, ac Prudentiæ Christianæ lege serio exenderent, à pio syncretismo & reconciliatione nobiscum, aut mutuâ saltem tolerantiâ, à qua non pauci moderatiores ex iis alieni non sunt, tantopere non abhorrerent.

5. Reformatorum vita.

XII. V. Præjudicium est *Reformatorum vita*, quæ cùm tot vitiis inquinata perhibeatur, nemo facilè crediderit, Deum talibus instrumentis ad tantum opus exequendum uti voluisse. Sed præjudicii istius vanitatem multa demonstrant. 1. Quia supponitur Religionis veritatem pendere à vita & moribus Pastorum. Atqui illa non ex vita hominum peccatorum, qui nihil aliud sunt quàm instrumenta, quibus Deus utitur, metienda est, sed ex solius Dei ejus Autoris revelatione & veritate. 2. Eodem præjudicio Pharisæi olim, & Sadducæi Christum & ejus doctri-

doctrinam obruere conati sunt, incusando eum blasphemiæ, seditionis, imposturæ, gulæ, & diabolicarum artium. Nec alia fuit agendi ratio cum Apostolis & piissimis Dei servis, quibus hac in parte similes fieri, nobis non modò non probrosum, sed glorioſum esse debet. 3. Licèt Reformatores nostros nec infallibiles, nec impeccabiles credamus, sed homines cæteris ὁμοιοπαθεῖς, à quibus humani nihil alienum fuit, quique suis nævis & vitiis non caruerunt: alieniſſimos tamen fuisse à criminibus ipsis impactis, pietas eorum insignis, & vitæ ac morum integritas singularis, virtutesque raræ quibus se commendarunt, & ab ipsis Adversariis testimonium obtinuerunt, satis loquuntur. Et toties putidissimæ calumniæ istæ refutatæ sunt & mendacii convictæ, ut depuduisse omnino oporteat eos, qui eas adhuc reponere non erubescunt. Vide Apologias nostrorum pro Zuinglio, Luthero, Martyre, Calvino, & Beza, à *Rivero*, *Molineo*, *Drelincurtio*, aliisque factas, & præ cæteris *Responsionem ad Historiam Calvinismi* novissimè editam, in qua Autor accuratè hoc argumentum persequitur Parte Prima cap. 1. 3. 4. 8. 15. & seq. 4. Si liberet recriminari, quanto potiori jure & verius reponi possent ipsis vitia & scelera, quibus Curia Romana tempore Reformationis scatebat, cujus corruptissimum statum non pauci ex Pontificiis graphicè describunt, ut antea visum, propter quem toties Reformatio tam in Capite quàm Membris ab Imperatoribus & Regibus tanto studio expetita est? Quæst. XV.

XIII. vi. Est calumnia de *Violentia* & *Crudelitate*, quæ Religioni nostræ impingitur, quasi ferro & sanguine, & vi armorum stabilita sit, bellis sacris propterea excitatis. Unde maledicentissimus *Maimburgius* insano furore percitus, in ipso statim *Historiæ Calvinismi* initio, non tam atramento, quàm sanguine exaratæ, impotentissimè in ipsam debacchatur, & id unum insatiabiliter agit, ut prodigiosis mendaciis, & tetris calumniis, non tantùm sanctorum, & de Ecclesiâ Dei bene meritorum Virorum manes pios, famamque nequiter prosciſſam, ludibrio mundi objiciat, sed ipsam præcipuè doctrinam Prophetarum & Apostolorum fundamento unicè superstructam, ceu impietatis, turbarumque, & perduellionis omnigenæ fœtam matrem capitaliter lacessitam, odio & execrationi omnium exponat, dum ait Calvinismum renovasse *quicquid rebellio, perfidia, avaritia, ambitio, crudelitas, & ferissimæ passiones furoris & rabiei sceleſtissimis olim inspirarunt, ut se ferro & flammis stabiliret.* Sed nihil falsius esse atrocissimo hoc mendacio, & ipsa res clamat, nec ignorare possunt, qui historiam seculi superioris, quò Reformatio facta est, norunt. Religio Christi semper sibi similis est, arma ejus non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, & ratiociniorum, quæ adversus cognitionem Dei eriguntur, & omnem cogitationem captivandam in obsequium Christi 2. Cor. 10. 4. Ut ab initio 6. *Violentia.*

QUÆST. XV. non armis, sed solo Verbi præconio, & Apostolorum sanguine, ac Martyrum passionibus fundata est; Ita non alia ratione pristino nitori restituta est; Non brachio carnis, sed brachio Domini, & sceptro invicto Evangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni Credenti; Ut sanguine fundata est Ecclesia, sic sanguine crevit, ferendo injurias, non inferendo. *Arma Ecclesiæ, fides, Arma Ecclesiæ, oratio est, quæ Adversarium vincit*, inquit Ambrosius. Si qui motus facti sunt, vel bella excitata hac occasione, ea non Religioni, quæ alia omnia suadet, sunt transcribenda, sed Adversariorum furori & crudelitati, qui quod non potuerunt rationibus, ferro & flammis delere conati sunt. Nec bella civilia sæpe à Principibus suis de causis mota, licèt sub prætextu Religionis, continuò debent Religioni imputari. Vide Responsionem ad Historiam Calviniſmi P. II. ubi Autor Reformationis historiam persequens tam in Helvetia, quàm in Anglia, Scotia, Gallia, Belgio, aliisque locis, clarissimè demonstrat alienissimam fuisse à violentiâ & crudelitate, quæ illi adscribitur. Sed hoc justissimè retorqueri posse in Papismum, cujus sævitiam & crudelitatem immanem certissimis argumentis probat Part. III. in *Historia Papatus*.

7. *Conf sio.* XIV. VII. Est calumnia de *Confessione* & ἀξιώσει multiplici, quæ ex Reformatione in Mundo orta dicitur. Sed nec ista accusatio falsissima movere nos debet. Quia sic olim Elias accusatus est turbati Israëlis 1. Reg. 18. Et primis Christianis imputabantur mala omnia & calamitates, quæ Imperio Romano accidebant. Ut verò Elias non turbabat Israëlem, nec Christianismus causa erat miseriarum Imperii. Ita nec Religio nostra, quæ convenit cum puriori illo Christianismo, causa dici potest confusionum, qui in mundo regnant. Nihil illa spirat, præter pacem & concordiam, nihil periculosius esse & magis fugiendum credit, quàm confusionem & anarchiam, nihil efficacius commendat quàm εὐταξίαν ac bonas leges. Et si quæ confusio orta est ejus causâ, non per se ex illius doctrinâ sequitur, sed per accidens tantùm propter contumaciam & corruptionem hominum, qui istam lucem ferre non valentes, eam modis omnibus extinguere conati sunt. Quomodo Christus profitetur Mat. 10. 34. *Se venisse, non ad pacem immittendam in terram, sed potius ignem & gladium.*

8. *Independentismus.* XV. VIII. Est calumnia de *Independentismo*, tam in Ecclesia quàm in Republica, quò fiat, ut nullam in Ecclesiâ autoritatem agnoscamus, & inimicissimus Potestatum superiorum. Sed nihil potuit dici iniquius, & à Religione nostra magis alienum. Quis enim, qui eam vel à limine salutarit, potest ignorare quàm parum faveat Independentismo, quanto studio contrà in id laboret, ut omnia decenter & κατὰ τάξιν fiant in Ecclesiâ per legitimæ autoritatis & regiminis institutionem? Nec ignotum est inter præcipua fidei nostræ Capita numerari obedientiam debitam Potestatibus

bus superioribus, quibus non modò propter iram, sed & propter conscientiam obsequi tenemur; Ut duo ista indissolubili nexu sociari semper velit, *Timere Deum, & Regem honorare, Reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.* Independentismum relinquimus iis, qui se subducunt jurisdictioni Magistratus, & qui se supra Reges ita evectos putant, ut coronæ eorum ab ipsis pendeant, quas penes eos sit ponere vel tollere pro libitu. Quæst. XV.

XVI. IX. Est calumnia de *Fanatismo, & Libertinismo*, quem Reformationis nostræ traducem esse volunt Adversarii, quod jugum Pontificis excusserimus, & spiritum privatum inducamus. Sed Reformationem nostram nihil commune habere cum sectariis istiusmodi, res ipsa, nobis etiam tacentibus, liquido probat. Ut sanè nihil aliud magis oppositum est Fanatismo & Libertinismo, quàm spiritus Reformationis, qui non aliud fortiùs urget, quàm sanctitatis studium, & bene compositam ex Dei Verbo vivendi rationem. Et nihil ipse magis insectatur quàm furiosam, & fanaticam illam impurorum, & ad omnem libidinem projectorum hominum sectam. Quis potentiùs Calvino nostro eos oppugnavit & expugnavit? Quis impietatem & impuritatem ejus dogmatum clariùs retexit? Et cùm primarium fidei nostræ fundamentum sit Scripturæ uni adhærere, posthabitis omnibus inspirationibus & revelationibus arcanis & immediatis; Quis non videt quàm alienum sit à Fanatismo, qui novas subinde jactat revelationes & inspirationes? Nec si volumus fidelem unumquemque spiritu discretionis posse judicare de doctrinâ propositâ juxta regulam Verbi; Ideo spiritum privatum & fanaticum inducimus. Nec si excussimus jugum tyrannicum Papatus, voluimus fidelem eximere ab omni jugo, ut præceps ruat in omnia scelera; sed illum Legi Christi & suavi ejus jugo eò rectiùs subjicere in animo habuimus. Sed quod illi temerè & falsò Reformationi nostræ impingunt; Id nos verissimè & justissimè in Ecclesiam Romanam retorquemus, quæ veluti thronus est & imperium fanatismi, ex cujus sinu omnes fanatici exierunt; Ubi quotidie recurritur ad novas inspirationes & visiones, si dogma aliquod, aut cultus de novo instituendus est, aut miraculum confirmandum, aut ordo aliquis religiosus erigendus; quod vel ex fundatoribus Ordinum Dominico, Francisco, Ignatio, & aliis patet, qui revelationes & visiones subinde jactarunt, ad fidem sibi conciliandam, ut fusè demonstratum est à D. *Stillingfleet de Fanatismo E. R.* in Quæstione, An Protestans qui se adjungit E. R. possit in ea salvari, Et ab *Autore Responsionis ad Historiam Calvinismi* P. 1. C. 6. 9. *Fanatismus & Libertinismus.*

QUÆST. XVI.

QUÆSTIO XVI.

DE REGIMINE ECCLESIÆ.

An Regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum? Neg. contra Pontificios.

I. HActenus disputatum fuit de Ecclesiâ spectatâ, tam quoad statum internum, quàm quoad externum; Nunc tertia pars Tractationis sequitur de ejus *Regimine*. Prima quæstio, à qua pleræque omnes pendent, est de naturâ istius Regiminis, quæ ideo inter præcipuas merito refertur, adeo ut Bellarminus in Præfat. istius Disputationis, *agi de summâ rei Christianæ* dicat. Nos in pauca contrahentes, qui alii fusiùs persecuti sunt, rem totam quantâ fieri poterit brevitate elucidabimus.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis observandum. 1. Non controverti, An Regimen aliquod in Ecclesiâ sit constituendum; Cùm enim Deus sit Deus ordinis, non confusionis; Nec ordo sine regimine haberi queat; Necesse est Deum in domo suâ rationem aliquam præscripsisse, quâ regeretur; Unde nomina Familiæ, Civitatis, Corporis, & Ovilis illi tribuuntur, quæ bene ordinari non possunt, sine aliquo regimine, Sed quæri *quale* illud sit, & cujus naturæ? An Monarchicum, An Aristocraticum?

III. Non quæri, An in Ecclesia Regimen aliquod Monarchicum locum habeat, cui omnes subesse sit de necessitate salutis. Hoc enim nemo negat proprium esse Christo, qui à Deo constitutus sit Caput & supremus Rex Ecclesiæ suæ, qui eam μοναρχικῶς gubernat, qui ideo passim *Capitis*, *Sponsi*, & *Regis* titulo insignitur, in femore suo scriptum gerens, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Apoc. 19. 16. Sed, An præter Christum, Aliud Caput detur, & alius Monarcha agnoscendus sit inter Rectores Ecclesiæ, cui omnes subesse teneantur. Quod Adversarii volunt. Nos negamus.

Probatur Ecclesiæ Regimen non esse Monarchicum 1. Ex Luc. 22. 25. 26.

IV. Rationes sunt, 1. Quia Christus in Ecclesiâ omnem dominatum prohibuit prorsus Luc. 22. 25. 26. Cùm enim discipuli inter se contendissent de Primatu, eorum ambitionem his verbis cohibuit, *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maximus est inter vos, sit sicut minimus, & qui princeps sicut qui ministrat.* Et Petrus 1. c. 5. ℣. 2. *Pascite gregem, qui penes vos est, curam illius agentes, non coactè, sed libenter*, &c. *Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis*, &c. In utroque loco do-

dominatio in Ecclesia prohibetur, & solum ministerium, & Ἀρχονία relinquitur. Quæst. XVI.

V. Nec dici potest apud Lucam, *Monarchiam & dominationem absolutè non interdici, sed tantùm ejus modum, qui non sit similis dominationi Politicæ, seu tyrannidi Regum gentium.* Quia Apostoli non contendebant inter se de modo primatus, sed de primatu ipso. Unde responsum Christi absolutè debet proscribere omnem dominationem, ut respondeat eorum quæstioni. 2. Si certum tantùm dominationis modum prohibere voluisset, non sustulisset ambitionem, quam longè ab ipsis vult removere, siquidem alii etiam primatus ambitionem pascunt. 3. Phrasis *non sic* simplicem & absolutam ex usu Scripturæ importat Psalm. 1. 7. & 147. 19. Matth. 19. 8. quod apud Matth. 20. & Marc. 10. exprimitur οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν, *non ita erit inter vos.* 4. Si Christus dominationem & primatum jam Petro dederat, vel daturus erat, Cur non de eo monet Apostolos; non dicit officium ipsorum esse illi se subjicere? Hoc omnino docendum fuit hoc loco, ut contentionem illam facilè componeret. 5. Ἀρχονία quam suis tribuit, est αὐτάρκεια & cum Monarchia.

VI. 11. Non melius additur agi *de dominatione violenta, quæ per verbum κατακυριεύειν & καταξουσιάζειν designetur.* Quia licèt aliquando verbum ponatur pro violenta dominatione, hoc fit ratione subjecti de quo agitur, non ex vi vocis, quæ alibi simplicem dominationem importat Genes. 1. 28. Psalm. 72. 8. & 110. 2. Deinde Lucas utitur verbis simplicibus κυριεύειν & ἐξουσιάζειν. 3. Apostoli non disputabant de violentâ dominatione; nihil ergo opus fuit Christum de ea loqui. 111. Nec valet quod subjicitur *Christum omnem primatum non interdicere, quia addit, Ille qui major est in vobis,* Quia loquitur non de majoritate vera, quoad rem, sed de imaginaria, quoad affectationem & desiderium; quod Matthæus & Marcus exponunt per ista, *Qui inter vos volet esse primus:* Vel de primatu ordinis, non jurisdictionis & dominationis est intelligendus. 4. Nec Christi exemplum hîc quicquam juvat, quum ait in seq. *Ego autem in medio vestri sum, sicut ille qui ministrat. Qui dominium tamen verum habebat.* Quia non argumentatur à pari, sed à majori ad minus. Si Ego qui Dominus, tamen sum inter vos ut minister, quanto magis vos qui ministri estis, quique nullam supra vos invicem jurisdictionem habetis, æquum est humiles esse, & omnem primatus & dominationis cogitationem à vobis removere? Nec aliter intelligendum esse Christum colligitur ex Joh. 13. 14. ubi humilitatem pariter ipsis præscribit. *Si ego qui Dominus lavi pedes vestros, debetis etiam alii aliorum pedes lavare.*

VII. Secundò, Christus eandem authoritatem absolutam & αὐτοκεφαλίαν proscribit Matt. 23. 8. 9. &c. *Vos nolite vocari Rabbi, unus enim* 2. Ex Matt. 23. 8. 9.

QUÆST. XVI. *est Doctor vester, nimirum Christus, Vos autem omnes fratres estis; Patrem neminem vocate in terra, unus enim Pater vester est, qui est in cœlis; Ne vocemini magistri, unus enim est Magister vester, nimirum Christus; Sed qui maximus est inter vos, sit minister vester.* Ubi clarum est Christum interdicere discipulis omnia nomina magisterii, & authoritatis, quæ sibi ambitiosè arrogabant Pharisæi; Non quod absolutè & simpliciter damnet nomina Doctoris, Patris, & Magistri, quæ sano sensu possunt dari veris Pastoribus, ut ab Apostolo Doctores referuntur inter munia Ecclesiastica Ephes. 4. & ipse se vocat Patrem Corinthiorum, quia eos in Christo per Euangelium genuit 1. Cor. 4. 15. Sed secundùm quid, quoad rem tituli, nimirum magisterium & authoritatem, à qua nemini liceat provocare, sed in qua omnes oporteat acquiescere Gal. 1. 8. quomodo Rabbini & Doctores inter Judæos ea nomina sibi tribuebant, & tribui volebant, ut essent veluti Doctores in Schola, Patres in familia, & Magistri in domo, qui pro arbitrio leges & mandata in Ecclesiâ fidelibus præscriberent, quibus absolutè & sine examine parendum esset. Ita intelligenda esse Christi verba, patet ex duabus rationibus à Christo additis. Prima petitur à conditione fidelium, qui cùm sint fratres, æquales sunt inter se, ut nullus authoritatem & jurisdictionem in alium assumere debeat, *Vos enim estis fratres.* Altera à Christo, cui soli cùm competat talis authoritas, nemini in terra communicari potest, aut debet. Unde invictè colligitur perperam Ecclesiæ unitatem in terris constitui in adhæsione Capiti cuidam visibili, quod in se totum Corpus uniat; cum Christus in seipso solo conjungi voluerit, qui unicus est Doctor, Pater, & Magister, sub cujus authoritate tota Ecclesia unitur, ut ejus schola & familia, & Regnum; Et hoc esse involare in jura Christi, velle modum unionis Ecclesiæ constituere in authoritate hominis mortalis, qui sit Doctor, Pater, & Magister Ecclesiæ, Et sedem ejus ponere tanquam regulam & arbitram decisionum fidei infallibilem, ut pertendunt Adversarii.

2. *Cor.* 1. 24. 1. *Pet.* 5. 3. VIII. Tertiò, Quia Apostoli Dominationem omnem removent à Ministris, 1. *expresè*, quum negant se dominari fidei Christianorum 2. Cor. 1. 24. *Non quòd dominemur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.* Et prohibent Pastoribus hoc imperium 1. Pet. 5. 3. *Non dominantes cleris, sed ut sint exemplaria gregis*; id. non regio more imperantes pro lubitu populo Christiano, qui est patrimonium seu hæreditas Dei, ut de populo Israëlitico dicebatur Deuter. 4. 20. & 9. 29. quia hoc est proprium ἀρχιποιμένος Christi, solius Principis Pastorum. 2. *Implicitè* & æquivalenter, quum Pastores iis nominibus designant, quæ curam & ministerium notant, sed non dominationem aut imperium, dum eos vocant *Ministros, Dei servos, Legatos, Nuncios, Dispensatores & Oeconomos mysteriorum Dei*, ut doceant, non hoc sibi arrogare debere, ut regnent

gnent in conscientias, sed tantùm ut faciant regnare Christum, unicum Ecclesiæ Principem & Monarcham, *Non nos ipsos prædicamus*, inquit Paulus 2. Cor. 4. 5. *Sed Jesum Christum Dominum, & quòd simus servi vestri propter Jesum.* Ex istis autem omnibus locis simul sumptis invictum petitur argumentum. Nam si Deus voluisset in Ecclesia Monarchiam aliquam visibilem erigere, An credibile est toties & tam expresè omnem dominationem Pastoribus interdicturum fuisse? Annon alicubi istam Monarchiam clarè & expresè declarasset, ne ullus dubitationi vel errori in tam momentoso negotio locus supereresset? quod non feciisse tamen in iis locis, ubi hoc maximè præstandum erat, ex sequenti argumento liquebit. QUÆST. XVI. 2. Cor. 4 5.

IX. iv. Si Christus in Ecclesia Monarcham aliquem, & Oecumenicum Pontificem constituisset, Paulus ejus mentionem aliquam facere debuisset in iis locis, ubi ordines, & munera Ecclesiastica à Christo instituta enarrat, quia hoc plurimùm interest Ecclesiam rescire, ut obsequium illi eò promptiùs exhiberet; aliàs si hoc reticuisset, Vel hoc factum fuisset ex ignorantia, quia hoc nesciebat, quod quis dixerit de Apostolis θεοπνεύστοις? Vel ex negligentia aut malitia, quòd noluerit; Sed hoc esset malæ fidei eum arguere & κακοπιστίαν, ob non expletum suum munus. Sed Paulum penitus de eo siluisse constat, ex illustri loco Eph. 4. 11. ubi varios ordines munerum Ecclesiasticorum recensens tum ordinarios, tum extraordinarios; quoad istos meminit quidem *Apostolorum*, *Evangelistarum*, & *Prophetarum*, quoad illos verò *Pastorum* & *Doctorum*; Sed de Monarcha & Oecumenico Pontifice Ecclesiæ altum apud ipsum silentium; ut & 1. Cor. 12. ubi eadem fit enumeratio. Nec elabetur qui dixerit cum Bellarmino lib. 1. cap. 9. Paulum ejus mentionem facere, quum ait, *Christum dedisse alios Apostolos, siquidem summa potestas non solum data sit Petro, sed etiam reliquis Apostolis; Petro verò ut ordinario Pastori, cui succederetur: aliis verò ut delegatis, quibus non succederetur.* Nam quum de Oecumenico Pontifice disputatur, non simpliciter agitur de infallibili autoritate in Ecclesia, quam in omnibus & singulis Apostolis fuisse nemo negare potest: Sed de uno duntaxat, qui autoritatem istam sic obtineat, ut collegam nullam admittat, & qui sit, ut illi loquuntur, *Centrum*, principium, & radix *unitatis*. At Apostolus de omnibus in plurali loquitur, quum ait dedisse Apostolos, non de uno aliquo individuo, in quo pluralitas reducatur ad unitatem visibilem. Adde quòd munus Apostolatus temporale fuit & extraordinarium, quod cessare debuit, non ordinarium & perpetuum. 4. *Ex silentio Pauli de Monarcha Ecclesiæ.* *Eph.* 4. 11. 1. Cor 12.

X. v. Christus solus est Monarcha, Caput, & Sponsus Ecclesiæ, cui se profitetur semper affuturum usque ad consummationem seculi Matth. 28. 20. Sed hoc est ἀόυσατον cum *Vicario*, qui absentis tantùm, aut impo- 5. *Ex eo quòd Christus est Caput & Rex Ecclesiæ.*

QUÆST. XVI. potentis vices supplet; aliàs *Monarcha*, non esse μόνος, & *Corpus* esset biceps, & *Sponsus* admitteret thori socium, quod non est ferendum. Confirmatur ex eo, quòd Paulus qualitatem Capitis, quam Christus obtinet respectu Ecclesiæ, fundat in relatione Servatoris, quum ait Ephes. 5. 23. *Christum esse Caput Ecclesiæ, Servatorem Corporis sui*, ut nemo possit esse Caput, qui non sit etiam Servator. Unde addit, *Viros diligere debere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam & seipsum pro illa dedit*, &c. Sic 1. Cor. 1. 12. damnat eos omnes, qui factionibus inter se divisi, vel Petrum, vel Paulum, vel Apollo in Caput sibi adsciscebant, dicentes, *Ego sum Pauli, Et Ego Apollo, Et Ego Cephæ, nunquid divisus est Christus, An Paulus crucifixus est pro vobis, & an baptizati estis in nomen Pauli?* q. d. Ut Christus unus est, non divisus in plures; Ita membra Ecclesiæ non debent in partes scindi sub hoc vel illo ministro; sed in unum coalescere sub Christo, qui solus pro fidelibus est crucifixus, & in cujus Nomine sumus baptizati, ut innuat illum solum pro Capite cui adhæreamus agnoscendum esse, qui pro nobis mortuus est, & in cujus Nomine baptizati sumus. Et sanè ut unum est Corpus, & unus Spiritus; Ita unicum tantùm Caput dari debet, maximè cùm eodem modo Christus sit Caput Ecclesiæ, quò vir uxoris, qui in maritali officio vicarium non admittit; *ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλὴ, unum & solum verè Caput*, ait Basil. in Asceticis. Et Gregor. I. Epist. 36. lib. 4. *Unus Rex, Unus Monarcha, Unum solum Caput.* Et cùm Capitis sit vitam influere toti Corpori mystico, nemo non videt hoc soli Christo competere. Frustra distinguitur Caput quoad internam potestatem, quæ soli Christo sit propria, & quoad externam directionem, quæ Papæ. Nam Papa etiam sibi internam potestatem vindicat, leges præscribendo conscientiam obligantes, & Christus utramque jure obtinet.

Matt. 28. 20

Eph. 5. 23.

1. Cor. 1. 12.

XI. Nec hîc etiam admittenda distinctio Capitis in *primum & principale*, & *secundarium & ministeriale*. Quia contradictionem involvit dicere Caput secundarium, siquidem Caput de se notat id quod primum & supremum est. Deinde monstrosum est uni Corpori duplex Caput tribuere. Nec exempla *Proregum*, qui à Rege constituuntur in Rectores Provinciarum hoc evincunt. Quia quantacunque illis autoritas tribuatur, nemo tamen vel Regis nomen, vel Capitis regni sub Rege sine crimine usurpare potest. Nec si nomina Pastoris, Episcopi, Apostoli, Prophetæ tribuuntur rectè & Christo, & Ministris; sequitur & nomen Capitis posse utrisque competere, quia illa ministerium tantùm notant, quod in servos cadit, sed hoc supremam dignitatem & authoritatem, quæ soli Domino propria est & peculiaris. Legati sunt, non Vicarii, Ministri, non Domini, Instrumenta, non Capita, Vices Pastoris obire possunt Ministri, in prædicando, & remittendis peccatis; sed supremi Regis,

nun-

nunquam; ut Sponsi quà Sponsus est, munus nunquam attentat Paranymphus, aliàs adulterio se implicaret, qui hoc aggrederetur; Sic fideles ministri amici sunt & servi Sponsi, qui parare debent Ecclesiam, ut Sponsam soli Christo Sponso, & propterea sanctâ zelotypiâ Dei accenduntur 1. Cor. 11. 1. 2. Sed sine crimine & sacrilegio non possunt Sponsam illam sibi vindicare, & se ejus Sponsos & Capita vocitare. Unde patet quàm blasphemè Bellarm. dicat lib. 1. de P. R. cap. 9. *Et profectò si Ecclesia quæ est in terris, etiam secluso Christo, non inepte comparatur Sponsæ, seclusô etiam Christo, unum Caput habere debet.* QUÆST. XVI.

XII. VI. Si præter Christum daretur aliquod aliud Caput Ecclesiæ, Ergo Ecclesia diceretur alterius Corpus quàm Christi, ex perpetua relatione Capitis & Corporis. Sed hoc inauditum est in Scriptura, quæ passim dicit Ecclesiam esse Corpus Christi, ut Christum vocat ejus Caput, Eph. 1. 20. & 4. 11. 12. & 5. 23. Col. 1. 18. Sed nuspiam vocat Ecclesiam Corpus Papæ. Nec distinctio Capitis principalis & ministerialis huic incommodo potest mederi. Quia præterquam quòd est falsa & ἀσύστατος, ut jam dictum, repugnans scilicet anologiæ corporis humani, à quo metaphora desumpta est; est etiam inutilis, nam non obstat principalis & non principalis differentia, quominus in suo cujusque rei genere agnoscatur reciprocatio. Quomodo verò posset dici Caput Ecclesiæ, ille qui potest esse reprobus, & hæreticus, atque adeò nec ipsius Ecclesiæ membrum? 6. Ab Absurdis.

XIII. VII. Impossibile est Ecclesiam toto Orbe dispersam ab uno homine mortali regi, qui nec omnibus locis interesse, nec omnia quæ ubique fiunt, videre & cognoscere per se potest; sed ex relatione aliorum pendere debet, qui eum decipere possunt. Si ad plantandam Ecclesiam necessarii fuerunt 12. Apostoli; Quomodo unus non Apostolus Ecclesiæ jam plantatæ gubernandæ & regendæ par erit? Et si Monarchia universalis nec data est unquam, nec dari potest, ut Politici saniores agnoscunt, quanto minus Episcopatus Oecumenicus? qui omnibus Ecclesiis particularibus præsit αὐτοκρατορικῶς, cùm regimen Ecclesiasticum non sit coactivum, nec possit ut politicum vicariis subdelegari, eò quòd ministerium sit munus personale, quod quilibet per seipsum tenetur exercere, nec potest alii suo loco delegare, & quicunque aliis dispensat Verbum & Sacramenta, id debet præstare, ut Christi minister, & illius solius Nomine, non tanquam Vicarius alterius hominis, eo magis, quòd juxta Canonistas Vicarius Vicarium constituere non possit. 7. Ab Impossibilitate.

XIV. Nec hîc obtrudenda est vel Christi promissio, quâ se non defuturum Ecclesiæ pollicetur, vel ejus oratio, quâ pro fide Petri orare voluit ne deficeret. Quia non potest inde probari ulli Sedi à Deo ullam unquam factam fuisse hujusmodi promissionem, quæ eam asserat suffectu-

QUÆST. XVI. ram omnibus totius orbis Ecclesiis regendis. Ita si promittit se ædificaturum Ecclesiam super Petram, &c. nec illa Ecclesia unam aliquam sedem significat, nec ædificari super Petram, idem est ac sufficere omnibus Ecclesiis regendis. Quanquam verò fatemur Ecclesiæ regimen non niti humanâ prudentiâ & viribus; sed à Deo iis, qui ad id vocantur, suffici virtutem idoneam; Certum tamen eam virtutem dimensam esse, non immensam, nec uni soli propriam, sed pluribus communem. Unus enim Christus est, cui Deus dat Spititum ἀμέτρως, ut singuli ex ejus plenitudine hauriant gratiam pro gratia. Unde fit ut singuli suis gregibus pascendis, vix possint esse satis, imò nec ad id sufficere possint, quis enim ad hæc idoneus? tantùm abest, ut toti orbi regendo pares esse possint.

1. *A Patribus.* XV. VIII. Patres Primatum hunc Monarchicum sæpe oppugnant, Cyprianus lib. de simpli. Prælatorum, *Cæteri Apostoli erant quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Hiero. Epist. ad Evagr. *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, &c. ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii,* &c. Gregorius Magnus epist. lib. 6. *Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem Episcopum vel Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat in elatione sui, Antichristum præcurrit.* Et lib. 4. epist. 38. jam contra Johannem Episcopum Constantinopolitanum, qui arripuerat titulum Oecumenici dixerat, *Certè Paulus Apostolus, cùm audiret quosdam dicere, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego verò Cephæ, hanc dilacerationem Corporis Dominici, per quam membra ejus aliis quodammodo Capitibus se sociabant, vehementissimè perhorrescens, exclamavit dicens, Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Si ergo ille membra Dominici Corporis, certis extra Christum quasi Capitibus, & ipsis quidem Apostolis, subjici particulariter evitavit; Tu quid Christo, universalis scilicet Ecclesiæ Capiti, in extremo Judicii dicturus es examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere?*

Fontes Solutionum. XVI. Regimen Ecclesiæ Veteris Testamenti non potest huc trahi. 1. Quia nunc Ecclesia toto orbe dispersa est, quæque ab uno non potest regi; ubi olim intra limites Judææ coarctabatur, & uni Jerosolymæ cultus Dei erat adstrictus. 2. Summus Sacerdos erat quidem ordine primus inter alios Sacerdotes; sed nunquam dictus est Monarcha & Caput ipsorum, qui supremam & ἀνυπεύθυνον autoritatem haberet in omnes, cum censuræ & jurisdictioni magni Synedrii subesset, & ad Legem Dei adstringeretur, Deuter. 17. 11. 3. Quicquid autoritatis habuit, in eo typus fuit Christi summi Pontificis N. Test. non verò Papæ. Unde per retorsionem dicimus in Vet. Test. fuit summus Pontifex absque ullo Vicario, qui Christum significabat. Ergo in Ecclesia Christiana solus Christus summus est,

&

absque Vicario; ac proinde præter Christum, nullus est agnoscendus summus omnium fidelium Pontifex. Quæst. XVI.

XVII. Nomina Apostolorum dicuntur inscripta fundamentis novæ Jerosolymæ, Apoc. 21. 14. non quòd propriè ipsi quoad personas sint ejus fundamenta; cùm Ecclesia superstruatur fundamento Prophetarum & Apostolorum, id est, eorum doctrinæ, Ephes. 2. 20. & *nemo aliud ponere possit fundamentum præter id quod positum est*, 1. Cor. 3. 11. Sed quia fundatores ejus sunt & Architecti 1. Cor. 3. 10. prout solent nomina Architectorum operibus ipsorum insculpi, ut in memoriâ sit felici labor eorum. Sic in æterna benedictione erit Apostolorum recordatio. Apoc. 21. 14.

XVIII. Similitudo Corporis & Capitis, quâ utitur Apostolus 1. Corint. 12. 14. 15. 20. 21. non infert, ut quemadmodum in membrorum multitudine unum Caput est, quod omnia membra regit. Ita & in visibili Ecclesiâ Christi. Quia Corporis comparatio dupliciter accommodatur Ecclesiæ; primò ut significetur arctissima totius Ecclesiæ cum Christo conjunctio, ut ad Eph. 1. & 4. & 5. & ad Col. 1. & sic conceditur dari unum Caput Ecclesiæ debere, nimirum Christum. Secundò ut illustretur fidelium inter se conjunctio, collatione membrorum in uno, eodemque corpore, de quo agitur Rom. 12. & 1. Corint. 12. hoc sensu nega. Conseq. Nam Apostolus hac comparatione corporis humani vult docere, hanc membrorum cohærentiam adjuvari variâ donorum Dei distributione. Ideo membra distinguit in præstantiora & inferiora; Illa quæ plura acceperunt dona, hæc quæ pauciora; Illa membris in corpore illustrioribus, in quibus etiam caput est, comparata, hæc reliquis: Unde concludit, ut illustriora membra in corpore, carere non possunt reliquorum officio; Ita Ecclesia, illos, quibus plura sunt concessa charismata, non posse carere iis quibus sunt data pauciora. 2. Non potest hinc concludi *Caput universale Ecclesiæ*, sed tantùm *Caput in Ecclesia*, id. ut is, qui cùm sit in corpore Ecclesiæ fidelis & Christianus, teneat locum Capitis, non relatè ad Ecclesiam, sed ad alios fideles singulos, qui sunt in eâdem Ecclesiâ. 3. Hæc membrorum differentia non est tantùm constituenda in muneribus Ecclesiasticis institutis à Deo ad regendam & continendam Ecclesiam; sed ad quæcunque charismata, quibus etiam idiotæ possunt ornari à Domino. 4. Paulus hîc vocat Corpus Christi, non autem Papæ. 1. Cor. 12. 14. 15.

XIX. Quæ Adversarii de excellentiâ Regiminis Monarchici afferunt, non juvant ipsorum causam. 1. Quia agnoscimus supremum Ecclesiæ Monarcham Christum, non Papam; & alius præter ipsum dari nequit, facilius duos soles mundus patietur, quam eadem politia duos Monarchas. 2. Qui volunt regimen Monarchicum esse optimum in singulis Politiis, non ideo probant posse dari supremum aliquem Monarcham

QUÆST. XVI. omnium politiarum in orbe. Itaque posito, quòd singulæ Ecclesiæ sint regendæ ab uno Præside confusionis vitandæ ergo; Non sequitur totius orbis Ecclesias unius hominis potestati esse subjiciendas. 3. Quod regimen simpliciter & in se est nobilius, non semper est melius aut utilius huic aut illi subjecto; sunt populi, qui non aliter regi possunt quàm monarchicè; sunt alii qui unius imperium ferre non possunt. Non agitur hic de Monarchia in thesi, sed in hypothesi, An in Ecclesiâ, talem regiminis formam Christus instituerit? quod negatur. 4. Non valet consequentia à Regimine politico ad Ecclesiasticum, quia Christus suis non ἀρχὴν aut dominationem & magistratum propriè dictum; sed meram διακονίαν, οἰκονομίαν, & ministerium commisit.

XX. Si Christus rexit visibiliter Collegium Apostolorum, dum in terris vixit: Non sequitur post Ascensionem ejus supereſſe debere Caput Ecclesiæ visibile; Cùm nec illud Collegium fuerit tota Ecclesia, Et Christus semper munere suo præsens defungatur Matth. 28. 20.

XXI. Non opus est ut unus summus Ecclesiæ Præsul detur, cui solicitudo incumbat totius Corporis conservandi & propagandi. Quia Ecclesia sine tali Capite propagari satis potest, & reipsa sic propagata est, ut nunquam ad unum aliquem ea provincia sit delata, sed Christianorum quisque, maximè illi, qui ad gradus Ecclesiasticæ autoritatis promoti erant, ei rei invigilarunt, & oblatam occasionem diligenter arripuerunt, vel etiam ultro quæsiverunt.

XXII. Non semper pluribus constitutis Rectoribus, plures constituuntur Respublicæ. Sed tantùm plurибus, qui suo summo jure regnant. At id non fit in Ecclesiâ, omnes enim Rectores, servi sunt unius ejusdemque Christi, cujus gregem curant singuli, quantum in se est. Nec ea Rectorum multiplicitas magis scindit Ecclesiam Catholicam in plures, quàm Regnum unum dividitur in multa Regna, cùm singulis Provinciis singuli præficiuntur Proreges, quorum nullus in alium habeat imperium. Unde Cypria. de Episcoporum multitudine loquens lib. de Unitate Ecclesiæ, *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.*

XXIII. Ad unitatem Ecclesiæ & fidei requiritur quidem unitas Capitis & Judicis summi, cui omnes acquiescere teneantur. Sed non quærendus est iste Judex & Caput extra Christum, qui solus & potest & vult hoc officio defungi. Nec opus est Capite visibili præter ipsum, cùm perpetuò adsit Ecclesiæ suæ tam per Verbum suum, quàm per Spiritum.

Joan. 10. XXIV. Quum Christus Joan. 10. loquitur *de uno Ovili*, & *uno Pastore*, non alium intelligit Pastorem quàm seipsum, qui sub hoc symbolo se descripsit per totum Caput, tanquam Pastorem bonum, qui vitam posuit pro ovibus, qui eas cognoscit, & vocat. *Alias oves habeo*, inquit, *quæ*

quæ non sunt ex hoc ovili, nimir. Gentiles, qui non pertinent ad Ecclesiam Judaicam, *Illas oportet me adducere*, nimir. per vocationem ad Ecclesiam, & *vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor*, nimirum ego ipse cujus sunt oves. Nec si agitur de Ecclesia militante, necesse est ut Pastor militans intelligatur: quia constat etiam militantis Christum esse Pastorem Hebr. 13. 17. *magnus Pastor ovium* vocatur, & 1. Pet. 2. 21. fideles dicuntur conversi ad Pastorem & Episcopum animarum. Quæst. XVI.

XXV. Rex unus & Caput unum, de quo Ezech. 37. & Hosc. 1. loquuntur, non alius est quàm Christus, qui David vocatur, quia fuit ejus typus. Glossa interlinea. *Et erit unus Rex omnibus, Christus, de quo, Et Regni ejus non erit finis.* Nec hoc diffiteri potest Sanderus, *Equidem concedo*, inquit, *hunc Regem & Pastorem unum, de quo Ezechiel prædicit, esse Christum, qui est filius David secundum carnem, & Dominus David secundum Deitatem.* Kimchi ad locum Hoseæ, intelligit Messiam Regem. Ezec. 37. Hos. 1.

QUÆSTIO XVII.

De Primatu Petri.

An Petrus fuerit Pontifex Oecumenicus, & Caput Ecclesiæ, ac Vicarius Christi? Neg. cont. Pontif.

I. Licèt præcedens Quæstio vanitatem Pontificatus œcumenici in thesi demonstraverit. Quia tamen Adversarii eum adstruere conantur variis argumentis in hypothesi respectu Petri, & Pontificum Romanorum, qui dicuntur ejus Successores, peculiari Controversiâ de hoc argumento disputandum est; ut veritas adversus mendacium plenè confirmetur.

II. Circa Statum Quæstionis observamus, 1. Non quæri de *Primatu* quocunque, vel *ordinis*, & *vocationis*, vel *ætatis*, vel *dignitatis*, & *donorum*. Non negamus enim Primatum istum Petro posse competere, sive quia primus vocatus erat à Christo, ut liquet ex Matt. 4. 18. & sic ordine primus erat, ut sæpe fieri solet inter eos qui potestate sunt pares ad vitandam confusionem, quo sensu dicitur *primus* Matth. 10. 2. sive ratione *donorum* & *dignitatis*, quomodo Nicodemus vocatur ἄρχων τῶν Ἰουδαίων Joan. 3. 1. non quòd Judæis imperaret, sed quia magna erat illi apud Judæos authoritas, sic Gamaliel dicitur τίμιος παντὶ τῷ λαῷ Act. 5. 34. Status Quæstionis.

QUÆST. XVII. Cùm ergo Petrus donis aliis præstaret, & potissimum illo animi fervore, quò primus ad respondendum pro cæteris impellebatur, non absre primum locum occupabat. Unde non semel à Patribus *Princeps Apostolorum* dicitur, id est, primus & præcipuus, ut Princeps Oratorum Cicero, Poëtarum Virgilius, qui tamen in Oratores aut Poëtas nullum habebant imperium, sed ratione dignitatis. Sed agi de *Primatu authoritatis & jurisdictionis*: An datus fuerit gradus aliquis authoritatis & jurisdictionis in Petro supra cæteros Apostolos, per quem constitutus fuerit Pontifex œcumenicus, Vicarius Christi, & Caput Ecclesiæ, cum absolutissima potestate, ut singuli fideles & Apostoli ipsi cum cæteris tanquam subditi obnoxia capita ei submittere debuerint. Quod pertendunt Pontificii. Bellarm. lib. 1. de P. R. cap. 10. *Affirmant Catholici Petrum Apostolum fuisse totius Ecclesiæ Caput & Principem, loco Christi ab ipsò Christo institutum, Et non est simplex error, sed hæresis negare primatum Petri à Christo institutum.* Orthodoxi constanter negant.

Nullum dari Petri primatum probatur. 1. A natura muneris.

III. Rationes sunt variæ. Prima petitur, *A natura Muneris Apostolici*, quod cùm sit summum in ordine Ecclesiastico, superius & majus non agnoscit. Ita singuli Apostoli habuerunt summam, amplissimam, & immediatam potestatem & jurisdictionem, qua toti Ecclesiæ leges dare potuerunt, ut ab iis nulla daretur provocatio, & immediatè à Christo acceperunt illam potestatem, quæ omnem aliam potestatem Ecclesiasticam continet. Ac proinde superiorem à quo instituerentur in terris non agnoverunt, supra summum enim non datur majus, & quæ summa sunt æqualia esse necesse est. Bellar. lib. 1. de P. R. cap. 9. non diffitetur summam potestatem datam esse non solùm Petro, sed & aliis Apostolis, Et eos immediatè à Christo suam accepisse missionem & jurisdictionem, & ut Apostolos habuisse summam, & amplissimam potestatem, & potestatis plenitudinem, & ratione gubernationis fuisse Capita, Rectores, & Pastores universæ Ecclesiæ cap. 11. Hinc Canonica sunt singulorum scripta, & infallibilis doctrina, sine ulla Petri confirmatione.

IV. Sed reponit *Petrum habuisse Pontificatum, ut ordinarium Pastorem, cui succederetur; alios verò tanquam delegatos, cui successum non esse.* Verum supponitur gratis quod probandum fuit, Petrum alio modo vocatum fuisse & missum quàm cæteros, & Pastorem fuisse ordinarium, cui succederetur, reliquos verò extraordinarios; maximè cùm Bellarm. dicat id quod Petro promissum fuit per illud *Tibi dabo claves*, & exhibitum per illud *Pasce oves meas*, Apostolis quoque fuisse datum. Adde quòd cùm pertendant S. Pontificatum *disertè* positum fuisse à Paulo in voce *Apostolos*, Eph. 4. quæ communis est omnibus, quomodo munus istud Petro soli, non cæteris omnibus tribui potest? Rursus si Petrus successorem aliquem habuit, vel fuit quatenus Apostolus, vel quà Doctor;

Si

Si prius, Apostolis quà talibus succeditur; Si posterius, cur non & reliquis succeditur, qui pariter Doctores fuerunt. Nec dicendum Petrum habuisse principatum, quia principatus ille aut est potestas distincta ab Apostolica, aut eadem; Si eadem, ergo Apostolis pariter succedi debuit, si diversa, ergo dabitur potestas Apostolica major, quam summam statuunt Adversarii. Denique cùm Apostolatus quà talis, fuerit munus extraordinarium & temporale, quod cessare debuit in Ecclesia, non debuit habere successores. QUÆST. XVII.

V. 11. Ex *Æqualitate Apostolorum*. Si Petrus fuit constitutus Pontifex œcumenicus, fuit major & superior cæteris; sed nulla talis superioritas legitur collata Petro supra cæteros à Christo, vel ab ipso Petro usurpata, vel ab Apostolis agnita. Christus ex æquo mittit ipsos; *Sicut Pater me misit, Ita ego mitto vos*, Jo. 20. 21. 22. Ex æquo insufflat ipsis Spiritum, & potestatem ipsis dat remittendi & retinendi peccata, *Quibuscunque remiseritis peccata, remissa erunt, quibuscunque retinebitis, retenta erunt.* Ex æquo omnibus dat mandatum prædicandi & baptizandi Matt. 28. 19. *Ite, docete omnes gentes*, &c. Unde Matt. 19. 28. promittit ipsis æqualitatem thronorum, *sedebitis, in regeneratione*, id est, in renovatione Ecclesiæ facta per Euangelium, *super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel.* At si Petrus cæterorum Princeps esse debuit, Cur ejus thronus non distinguitur, & extollitur supra cæteros? Cur Christus nunquam talis Monarchiæ & Principatus verbum ullum fecit? Nam quæ afferuntur à Pontificiis ad hoc evincendum, vana esse & fictitia in sequentibus probabitur. Post Ascensionem Christi eadem æqualitas patet ex praxi Apostolica. 1. Si Matthias eligitur in locum Judæ, non fit ex Petri arbitrio, ut conveniebat Monarchiæ, sed sorte ex communi totius Cœtus consensu; Et si Petrus loquitur, non aliò respicit, quàm ad hortandum cœtum ad talem electionem faciendam, quod fuit effectus zeli ipsius, vel ordinis, qui obtinet inter ipsos propter prioritatem vocationis. 2. Spiritus Sanctus descendit super omnes ex æquo sine ulla cujusquam prærogativa. 3. Quum agitur de creatione Diaconorum Act. 6. Duodecim Apostoli dicuntur convocasse multitudinem propterea, & qui fuerunt electi, dicuntur oblati Apostolis, ut imponerentur illis manus, quod evincit nullum tum fuisse Ecclesiæ Caput, alias ipse hoc officio præ cæteris defunctus fuisset. Unde Chrysosto. hom. 3. in Acta, *Vide*, inquit, *ipsum in communi omnia facientem*, ὡδὶ αὐθεντικῶς ὡδὶ ἀρχικῶς. 4. Petrus ab aliis Apostolis mittitur ad Samaritanos Act. 8. 14. Ergo non potuit esse œcumenicus Pontifex, quia illi repugnat ab aliis delegari. Imò hinc clarè colligitur autoritatem fuisse totius Corporis, non privati alicujus, nec Petri in specie, qui toti Collegio subjicitur. An Pontifex facilè ferret se mitti aliquò ad Euangelii prædicationem à Cardinalibus, vel Episcopis? Nec

2. *Ex æqualitate Apostolorum.*

Jo. 20. 21. 22.

Matt. 28. 19. & 19. 28.

dici

QUÆST. XVII. dici potest cum Perronio, missionem istam factam fuisse rogatu Apostolorum, non verò ex autoritate. Quia nihil tale extat in textu, sed tantùm hoc factum communi & concordi consilio, eodem modo, quò alibi Act. 11. 22. Paulus & Barnabas dicuntur missi, & cap. 15. 17. Silas & Judas. Licèt autem æqualis mittatur ab æquali, non sequitur superiorem mitti ab inferiori, quod est autoritatis, vel eum qui mittitur posse imperium obtinere in eos à quibus mittitur.

3. ex Act. 15. VII. 111. Ex *Concilio Ferosolymitano* Act. 15. Unde varia petuntur argumenta contra Primatum Petri. 1. Quia mittuntur Paulus & Barnabas ad Apostolos in genere, non ad Petrum ℣. 2. quod omnino fieri debuisset, si pro Capite & Principe cæterorum agnitus fuisset. 2. Solutionem afferunt ab Apostolis & Senioribus ℣. 24. 25. per literas synodales, quæ nomine omnium Apostolorum scriptæ sunt, non verò unius Petri, *Apostoli & Seniores*, &c. ℣. 23. & ℣. 25. *nobis visum est.* 3. Non minor apparet hîc Jacobi quàm Petri autoritas, quia Petri sententiam temperat, & ita concludit, ut in ejus sententiam transiverit universus cœtus & scriptæ sint literæ. Nec si Petrus primus locutus est post contentionem, ut sententiam diceret; sequitur sententiam definitivam dedisse, vel ipsum decretum fecisse; quia Jacobus ultimus verba fecit, & sententiam tulit, quæ recepta est; Unde si cui Apostolorum tribuendum est decretum, id potius Jacobo quàm Petro convenit; quia post Petri orationem disserit, quod post sancitum decretum necessarium non fuisset, nec decretum factum est in verba Petri, sed in sententiam Jacobi. Quò pertinet ipsius Jacobi modus loquendi ℣. 19. διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν; *Ideo ego judico*, &c. quod non est tantùm opinantis, sed decernentis & definientis; Unde Chrysost. ho. 33. in Acta colligit Jacobo principatum concreditum esse, ἐκεῖνος δὲ λῦε τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος, & postea, quid est *Judico ego* αὐτὴ τῇ μετ' ἐξουσίας λέγω τοῦτο εἶναι. Et Hesychius apud Photium Πέτρος δὲ κηρύττει, ἀλλὰ Ἰάκωβος νομοθετεῖ, *Petrus prædicat, sed Jacobus decernit*, &c. *Quomodo prædicabo servum Christi & fratrem novæ Jerusalem summum Ducem, Sacerdotum Principem, Apostolorum Caput, in Capitibus verticem, in lampadibus superfplendentem, & inter astra maximè illustrem?* Quid illustrius de Petro occurrit in tota antiquitate? Frustra Lorin. Præfa. in epist. Jac. cap. 3. *Contendit hæc non officere primatui Petri, sed solum prærogativam Episcopatus Ferosolymitani concessam Jacobo indicare.* Nam si Jacobus Hesychii judicio fuit Apostolorum Caput, & Concilio Hierosolymitano præfuit præsente Petro, ut Legislator & Judex in Concilio fuerit, Petrus autem Orator, quomodo potuit Primatum Petri agnoscere? An pateretur hodie Papa his elogiis insigniri Episcopum in sua diœcesi, aut Episcopo alicujus eam attribui autoritatem, si in ea ipso Papa præsente celebraretur Concilium? Non abludit ab his *Tostatus* in

cap.

cap. 17. Matth. q. 13. ad 1. dum ait, *Omnes Apostolos, dum in Judæa habitarent, Jacobo Jerosolymorum Episcopo, quodammodo subjectos fuisse, eumque illis, etiam Petro majorem extitisse, & in Concilio ipso, id quod fecerunt Apostoli, atque Ecclesia tota, non a Petro, sed ab illo definite pronunciatum, velut totius Ecclesiæ organo, & quolibet ex assistentibus majore.* QUÆST. XVII.

VIII. IV. Ex *Petri & Pauli comparatione.* Quia Paulus testatur se nulla in re inferiorem fuisse τῶν ὑπερλίαν Ἀποστόλων 2. Cor. 11. 5. & 12. 11. Ubi observandum, unum non constitui summum, sed plures, & his summis se æquare Paulum. Sic Paulus os occludit obtrectatoribus, qui se adversus ipsum tuebantur authoritate Petri, Johannis, & Jacobi, innuens eos tanti non fieri debere, ut propterea despiciatur, cùm nulla prorsus re ipsis esset inferior. An ullus Episcoporum ita hodie loqui posset de Papa? Eodem spectat quod ait Gal. 2. 6. *Ab iis qui putantur esse aliquid, qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat, personam hominis Deus non accipit, nam qui sunt in pretio nihil mihi contulerunt.* Si nihil contulerunt Paulo, E. nec quoad cognitionem, nec quoad autoritatem minor debet censeri ipsis, sed per omnia æqualis. Quod confirmatur ulterius ex *dextra societatis, quam ipsi dederunt* Gal. 2. 9. *Nam Jacobus, Cephas, & Johannes* οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, *qui putantur esse columnæ, dederunt mihi & Barnabæ dextras communionis*, non ineundæ, sed testandæ & confirmandæ, quòd scilicet muneris Apostolici & puritatis doctrinæ socii essent; Sensus est, Tantùm abest, ut illi Judæi mihi quicquam contulerint aut autoritatis aut notitiæ; ipsi illi in Ecclesia præcipui Jacobus, & Johannes, & Petrus, me non imparem, sed, ut Collegam agnovére, & ut tali dedere dextram. Nam *dextram dare* apud Hebræos est signum societatis Jerem. 50. 15. Ezech. 17. 18. Si ergo Paulus socius erat & Collega aliorum, Quis locus supereſt Petri primatui? Nec dici hîc potest, *fuisse quidem socios in officio prædicandi, sed non obstare quominus Petrus semper superior fuerit in munere gubernandi.* Quia est aperta principii petitio, scopo Pauli contraria, qui non tantùm veritatem doctrinæ, sed dignitatem & autoritatem Apostolatus sui ejusdem juris paritate tuetur. Et hæc κοινωνία non tantùm societatem indicat, sed ejusdem rei participationem infert, ut Paulus apud Gentes, & Petrus apud Judæos Apostolatu fungeretur, ut ergo Petrus Judæos gubernabat; Ita & Paulus Gentes gubernare debuit. Unde dicit *sibi concreditum fuisse Euangelium Præputii, ut Petro Circumcisionis* ℣. 7. Hæc verò provinciarum distributio fieri non potuit salvo Petri primatu, ut inter Papam & Episcopos nulla talis hodie posset fieri. Licèt verò non diffiteamur ita factam esse, ut alter ab alterius abstineret Apostolatu; ita tamen facta est, ut non minor esset autoritas Pauli in Apostolatu suo, quàm Petri in suo. Eò etiam referri debet quod c. 1. ℣. 1. Apostolus profitetur se vocationem suam non habere *ab hominibus*, quasi

4 *Ex Petri & Pauli comparatione.*

2. Cor. 11. 5. & 12. 11.

Gal. 2. 6.

vers. 9.

vers. 7.

c. 1. v. 1

QUÆST. XVII.

autoribus, neque *per homines*, id est, eorum ministerio, & mediatè per ipsos, sed immediatè à Christo & Deo; Nam si ab ascensione Christi Caput visibile fuit in Ecclesia, nemo absque ejus interventu potuit in Ecclesiæ ministerium admitti. Et ℣. 15. dicit se post conversionem, *non contulisse cum carne & sanguine*, neque rediisse Jerosolymam ad Apostolos, ab iis autoritatem ministerii accepturum, vel cum ipsis de vocatione suâ collaturum, quod omnino fieri debuisset, si in Ecclesiâ Petrus fuisset Caput visibile, à quo cæteri pendere deberent.

5. Ex Petri reprehensione. Gal. 2. 11. 13.

IX. v. *Ex Petri à Paulo reprehensione.* Nam œcumenicus Pontifex est ἀνυπεύθυνος, qui omnes judicare, & à nemine judicari vel reprehendi debet. Sed Petrus à Paulo judicatus & reprehensus legitur Gal. 2. 11. *Cum autem Petrus venisset Antiochiam, coram omnibus illis obstiti, quia reprehensibilis erat*, &c. quod non notat tantùm ἔγκλημα, sed & ἔπιπληξιν & ἐπιτίμησιν σφοδροτέραν. Malè habet locus hic Adversarios. Baronius eum vocat lapidem offensionis, petram scandali, historiam captu difficilem. Ideo nihil non tentat ad lapidem istum offendiculi tollendum; Sed frustra. Dici non potest post Chrysostomum & Hieronymum hæc simulatè contigisse, & ex compacto inter Petrum & Paulum. Nam bene Augustinus notat in epist. ad Hieron. indignam esse simulationem istam, quæ verum fuit mendacium, sanctitate Scripturæ. Et istius maximè, in qua Paulus protestatur cap. 1. *Se veritatem scribere & non mentiri.* Quod dicitur *restitisse* κατὰ πρόσωπον, non potest ad fictionem & simulationem trahi, quia nusquam in Novo Testamento eo sensu sumitur, sed potius ut id innuat quod geritur in præsentia, & coram ut Luc. 2. 31. Act. 3. 13. & 25. 16. Et ℣. 14. Paulus explicat τὸ κατὰ πρόσωπον, per ἔμπροσθεν πάντων, *coram omnibus*, quia peccatum publicum erat, & omnibus notum ac noxium. Unde Thomas reddit *manifestè*, & Etna. *Sà palam.* Licèt verò Petrus non ignoraret Ecclesiam à jugo Legis Mosaïcæ liberatam, & de eo sententiam tulisset in Concilio Jerosolymitano; Non sequitur non potuisse in praxi peccare. Potuit bene sentire & malè agere. Nec Paulus Petrum reprehendit quòd perperam doceret, sed quòd non recto pede incederet juxta veritatem quam noverat, scil. quòd cùm ante adventum Judæorum liberè versaretur cum Gentibus pro libertate Christiana, post eorum adventum timiditate correptus ab ipsis recederet, & in eandem hypocrisim alios post se traheret. Non negamus Paulum legalia quædam adhuc observasse, nec propterea Petrum redarguit, sed quòd absentibus Judæis liberè cum Gentibus vesceretur, iis autem præsentibus ab iis discederet, quod Paulus nunquam fecit. Aliud ergo est Paulum in medio Judæorum versantem se accommodare Judæorum ritibus, quos nondum ut exitiales respicere licebat, sed ut ἀδιαφόρους paulatim omittere. Aliud verò in mediis Gentibus versantem & libertate Christianâ utentem, sil-

subito propter metum Judæorum ab eorum convictu discedere tanquam à reilicita.

X. Non meliùs Perronius vult fuisse *reprehensionem charitatis, non autoritatis*; Quia licèt fuerit reprehensio *charitatis*, & non autoritatis superioris ad inferiorem, fuit tamen *justæ severitatis*, quæ sine æqualitate Petri & Pauli non posset licita esse. Nam si Petrus Caput & Princeps fuisset Ecclesiæ, quomodo Paulus sine violatione obsequii illi debiti potuisset tam liberè coram omnibus eum carpere? Nec dicendum cum Bellarmino superiorem posse reprehendi ab inferiori, modò id fiat debita cum cautela, & reverentia, ac honore superiori debito. Quia Paulus negat se minorem esse Petro, & nullum istius reverentiæ extat indicium, si per eam intelligatur subjectionis testificatio, cùm Paulus non simpliciter dicatur reprehendisse, sed *in faciem restitisse*. Sed si per eam intelligitur modestia, & charitas fraterna, conceditur hic à Paulo adhibitam, sed ea est paris in parem, imò & majoris in minorem. Tum non quæritur utrum major fuerit Petrus, sed utrum Oecumenicus Pontifex: nam si majorem à minori reprehendi posse concedunt Pontificii, negant tamen in suis Canonibus reprehendi posse Pontificem Oecumenicum, nequidem si populos catervatim trahat in gehennam Canone *si Papa Dist.* 40. An Papa ferret aliquem sibi in os resistere coram omnibus, & argui hypocriseos, quòd non recto pede incedat, & hoc sine ulla honoris præfatione? Nec si Petrus passus fuisset ita se argui ex humilitate, licèt major esset, licitum fuisset Paulo hoc aggredi. Nec argumentamur à culpâ vel indulgentiâ Petri, sed à facto Pauli, & autoritate reprehendendi Petrum, quam sibi sumpsit. Id enim necesse est eum fecisse, vel jure, vel contra officium; Hoc nemo dicere audebit, Illud ergo certum; si verò Paulus Petrum jure objurgare potuit; nemo autem possit Oecumenicum Pontificem, sequitur Petrum non fuisse talem, ut pertendunt Adversarii.

XI. VI. *Ex Petri declaratione*, Qui nunquam sibi Primatum istum vindicavit, sed se in eodem cum aliis gradu collocat, & omnem in Ecclesia dominationem prohibet. 1 Pet. 5. 1. 2. 3. 4. *Seniores inter vos hortor* ὁ συμπρεσβύτερος *Senior vobiscum, & testis passionum Christi, & particeps gloriæ futuræ, pascite gregem Dei inter vos, non coactè, sed lubenter, nec sicut dominantes cleris, sed ut exemplaria gregis*, &c. At si primatum obtinuerat à Christo, quomodo illius non meminit, ut majus pondus adderet hortationibus suis? Cur se in eodem ordine cum aliis ponit? Cur aliis tam sollicitè dominatum prohibet, tanquam rem pastoribus Christi indignam, si hoc munus à Christo habuisset? Absit ut dicamus id à Petro factum, quod tanto studio aliis prohibet. Adde quòd Petrus nullum actum Papatus œcumenici exercuit, sive imperando Apostolis, sive eos mittendo, sive leges condendo, sive controversias judicando, sive casus quos-

6. *Ex Petri declaratione* 1. Pet. 5. 1. 2.

QUÆST. XVII.

quosdam sibi reservando, sive usurpando utrumque gladium, sive Concilia indicendo, sive potestatem sibi arrogando regna transferendi, & de non jure jus faciendi, & alia id genus multa, quæ hodie sibi vindicat R. P. Conferantur dictatus Gregoriani cum tota vita & institutis Petri, & liquidò patebit, quàm *dic 24ϕ πωσῶν* inter se discrepent.

7. *Ex silentio Scripturæ.*

XII. VII. *Ex silentio Scripturæ*, Si talis Primatus à Christo institutus esset, in quo præcipuum Ecclesiæ esset fundamentum, Annon Christus alicubi, vel Apostoli ejus mentionem expressam facere debuissent, ut fideles moniti debito illum prosequerentur obsequio? Maximè iis in locis quæ hoc necessariò postulare videbantur. Ubi de muneribus Ecclesiasticis agitur, vel de autoritate à Christo pastoribus concessa, ut Luc. 22. Matt. 28. Ephes. 4. 11. 1. Cor. 12. Cùm verò nihil tale occurrat: imò loquatur semper Scriptura de Apostolis, ut paribus, tam quoad officium prædicandi & regendi, quàm quoad autoritatem; Ex eo liquet fictitium esse talem Primatum, & Christo incognitum. Confirmatur hoc argumentum ex Christi post ascensionem dispensatione erga Ecclesias septem Asiaticas, per septem Candelabra aurea designatas, ad quas per Johannem Apostolum literas scribit ad eas hortandas, corrigendas, & consolandas. Nam si Romana Ecclesia facta fuisset à Christo Domina Ecclesiarum, & ejus Pontifex Caput visibile & Vicarius Christi. Cur ad eam Christus nullam Epistolam scripsit tanquam Centrum in quo cæteræ debebant uniri; sed ad alias sermonem suum dirigit, & eas in plurali non in singulari compellat, quod fieri debuisset, si uni omnes subesse deberent? Cur Vicario isto suo non utitur potius ad scribendum istis Ecclesiis, cui subjici omnes debebant ex ejus mandato, quàm Johanne, qui tale munus non obtinebat? Hoc clarè evincit, talem Primatum à Christo non institutum fuisse.

8. *Ex Testimoniis Patrum.*

XIII. VIII. *Ex Testimoniis Patrum*, qui non pauci Primatum istum convellunt. Cyprianus Tr. 3. de simpli. Præla. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur, & pastores sunt omnes, & grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Non tantùm dicit idem fuisse cæterus, quod fuit Petrus, sed & consortium inter se habuisse; Et quia potest etiam aliquando quædam consortii species esse inter impares, addit par consortium, tam honoris quàm potestatis, ne quis intelligeret reliquos subsistere in gradu aliquo inferiori. Idem ibidem notat, *Christum Apostolis omnibus post suam resurrectionem parem potestatem tribuisse.* Nec quod ibidem meminit *Primatus Petri*, aliter intelligendum est, quàm de primatu temporis & originis, ut suam dignitatem Petrus obtinuisse dicatur, antequam reliqui suam,

suam, nimirum ante resurrectionem, reliqui verò post; Non verò de primatu dignitatis, ut majorem habuisse dicatur dignitatem, quàm reliqui habuerint; Eo enim respectu Cyprianus dicit pares fuisse in honore & potestate. Sic Hieron. lib. 1. in Jovini. *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Addit quidem paulò post, *Unus*, inquit, *inter duodecim eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Sed ratione ordinis tantùm, non verò autoritatis & jurisdictionis. Ambrosius Sermon. 66. de Nativitate Petri & Pauli. *Ergo Beatus Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativâ præcellunt, verùm inter ipsos, quis tum præponatur incertum est.* Ait lib. 2. de Spiritu S. c. 12. *Nec Paulus inferior Petro, &c. Nec Paulus indignus unquam Apostolorum Collegio, cum primo quoque facile conferendus & nulli secundus.* Gregor. Nyssen. de Vita Moisis, *Non Petrus & Jacobus, & Johannes, sunt columnæ Ecclesiæ, sed omnes qui Ecclesiam sustentant.* Quæst. XVII.

XIV. Locus Matth. 16. 18. non favet Primatui Petri. Primò, quia locus est allegoricus & metaphoricus, qui varias patitur interpretationes; ac proinde non potest fundare Pontificatum œcumenicum, qui loco aliquo expresso probari deberet. Secundò, Petro quidem hæc dicuntur, sed non de Petro. Rationes sunt variæ. 1. ex ipsis verbis, quia Petra expresè distinguitur à Petro, & persona & genere, ut denominans & denominatum; At si voluisset Petrum indigitare, cur ambagibus usus est? Cur non dixit, *Tu es Petrus & super te*, quod difficultatem omnem sustulisset, sed & *super hanc Petram*. Licèt verò Christus Syriacè locutus sit, quâ linguâ ܟܐܦܐ promiscue Petrum & Petram significat, non tollitur tamen diversitas, tum quia diversum est genus; nam quum pro petra sumitur generis est fœminini, quum verò pro persona masculini: tum quia Matthæus, qui procul dubio optimè novit mentem Christi, & cujus textus est authenticus, distinguere voluit inter πέτρον & πέτραν, cùm tamen ex usu Græcorum potuisset utrumque eodem sono & genere πέτρον dicere. 2. ex *naturâ rei*, quia Petrus non potest dici fundamentum Ecclesiæ, cùm nullum aliud fundamentum præter Christum poni possit 1. Corinth. 3. 11. & ipse sit membrum Ecclesiæ, quod niti debet Christo cum aliis, ut ipse exponit 1. Petr. 2. 5. 6. Nec si Ecclesia superstructa dicitur fundamento Apostolorum, hoc intelligitur respectu personarum, sed doctrinæ ipsorum. 3. Petrus non potuit jam tum dici Petra in præsenti, cùm postea Christum negaturus esset, lapsu suo satis comprobando, nondum fuisse ita confirmatum, ut πέτρα ἀσάλευτος, de quâ hîc agitur, dici posset. Imò Christus satanam cum vocare cogitur in seq. 4. Agitur de fundanda Ecclesia tam militante, quàm triumphante, cujus Petrum esse fun- *Fontes Solutionum. Matt. 16. 18.*

QUÆST. XVII.

damentum nemo dixerit. Nec hîc opponi debet pronomen ταύτῃ quod videtur referendum ad immediatè præcedens; Quia notum est relativa & demonstrativa non semper ad proxima verba & immediatè præcedentia referri, sed sæpe ad remotiora, ubi rei natura id postulat, ut Act. 3. 15. 16. pronomen αὐτοῦ bis referendum ad remotius, nimirum ad ἀρχηγὸν ζωῆς, non verò ad Deum, quod est vicinius. Sic & alibi sæpius. Adde quòd Spiritus Sanctus non ponit nudum pronomen, sed addito nomine ipso, quod omnem tollit ambiguitatem, *super hanc Petram.* Sic Matt. 26. 28. 29. *Hoc est sanguis meus, sanguis N. Testamenti, qui pro multis effunditur,* &c. *Dico vobis quòd non bibam ab hoc tempore ex hoc genimine vitis,* si simpliciter dixisset ἐκ τούτου referri potuisset ad αἷμα, ideo addit genimine vitis ad tollendam ambiguitatem. Ita ne quis quod addit Christus de ædificatione Ecclesiæ super Petram referret ad personam Petri, non contentus fuit solo demonstrativo, sed designat distinctè Petram à Petro, quod Interpros V. retinuit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram.* Fateor quidem aliquam hîc esse ad Petrum χάριν, non ut innuat personam ejus fore Petram, cui inædificanda esset Ecclesia, quod falsum esse antea evicimus. Sed ratione nominis impositionis, quia Christus Petro gratificaturus, novum nomen illi dat, quod ab illâ Petrâ derivatur per paronomasiam, quasi diceret, Tu Petrus à me Petrâ, quam confessus es, diceris, super quam ædificabo Ecclesiam meam. Cephas ergo denominativè appellatur à Cepha Petra, ut à Christo lapide vivo, fideles vivos lapides nominat ipse Petrus 1. Pet. 2. 5.

XV. Frustra additur Christum hîc aliquid singulare & eximium Personæ Petri polliceri in præmium eximiæ, quam ediderat confessionis, quod locum non haberet, si per Petram non esset intelligendus. Nam primò, ut Petrus non suo tantùm, sed cæterorum Apostolorum nomine responderat, in signum unitatis fidei omnium, ut Christus omnes interrogaverat ℣. 15. *Et vos quemnam me dicitis esse?* Ita responsio Christi, quæ additur ad omnes spectare debet, ratione doctrinæ communis & Apostolatus. Quod non obstat tamen, quin Christus Petrum, qui omnium nomine hîc locutus fuerat, singulariter etiam hîc respiciat, ut aliquo privilegio eum præ cæteris donet; non fictitiâ Monarchiâ, & Pontificatu œcumenico, qui ἀσύστατον est cum Sacerdotio & Regiâ Christi autoritate, sed gloriosâ nominis mutatione, in symbolum firmitatis fidei, quam illi daturus erat Luc. 22. 32. & fidelis quem in muneris exercitio navaturus erat operæ. Scio velle quosdam ex Veteribus, & post eos nonnullos ex recentioribus, sic designatum fuisse singulare privilegium & munus Petro datum, ut primus tam inter Judæos, quàm inter Gentes Euangelium prædicaret, & sic Ecclesiam Christianam fundaret & colligeret. Act. 2. 24. & 10. 34. Sed licèt hoc verum sit, non potest huc per-

pertinere. Nam præterquam quòd hoc personale privilegium foret Petro, quod Papæ competere non posset; sic bene quidem *Architectus & fundator* vocaretur, per quem ædificanda esset Ecclesia; sed non *fundamentum*, ejus super quod ædificari deberet, ut hic Christus loquitur. Quæst. XVII.

XVI. Tertiò, Scriptura clavem istius mysterii nobis aperit, quum passim Christum sub symbolo Petræ nobis exhibet. Ut sub V. Test. Deus nomen rupis Ecclesiam sustentantis habet Deut. 32. 4. Is. 26. 4. Christus ipse sic exponit Matth. 21. 42. *Lapis quem reprobarunt ædificantes, factus est in Caput anguli.* Quod Petrus sequens Christum confirmat Act. 3. 11. & in 1. Epist. cap. 2. 5. Sic Paulus Rom. 9. 33. & 1. Cor. 3. 11. vocat Christum lapidem anguli, & unicum fundamentum, præter quod nullum aliud poni potest. Quò respicientes plerique ex Patribus Petram istam de Christo, quem confessus erat Petrus, intelligunt. Augustin. de Verbis Domin. in Matth. Serm. 13. *Tu es ergo*, inquit, *Petrus, & super hanc Petram, quam confessus es, super hanc Petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam, super me ipsum, qui sum Filius Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo, non me super te*, &c. Quod non semel alibi confirmavit Retract. lib. 1. cap. 21. & tr. 124. in Johan. Hilarius de Trini. lib. 2. *Unum est ergo immobile fidei fundamentum, una hæc felix Petra, Petri ore confessa, Tu es Filius Dei vivi.* Quos hic sequuntur varii ex Adversariis, Lyranus *Super hanc Petram quam confessus es, id est, super Christum.* Glossa interlin. Petram exponit *Christum in quem credis.* Glossa Decret. Rom. 1. p. Dist. 9. cap. 7. *Per hanc distinctionem, Et super hanc Petram, non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, quum ait, Tu es Christus Filius Dei vivi, quia super illo articulo fundata est Ecclesia. Ergo super se ipso fundavit Ecclesiam Deus.* Sic Tostatus Episco. Abulen. In Matth. 16. quæst. 67. *Quæritur cùm Christus dicit super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quæ sit Petra ista? Aliqui dicunt, quòd sit Petrus, scilicet quòd super illum fuerit ædificata Ecclesia, id est, ipse fundamentum Ecclesiæ. Sed dicendum quòd accipiendo propriè fundari vel ædificari Ecclesiam, non est verum quòd super Petrum sit ædificata; Nam id super quo ædificatur est fundamentum, & sic Petrus diceretur fundamentum Ecclesiæ; sed falsum est, quia solus Christus est fundamentum* 1. Cor. 3. 11. *Etiam ipse solus est Caput Ecclesiæ. Nos autem omnes sumus membra, ut colligunur* 1. Cor. 12. Eph. 4. *Petrus ergo membrum est, & non Caput Ecclesiæ, nec fundamentum.* A quo non abludit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, & alii. *Deut.* 32. 4. *Is.* 26. 4. *Matt.* 21. 42. *Act.* 3. 11. 1. *Pet.* 2. 5. *Rom.* 9. 33. 1. *Cor.* 3. 11.

XVII. Nec procul hinc recedunt, qui Petram volunt ad Petri confessionem

QUÆST. XVII. sionem & fidem referri. Chrysost. in h. l. ἐπὶ ταύτῃ τῇ πίστει, τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, id est, *super fidem confessionis*. Theophylact. αὕτη ἡ ὁμολογία ἐφ' ᾧ ὡμολόγησας θεμέλιον μέλλει εἶναι τῶν πιστευόντων. *Hæc confessio quam confessus es fundamentum erit Credentium*. Basili. Seleuc. in h. l. *Hanc confessionem cùm nominasset Christus Petram Petrum nuncupat cum, qui primus illam est confessus, donans illi hanc appellationem tanquam insigne, & monumentum hujus confessionis, Hæc enim est revera Petratus Petra, hæc salutis basis, hic fidei murus, hoc veritatis fundamentum, fundamentum cum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est Jesus Christus.* Ex Adversariis *Joa. de Turrecremata* hanc amplectitur sententiam de Summa Eccles. lib. 2. cap. 10. *Ecclesia est fundata super Petram, id. fidem Christi.* Sic *Dionys. Carthus.* in h. l. *Gorranus, & alii.* Cum enim fides & confessio non intelligenda sit propriè & subjectivè, sed metonymicè & objectivè ratione Christi quem amplectuntur, res eodem redit, sive intelligamus per Petram, Christum ipsum, sive fidem in ipsum, quia ista non tam subjectivè, respectu sui, quàm objectivè respectu Christi quem amplectitur spectanda est. Quò respiciens Ferus in Matth. 16. locum hunc optimè exponit, *Petra primario Christus est, cui tota Ecclesia semper ædificata est, fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, nempe Christus. Deinde quia per veram fidem Christo conjungimur, ac sic quodammodo petrascimus, si sic liceat loqui. Et ipsa igitur fides Christiana & veritas Evangelica firma & inconcussa Petra illa est, super quam Christus ædificavit Ecclesiam.*

XVIII. *Claves* aliæ sunt *Dominii* & *Principatus*, quales sunt claves Urbium, quæ dantur à subditis Principi in signum homagii, quo sensu *Christus* dicitur *habere clavem Davidis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit*, Apoc. 3. 7. id. cujus potestas summa est & ἀνυπόδυτος; Aliæ sunt *ministerii & subjectionis*, quales sunt quæ dantur à Principe, Officiario, & Præfecto domus, & à Patrefamilias œconomo & promicondo, quæ primatum nullum inferunt, sed tantùm διακονίαν & officium. Tales sunt claves, quas Christus pollicetur se daturum Petro, *Tibi dabo claves Regni cœlorum*, quæ iterum sunt geminæ, Tum *scientiæ & cognitionis*, quibus per Verbi prædicationem aperiuntur thesauri mysteriorum cœlestium, & ταμεῖα Scripturæ, in qua panis vitæ ad fidelium sustentationem reconditur; Sic docendi munus bene innuitur, quomodo inter Judæos clavium traditione Doctorum inauguratio fieri solebat. Et Christus eò respiciens, Luc. 11. 52. objurgat Pharisæos & Scribas, quòd clavem scientiæ populo auferant, ut nec ipsi ingrediantur, nec alios ingredi sinant, à qua potestate dimovendos esse Scribas & Pharisæos monet, ut transeat in manus Apostolorum, qui claves istas ritè tractare debebant,

Apoc. 3. 7.

Luc. 11. 52.

præ-

præconio suo ostium fidei & salutis aperiendo hominibus. Tum *regiminis & disciplinæ*, quibus cœlum aperitur pœnitentibus, & clauditur rebellibus & incredulis. Utræque hîc promittuntur à Christo, Earumque exercitium designatur in verbis sequentibus, *Quodcunque ligaveris in terra, ligatum erit in cœlo, quodcunque solveris, solutum erit.* Ubi Christus ab una metaphora transit ad aliam, ut non insolitum est Spiritui Sancto, diversas similitudines conjungere, ad unius ejusdemque mysterii clariorem explicationem: Aptiùs dixisse videretur, *aperire & claudere*, quod est clavium, quàm *ligare & solvere*; maluit tamen uti verbo ligandi & solvendi, tum ut significaret amplitudinem potestatis, quam daturus erat Petro, per quam non modò aperire & claudere, sed & solvere & ligare posset; tum ut ostenderet, quàm misera sit conditio eorum, quibus cœlum clauditur, qui obstricti manent peccatorum & justitiæ divinæ vinculis. Quod eò commodiùs fieri potuit, quòd similitudo ligandi & solvendi utrumque clavium officium prædictum optimè designet. Refertur enim, tum ad prædicationem, & præcepta, tum ad disciplinam & regimen, ut *solutum* dicatur quod *licitum* est & permissum, *ligatum* verò quod *vetitum* & interdictum; Unde Rabbinis Phraseologiâ usitatissimâ אסר *ligatum* dicitur, quod est *illicitum*, & quod nefas esse voluerunt; התיר verò *solutum* quod *licitum* est ex jure. Ad quem loquendi modum Christus respiciens Mat. 23. 2. dicit Pharisæos *ligare onera gravia hominibus*, non modò per legis, quæ jugum erat ἀβάστακτον, exactionem, sed etiam per variarum cæremoniarum & traditionum humanarum rigidam impositionem, quibus tanquam oneribus durissimis premebantur. Ad regimen verò & disciplinam pertinet, quòd Pastores dicuntur *ligare* peccatores censuris & pœnis Ecclesiasticis, quos *solvunt* quum eas relaxant, quia ii quibus cœlum clauditur per denunciationem iræ Dei, & quorum retinentur peccata, quasi ligantur, ut conjiciantur in gehennam, ut alibi dicitur hypocritas ligatos pedibus manibusque conjectum iri in gehennam. Contrà illi quibus cœlum per annunciationem gratiæ Dei & remissionis peccatorum aperitur, solvuntur vinculis peccati & judicii Dei, ut expeditè introeant in cœlum. Quæst. XVII.

XIX. Hæc verò potestas, non potest censeri absoluta & illimitata, quæ soli Deo competit, & ad quem unum pertinet condonare peccata Matth. 9. 3. Sed tantùm ministerialis & dependens, quatenus nomine & authoritate Dei, ex Verbo ejus declarant quid fidelibus & pœnitentibus sperandum sit, quid verò timendum contumacibus & impœnitentibus. Nec Bellarminus hoc diffiteri potest, qui lib. 1. de R. P. cap. 12. agnoscit Dominum loqui de potestate clavium, quâ Apostoli & eorum successores ligant vel absolvunt peccatores. Unde patet Petri Primatum frustra hic quæri; Licèt enim promittatur hic aliquid Petro peculiariter, nihil tamen

QUÆST. XVII. hîc promittitur illi peculiare, promissio quidem ipsa seu actus promittendi fuit ipsi peculiaris, quatenus ipsum nominatim alloquitur, sed res ipsa quæ promittitur communis fuit, quæ ad alios etiam pertinuit, quorum nomine Petrus loquebatur, ut patet ex Matth. 18. & Joa. 20. 23. ubi eadem potestas, quæ hîc per ligationem & solutionem designatur, per retentionem & remissionem peccatorum describitur, & ex æquo omnibus Apostolis tribuitur, *Quorumcunque retinueritis peccata*, &c.

Joan.21.15. XX. Licèt Petrus jubeatur pascere oves Christi Joa. 21. 15. 16. Non continuò Monarcha Ecclesiæ, vel Pontifex œcumenicus constituitur. 1. Quia hæc hortatio est, non novi muneris institutio. 2. Aliud est *pascere*, aliud *imperare*; Quamvis enim actus Pastoralis aliquando extendatur ad imperium regium, & dominium dicat, quo sensu Reges ab Homero vocantur ποιμένες λαῶν, *Pastores populorum*; Et Christus vocatur Pastor ovium suarum, qui eas non modò Verbo pascit, sed & oculo, & manu regit, postquam vitam pro eis posuit, carne & sanguine suo eas cibando & potando, quod nulli aliorum Pastorum competit; Unde κατ' ἐξοχὴν vocatur ἀρχιποιμὴν Pastorum princeps 1. Pet. 2. & 5. 4. & *magnus Pastor* Heb. 13. 20. Non potest tamen hæc significatio hîc locum obtinere, quando agitur de Apostolis & Ministris, tum quia pascendi hoc officium disertè opponitur dominio, *Pascite gregem Christi, non dominantes cleris*,

1.Pet.5.3. 1. Petr. 5. 3. tum quia dominium istud expressè interdicitur à Christo Luc. 22. denique quia Petrus jubetur pascere *oves Christi*, non suas, ut innuatur hoc officio defungi debere, non ut Dominum & Principem ovium, sed ut Christi Ministrum. 3. Hoc munus non imponitur soli Petro, sed & reliquis Apostolis, imò & omnibus Ministris Act. 20. 28. *Attendite vobis & toti gregi, in quo constituit vos Christus Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Christi.* Ergo non Monarcha est, quisquis pascere oves jubetur, alioqui tot haberet Monarchas, quot Ministros. Sic vox ista non in totâ suâ latitudine hîc sumenda est, sed pro subjecta materia; Et ut insanus esset, qui ex eo quòd Reges vocantur Pastores populorum, vellet ad eos pertinere Evangelium prædicare; Ita parum ab insania absunt, qui contendunt imperium datum ei, cui pascendi munus imponitur. Pascere ergo jubetur, non dominando, sed docendo, & regendo, pascendo scientiâ & intelligentiâ, Jer. 3. & regendo pedo pastorali.

XXI. Nec opponi debet hic aliquid κατ' ἐξοχὴν Petro tribui, quia solus compellatur, & quidem ter. Quia, quod dicitur Petro singulariter, non ideo fit, ut Primus & Princeps Apostolorum constitueretur, sed ut trinæ abnegationi, quâ poterat videri excidisse suo Apostolatu, triplex in illum restitutio, cum stipulatione amoris & officii opponeretur, ut trinâ confessione, trinam negationem dilueret, ut August. exponit tr. 123. in Joha. post Cyrillum & alios, quos sequuntur plurimi ex Pontificiis,

Jan-

Jansenius, *Toletus*, *Maldonatus*, & alii. Sic solenniter Christus illum voluit restituere, qui solus peccaverat; sic ille debuit satisfacere Christo, quem ter abnegaverat. & condiscipulis quibus se prætulerat Luc. 22. 33. Nec si Petrus videtur jam in pristinum statum restitutus insufflatione Christi, & pari cum cæteris missione Jo. 20. 22. inde sequitur non potuisse à Christo peculiari ratione confirmari; quia enim gravius peccaverat, majori opus habebat confirmatione & consolatione; reliqui quidem Apostoli relicto Christo, fugerant, sed Petrus solus Christum abnegavit, & quidem juramento, seipsum devovendo. Porrò mysterium quærendum non esse in distinctione *ovium*, & *agnorum*, quæ hîc fit à Christo, & quam lectionem probatiorem esse judicat Toletus, eà quam vellet Bellarminus introducere contra magnum Exemplarium consensum, & V. V. Versionis authoritatem, quæ duos tantùm gradus facit non tres, ut Cardinalis pertendit, *agnorum* scilicet, id est, gentium, *ovicularum*, id est, Episcoporum, & *ovium*, id est, Apostolorum; mysterium, inquam, quærendum non esse docet Jansenius in h. l. ut & Maldonatus, *subtiliter disputandum non est*, inquit, *cur agnos potius, quàm oves appellaverit, quod qui fecerit, videat etiam atque etiam, ne doctus hominibus risum præbeat.* Promiscuè voces has usurpari ostendit collatio locorum Matth. 10. 7. Luc. 10. 3. Isa. 53. 16. Act. 8. 32. Sic Patres exponunt Chrysost. in Jo. hom. 87. & Aug. tr. 123. in Joh. Quæst. XVII.

XXII. Prærogativæ quæ Petro tribuuntur, qualescunque sint, non inferunt Primatum autoritatis, de quo loquimur, sed tantùm ordinis & dignitatis, qui non obstat quominus Paulus se nihilo inferiorem ipsi agnoscat. Paulus etiam & Johannes suas prærogativas habuerunt, ex quibus tamen Oecumenicus Pontificatus ridiculè colligeretur. Prærogativæ istæ vel incertæ sunt & falsæ, vel vanæ & inutiles, quæ nec conjunctim Primatum evincunt. Non *Nominis mutatio*, quia non tam nomen ei mutatum, quàm novum adjectum est Matth. 17. 25. & 2. Pet. 1. 1. adde quòd nova hæc nominis impositio communis fuit filiis Zebedæi, qui dicti sunt *Boanerges*. Non quòd *primo loco ponatur* Matth. 10. 2. Marc. 3. Luc. 6. Nam præterquam quod hoc non est perpetuum; alii enim alibi illi præponuntur Joan. 1. Andreas. 1. Corint. 3. Paulus, Apollos. Gal. 2. 9. Jacobus; potuit ita vocari ratione ordinis, vel ætatis, vel donorum, non ratione potestatis & jurisdictionis, ut primus Consul in Urbe non est Senatus Princeps. Non *ambulatio super aquas*, quæ fervorem tantùm ejus & πεοπε-τέια notat, *Petrus*, inquit Chrysost. hom. 51. in Matth. ὁ πανταχοῦ θερμὸς, καὶ ἀεὶ τῶν ἄλλων πεοπηδῶν. Non *revelatio magnorum mysteriorum fidei*, quia hæc nec soli facta est, nec primo. Non *solutio tributi pro Christo & Petro*, non pro aliis; quia certa fuit causa, cur pro utroque solveretur, quia in eadem urbe habitabant, nimirum Capernaumi, quæ vocatur civitas

QUEST. XVII. Christi, & in qua Petrus domum habebat. Non *captura multorum piscium* Joan. 21. quia hoc ministerium ejus notat, non imperium, in signum piscationis Evangelicæ Luc. 5. per quam innumeros homines debuit ex mundo evocare. Non *oratio Christi pro ipso*, quæ potius testimonium est infirmitatis, nec aliò tendit quàm ad perseverantiam fidei. Confirmatio fratrum quæ illi imponitur, non primatum, sed ministerium & officium indicat, quod alibi Petro & Barnabæ vindicatur Act. 14. & 18. Non quòd *primùm apparuerit Petro post resurrectionem* Luc. 24. 1. Cor. 15. quia fœminis primò apparuit. Non quòd *pedes illi primò laverit*, vel *mortem prædixerit*, vel *Apostolos in unum congregârit*, Act. 1. vel quòd *primus Evangelium prædicârit*, vel quòd *primus in Concilio locutus sit* Act. 15. Hæc enim & similia quæ afferuntur, vel incerta sunt, vel nullam prærogativam afferunt, vel primatum tantùm ordinis important.

XXIII. Si aliquando Patres vocant Petrum Caput & Principem Apostolorum, non intelligunt hoc ratione Oecumenici Pontificatus, vel Monarchiæ; Sed ratione *Primatus ordinis, & dignitatis*, sive propter dotes, quibus præ cæteris eminebat, quo sensu 2. Corint. 11. Apostolus vocat quosdam τὺς ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλους, & alibi ςύλους Gal. 2. Sic à Cyrillo Hierosolymitano *Princeps Apostolorum excellentissimus*, ab Alexandrino *Princeps, Caputque cæterorum*, à Theophylacto, *Princeps discipulorum*, ab aliis *Apostolorum Coryphæus*. Sed quo sensu intelligenda sint ista elogia Eusebius notat lib. 2. cap. 14. hist. dum dicit eum ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων πρόκριτον, *reliquorum omnium*, scilicet Apostolorum, *propter virtutis magnitudinem facile Principem*, ut sæpe apud Scriptores, nomen ἀρχηγὸς & κορυφαῖος, hoc sensu venit. Sed hoc & aliis non raro ab ipsis tribuitur. Unde Petrus & Paulus sæpe vocantur à Patribus *Principes Apostolorum*.

QUÆSTIO XVIII.

An Petrus Romæ fuerit, ibique Episcopatum per plures annos tenuerit? Neg. cont. Pontif.

I. QUamvis Quæstio de mora Petri Romæ, videatur potius Historica, quàm Theologica; Quia tamen Pontificii, ut Papæ Primatum & Monarchiam stabiliant, hac potissimùm hypothesi nituntur, quòd Petrus Romæ fuerit, ibique Episcopatum per plures annos ob-

tinuerit; multum refert ejus veritatem aut vanitatem propiùs expendere, ut eò faciliùs impietatem Papalis tyrannidis detegamus. Nec mirum Adversarios adeò propterea commoveri; norunt scilicet hoc fundamento niti totam molem Hierarchiæ Pontificiæ, quo subruto eam corruere necesse est. Nam si Petrus Romæ non fuit, nec ibi Episcopatum gessit, non potuit in Pontificem Romanum hæc authoritas derivari, ut ejus successor habeatur. Unde eò diligentius in rem hanc inquirendum est, ut constet quàm fragili, imò falso nitatur fundamento totum hoc iniquitatis mysterium. Quæst. XVIII.

II. Adversarii inter se de duobus conveniunt. 1. Petrum Romæ fuisse & ibi mortuum esse. 11. Episcopatum ibi per plures annos tenuisse, nec mutavisse aut aliò transtulisse Sedem, sed perpetuò usque ad vitæ finem sedisse. Sed quando Romam venerit, & quandiu ibi sederit dissentiunt. Alii enim secundo anno Claudii venisse censent post Hieronymum & Eusebium. Alii anno quarto, ut Thomas, Beda, Fasciculus Temporum. Alii ann. 13. ut Passionale de Vitis Sanctorum. Alii sedisse annos 23. tantùm, alii 25. arbitrantur. Communior sententia, quam Baronius & Bellarminus sequuntur, est, Petrum postquam à passione Domini ad quinquennium in Judæa substitisset, inde anno 39. Christi Antiochiam venisse, Episcopatum eum suscepisse, illoque per septennium defunctum esse, inde Romam iviſse, ibique Cathedram instituisse, & primum omnium sedisse. Evenisse interea ut Petrus anno 51. edicto Claudii cum cæteris Judæis Româ expelleretur, quâ occasione ad Concilium venerit, Hierosolymis eo anno habitum. Tandem mortuo Claudio Romam rediisse, & postquam 25. annis ei Sedi præfuisset, vitam martyrio finiisse. Nos duo dicimus. Primò Petrum Romæ fuisse, dubium & maximè incertum esse, & longè certius esse nunquam Romam vidisse. Secundò Petrum Romæ fuisse Episcopum falsum esse, & per tot annos ibi sedisse falsissimum. Fatendum inter nostros, non deesse Viros magnos, qui Veterum testimoniis moti, hîc ἐπέχουσι, imò non gravatè largiuntur Petrum Romæ fuisse, quales sunt *Junius*, *Scaliger*, *Casaubonus*, *Usserius*, *Seldenus*, & alii, quanquam & ipsi de Petri Romano Episcopatu, & 25. annis illi assignatis non assentiantur Pontificiis. Sed alii non pauci, nec ignobiliores hic pro negativâ stant apertè, ut *Illyricus*, *Velenus*, *Whitakerus*, *Salmasius*, *Hospinianus*, *Sutlivius*, *Pareus*, *Sibrandus*, & alii. Quibus jam præiverant ex Pontificiis *Joh. Bapt. Mantuanus*, *Michael Cesenas*, *Marsilius Patavinus*, qui quæstionem istam ante ducentos annos coram Imperatore Ludovico agitavit, cujus liber inscribitur Defensor Pacis, *Johannes Aventinus*, *Carolus Molinæus*, & alii, dubiâ traditionis fide adducti, quorum rationes nec paucæ sunt, nec leves, ad quos accedimus. *Sententia Partium.*

QUÆST. XVIII.

Probatur Petrum Romæ non fuisse 1. ex silentio Petri.

III. Prima petitur Ex *silentio Lucæ* in Actis Apostolicis. Nam si Petrus relictis Syriæ finibus Romam petiit, ibique fundatam Ecclesiam suâ prædicatione ac martyrio beavit; Si hoc in loco Sedem Pontificiam, totius Christianismi, ut vulgò jactant, Caput erexit, Cur silet Lucas, & rem tantam, tamque Christianis scitu necessariam negligit? Quare cùm de primo Petri congressu cum Simone Mago loquitur, tacet de ultimo certamine, in quo magus iste dicitur pœnas dedisse impietatis suæ, aspectantibus Romanis & ipso Nerone? Cur de variis Petri profectionibus Samariam, Lyddam, Joppam, Cæsaream, Hierosolymam, tam accuratè disserit, & momentosissimæ Romam usque profectionis ne meminit quidem? Quidni dum Act. 15. præsentem eum in Concilio sistit, ejus ex Urbe reditum, & relictam Cathedram non commemorat? Cur denique loquens de Pauli in Urbem ingressu, de aliis variis meminit, at de Petro verbum nullum facit? Nec hic reponendum, Vel argumentum esse negativum, quod non urgeat. Quia non insolitum est argumento negativo uti, ubi nullum affirmativum ejusdem ætatis fide dignum opponi potest; Nec ratio facto tantùm nititur, quia tacet Lucas, sed etiam jure, quia tacere nec potuit nec debuit in re adeo momentosâ. Vel Lucam sibi præ cæteris proposuisse Pauli acta persequi, ut præceptoris sui. Nam ipse fatetur se historiam Apostolicam in genere complecti voluisse, Et si de rebus longè levioribus circa Petrum commemorandis sollicitus est, Cur istud longè gravius silentio obvolvit?

2. Ex silentio Pauli.

IV. Secunda Ex *silentio Pauli* in Epistolis. Nam si Petrus Romæ fuisset, An verisimile Paulum ad Romanos scribentem, & omnes qui aderant, inprimis συνεργὸς salutantem, Petri omnium dignissimi salutationem omisisse, nec meminisse quidem? Frustra excipitur à Baronio non opus fuisse Petrum per alios salutari, si quidem familiares alias ad Petrum eodem tabellario potuerit dare literas. Quia figmentum est, quod eadem facilitate rejicitur, quâ proponitur. Non melius reponitur ab eodem, Petrum tunc absentem fuisse, Claudii Edicto Româ pulsum. Nam præterquam quòd fuga illa Petri metu Claudianæ persecutionis supponitur, non probatur; Certum est juxta Baronii calculum expirasse Claudium, quo tempore suam ad Romanos scripsit Epistolam, Et si tum Romæ Judæi plures, quos salutat Apostolus, quidni & Petrus? Si Aquilæ & Priscillæ pulsis antea Claudii Edicto, fas fuit redire Romam, quidni & Petro? An decebat Pastorem tamdiu ab Ecclesia suâ abesse? Deinde si Petrus Romam aliquando venisset Ecclesiam fundaturus; Unde fit ut Paulus, qui in hac Epistola laudat fidem Romanorum, eosque per quos strenuè res Christi inter eos promota esset, tanti fundatoris oblivisca-tur? Deinde quomodo profiteretur se fundamento ab aliis posito ἐποικοδομεῖν nolle? Præterea, qui fit, quòd in omnibus Pauli Epistolis, quas

Româ

Româ dedit, mentionem faciat Clementis, Lucæ, Timothei, Marci, Aristarchi, Demæ, Epaphræ, qui secum operabantur, sed altum ubique de Petro fit silentium. Nec reponendum, nullam similiter mentionem factam vel Timothei, vel Joannis, vel Jacobi, in Epistolis ad Ephesios, & ad Hebræos, cùm tamen in iis Ecclesiis essent Viri primores & earum Episcopi. Nam vis argumenti nostri non in eo est simpliciter, quòd Petri non meminit Paulus, sed quòd caterorum omnium, qui Romæ essent, memenit, & συνεργῶν inprimis: Petri verò nequaquam, omnium in iis dignissimi, & primo loco salutandi. Adde quòd in Epistolis ad Ephesios, & ad Hebræos, neminem salutat nominatim Paulus, defunctus generali salutationis voto. Nec Ephesi Timotheum aut Joannem tunc fuisse constat. Tandem, Quomodo in Epistola ad Coloss. diceret de Aristarcho, Marco, Jesu, qui Romæ erant οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς τοῦτοι μόνοι συνεργοὶ fuisse εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, & solos sibi fuisse adjutores? Et in posteriore ad Timotheum neminem sibi fuisse παρεγένετο in causæ suæ defensione, sed omnes se reliquisse, uno Domino addente & vires & solatium? Unde aut Petrus Romæ tum non fuit, aut Paulus magnæ ignaviæ, aut perfidiæ reus erit existimandus. Quæst. XVIII.

V. Tertiam suppeditat *Petri* ipsius *silentium*. Nam si Romanam Ecclesiam fundavit Petrus, Cur nuspiam ejus ullam mentionem facit? Cur hoc munus suum non memorat in initio Epistolarum ad Judæos dispersos, ut majorem apud ipsos sibi conciliet authoritatem? Cur Seniores hortando ad officium se vocat συμπρεσβύτερον cum ipsis 1. Pet. 5. 1.? Cur cùm abesse Roma coactus est diu, ut agnoscunt Adversarii; Solicitudo pastoralis eum non impulit ad scribendum ad Romanos, gregem suum, quod fecit Paulus ad fidem eorum firmandam & augendam? Hæc sanè talia sunt, ut nisi sponte cæcutire velimus, clarè evincant Pontificatum Oecumenicum Petri Romæ, esse merum figmentum. 3. *Ex Petri silentio.*

VI. Quartò, Si Petrus fuit Romæ, vel sub Caio, vel sub Claudio, vel sub Nerone, quo tempore Paulus Romæ aut commoratus, aut vinctus, aut sublatus fuit, debuit esse. Sed sub neutris potest dici fuisse. Non sub Caio, quia historia Lucæ eo tempore eum in Judæa & Samaria exhibet. Non sub Claudio, vel anno secundo, vel alio quovis ejus imperii tempore; Quia ex Actis constat Petrum captum fuisse ab Herode, & in carcerem conjectum Hierosolymis anno Claudii 4. qui fuit Herodis Agrippæ ultimus. Unde ante hunc annum Romam profectus non potuit, ut Valesius agnoscit. Rursus Petrus Hierosolymis adhuc fuit tempore Concilii Apostolici, quòd fuit congregatum sexennio post, id est, decimo octavo post Christi passionem, anno nono Claudii, & decimo quarto à Conversione Pauli, qui eò cum Barnaba profectus est, ut testatur Galat. 2. 1. Exinde Petrus Antiochiam se contulit, & aliquantum temporis moratus est, non 4. *Ex ratione temporis.*

po-

QUÆST. XVIII.

potuit ergo Romæ fuisse sub Claudio. Nam quod affertur à Bellarmino redisse Româ Hierosolymam propter Edictum Claudii, quò pulsi Româ fuerunt Judæi frivolum est. Nam si Româ rediit, cur Lucas qui Priscillæ & Aquilæ adventum eâ de causâ memorat, Petri nullam mentionem facit? Deinde si Petrus jam Ecclesiæ Romanæ constitutus fuit Episcopus, quæ non ex Judæis modò, sed ex multo pluribus Gentilibus constabat, Cur cœtum illum deseruit? Nonne Deo hic potius obediendum fuit quàm hominibus? Et sanguine suo fidelium fidem confirmare debuit, potius quàm turpiter eos deserere? Ut factum supponitur præter rei documentum, contra Petri fortitudinem, & boni Pastoris officium. Rursus si coactus fuisset secedere, non defuisset saltem epistolari officio, ad Pauli exemplum, & potiori jure Romanos, suam Ecclesiam & ὁμοκαρδίως, temporum iniquitate à se divisos, & locorum intercapedine disjunctos epistola aliquâ erexisset. Denique si Oecumenicus Pontifex in sede suâ constitutus fuerat, cur nulla tam insignis privilegii fit mentio in Concilio Jerosolymitano; Imo cur ipse pro jure suo hanc quæstionem non dirimit solus, sed Jacobo hanc provinciam relinquit?

VII. Non potest dici Romam venisse Petrus, vel ibidem hæsisse sub Nerone Claudii Successore 1. Quia sic paucissimi supersunt anni Petrini Episcopatus, nisi sub Vespasiano, vel Tito velimus sublatum. Adde quod cùm Paulus anno 2. vel 3. Neronis ad Romanos scripserit, nec ullum Petri verbum faciat, liquet nec tum Romæ fuisse. Nec quum Neronis sexto urbem adiit; Nec quum Româ sex posteriores epistolas scripsit, quis enim crediderit, si tunc ibi fuisset Petrus, Paulum de eo planè nihil dicturum fuisse? Quum Paulus Romam venit, illi fratres occurrunt ad Appii forum, occurrisset certè tum Petrus si ibi fuisset; At Petri nulla fit mentio. Deinde post tertium diem vocat Paulus primores Judæorum: Illi vero tum nondum Christiani cupiunt audire ex Paulo quid sentiat. Atsi Petrus tum Romæ fuit, & ibi Episcopus, nonne ex illo audivissent jam fidem Christianam, maximè cùm eorum esset Apostolus? Frustra regerit Bellarminus, Petrum tum abfuisse. Quis enim credat Petrum tanto tempore reliquisse Ecclesiam suam, ubi tutò esse poterat? Si illius Ecclesiæ fuit Episcopus, ubi potius quàm Romæ degere debuit? nonne aliàs supinæ negligentiæ incusaretur?

3. Ex distributione muneris inter Petrum & Paulum. Gal. 2. 7. 8.

VIII. Quintò, Id ipsum colligitur non obscurè ex *distributione muneris*, quæ facta fuit inter Petrum & Paulum, de qua Gal. 2. 7. 8. 9. per quam commissa est Petro speciatim cura potissimùm Judæorum, & *Apostolatus Circumcisionis*, ut Paulus loquitur, Paulo vero *cura Gentilium*, & Prædicatio præputii; non ad limitandam absolutè muneris Apostolici amplitudinem, quod œcumenicum est, sed ex speciali dispensatione ad Euangelii commodiorem & promptiorem diffusionem. Nec dubium

esse

esse potest, quin Petrus inter Judæos provinciam istam sedulo obierit, seu coram in Palæstina, Syriâ, &c. seu di' Διασπορᾶς, ut constat ex utraque epistola scripta ad Judæos ἐν Διασπορᾷ. Hoc vero sic posito, quis sibi facilè persuadeat, Petrum Apostolum, illo ipso tempore, quò Paulus & Barnabas vacabant Gentibus, in tantâ Judæorum per Græciam, Thraciam, Asiam minorem, Syriam, Babyloniam, & Orientem omnem messe, neglectis suis partibus, adiisse longis itineribus Romam, fixurum ibi sedem, & Pontificiam Cathedram, ubi paucissimi erant Judæi præ Gentibus? Nec cogitaturum rursus in Orientem, nisi casu quodam, Edicto scilicet Claudii, & relaturum in Urbem pedem, ibi ad mortem usque per plures annos hæsurum? Quis non credat potius Petrum post distributas operas exercuisse ministerium suum inter Judæos, non vero posthabitis Judæis inter Gentiles totos 25. annos Episcopatum suum administrasse? Nec nodum solvit, quod Bellar. observat, *Fœdus hoc hanc tantum vim habuisse, ut Petrus principaliter Judæis, Paulus verò Gentibus prædicaret, licuisse tamen & Paulo Judæis, & Petro Gentibus prædicare.* Quamvis enim hoc non negemus, fatendum tamen hoc fuisse quasi extraordinarium & ἐν παρόδῳ, & ordinariam sedem debuisse esse, ubi Judæorum maxima erat multitudo, pura in Oriente, non in Occidente, & Romæ, quæ Caput erat Gentium, & sedes Imperii, ubi pauci erant Judæi, & multo plures Gentiles. Quæst. XVIII.

IX. Sexto, Quamvis Petrum Romæ fuisse constaret, impossibile est ibi per 25. annos hæsisse, ut statuunt Adversarii. Quia ab anno 18. Tiberii, quò crucifixus est Christus, usque ad 13. Neronis, quò statuitur ab ipso sublatus, anni numerantur 36. nimirum 5. Tiberii, 4. Caligulæ, 14. Claudii & 13. Neronis; Petrus autem pedem non movit ex Judæa ante duodecimum annum à morte Christi, quò captus est ab Herode, & in carcerem conjectus, quod ex Actis Apostolicis abundè liquet, ubi ejus præsentia, & gesta Jerosolymis, & in Judæâ continuatâ serie recensentur cap. 5. 6. 8. 9. 10. 11. & 12. Sexennio post, id. 18. post mortem Christi Concilium Jerosolymitanum congregatur, quò ivit Paulus Act. 15. 2. 3. Gal. 2. 1. & cui Petrus cum cæteris Apostolis interfuit. Rursus ex hypothesi Adversariorum debuit per septem annos Antiochiæ sedere. Sic undecim tantùm anni supersunt, quibus Romæ potuit hærere, non viginti quinque, ut vellent, quos alibi in Oriente, ubi ministerium Judæorum ipsi commissum melius exerceri poterat, consumsisse longè virisimilius est. 6. Ex Chronologia.

X. Septimò, Clementis testimonium in Epistola priori ad Corinthios non parum huc facit. Loquitur ibi de utroque Apostolo Petro & Paulo, de utriusque laboribus, & martyrio. Sed de Petro breviter, nec locum designans martyrii, nec profectiones in Occidentem, nec Romæ Episco- 7. Ex Clemente.

Quæst. XVIII.

patum. At de Paulo, ut post Petrum sublato, ut laboribus omnium maximo, ut Romam ad fines Occidentis delato, ut totius orbis Doctore, ut sub Imperatoribus, Nerone videlicet perpesso, sermo longè prolixior. *Propter æmulationem inquam*, inquit parag. 5. *Petrus, non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus in debitum gloriæ locum discessit. Paulus propter æmulationem in vincula septies conjectus, verberibus cæsus, lapidatus, patientiæ præmium reportavit, ac in Oriente & Occidente Verbi præco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia mundum instruens, & ad Occidentis terminos veniens, & sub Imperatoribus martyrium subiens, sic è mundo migravit, & in locum sanctum abiit, patientiæ summum exemplar factus.* Quis verò crediderit Clementem omissurum fuisse Petri profectionem in Occidentem, & Romæ moram, ibidemque ejus martyrium sub Imperatoribus, quod dixit de Paulo, si hæc ita se habuissent? Quomodo silentio involvisset longè illustriora Romana Petri certamina, & suppar Christi supplicium, imò gravius inverso corpore, aspectante Româ, prævia etiam Cathedræ consecratione, & designatione successoris, ac, ut volunt, ipsius Clementis? Nec opponendi sunt autores varii, qui Petri adventum Romam, & martyrium ibidem passum referunt, ut Ignatius, & Papias, quia, ut postea dicetur, vel sunt posteriores Clementi, vel certè dubiæ autoritatis, vel sententiæ. Potest etiam eò referri Romanæ Historiæ Scriptorum silentium, ut Taciti, Suetonii, qui res sub Claudio & Nerone gestas tradiderunt; quibus nec occasio nec causa defuit de Apostolorum Principe Romæ tum versato, mentionem injiciendi, maximè in facto Simonis Magi, carissimi, ut aiunt, Neroni, sive quoad Petri cum eo conflictum, ac de ipso victoriam, tandemque Neronis accensam in autorem Simonianæ calamitatis iram, & sumptum de Christianorum Principe immane supplicium.

Fontes Solutionum.

XI. Licèt Babylon, de qua loquitur Johannes in Apocalypsi, non alia sit quàm Roma, quia iis characteribus describitur, qui nulli alii civitati competere possunt, nimirum, quòd septicollis erat, & tunc temporis habebat imperium in Reges terræ; Non sequitur eandem per Babylonem

2. Pet. 5. 13. intelligi apud Petrum 1. c. 5. 13. *Ecclesia quæ Babylone est vos salutat.* Quia Johannes prophetiam scribebat, & ideo mysticè & ænigmaticè loquebatur; Sed Petrus historicè & simpliciter; quia epistolam scribit, ubi nudè & apertè res narratur. Nec aliam causam habuit occultandi nomen Urbis, quàm Paulus, qui illud tamen apertè præ se fert, cùm Româ scribit. Et mirum est Pontificios pleroscque Babylonem in Apocalypsi, scripto mystico & Prophetico, sumere velle propriè, & velle id nomen sumere mysticè in scripto merè historico, quod locum ex quo epistola scripta est indicat. Adde quòd nulla ratio est, cur Romam per Babylonem

lonem designârit, An quòd ibi idola colerentur? Sed hoc ubivis factum. Quæri. An ex metu, ne sciretur ubinam ageret? Sed unde tanta in eo timiditas, XVIII. nonne Paulus rotundè scripsit ad Romanos, & plures epistolas Româ scripsit, non suppresso vel mutato, sed liberè expresso ejus nomine? Roma Babylon in Apocalypsi præcipuè dicitur ob spiritualem servitutem, quam Ecclesia Dei in ea passura erat; sed tum nullam adhuc persecutionem Ecclesia erat passa. Dici non potest Romam sic vulgò vocatam; quia Johan. nomen hoc ut μυστικῶδες, atque adeò ut arcanum proponit. Nec testimonium Papiæ, & eorum qui ipsum secuti sunt, ut subiectæ fidei, ut postea dicetur, nos persuadet. Ergo non alia per Babylonem convenientiùs, & magis propriè potest designari, quàm Chaldæorum & Assyriorum Caput, quæ erat Arx & sedes Imperii, metropolis illius dispersionis ad quam Petrus scribit, Ponti scilicet Galatiæ, &c. quæ suum habebat αἰχμαλωτάρχιον, & plures ex Circumcisione; cujus cura Petro & Johanni communis. Quantus ibi fuerit Judæorum confluxus, vel exinde liquet, quod tandem scholæ Judaïcæ ex Palæstina in Babyloniam sunt translatæ, unde Thalmudi Babylonico nomen. Denique cùm nulla necessitas cogat à proprietate literæ discedere, non opus est sensum mysticum quærere relicto literali, quod Bellarminus agnoscit alibi lib. 1. de Eucharistia cap. 12.

XII. Quamvis ante Pauli adventum, multi jam Christiani Romæ fuerint, Imò Ecclesia ibi jam fundari cœperit; Non sequitur Petrum eam fundasse; potuit scilicet ab aliis colligi, nam ut in dispersione Jerosolymitana, discipuli hinc inde dispersi Euangelium prædicarunt, ut Philippus Samariæ, & alii alibi, quidni potuerint & Romam nonnulli proficisci? Jam tempore Tiberii nomen Christi & Christianorum non ignotum fuisse liquet, ex eo quòd retulerit ad Senatum de Christo in Deorum numerum referendo, & quòd Senatus hoc recusando censuerit Christianos exterminandos; si ergo tunc Christiani jam erant, quidni & discipuli?

XIII. Consensus plurimorum ex Veteribus, qui Petrum Romæ fuisse & mortuum esse constanter tradunt; non potest absolutè fidem facere, quia initium istius traditionis petitur à Papia Hierapolitanæ in Phrygia Ecclesiæ Episcopo, qui ex Eusebii ipsius testimonio, non modò fuit σφόδρα σμικρὸς τὸν νοῦν, *valde mediocri ingenio planeque rudis & simplex*, sed & vanus & fabulosus, *qui multa παραδόξα & ἀλλόφυλα incredibilia & non scripta tradidit, καὶ τινὰ μυθικώτερα, fabulis similiora quàm veris historiis.* Euseb. l. 3. c. 39. qui etiam author fuit opinionis Chiliastarum. Hic primus scripsit Petrum Romæ fuisse; hunc postea secuti sunt Hegesippus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, & alii propter antiquitatem, & sic opinio invaluit, Eusebio eodem teste, qui fatetur plerisque post ipsum Scriptoribus Ecclesiasticis, & ipsi speciatim Irenæo, τὰ ὁμοίως αὐτῷ δόξαντα

QUÆST. XVIII. *αὐτοῖς γεγονέναι, ejusdem secum erroris occasionem præbuisse.* Cùm ergo parens istius traditionis tam subtilis sit in variis fidei, quomodo assensum à nobis obtinere poterit, tot argumentis tam ex Scriptura, quàm ex ratione petitis contrarium evincentibus? Hunc verò Papiam non fuisse auditorem Johannis Apostoli, sed Presbyteri cujusdam ejusdem nominis ab Apostolo diversi, author est post Eusebium Hieronymus, & multis probat Baronius ad ann. 118. num. 3. 4. qui dubiam ejus fidem non obscurè notat num. 5. postquam retulit verba Eusebii: *Ex quibus facile intelligas*, inquit, *in Traditionibus habendum esse delectum, ut non mox, ut quis se aliquid ex Majorum traditione accepisse tradit, ut de Papia accidit, fidem illi omnes adhibeant.*

XIV. Ad Irenæi testimonium, qui vult Petrum & Paulum Romæ Euangelizasse, & fundasse Ecclesiam lib. 3. adv. hær. cap. 1. & cap. 3. Dicimus 1. Eum credulitate nimiâ secutum fuisse Papiæ fidem, vel Romanæ Ecclesiæ traditioni efferentis jam se ob Urbis dominatum, & fundatorem Apostolum utrumque jactantis, plus nimio tribuisse. 2. Adversarios non semper Irenæo fidem habere, sed sæpe illi contradicere. 3. Verba & mentem Irenæi non consentire cum hypothesi Pontificia, dum fundationem Ecclesiæ Romanæ Paulo pariter & Petro tribuit, qui simul illam administrârint, & pari tandem potestate tradiderint Lino Episcopatum l. 5. c. 6.

XV. Cùm Historia de Simone Mago à Petro Romæ debellato, nitatur tantùm fide humanâ, cujus testes oculati nulli dari possunt, non potest assensum impetrare; cùm aliunde constet malitiam ejus Samariæ à Petro detectam fuisse Act. 8. 23. priusquam Romam veniret, eumque nonnisi victum & fugientem conspectum Apostoli Romam venisse, ut Clemens Constit. lib. 6. cap. 6. refert. Et Euseb. lib. 2. cap. 14. Unde non fit omnino verisimile Petrum Romam se conferre debuisse ad eum denuo perdendum. Statua verò quæ à Justino Martyre dicitur ipsi posita cum hac inscriptione *Simoni sancto Deo*, perperam ad ipsum refertur, & pridem observatum est à Viris doctis imperitiam Latinæ Linguæ imposuisse Veteri Scriptori, ut de Simone sancto intelligeret quod de *Semone Sanco* legendum erat. Quod Clariss. *Vossius* lib. 1. de Orig. Idolo. cap. 12. ostendit, Inter Indigetes Deos Romanis fuisse Semonem Sanctum, qui & fidius, quia per eum jurando fides fieret. Inscriptio Romana apud Gruterum, *Semoni Sanco Deo fidio sacrum*, Et alia, *Sancto Sanco Semoni Deo fidio sacrum.* Quò pertinent ista Ovidii Fast. 6.

Querebam Nonas, Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semo Pater; tunc mihi Sanctus ait.
Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, sic voluere Cures.

Idem

Idem erat Semo, Sanctus, ac Fidius. Unde error ortus Justini Martyris, ut quia Samaritani sui Simonem Magum in Actis memoratum, pro sancto Deo haberent, eo statuam Romæ constitutam *Semoni* Deo sancto, positam putaret Simoni Mago. Quæst. XVIII.

XVI. Quotquot volunt Petrum Romæ fuisse, non statim asserunt Ecclesiæ ibi fuisse Episcopum, multo minus per 25. annos sedem ibi habuisse. Aliud est Petrum Romæ fuisse; Aliud regimen monarchicum ibi erexisse. Unde testimonia ista nihil faciunt pro Primatu Papæ, quem in Episcopatu œcumenico statuunt Petro successisse. Potuit mori Romæ Petrus, licet Episcopus ibi non fuerit, non secus ac Paulus. Et cùm ista omnia testimonio merè humano nitantur, & Scriptura de istis omnibus sileat, non potest primatus Papæ asseri, tanquam articulus qui fide divinâ credi debeat.

XVII. Quamvis concederetur Petrum & vixisse, & mortuum esse Romæ, non magis Primatus ejus inde asseretur, quàm Joppæ vel Antiochiæ, ubi etiam vixit; sed longè potiori jure Ecclesiæ Jerosolymitanæ vindicandus erit, ubi obiit Servator, & Jacobus Apostolus, & unde lux Euangelii in omnes terrarum angulos fuit diffusa. Nec potest hoc evinci ex eo, quod dicitur apud Veteres de *Sede Petri*, ac si illa thronus, & solitum quoddam regium esset; Cùm per illam nihil aliud designetur quàm doctrina, quæ alicubi à Petro prædicata est ex Matt. 23. 2. & Act. 18. 11.

XVIII. Vera ratio & origo primatus Ecclesiæ Romanæ repetenda est, non ex successione Petri, sed ex Urbis ipsius dignitate, quia in veteri Imperio Romano dignitas Episcoporum æstimabatur, pro politica & civili dignitate Urbium, in quibus sedebant, ut postea dicetur.

XIX. Licèt Petrus non fuerit Episcopus Romæ, non necesse est ut ostendamus, ab eo tempore quò reliquit Antiochiam, ubi sederit ad extremum diem, id est, Episcopatum gesserit, quia non necesse fuit Petrum sedere magis quàm Paulum, siquidem Apostolorum erat discurrere in varias Orbis partes, & de ipso Petro liquet Veterum testimonio; Si verò τὸ *sedere* sumitur pro docere, Petrus variis in locis sedere potuit, Hierosolymis, Babylone, & in aliis quas peragravit Ecclesiis, quarum tamen non fuit, nec potest dici Episcopus.

QUÆST. XIX.

QUÆSTIO XIX.

DE PRIMATU PAPÆ.

An Papa Romanus sit Successor Petri in Monarchia, seu Oecumenico Pontificatu? Neg.

An Papa sit Successor Petri?

I. Notum est hoc fundamento niti Primatum Papæ, quòd Petrus illum à Christo obtinuerit, quem transmitteret Successoribus suis, qui non alii sint, quàm Pontifices Romani. Ut verò jam evicimus nullum talem Primatum Monarchicum Petro datum. Ita nunc probaturi sumus, Papam Successorem Petri esse non posse; qualecunque privilegium obtinuerit, quia fuit extraordinarium & speciale, quod ad alios transire non potuit.

Sententia Adversariorum.

II. Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 12. varia observat circa hanc quæstionem. Primò distinguit *inter successionem ipsam, & rationem successionis, successionem Romani Pontificis in Pontificatu Petri, esse ex Christi instituto, adeoque niti jure divino; rationem verò successionis, quòd Romanus Pontifex, potius quàm alius quis, verbi gratiâ Antiochenus, succedat, ex facto Petri initium habuisse, quia Romæ sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, quam alibi ponere potuit.* 2. *Licet forte non sit de jure divino, R. Pontificem, quia R. Pontifex est, Petro succedere in præfecturam totius Ecclesiæ, tamen si quis absolutè petat, An jure divino Rom. Pontifex Pastor sit, & Caput totius Ecclesiæ, omnino id esse asserendum.* 3. *Licet non sit de jure divino R. Pontificem, ut Rom. Pontificem Petro succedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinere. Quia non sit idem, aliquid esse de fide, & esse de jure divino.* Sed idem parum sibi constans, contrarium asserit lib. 4. c. 4. sub finem, *Quoniam ergo non constat, quomodo Christus jusserit Petro, ut Romæ sedem collocaret, ideo non est de fide, divino & immutabili præcepto, Romæ sedem esse constitutam, sed tamen, ut diximus, est probabilissimum & pie credendum.*

Papam non esse Successorem Petri probatur.

III. Nos Papam Successorem Petri, ut ipsi pertendunt, fuisse aut dici posse negamus. Rationes sunt. Primò, Quia, si successor ejus est, hoc erit, vel ratione *Ministerii communis* & *ordinarii* prædicandi Verbum, Sacramenta administrandi, & disciplinam exercendi. Vel ratione *Muneris specialis* & *extraordinarii* Apostolatus. At priori sensu successio non pertinet ad unum aliquem in particulari, sed ad omnes in genere veros Christi Ministros, & Pastores Ecclesiæ, qui propterea passim apud Patres

vo-

vocantur διάδοχοι τῶν θείων Ἀποστόλων, *Successores divinorum Apostolorum.* Posteriori verò nemo succedere potuit Apostolis, quia munus ipsorum temporale fuit & extraordinarium, ad Ecclesiæ Christianæ fundamenta jacienda, quodque ideo in eodem officio successores non habuit; Quod vel ex ipsorum characteribus colligitur. Apostolis enim hæc propria fuerunt. 1. visio Christi, ut possent esse testes resurrectionis Christi Act. 1. & 1. Cor. 9. 1. 2. vocatio immediata Gal. 1. 1. 3. infallibilitas in doctrina. 4. œcumenicum ministerium. 5. donum miraculorum: Quæ cùm ipsis solis quà Apostolis concessa fuerint, frustra in Successoribus quærerentur. QUÆST. XIX.

IV. Secundò, Quia aliis Apostolis nemo successit in ὑπερεχῇ Apostolica personali. Ergo nec Petro. Eadem enim debuit esse omnium ratio. Nec opponi debet privilegium Petri, quoad Monarchiam Ecclesiasticam; Quia hoc est πρῶτον ψεῦδος, quod antea refutatum est.

V. Tertiò, Papa non minus Pauli, quàm Petri autoritate & successione gloriatur, de cujus tamen primatu nemo unquam somniavit. Unde sigillum Pontificium utriusque imaginem exhibet, & olim qui Romam Religionis ergò veniebant, ad *limina Apostolorum* venire dicebantur, uterque quippe Ecclesiæ Romanæ fundator perhibetur, ut habet Irenæ. lib. 3. cap. 3. Et Epipha. hær. 27. Petrum & Paulum Ecclesiæ Romanæ Episcopos vocat. Quò pertinet liber Gallicus Arnaldi, *de Magnitudine Ecclesiæ Romanæ*, ubi Autor probare intendit, *Autoritatem Ecclesiæ Romanæ fundatam esse super Petro & Paulo, qui æquales fuerint*, qui liber malè exceptus fuit Romæ, ut qui ex Monarchia Dyarchiam, si ita loqui liceat, faceret, & uni Corpori Caput biceps assignaret.

VI. Quamvis Petrus Romæ Episcopus fuisset, Romani tamen Episcopi, in Episcopatu tantùm illius Urbis, non autem in Apostolatu, vel Primatu, quæ Petri personæ erant propria, successissent; nihilo magis, quàm Episcopi Antiocheni, qui nihilo minus sunt Petri successores, quàm ipsi. Nec hîc dicendum cum Bellarmino de P. R. lib. 1. cap. 12. *Petro viventi Episcopum Antiochenum successisse, Romanum verò morienti.* Nam 1. Cur jus primogenituræ ad Antiochenum non potius spectat, quàm ad Romanum? 2. nondum inter eos constat de primo Petri successore, Lino, an Clemente. Si Linus dicitur, ut plerique statuunt, viventi Petro non aliter successit Romæ, quam Evodius Antiochiæ. Si verò dicatur Clemens primus & immediatus Petri successor, ut à moriente Petro ad Romanum Pontificem primatum ejus derivent, quid tum Lino fiet & Anacleto, quos ante Clementem Episcopos Romanos fuisse, communis optimorum Authorum consensus testatur? An dicent *Linum & Anacletum fuisse tantùm Chorepiscopos*, iisque non obstantibus, Clementem Petri immediatum in Episcopatu fuisse successorem? Sed absurditas commenti

QUÆST. XIX.

menti patet, ex eo quòd Chorepiscopi, non in Civitatibus, sed in χώραις, id est, agris civitati subjectis, seu regionibus ejusdem diœcesis ab Urbe remotis collocabantur; χωρεπίσκοπος & est ὑπέρτιμος & ὑπερχώρων, seu τῆς χώρας, qui nihil majoris momenti facere potuit, absque Episcopo civitatis, cui & ipse & regio subjiciuntur, ut dicitur Cano. Apost. 39. An dicent, Petrum quidem passione suâ imminente Clementi sedem Episcopalem reliquisse, Clementem tamen non immediatè Petro successisse, sed Linum & Anacletum ante Clementem summos Pontifices fuisse, nimirum Clementem præ modestiâ & humilitate recusasse Episcopatum, dum Linus & Cletus vixerunt, eo quòd Petri in Episcopali officio fuerant adjutores, ut loquitur Bellarminus lib. 2. cap. 5.? Vel ne hujus nominationis exemplum transiret in posteros, ut Genebrar. loquitur lib. 3. Chron. in Lino? Sed hoccine humilitatis est munus impositum subterfugere? An Clementi verendum fuit ne in suspicionem veniret superbiæ, cùm munus Episcopale tunc temporis non fuerit autoritatis, sed ministerii? quare non recusavit vivo Petro, ut Petrus ipse alium designaret? aut si causa aliqua fuit, cur Linum & Cletum sibi præferri vellet, cur Petrus eam non vidit, & Lino potius Episcopatum commisit? Rursus si Linus ante mortem Petri non erat Romæ Episcopus, Clemens autem à Petro morte ipsi imminente ordinatus fuit Episcopus, & successor legitimus ab eo relictus. Ergo Linus & Anacletus nullo jure Episcopatum illum obtinuerunt, sed usurpatores fuerunt. An denique addetur Senatores Ecclesiæ Romanæ Clementem non accepisse, sed Linum elegisse, cognoscentes hujusmodi denominationis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, ut habet Liber Cærem. l. 1. sect. 11.? Sed sic impingitur Petro, vel impietas, vel insipientia, qui illud in tanti momenti causa fecerit, quod mali esset & pernicioſi exempli.

Papam non fuisse Pontificem Oecumenicum probatur. 1. Ex æqualitate Patriarcharum.

VII. Præter hæc argumenta, quibus constat Romanum Episcopum Petro non successisse, alia non pauca suppetunt, quibus evincitur nihil minus fuisse quàm Pontificem Oecumenicum. Primò, Ex *æqualitate Patriarcharum*, quia fuit unus è numero Patriarcharum, qui sibi invicem æquales autoritate fuerunt, licèt alii aliis priores vel posteriores ordine essent. Patet in Concilio Nicæno Can. 6. *Antiqua consuetudo valeat in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, ut in has omnes autoritatem Alexandrinus Episcopus habeat, quandoquidem ipsi Romano Episcopo idem mos est.* Ex quo constat æqualem utrobique autoritatem tam Alexandrino, quàm Romano tribui, quicquid dicant Pontificii, ut ostendetur fusiùs sequenti Quæstione. 2. Ex Concilio Constantinop. in quo, quia Constantinus Imperii sedem Româ abstulerat, & Constantinopolim transtulerat, secundus locus post Romanum datur Episcopo Constantinopolitano, Cano. 3. *Ut Constantinopolitanus Episcopus honoris prærogativas obtineat secundum*

cundùm Romanum Episcopum, quia sit nova Roma. 3. Ex Concilio 4. Oecume. Chalcedonensi Canon. 28. & Trullano Canon. 36. relato à Gratiano dist. 22. quibus sancitum, ut Constantinopolitana Sedes æquis fruatur honoris prærogativis cum Romana, inque negotiis exaltetur sicut illa; sic tamen ut secunda sit post eam. Quæst. XIX.

VIII. 11. Ex *Convocatione Conciliorum*, Quia si Rom. Episcopus fuit Pontifex Oecumenicus, & Ecclesiæ Monarcha, Concilia convocata essent ejus autoritate & mandato, quia Monarcha in suo Imperio nullos patitur conventus fieri absque publica autoritate. At nihil tale dici potest, tam quoad Concilia particularia, quàm quoad Oecumenica. Nam particularia nulla convocata leguntur ab Episcopo Romano, nisi in sua Provincia, & Bellarm. fatetur Diœcesana ab Episcopo, Provincialia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha vel Primate convocari debuisse. Quoad Oecumenica certum nulla convocata fuisse à Romano Pontifice, nisi post Imperii diminutionem, & confirmatam ejus tyrannidem. Constat nullas auditas, vel visas Bullas, sive Epistolas, quales novissimis temporibus magno apparatu præfixæ sunt initio Conciliorum, quibus pateat Episcopi Romani autoritate & mandato convocationem esse factam. Constat contrà Imperatores Synodos convocasse literis suis, & Synodos testari se convocatas autoritate Imperatoris, nunquam autem Pontificis Romani. Imò & Romani Pontifices non semel summis precibus contendisse ab Imperatore Synodi convocationem, & aliquando iis fuisse denegatum, quod ex Hist. Eccles. liquet. Concilium primum Nicænum ab Imperatore Constantino convocatum fuisse, tam notum est, ut probatione non indigeat. Eusebius testis oculatus declarat lib. 3. cap. 6. de Vita Imperat. Socra. lib. 1. cap. 5. & Theodo. l. 1. c. 9. Secundum fuit Constantinopolitanum I. a. C. 383. quod à Theodosio convocatum docet Sozome. lib. 7. cap. 7. & Socra. lib. 5. cap. 8. & ipsi Episcopi scribunt ad Imperatorem, se juxta rescriptum illius convocatos esse. Tertium Ephesinum a. C. 434. quod quoties in Actis se congregatum dicit, toties Imperatoris autoritatem agnoscit, nusquam verò Episcopi Romani. Vide Evagri. lib. 1. cap. 3. 4. Chalcedonense a. 454. per Valentinianum & Marcianum Imperatores, ut evincit dies ipse ac locus dictus ab Imper., etsi deprecaretur Leo Papa Ep. 43. ad Marcianum, & Acta quæ docent Synodum factam ex decreto Piissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani. Quintum est Constantinopolitanum II. an. 532. indictum à Justiniano, ut testatur Evagrius lib. 4. cap. 37. *Justinianus quintum Concilium convocavit*, Niceph. lib. 17. cap. 27. Idem confirmat Synodus libello ad Imperatorem, & literæ ipsæ Justiniani positæ initio Synodi, in quibus non tantùm decernitur convocatio, sed etiam jus suum Imperator fulcit exemplis præcedentibus, ut nossent omnes nihil à se usurpatum. Sextum

2. *Ex Convocatione Conciliorum.*

QUÆST. XIX. est Trullanum, quod Acti. 1. dicitur *congregatum secundùm Imperialem sanctionem.* Idem de Nicæno II. an. 781. à Constantino & Irene Imperatoribus congregato legitur, & de Constantinopolitano IV. quod octavum est œcumenicum, quod à Basilio Imperat. dicitur coactum in proœmio. Ex quibus liquidò patet Jus Convocationis Conciliorum non ad Pontifices Romanos, sed ad Imperatores pertinuisse. Unde meritò Socrates in proœm. lib. 5. hist. Eccles. se Imperatorum propterea mentionem fecisse dicit, *quòd ex illo tempore, quò Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorum sententia & convocata sint & adhuc convocentur.* Et Card. Cusa. lib. 2. de Conc. Cathol. cap. 25. fatetur *omnia octo Concilia universalia convocata esse per Imperatores, & Ro. Pontificem instar aliorum Patriarcharum sacras jussiones de veniendo aut mittendo ad Concilium recepisse.* Unde colligitur quàm vanum sit effugium Bellarmini, *posse hic opponi consuetudinem consuetudini, si quatuor aut quinque Concilia Imperatores indixerint, plura quàm duodecim Romanos indixisse.* Quia consuetudo antiquissima, qualem obtendimus, usque ad octavum & ulterius seculum, longè præferenda est consuetudini novissimorum seculorum, in quibus omnia in pejus ruere cœperunt ambitione Roman. Episcoporum. Adde quòd quæ Concilia à Pontificibus dicuntur convocata, non tam fuerunt Oecumenica, quàm Nationalia ex Latinis tantùm composita, excepto Florentino, cui pauci Græci interfuerunt.

3. *Ex appellationum ad Episc. Rom. interdictione*

IX. 111. Ex *interdictione appellationum ad Episcopum Rom.* Nam si agnitus fuit semper Oecumenicus Pontifex & Monarcha Ecclesiæ, licuit appellare ad ipsum tanquam ad supremum Judicem, à quo non dabatur provocatio, quod fieri non debuisse ex variis colligitur. 1. Ex autoritate eorum Conciliorum, quæ causas Ecclesiasticas intra suam Provinciam judicari & terminari voluerunt. Canon. 5. Nicæ. *Ille habendus dicitur pro excommunicato, qui damnatus fuerit in Concilio Provinciali,* quod dici non potuisset, si jus ipsi fuisset aliò appellandi. Quod confirmatur Canon. 6. & 15. Concilii Antiocheni, & in Novella 123. Justiniani. 2. Quia appellationes ad Episcopum Romanum sæpe damnantur. Cypria. Epist. 55. ad Cornelium Rom. de Fortunato & Felicissimo, qui in Africa damnati Romam confugerant, acriter illum ob tale factum reprehendit, quia uniuscujusque causa illic sit audienda, ubi crimen admissum; deinde quia singulis Pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regant, actus sui rationem Deo reddituri, ut non magis possit Romanus judicium retractare Carthaginensis, quàm hic illius. Denique quia non sit minor autoritas Africanorum, quàm illorum ad quos illi profugissent. 3. Idem testantur Orientales Episcopi, qui apud Socratem lib. 2. cap. 11. Julio, qui ad eos scripserat, de Athanasii restitutione, respondent, *Si qui eorum*

ut-

Quæst. XIX.

bitrio Ecclesiâ forte ejecti essent, rem ab eo non debere decerni; nam ando illis Novatum Ecclesiâ exturbaret, ipsos minimè contradixisse. Li- verò non excusandi essent in Athanasii condemnatione; credibile non , si licuisset appellare Romam, tam apertè ausos fuisse isti juri contra- ere, vel accusare Julium, quòd contra Canones Ecclesiæ fecisset, ut at Sozom. lib. 3. cap. 7. & Julium in re adeò certa & justa de Jure isto llationum nihil reposuisse. 4. Damasus Episcopus Rom. scribens ophilo & Anisio epist. 79. inter epistо. Ambrosii, agnoscit se non judicare de Bonoso post Synodi particularis decretum, quæ alios es commiserat. 5. Concilium Milevita. cap. 22. transmarinas omnes llationes damnat, *Ad transmarina qui putaverint appellandum, à intra Africam in communionem suscipiantur.* Roma autem erat transmarina. Nec dici debet eidem Canoni additum esse, *nisi fortè postolicam sedem appelletur*, ut habetur apud Grati. caus. 2. q. 6. quia fatetur præcipuè propter Romam statutum fuisse, ut non liceret ap- e ultra mare. Nec etiam, ut vult Bellarmin. agitur tantùm de ap- onibus Presbyterorum, & minorum Clericorum, non verò Epis- um, quæ permissæ fuerint. Quia etiam appellationes Presbytero- omani probant & admittunt, ut visum in Causa Apiarii Africani teri, quem Romanus Pontifex in Africa damnatum voluit restitui. e Canon ex Latinis Codicibus descriptus à Bellarmino truncatus ræcè enim ita habet, *non appellant nisi ad Africana Concilia, vel ad es Provinciarum suarum, ὡς καὶ ἐπὶ ὑπατικῶν πολλάκις ὥρισαι, n de Episcopis sæpe sancitum est.*

4. *Ex appellationibus ab Episcopo Romano.*

v. *Ex appellationibus ab Episcopo Romano*; Nam si appellari potuit copi Romani judicio, eo ipso non agnitus fuit Pontifex Oecume- minoribus enim ad superiores licet appellare, sed à supremo ne- n. Patiuntur Reges ad se non appellari, sed à se nunquam. Hoc tigisse in causa Donati à Cæsis nigris constat, qui appellavit à Mel- piscopo Romano, & fuit secundò judicatus ab Episcopo Arela- nde rursus provocans, judicatus fuit ab Imperatore, vide Aug. st. qui fusè totam istam historiam exequitur. Eò pertinet quod Episcopi ipsi, cùm sibi obsisteretur, judicium detulerunt ad Sy- Quod non fecissent si se supremos Judices agnovissent, ut visum , qui cùm sibi obsisteret Constantius Imperator in Athanasii quam jactavit Oecumenicam autoritatem, sed Concilium indici apud Theodo. lib. 2. cap. 16. Innocentius in Causa Chrysost. m. lib. 8. c. 26. dicit solam Synodum potuisse providere. Leo natolii scribit ad Theodosium Augustum ep. 33. ut Concilium quod de eo judicet.

5. *Ex dissensu ab Episcopo Rom.*

Ex dissensu variorum ab Episcopo Romano. Quia si habitus fuis- set

QUÆST. XIX.

set pro Oecumenico Pontifice, nemo ab ipso dissentire ausus fuisset; quod factum tamen ab Ecclesiis Asiaticis, quæ in Paschatis controversia liberè à Victore dissenserunt; quæ ideo ab ipso excommunicatæ. Sed hoc parum placuit Episcopis, qui non modò ab eo dissentire sibi licere putarunt; sed & acriter ausi sunt reprehendere, quod fecit Irenæus Lugdunensis, quod si quis faceret, hodie impunè non ferret. Euseb. lib. 5. cap. 24. Idem patet exemplo Cypriani, qui contra Stephanum Episcopum Romanum scribit de Anabaptismo, ubi Stephani epistolam ea de re refutat stylo acri & objurgatorio, de quo agit Augusti. contra Donat. lib. 5. cap. 25. ubi notat Cyprianum egisse cum Stephano ut cum fratre, non cum principe aut domino œcumenico, & putasse nihil à se absurdi committi, si non tantùm ab eo dissentiret, sed & illum increparet.

6. Ex subjectione Episcoporum R. Imperatoribus.

XII. VI. Idem ostendi posset ex *Episcoporum Rom. subjectione Imperatoribus*, qui sæpe eos deposuerunt, ut Constantius Liberium misit in exilium, Justinianus Silverium, Theodoricus Rex Joannem conjecit in carcerem, Otho I. Joannem XII. deposuit, Henricus III. Gregorium VI. Pontifices Romani eos agnoscebant pro Dominis suis, Gregor. I. lib. 3. epist. 61. *Imperatorem serenissimum Dominum suum appellat, se verò indignum ejus servum, qui ei debeat obedientiam.* Ut & lib. 4. epist. 31. & 34. Nec putandum Gregorium fictâ humilitate ea dicere, quomodo Pontifex se vocat servum servorum, dum revera se gerit ut Dominum Dominorum. Verba enim ipsa contrarium testantur, & hoc ipsum colligitur ex lib. 2. Epist. 61. in qua se servum Imperatoris appellat jure Reip. & paulò post, Deum sic introducit loquentem ad Imperatorem, *Sacerdotes meos tuæ manui commisi.* Ibidemque Gregorius fatetur se subjectum esse ejus jussionibus. Iidem delegabant Pontifices pro imperio in causis Ecclesiasticis, ut factum à Constantino respectu Melchiadis Rom. Pontif. in causa Cæciliani contra Donatum à Casis nigris. Quum Concilia convocabant Oecumenica, ipsum Episcopum Romanum solebant convocare, æquè ac alios Episcopos, & quidem ex autoritate, non tantùm precibus. Patet ex verbis Theodosii & Valentiniani ad Cyrillum de Convocatione Synodi Ephesinæ. Ideo Leo epist. 13. ad Pulcheriam Augustam humiliter se purgat, quòd juxta Imperatoris literas non posset interesse Synodo. Sic quum Episcopi Romani agebant de rebus Ecclesiasticis, humiliter supplicabant. Vide Epist. 24. Leon. ad Theod. Aug. & epist. 26. ad Pulcher. Aug. Denique Imperatores autoritate suâ confirmabant vel infirmabant electum Romanum Episcopum, patet ex Platina in Pelag. 11. *Nihil à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbasset*; Idem confirmatur à Sabellico Enne. 8. l. 5. Nunc verò longè aliter, Pontifex irritam pertendit Imperatoris electionem, quam ipse non confirmarit.

XIII.

XIII. VII. Ex *paritate titulorum*, quibus se insigniunt Episcopi cæteri eum Episcopo Romano. Non tantùm Episcopus Romanus ipse cæteros vocat *Collegas*, *Fratres*, *Coepiscopos*, sic enim solent aliquando seipsos demittere, qui aliis præsunt, ut quum Imperatores suos milites, commilitones appellant; sed & reliqui Episcopi, ita ab initio Romanum salutabant, in æqualitatis signum. Cyprianus ad Cornelium Episcopum Romanum, Lucium, Stephanum, *Cyprianus Cornelio fratri salutem*, & passim in epist. 41. 48. 58. 67. nec unquam magnificis illis titulis usus legitur, qui postea invaluerunt. An verò Pontifex hodie ferre posset Episcopos, vel Cardinales eum sic compellantes? Dicere hîc cum Pamelio *Usos fuisse veteres Episcopos eo dicendi genere, quod esset magis lenitatis & benevolentiæ, quam prophanæ dominationis*, est fateri superba & ambitiosa nomina beatissimi & sanctissimi Patris & Domini, quæ postea invecta sunt, & hodie usurpantur, esse profanæ dominationis, non lenitatis & benevolentiæ, & Antichristi, non Christi, & servorum ejus ingenium redolere.

Quæst. XIX. 7. *Ex paritate titulorum, quibus Episcopi insignantur.*

XIV. Denique Papam Petri successorem non esse, nec de *jure*, nec de *facto* ex variis liquere potest. Primò de *Jure*, Si talis successor à Christo datus esset, Christus de eo Apostolos monuisset, ut in Veteri Testamento tam diserta mentio fit Pontificis Judaïci; quod factum tamen non fuisse supra probatum. 2. Si Petro quærendus fuit dignus successor, Johanni Apostolo procul dubio, qui triginta ferè annis Petro superstes fuit, hoc multo potiori jure debebatur. 3. Non potest successionem Petri jure sibi arrogare, qui Petri munera, qualia sunt pascere oves Christi, & verbo docere, aliaque id genus, non præstat. Nec dici potest, vel eum *justis impedimentis detineri*; nam nulla possunt esse, quæ ab exercitio muneris avocare debeant. Vel *Papam per alios præstare*; Nam Petrus & alii Apostoli hoc ipsi agebant posthabitis aliis negotiis. Nec mandatarius munus suum in alium transferre potest. Nec Vicarius Christi dici potest, qui vices Christi in prædicando Euangelio sibi commissas, vel negat, vel iis non satisfacit.

XV. Secundò de *Facto*. 1. Nihil certius est, quàm Episcopos Romanos olim delectos fuisse suffragiis plebis & Cleri Romani; quis verò hanc plebi Romanæ potestatem & hoc jus dedit, ut Ecclesiæ universali de Capite prospiceret? 2. Non constat inter Pontificios de veritate successionis, cùm alii Petro subjungant Linum, deinde Clementem, alii contrà Clementem præponant, alii à Lino proximum faciant Cletum, alii iterum pro Cleto Anacletum substituant, alii vivo & vidente Petro Linum sedisse affirmant, quæ varietas facilè arguit, subtilitæ fidei esse, quicquid de hâc re traditur. Rursus acriter inter se digladiantur, cujus illud fuerit an Sedis, an Sedentis? an annexus sit sedi Romanæ Pontificatus Oecumenicus, ut inde transeat ad Episcopum, an contrà potius

QUÆST. XIX. Episcopus in locum Petri, & ab eo Sedes illa super omnes prærogativam accipiat? Tum an successio illa sit juris divini, an Ecclesiastici? aliis jure divino privilegium hoc Episcopo Romano proprium factum esse pertendentibus, aliis tantùm Ecclesiastico, ut suprà Bellarminus observavit, quo modo nihil obstaret successionem à Romano Episcopo ad alios derivari. Denique ex ante allatis argumentis certum est per multa secula nullum apparere vestigium istius Pontificatus Oecumenici.

Fontes Solutionum. XVI. *Successio* est necessaria in Ecclesia, sed *doctrinæ*, & *muneris communis* & pastoralis, Sed non *loci*, vel *personarum*, & *muneris Apostolici* extraordinarii. Pastores primo modo succedunt Apostolis, sed nemo potuit succedere posteriori. Nec si Episcopus aut Pontifex est propter Ecclesiam, sequitur eandem regiminis formam semper manere, idemque munus cum eadem autoritate ab uno ad alium transmitti. Unitas Ecclesiæ non pendet ab externâ formâ politiæ, Una enim fuit à principio, sed non uno modo gubernata. Nimirum distinguenda initia à progressu, sunt qui perpetuò comitari debent Ecclesiam, ut Pastores & Doctores, sed alii, qui fundandæ destinabantur, quales erant Apostoli & Euangelistæ, ad tempus tantùm manere debuerunt.

XVII. Successio Veteris Testamenti non potest huc pertinere, quia clarè traditur in Scriptura, cautum est hoc lege divina, ut Aaroni succederetur. Sed de Petri successore in Novo Testamento nihil habetur. Apostolis quidem succedi debuit, & revera successum est in docendo ratione ministerii, & oportet dari in eo Pastorum perpetuam successionem. Sed non alligatur hæc successio ad unam sedem, aut ad certam aliquam personam. Deinde discrimen fuit maximum inter Sacerdotium Vet. Test. & Ministerium Novi, & in hoc maximè, quòd S. Sacerdos fuit figura Christi, non Petri vel Papæ. Illi succedi debuit, quia mortalis fuit; Sed non isti, qui est æternus.

XVIII. Primatus, qui aliquando tibuitur Rom. Ecclesiæ, non fundatur in successione Petri. Sed datur ratione Civitatis, quia illius Urbis Episcopus erat, quæ orbis habuit Imperium, ut disertè dicitur à Concilio Chalcedonensi; *διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην.* Eademque ratione Constantinopolitano Episcopo secundus inter Patriarchas locus assignatus est, non quòd Andreæ Apostoli successor erat, sed quòd Constantinopolis erat Roma nova, hoc est, quod illuc tanslata esset Imperii sedes. *Ftenim*, ut loquuntur Patres illius Concilii, *Sedi senioris Romæ prærogativam honoris, ut rationi consentaneum erat, quoniam illa Urbs Regina Orbis erat, Patres dederunt, & ad eundem scopum collimantes*, 150. *Deo charissimi Episcopi, parem honoris prærogativam sanctissimo novæ Romæ throno tribuerunt.*

XIX. *Jus appellationum ad sedem Romanam*, non potest probari ex Ca-

Canone, qui obtruditur pro Canone Concilii Nicæni, Nimirum, *Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quotics necesse fuerit, libere Apostolicam sedem appellent, atque ad eam quasi ad matrem confugiant*, &c. Quia talem Canonem suppositiitium esse & adulterinum probatur. 1. quia Nicænæ Synodi editi sunt tantùm 20. Canones, non plures, inter quos hic de appellationibus non habetur. Theodor. lib. 1. cap. 8. loquens de Patribus Concilii, *de administratione Ecclesiastica leges viginti conscripsere.* Confirmat hoc Nicepho. lib. 8. cap. 19. Et Stephanus Papa apud Gratia. disti. 16. *Viginti tantùm Capitula Nicæna Synodi in sanctâ Romanâ Ecclesiâ habentur.* Concilium Carthagin. sextum recenset tantùm 20. Canones. 2. quia si non esset suppositiitius, non coactus fuisset Episcopus Romanus Zozimus alios citare Canones è Synodo Sardicensi, sub nomine Nicenæ, unde falsi convictus est & explosus. Absurdè verò & gratis fingit Bellar. lib. 2. cap. 25. ad eluendam hanc culpam, Canonem Sardicensem relatum esse pro Nicæno, quia duo ista Concilia pro uno eodemque habeantur. 3. quia pugnat hic Canon cum 5. & 6. Nicæn. qui agnoscuntur pro genuinis. Nam quintus appellationes permittit ab Episcopo, non ad Episcopum, sed ad Concilium, quod eam ob causam jubet bis quotannis celebrari. Sextus jurisdictionem Ecclesiasticam partitur inter Patriarchas Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, & hos posteriores exæquat Romano. 11. Non melius evincitur ex *Canone Concilii Chalcedonensis*, qui proponitur à Pontificiis, quò Episcopo datur libertas appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, qui vocatur *Vicarius Apostolici throni.* Quia falsitatis suæ varia habet argumenta. Quis enim credat Patres illos, qui Constantinopolitanum Romano æquarunt, etiam invitis legatis Leonis, & tantùm ordine esse secundum volucrunt; Cæterùm in negotiis Ecclesiasticis æquè μεγαλωίως, tales appellationes sancire voluisse? Imò Cano. 9. contrarium statuitur, *Si cum ipsius Provincia Metropolitano, Episcopus vel Clericus, controversiam habeat, Diœcesis Exarchum adeat, vel Imperatoriæ Urbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget.* 111. Non ex *Sardicensi Concilio*, quod particulare fuit, non œcumenicum, cujusque ideo autoritas non potest opponi Concilio Nicæno contrarium definiente, quid quod isti Canones antiquati sunt in Concilio Chalcedonensi, quum æquatus est Romano Constantinopolitanus. QUÆST. XIX.

XX. Appellationes, si quæ factæ sunt, vel factæ sunt à Viris improbis & maleferiatis Ecclesias inter se committere tentantibus, & satagentibus absolvi à quibusdam censuris, quas apud alios incurrerant, nec tam quærentibus judicii legitimam innovationem, quàm pœnitentiæ & communionis testimonium, ut postquam suam pœnitentiam acceptam reddidissent huic vel illo Episcopo, ab eo in communionem reciperentur, indeque

QUÆST. XIX. que ad alios literas transferrent; atque ita fautores aliquos sibi sperarent inveniendos, vel saltem confiderent se posse iis imponere, quibus non essent probè cogniti, ut factum à *Marcione*, *Fortunato*, *Basilide*, & aliis. Si verò factæ sunt à Viris piis, non tam fuerunt appellationes, ut ad Judicem supremum, qui pro autoritate cæteris imperaret, quàm ut ad Arbitrum honorarium, qui consilio & auxilio poterat ipsis præ cæteris subvenire, non ob aliquam jurisdicendi autoritatem; sed ad amicam communionis ejusdem societatem, quum Episcopi Romani eos ut ejusdem fidei confessores, in communionem suam admitterent, indeque eorum partes tuendas susciperent. Ut factum est ab Athanasio, Chrysostomo, & Flaviano.

XXI. Quæcunque afferuntur ex Conciliis ad Primatum Papæ stabiliendum, Vel fictitia sunt, & detorta, Vel τάξιν tantùm respiciunt, Vel dicuntur ob Sedis eminentiam, ut habet Concilium Chalcedonense, Vel ob Pontificum priorum pietatem & patientiam, idque illis non jure, sed arbitrariò delatum. Certum enim primatum authoritativum per Bonifacium à Phoca Imperatricidâ primùm malis artibus fuisse impetratum. Antea enim parvus respectus ad Romanam Ecclesiam habebatur, fatente Æneа Sylvio, postea Pio II. lib. 1. epist. 288. Nec si Concilia quædam convocarunt, vel confirmârunt, illisque præsederunt, vel per se, vel per legatos, Ideo legitimâ autoritate erant instructi. Quæstio enim est de Jure, non de facto, nec factum hoc placuit cæteris Ecclesiis, sed cesserunt publicæ pacis causâ ambitioni & tyrannidi Romanæ, quia tutò non potuissent resistere. Rursus Concilia possunt bifariam *confirmari*, vel *edicto*, vel *assensu*; Edicto cùm lege facta jubebantur Ecclesiæ Conciliorum acta suscipere & conservare, etiam latâ pœnâ in rebelles. Assensu quum quis testabatur se assentiri definitis, suumque suffragium addere. Priori modo non possunt dici confirmasse Concilia Papæ, nec ulla possunt proferri Pontificum Edicta, quibus acta ulla Conciliorum confirmârint, ut postea factum, quum invaluit eorum tyrannis; hoc enim fuit Imperatorum. Sed potuerunt confirmare assensu suo, quod nullam significat potestatem ejus qui consentit in eos qui decreverunt: Sic enim confirmabant Concilia suo assensu omnes Episcopi. Dissensus etiam fuit omnibus Episcopis communis; Illud tamen in Patriarchis eximium, quod eorum sententiam plerumque sequebantur Episcopi, quibus præerant; maximum erat eorum in confirmando & infirmando pondus. Verùm & hoc notandum, dissensum Romani Episcopi non obstitisse, quominus rata forent decreta, ut visum in decreto Concilii Chalcedonensis, quô Constantinopolitanus præferebatur Alexandrino, quod non fuit antiquatum, sed confirmatum in Trullano, licèt Leo dissensum suum testatus esset.

XXII. Pontificii ad Primatum suum adstruendum nihil habent præ-

si-

sidii, Vel in *Concilio Constantinopolitano primo*, quod in epistola ad Damasum Episcopum Romanum dicat se convenisse ex mandato Epistolarum Pontificis per Imperatorem ad se missarum, quodque agnoscat Ecclesiam Romanam esse Caput aliarum. Nam nulla fit mentio mandati in illa Epistola, ut legitur apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. sed tantùm literarum Damasi, quas ille ad Theodosium scripsit, ad convocandum Concilium. Nec dicitur ibi Romana Ecclesia Caput cæterarum, imò contrà Jerosolymitana vocatur μητὴρ πασῶν, sed se ολικὰς μέλη esse agnoscunt Episcopi, non Ecclesiæ Romanæ, sed totius Ecclesiæ, vel Concilii. Vel in *Ephesino primo*, in quo Nestorius damnatus dicatur ex Cœlestini mandato. Quia mentio quidem fit literarum Cœlestini ad Concilium, quibus assensum suum præberet; sed non mandati; Imò quum vocant Cœlestinum συλλειτουργὸν satis docent Patres se non agnoscere illum Caput & Dominum. Vel ex *Concilio Chalcedonensi*, quod passim vocat Leonem Universalis Ecclesiæ Episcopum. Quia aliud est esse *Episcopum universalis Ecclesiæ*, quod omnibus Episcopis competit, quibus cura incumbit universæ Ecclesiæ, ut de se loquitur Chrysost. Aliud esse *Episcopum Universalem Ecclesiæ*, prius dicitur de Leone, non posterius. Deinde notum est nomen *Catholici* tribui ob Orthodoxiam ad distinctionem Schismaticorum & Hæreticorum, qui in Cœtibus particularibus erant. Denique nomen Oecumenici non modò Romano, sed & Constantinopolitano Patriarchæ, & omnibus aliis tributum non semel legitur. Vel ex *Constantinopolitano V.* in causa Anthimi congregato, quod vocat Ecclesiam Romanam Apostolicam, seque eam sequi dicit, eique obedire. Quia bene monenti etiam obedimus, licèt summa non sit ejus in nos autoritas; Adde quòd constat ex historia Pontificum non habitum fuisse pro summo Judice, quia cùm Agapetus Anthimum deposuisset, & hic quereretur, Imperator Concilium congregavit. Denique is olim usus erat, ut Apostolicæ dicerentur Ecclesiæ illæ omnes, quas viva voce Apostolus aliquis fundavit, ut Hierosolymitana, Antiochena, Romana. Et quia in Ecclesiis Latinis præter Romanam nulla talis erat; Ideo per antonomasiam dicebatur *Sedes Apostolica*. Quod affertur à Bellarmino ex tribus Conciliis Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino, non majoris est penderis, quia constat esse recentissima, & habita post confirmatam Rom. tyrannidem. Quæst. XIX.

XXIII. Nomina varia, quæ tribuuntur Episcopo Romano, non possunt ejus Oecumenicum Pontificatum evincere. 1. Quia vel sunt *communia* aliis, non ipsi *propria*, Ut nomen *Papæ*, quod multis seculis fuit promiscuum omnibus Episcopis, deinde datum fuit Patriarchis, postremò per innovationem degenerem omnibus ablatum est, & reservatum abusivè soli Romano, ut notat Onuphrius addit. Ad Platinam in vita Bonifa. III. Nomen *Patris Patrum*, quod tributum etiam legitur in

QUÆST. XIX.

Synodo 5. Oecumenica Joanni Constantinopolitano, nec aliud est quàm circumlocutio Archiepiscopi & Patriarchæ, qui præest Episcopis, qui vocantur Patres. Sic Sidonius Apollinaris lib. 6. epist. 1. vocat Lupum Episcopum Tricassinum. Nomen *Summi Pontificis*, seu ἀρχιερέως, quod primò commune fuit Episcopis, qui inferiores habent Presbyteros seu ἱερεῖς, sed sensim pereunte prima Ecclesiæ simplicitate abiit in abusum, & Patriarchis tributum, & tandem soli Romano assignatum est; quo abusu proculdubio abrepti *Anselmus & Bernardus*, qui post seculum decimum vixerunt, hoc nomen illi dederunt. Nomen *Principis Sacerdotum*, quod trifariam potest usurpari, Vel pro *Episcopatu*, quia Episcopus est ἀρχιερεύς, Vel pro *ordine dignitatis*, ut Latini principem dicunt pro primo, Vel pro *autoritate & potestate* in reliquos Episcopos; Prior sensus communis est omnibus Episcopis, qui singuli sunt in Ecclesiis suis principes; hinc Nazian. in orat. de laud. Hero. vocat Athanasium ἀρχιερέα τῶν ἱερέων, *Principem Sacerdotum*, qui tamen nunquam fuit Oecumenicus. Secundus communis quidem Romano, sed non singulariter; Nam Concilia jubent illi æquari in Ecclesiasticis Constantinopolitanum. Tertius nunquam usurpatus, nisi post invectam tyrannidem. Vel *abusiva* sunt & sequioribus seculis tantùm recepta, ex adulatione, non ex rei veritate, qualia sunt nomina *Vicarii Christi*, *Capitis Ecclesiæ*, *Patris & Doctoris omnium Christianorum*, *Sponsi Ecclesiæ*, *Episcopi Universalis*, *Domini nostri sanctissimi*, *& Beatissimi Papæ*, & alia id genus, quæ superbiam ejus intolerandam, & fastum tyrannicum & sacrilegum arguunt.

QUÆSTIO XX.

An Primatus, qui obtinet in Ecclesiâ Romanâ, ab initio sit constitutus? An verò paulatim & per gradus in decursu seculorum invectus sit? Prius Negamus. Poster. Affirm.

I. CUm ex antecedentibus constet, Nec Christum Regimen ullum Monarchicum in Ecclesia instituisse, sed solùm Ministerium; Nec Petrum illud unquam usurpasse. Quæritur Quando, & Quomodo talis Primatus in Ecclesiam invectus sit, & quibus gradibus in hanc altitudinem, quæ nunc cernitur, se extulerit?

II. Atque

II. Atque hîc ante omnia observandum, summam illam Rom. Hierarchiæ potestatem, seu potius tyrannidem & Papæ primatum, non simul & semel, sed gradatim & successivè esse constitutum per complurium annorum, imò & seculorum decursum, Satanâ sensim & sine sensu Mysterium hoc iniquitatis operante. Licèt autem difficile sit temporis momenta præcisè assignare, quibus Primatus iste, vel fundatus sit, vel confirmatus; possumus tamen juxta varia ejus incrementa eum in quatuor gradus distribuere. 1. In ἀρχὴν seu *initium*. 2. αὔξησιν seu *incrementum*. 3. ἀκμὴν seu *florem & statam ætatem*. 4. παρακμὴν seu *inclinationem & decrementum*. *Initium* seu nativitas refertur ad seculum quartum, seu tempus Concilii Nicæni, quò in regimine dominationem affectare cœpit. *Incrementum* à seculo quarto ad sexti finem, & septimi initium, quô Episcopi Oecumenici titulum primò sibi arrogavit, & dominationem in spiritualibus indultu Phocæ adeptus est, & multifariam in doctrina & ritibus à pristinâ simplicitate degeneravit, & à seculo sexto ad decimum, à Bonifacio III. usque ad Benedictum IX. & Gregorium VII. qui Monarchiam utramque temporalem & spiritualem usurpavit. Ἀκμὴ à seculo decimo usque ad decimi sexti initium, quo intervallo dominationem utramque flagitiosè exercuit, profligatâ doctrinâ puriori à Gregorio VII. seu anno Christi 1073. ad Leonem X. seu annum 1517. quô in παρακμὴν incidit, & decrescere cœpit, & vires paulatim amittere per Reformationem, donec conficiatur Spiritu oris Christi, & destruatur in illustri ejus adventu. Quæst. XX. *Variigradus Papatus.*

III. Licèt autem non dubium sit, quin tempore Apostolorum Mysterii hujus iniquitatis fundamenta jaci cœpta sint, diaboli artibus telam hanc suam clam & subdolè ordiente, tum per contentiones varias inter ipsos Apostolos de Primatu ortas, & dissidia in Ecclesiis nata, quibus Christiani in partes divisi, utebantur nominibus Apostolorum, ut factionis partes inter se alerent, quasi ipsi familiam post se ducere gestirent, non verò solius Christi Domini gloriam quærere, de quibus Paulus loquitur 1. Cor. 1. 12. & 3. 4. Quum *hic* dicit, *Ego sum Pauli, Alter, Ego sum Cephæ*, &c. *Nonne estis carnales?* tum per Diotrephis ambitionem, qui dicitur Johanni 3. ep. ℣. 9. φιλοπρωτεύειν *primatum ambire*, seu affectare. Certum tamen primis illis seculis Primatum istum, de quo loquimur, nec notum vel de nomine fuisse, & in Ecclesiis locum nullum habuisse, quæ per Episcopos seu Pastores ab Apostolis & Apostolicis viris constitutos ita piè regebantur, ut nulla Ecclesia in aliam imperium aut dominium usurparet, sed quisque pastor gregis sui curam gereret. Ecclesia quidem Jerosolymitana ante excidium urbis primum inter Christianas locum obtinuit, propter sedem Christi & Apostolorum in eâ, & quia ex eâ Euangelium debuit in totum orbem exire Isa. 2. 2. sed post obitum Apostolorum, & Urbis excidium, dignitas Urbium dedit præeminen- 1. Cor. 1. 12. & 3. 4. 3. Joh. 9.

QUÆST. XX.

tiam Ecclesiis, & Ordo politicus, qui ibi obtinebat, originem dedit ordini & autoritati Ecclesiasticæ. Hinc Jerosolyma non amplius primum gradum obtinuit, ut mater omnium Ecclesiarum. Sed quia Romani Cæsaream Judeæ Metropolim constituerant, Episcopus Cæsareensis Judææ Metropolitanus evasit. Et ut tunc dabantur in Imperio Romano tres præcipuæ Civitates, à quibus aliæ pendebant quoad jurisdictionem temporalem, Antiochia nimirum, Alexandria, & Roma, Episcopi trium istarum Ecclesiarum, autoritatem obtinuerunt in alias ditioni suæ subjectas; Sed ita ut nulla dum potestatis œcumenicæ ratio deprehenderetur.

IV. Non negandum quidem, ut optima & saluberrima quæque hominum instituta, successu temporis degenerare solent, Id hîc etiam contigisse, & honorem collatum Episcopis illarum Urbium, subinde animos eorum ita mutasse, ut plusculum sibi arrogare & se extollere supra alios inciperent. Quod Romæ in primis, Urbe Imperatoriâ, & Orbis Dominâ evenisse constat. Unde Socrates hist. lib. 7. cap. 11. Episcopos Romanos paulatim ita degenerasse dicit, ut πέρα τ ἱερωσύνης ἦλθ δυναστείαν, *Ultra Sacerdotii limites ad dominatum progressi sint.* Et Basilius epist. 10. non obscurè τὴν δυτικὴν ὀφρὺν occidentalem illum fastum pulsat, ut fatetur Baronius ad a. 372. s. 32. *Odi fastum illius Ecclesiæ.* Cujus ambitionis Victor & Stephanus exempla suppeditant. Ille dum Polycratem & Ecclesias Asiaticas ob levem circa tempus Paschatis celebrandi dissensum temerè condemnat, & excommunicat anno Ch. 195. Iste verò, dum Basilidem Episcopum Asturiensem, & Martialem Mirdensem, Hispanum utrumque immorigerum in fidem recipiens, Ecclesias Hispanicas arguit, & jus appellationis ad Ecclesiam Romanam ambit anno 250. multùm reclamante licèt Cypriano epist. 18. Qualescunque verò Romanorum Episcoporum fuerint conatus pro obtinendo in reliquas Ecclesias primatu; Certum tamen nihil adhuc juris & potestatis supra cæteras habuisse, quod dissimulare non potuit Æneas Sylvius, postea Pius II. epist 301. ad Martin. & Major. quum ait, *ante Concilium Nicænum sibi quemque vixisse, & ad Romanam Ecclesiam parvum habitum fuisse respectum.* Scio Pontificios Primatum suum exinde fulcire Canone 6. Concilii Nicæni, quò pertendunt primum inter Patriarchas locum tribui Episcopo Ro. Sed nihil tale colligi posse, ex ipso Canone liquebit.

V. Verba Canonis sunt. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει: ὥστε τ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ, καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθης ἐστιν, ὁμοίως δὲ κ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν τ ἄλλαις Ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι τ Ἐκκλησίαις. *Antiqua consuetudines retineantur, quæ in Ægypto, Lybia & Pentapoli observantur: nempe ut Alexandriæ Episcopus horum omnium potestatem habeat, quandoquidem & ipsi Romæ Episcopo parilis mos est, similiter*

liter & de Antiochia statuendum, & in aliis Præfecturis prærogativæ Ecclesiarum servandæ sunt. Canon hic factus est occasione Meletii Episcopi Lycopolis in Thebaide Ægypti, qui se subducere volebat Episcopo Alexandrino, ut Ordines sine ejus consensu conferret. Eo verò confirmatur consuetudo ante recepta in Ecclesiis, ut dignitas Episcoporum sequeretur dignitatem Urbis, cujus erant Episcopi; & ita essent Episcopi Diœcesani, curam habentes Civitatis ipsius, & regionis Civitati illi peculiariter subjectæ. Unde postquam plures Provinciæ in eadem præfecturâ ad fidem erant conversæ, Civilis πολιτείας rationem in plerisque locis sibi eousque imitandam censebant Ecclesiæ, ut quæ Provinciæ in eadem præfecturâ continerentur, Episcopo Civitatis, quæ sedes erat Præfecti Prætorio, quodammodo subjicerentur. Hinc factum, ut quæ Provinciæ parebant Præfecto Augustali, qui sedem habuit Alexandriæ, Episcopo Alexandrino subjicerentur, quæ autem Episcopo Orientis, Antiochiæ sedem habenti, Episcopo Antiocheno, & quæ Præfecto Prætorii Urbis Romæ, Episcopo Romano. Censent ergo Patres Nicæni antiquas istas consuetudines retinendas esse, atque adeò Meletium subjici debere Episcopo Alexandrino.

QUÆST. XX.

VI. Exinde verò patet, Primò nullam prærogativam tributam fuisse Episcopo Romano supra cæteros Patriarchas, ut potestas ista Patriarchalis esset tantùm in Provincias Urbis præfecturæ subjectas, quæ ad centesimum ab Urbe lapidem extendebantur, puta ad *Ecclesias suburbicarias*, ut Ruffinus exponit; quæ erant, non Ecclesiæ totius Imperii Romani, ut fingit Perronius, quia non possent distingui ab Ecclesiis Ægypti, nec nisi absurdissimè dicerentur suburbicariæ, sed illæ tantùm, quæ erant sub ditione Præfecti Prætorio, cui ut observatur in Commen. Notitiæ Imper. cap. 4. *Augustus omnem Imperii potestatem concesserat, non tantùm in Urbe, sed & extra, intra centesimum ab Urbe lapidem.* Hinc in Codi. Theod. leg. 12. *Thuscia & Picenum vocantur suburbicariæ regiones*, & in lib. Notit. Imper. mentio earum sæpe fit sub nomine *suburbanarum Provinciarum*; quia suburbia Romæ pertingebant; Ut Perronius causam non habuerit Ruffinum adeò graviter arguendi, quòd Canonem Nicænum paraphrasticè exponendo meminerit Ecclesiarum suburbicariarum: cùm in vetusto exemplari Bibliothecæ Vaticanæ in Canone prædicto vox ista reperiatur, ut observavit Sirmondus. Secundò hanc prærogativam qualiscunque sit non dici fundari in jure divino, sed in mera consuetudine. At si jure divino nititur, ut hodie Romanenses pertendunt, Cur Patres Nicæni consuetudinis tantùm meminerunt, non verò Juris divini? Cur sedes Alexandrina & Antiochena cum Romana coæquantur, ut unius supra aliam nihil esset juris, siquidem à Christo huic sedi Episcopatus Oecumenicus tributus est? Hæc luce meridianâ clarius docent longè aliam fuisse

QUÆST. XX. mentem Concilii Nicæni, nec ullum Primatum Romano Episcopo supra Alexandrinum & Antiochenum agnitum fuisse. Quò respiciens Cusan. de Concord. Catho. lib. 8. cap. 12. *Videmus*, inquit, *quantum Pontifex Romanus ultra antiquas observationes ex usu & consuetudine subjectionalis obedientiæ acquisivit.*

VII. Frustra Pontificii, ut Canonem istum suum faciant, & in causæ suæ præsidium trahant, Canonem corrumpere conantur. 1. In *initio*, dum volunt Canonis initium tale fuisse, *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, idque colligi ex Concil. Chalcedo. actio. 16. ubi ita refertur à Paschasino sedis Apostolicæ Vicario. *Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum, teneat autem & Ægyptus*, &c. ℞. Sed aliter legit in eodem Concilio Constantinus Secretarius ex Codice Canonum dato ab Ætio Archidiacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ. 2. Nulli Codices hoc initium agnoscunt, nec Ruffinus, nec Balsamo, nec Decretum Gratiani, nec Gelazius Cyzicænus, nec Canones editi Parisiis anno 1544. non Editio Arabica apud Turrianum, non Exemplaria ad Africanos missa olim Constantinopoli & Alexandriâ. Ista ergo recitatio, quæ fit à Paschasino Legato Romano, non est ex ullo exemplari authentico, sed ex sua chartula, sive commonitorio. 3. Hoc initium, non esse Canonis textum, sed annotationem exscribentium, sive Βράτιλον, patet ex verbis, quibus concipitur, *Quòd Romana Ecclesia semper habuit primatum.* Unde Dionysius Exiguus, ut sensum commodiorem redderet, abstulit particulam *Quòd* indicem paratitlorum, & textui inseruit voculam *autem*, & dixit, *Romana Ecclesia semper habuit primatum, mos autem perduret.* 4. Etsi retineretur ista sententia, nihil tamen inde Pontificiis accederet, quia aliud est habere primatum, aliud Monarchiam & Pontificatum Oecumenicum. Aliud est Ecclesiam Romanam & ejus Episcopum Metropolitanum habere primatum in sua provincia, id est, primum esse Episcoporum suæ provinciæ, qui propriè sensus est Canonis, quia agebatur de potestate, quæ competebat Metropolitanis in suâ provinciâ; Vel de primatu honoris & ordinis inter ipsos Metropolitas, quo etiam respectu constat Episcopum Romanum primatum habuisse, ut dictum est, propter Urbis dignitatem. Aliud verò habere primatum autoritatis & jurisdictionis in ipsos Metropolitas, ut ipsi subesse debuerint, & ab ejus mandatis pendere, quod pertendunt Pontificii, Nos negamus. Imò isto Canone æquatos fuisse Alexandrinum, & Antiochenum, Romano, & tantundem illis in suas diœceses tributum, quantum obtinebat Romanus in Ecclesias suburbicarias, agnoscunt non pauci ex Pontificiis, & inprimis Doctissimus *Petrus à Marca* de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 1. c. 3. ubi in Zonaræ & Balsamonis sententiam de hoc Canone transit.

VIII. 11. Quoad *finem* Canonis perperam verba ejus interpretantur,

ἐκδίκησιν τῷ ἐν Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τῶν σωνήθες ἐστιν, *Quoniam Episcopo Romano* QUÆST. XX.
paritis mos est. Quorum verborum Bellarminus hunc vult esse sensum lib. 2. cap. 13. *Quia Romanus Episcopus ita consuevit*, id est, *quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ, Pentapolis, sive consuevit per Alexandrinum Episcopum provincias illas gubernare.* Sed quis glossam istam hactenus inauditam ferat? quæ apertè verbis ipsis Canonis repugnat, quæ nullam autoritatem dant Episcopo Romano supra Alexandrinum, sed tantùm exemplum petunt ab eo, ad id quod Alexandrino competebat, ut quemadmodum Episcopus Romanus consueverat regere Ecclesias ditioni suæ subjectas, ita & Alexandrinus pariter debeat se illi conformare, non ut illi subesset, sed ut ad ejus exemplar Ecclesias ditioni suæ subjectas regeret. 2. Confirmatur ex Historia Ecclesiastica, in quâ nusquam apparet Episcopum Alexandrinum Vicarium se gessisse Romani; imò potius suas Ecclesias sive Paræcias suo jure gubernasse, ut & suo Romanum suas; adeóque collegas ambos fuisse, usosque eodem Patriarchæ titulo; Imò decretum fuisse Constantinopolitanum, ἐν τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς οἷς ἐκεῖνον μεγαλοιδοξ πεάγμασι, *æquè cum Romano magnum esse in negotiis Ecclesiasticis.* 3. Hunc Alexandrini primatum in suas provincias, Synodus non adscribit autoritati Episcopi Romani, sed antiquæ consuetudini; τὰ ἀρχαῖα ἔθη κεατείτω, ut sensus sit, consuevisse jam pridem has provincias administrari ab Alexandrino, quemadmodum alias à Romano, quam consuetudinem in posterum etiam retinendam censent & sanciunt. Ex quibus patet absurditas glossæ Bellarmini, non minus ac Perronii, qui vult sub finem Canonis addi verba ista, *Cùm Episcopus Romanus simili more regat omnes mundi Ecclesias*, contra Codicum omnium fidem, & verborum ipsorum sensum, quæ, ut jam dictum, non eò tendunt, ut autoritas Episcopi Alexandrini fundetur in potestate Episcopi Rom. sed ut comparetur consuetudo consuetudini, & ille exemplum istius sequatur.

IX. Si verò quæratur ulteriùs, Cur Episcopus Romanus, primum inter Patriarchas locum tenuerit, rationes variæ reddi possunt. 1. *Urbis dignitas*, Cùm enim Roma esset Caput Imperii, & πόλις βασιλίδος, ibi etiam Primatum Ordinis esse debere, non inter Episcopos illius præfecturæ modò, sed & inter Patriarchas consentaneum videbatur. Hinc τὰ πεσβεῖα & τὰ πεσβεῖα illi assignata, de quibus apud Veteres mentio. Hanc verò honoris prærogativam peti ex Urbium ipsarum dignitate ex variis patet. Primò quòd Episcopus Ecclesiæ Jerosolymitanæ, quæ mater fuerat aliarum omnium Ecclesiarum, & quæ eâ de causâ primum gradum videbatur occupare debere, postponitur tamen Cano. 7. Nicæno Episcopo Cæsareensi, quia Cæsarea erat Metropolis tunc temporis Palæstinæ. 2. in Concilio Chalcedo. Canon. 17. hoc sancitur τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις

πρά-

QUÆST. XX. τόπος, ἡ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθεῖτω: *Ordo Ecclesiasticarum paræciarum sequitur dispositiones civiles & politicas.* Sic Episcopus Romanus τὰ πρεσβεῖα, seu primatum ordinis obtinuit, non quòd successor erat Petri, sed quòd illius Urbis Episcopus erat, quæ orbis habuit imperium, ut diserte dicitur Conci. Chalced. διὰ τὸ βασιλεύειν πόλιν ἐκείνην, quod de reliquis facilè ostendi posset. Verùm illa dignitas Episcoporum, quam ex Urbium dignitate trahebant, nullam illis dabat, vel in alios Patriarchas, vel in Episcopos illius præfecturæ potestatem vel imperium, nec ultra primatum ordinis & honoris procedebat. Quod verò vult Perroni. lib. 1. replic. cap. 30. Petrum jam suo tempore hoc ita instituisse, ut inde colligat autoritatem istam jure divino niti, non verò tantùm humanâ consuetudine, merum est figmentum, cujus nec vola, nec vestigium extat in Scriptura, vel ullis Patrum monumentis, quod eâdem facilitate rejicitur, quâ proponitur. Imò si hoc ejus fuit consilium, Cur vel Jerosolymitanæ Ecclesiæ, quæ omnium mater fuerat, vel Cæsareensis, quam tam solenniter fundaverat, nullam rationem haberi voluit, ut suum locum etiam inter Patriarchales Ecclesias obtinerent? 11. Plurimùm valuit ad conciliandam illi autoritatem opinio, quæ invaluerat apud multos, Ecclesiam Romanam fundatam fuisse Petri ministerio. Unde in Occidente honoris causâ *Sedes Apostolica* vocabatur. 111. *Orientalium Ecclesiarum divisio.* Cùm enim multis opinionum dissensionibus turbarentur, Romana verò Ecclesia sedatior esset; hinc factum, ut pii & sancti Episcopi sedibus suis pulsi, illuc veluti in azylum & portum quemdam sese reciperent, quod fecit Athanasius sede suâ pulsus Arianorum violentiâ, ut Romanæ Sedis autoritate, tum hostium suorum rabiem utcunque comprimeret, tum pios laborantes confirmaret, qui susceptus honorificè à Julio tunc Episcopo, obtinuit ut causæ suæ defensionem Occidentales susciperent. Postea mali & improbi non parum etiam contulerunt ad id, nam ut legitima judicia effugerent ad hoc azylum se conferebant. Si quis Presbyter à suo Episcopo, si quis Episcopus à Synodo Provinciæ suæ damnatus erat, statim Romam provocabat, quas appellationes Romani Episcopi cupidiùs quàm par erat recipiebant, occasiones quaslibet captando dilatandæ potestatis suæ, ut visum in Eutyche contra Flavianum, & in Africa sæpe contigisse constat, quod Africanis Episcopis ansam præbuit tam severè appellationes ultramarinas sub pœna excommunicationis damnandi.

X. Progressu verò temporis præter tres illas Sedes primarias, duæ aliæ erectæ sunt Constantinopolitana & Jerosolymitana, & illi quidem secundum locum tribuunt Patres Concilii primi Constantinopolitani, quia Constantinopolis facta erat sedes Imperii, & erat veluti nova Roma. Sic loquuntur Canone 3. Τὸν μὲν τῆς Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσ-

βεῖα

μῆς μᾶλλον τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, δέξῃ τὸ ἔτναι αὐτὴν πίσαν Ῥώμην. Quod confirmat Concilium Chalcedonense Acti. 16. dum τὰ ἴσα πρεσβεῖα τῆς πρώτης Constantinopolitano cum Romano tribuit. *Sedi senioris Romæ prærogativam honoris ut rationi consentaneum erat, quia Urbs regina orbis erat, Patres dederunt, & ad eundem scopum collimantes centum quinquaginta Episcopi Deo charissimi in Concilio Constantinopolitano I. pares honoris prærogativas sanctissimo novæ Romæ throno tribuerunt.* QUÆST. XX.

XI. Verùm æqualitas ista, quæ inter Patriarchas omnes, & præcipuè Romanum & Constantinopolitanum obtinebat, propter dignitatem utriusque Urbis, mutationem variam passa est. Primò à parte Joannis Constantinopolitani Episcopi, qui ambitione elatus Episcopi Oecumenici seu Universalis titulum affectavit, & à Mauritio Imperatore obtinuit, cui Gregorius magnus Episcopus Romanus se fervide opponit, titulum hunc tanquam nefandum, & Antichristianum damnando, *Ego*, inquit epist. 30. *fidenter dico, quòd quisquis se universalem Episcopum vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit*, quod pluribus confirmat ep. 36. 38. 39. ex quo invictè constat tunc temporis Romanum Episcopum Monarchiam spiritualem seu Oecumenicum Episcopatum nondum obtinuisse. Nec valet effugium Perronii lib. 1. cap. 34. *Titulum Episcopi Oecumenici damnatum esse à Gregorio tantùm juxta sensum suum literalem & grammaticum, quatenus notat solùm Episcopum, non verò metaphorico, quò innuit cæteris præpositum.* Quia non alio sensu damnat hunc titulum, quàm eo quò à Johanne usurpabatur. At Johannes non primo sensu sumebat, quò abrogâsset omnibus Episcopis Orientalibus suam autoritatem, de quo tamen ipsi non queruntur, & res ipsa hoc ostendebat; sed tantùm secundo, qui proprius est istius tituli significatus. Nec enim dignitas Episcopi Oecumenici eò tendit, ut potestas Episcopi abrogetur cæteris; sed tantùm ut pendeat ab Oecumenico & illi subjiciatur.

XII. Hunc verò ambitiosum titulum, quem tantopere aversatus fuerat Gregorius, Bonifacius III. successor ejus non modò non rejecit, sed magno studio quæsivit, & tandem licèt ægrè post multas contentiones à Phoca Mauritii homicidâ, qui ejus favore in Italia egebat ad firmandum Imperium suum, obtinuit, ut nimirum Roma sedes ejus omnium Ecclesiarum Caput, ipse verò Oecumenicus Pontifex haberetur, quod ineunte seculo septimo contigit. Exinde insignis mutatio facta est in regimine Ecclesiæ. Nam cùm quinque Patriarchæ pari jure & æquali potestate Ecclesias antea regerent; Rom. Pontifex hoc jam habuit, ut cæteris præponeretur. Antea omnes insigniores Episcopi Papæ dicebantur; Sed ab hoc tempore nomen Papæ, ut supremæ & universalis potestatis vocabulum reliquis Episcopis & Patriarchis ablatum est, ut Rom. Pontifici tanquam

QUÆST. XX. proprium & peculiare reservaretur. Antea una erat Ecclesia Catholica sub uno & solo Capite Christo. Sed tunc cœpit una esse sub uno Capite Papâ, cui, qui non subjiciebantur, nec eum supremum Caput agnoscebant, pro schismaticis habebantur. Antea plurimum interfuit inter Ecclesiam Urbis & Orbis, inter Urbis & Orbis Episcopos. Unde Hiero. ad Evagrium, cùm ei consuetudo Romanæ Ecclesiæ objiceretur, *Quid mihi*, inquit, *profers unius Urbis consuetudinem, si autoritas quæritur, Orbis est major Urbe.* Ab eo tempore eadem cœpit esse Ecclesia, eadem autoritas, idem Episcopus Urbis & Orbis, Papa enim utrumque sibi tribuit. Antea Electio cujusvis Episcopi facta per Clerum & populum, confirmata per Metropolitam, rata habita est, Romano Pontifice inconsulto. Sed Bonifacius in Synodo Romæ habitâ statuit Electionem Episcopi à Clero & Populo factam, & à Principe Civitatis approbatam, tum demum ratam fore, si Rom. Pontifex autoritatem suam interposuerit his verbis, *Volumus & jubemus*, &c. ut Platì. in Bonif. III. refert.

XIII. Frustra Pontificii hîc regerunt. 1. *Titulum universalis Phocam Papæ non dedisse, sed Caput cum Ecclesiarum appellasse. Nec id egisse Bonifacium, ut titulus Oecumenici seu universalis Patriarchæ sibi tribueretur, sed ne tribueretur Constantinopolitano.* Quia perperam de verbis litigatur, cùm de re ipsa constet. De Primatu contentionem fuisse patet. Hunc Constantinopolitanus usurpârat, & Mauritius ipsi concesserat, eique Romanum cedere jusserat. Eundem ambivit Bonifacius, & concessit Phocas. Nec aliud sibi vult quòd Roma Caput Ecclesiarum appelletur, nisi ut *Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici omnes Orbis Ecclesiæ obedirent*, ut loquitur Blondus deca. 1. lib. 9. quod est revera Episcopum universalem esse. Deinde non agitur de simplici titulo Oecumenici, quem retinuit Patriarcha Constantinopolitanus, sed de Primatu potestatis, quem ut sibi proprium arrogabat Romanus Pontifex. 11. *Nihil novi juris impetrâsse à Phoca sedi Apostolicæ, quod antea omnes decessores ejus non habuissent. Sed tantùm ut honor istius primatus, quem usurpaverat Constantinopolitanus, soli Episcopo Romano reservaretur.* Sed res ipsa clamat aliquid novi esse impetratum à Phoca, qui non dicitur restituisse, vel conservasse primatum, sed dedisse. Et querela Gregorii de Johannis superbia, satis ostendit, nihil tale antea locum habuisse in Ecclesia Rom.

XIV. Ita in Bonifacio III. primatum Ecclesiasticum seu Monarchiam spiritualem obtinuit Papa, quam Pontifices exinde confirmare & augere etiam modis omnibus fategerunt. Sed deerat adhuc ultimus gradus, qui ἀκμὴν ejus debuit constituere, nimirum quoad *Monarchiam temporalem*, qui postmodum additus est seculo decimo per Gregorium VII. Hildebrandum dictum, natione Hetruscum, professione Cluniacon-

censem Monachum, qui anno 1073. spretâ autoritate Imperatoris, & contempto Cleri & populi suffragio, vi remotis, qui obstare improbis conatibus viderentur, ut Pontificiarum artium erat callentissimus, iis sub quatuor Pontificibus jam assuetus; Papatum rapuit, & summâ cum superbiâ & tyrannide tenuit, quem diabolicis artibus imbutum ab Antecessoribus Benedicto IX. & Gregorio VI. *pessimis Magistris pejorem discipulum* fuisse Cardinalis Benno & Pontificii Scriptores non pauci testantur. Is verò malis artibus Papatum occupatum, pejoribus retinuit, & ad tyrannidis culmen provexit, conculcatâ etiam Imperatoriâ Majestate. Licèt enim Henricus Imperator, Wormatiæ indicto Concilio, eum Papatu exui & exautorari curaverit, Senatusconsulto ibidem facto, quod gravissima ejus crimina graphicè describit, ut legitur apud Avent. Annal. Boior. lib. 5. cui decreto non solùm Germaniæ, & Galliæ, sed Italiæ quoque Episcopos, conventu Ticini habito subscripsisse, jurâsseque *se nunquam Pontificem Maximum istoc nomine recepturos*, testatur idem Aventinus ibidem. Eò usque tamen audaciæ processit, ut in Concilio Romano anno 1076. congregato, Imperatorem ipsum excommunicare, Regno Germaniæ & Italiæ spoliare, Principes & populos juramento fidelitatis ei præstito liberare non erùbuerit. Atque ita tandem utriusque potestatis, tam spiritualis, quàm temporalis Monarchiam, quam diu affectaverant Papæ, obtinuerit. Quæst. XX.

XV. Huc pertinent *Dictatus Papæ* ab ipso sanciti, quibus illimitatam & pene infinitam in omnia potestatem Papæ tribuit. Quales sunt inter alios isti, *Quòd Pontifex Romanus solus possit uti Imperialibus insigniis; Quòd solius Papæ pedes Principes omnes osculentur. Quòd illius solius nomen in Ecclesiis recitetur. Quòd illi liceat Imperatores deponere. Quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse solus omnium retractare possit. Quòd à fidelitate possit iniquorum subjectos absolvere. Quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis*, &c. Exinde Hildebrandi successores, vestigiis ejus insistentes, Imperatores sub jugum miserunt, eosque ut Vassallos habuerunt. Et verissimè Aventinus eodem lib. 5. *Hildebrandus*, inquit, *qui & Gregorius septimus, primus Imperium Pontificium condidit, quod successores per quadringentos quinquaginta continenter annos, invito mundo, invitis Imperatoribus adeo duxère, ut inferos, superos in servitutem redegerint, atque sub jugum miserint. Atque cunctos fulmine perterritent*, &c. *Jam Imperator Romanus nihil amplius, appellatio modò est sine corpore, sine specie.* Et Onuphr. in vita Gregorii VII. *Huic*, inquit, *Ecclesia Romana acceptum referre debet, quòd Regibus, Imperatoribus, & omnibus Christianis Principibus sit præfecta, à quo maximus iste eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum Domina; cum antea tamquam vilis ancilla, non ab Imperatoribus modò, sed à quovis Principe Romani*

QUÆST. XX. *Imperii præsidiis fulto premeretur.* Ab hoc addit Onuph. maximæ illius, & omni seculo tremendæ, venerandæque Romani Pontificis, & infinitæ pene potestatis jus manavit. Antè Imperatoribus suberant; Ille primus omnium Cæsarem ipsum, non dico excommunicare, sed etiam Regno, Imperioque privare ausus est.

XVI. Ut verò Papatus ἀκμὴν suam obtinuit in Gregorio VII. per Monarchiam spiritualem & temporalem; Ita in eadem magis magisque confirmatus est per impia Pontificum sibi invicem succedentium molimina, usque ad Bonifacium VIII. seculo 14. ineunte, qui per fraudem simplicitate Cœlestini Papæ abusus, in Sedem se intrusit, & impotenter ac tyrannicè in ea grassatus est; de quo ideo vulgatum illud post mortem ferebatur, *Intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut Canis.* Is verò potestatem supremam exercuit, non modò adversus Albertum Imperatorem, quem se inconsulto electum imperare non posse pertendit, sed etiam contra Philippum Pulchrum Galliæ Regem, quem, quia imperata facere detrectabat, interdicto subjecit, & subditos fidelitatis sacramento exsolvit, & obsequium detrectantibus indulgentias, concessiones, gratias omnes Pontificias negavit, & varia impotentis animi indicia prodidit. Rex Philippus masculè illi restitit, eatenus, ut captus & ludibrio habitus in carcere ex desperatione & rabie mortuus sit; quod susè referunt Historici, Paulus Æmilius in Philippo Pulchro, Blondus Decad. 2. lib. 9. Nauclerus Vol. 2. gener. 44. Bochellus decret. Gallic. Eccles. lib. 2. c. 32. & alii.

XVII. Porrò Potestatem Pontificum, tum temporalem, tum spiritualem dici non potest, quantum commenta callidissima miseræ hominum credulitati propinata promoverint, firmârintque. Et ad *temporale* quidem *Imperium* confirmandum, non parum contulerunt ex quæstuosissima falsorum Chirographorum officina petitæ *Donationes* Constantini Magni, Ludovici Pii, & Ottonis Magni, quarum falsitas pridem à Viris Doctis *Goldasto, Frehero, Mornæo, Usserio, Voetio, Conringio*, & aliis detecta est. Ad *spiritualem* verò *Principatum* roborandum Veterum Romanorum Episcoporum nomine prodierunt, ore & calamo plusquam ferreo, confictæ *Decretales Epistolæ*, obstetricante *Isidoro* cognomento *Mercatore*, qui sub Isidori Hispalensis larvâ vilissimas fæces, pretiosissimis antiquiorum Romanorum Episcoporum titulis appositis venditare non erubuit. Quo in genere, an quicquam prodierit unquam simile, quod plus ad causæ Pontificiæ firmamentum contulerit, nescire se Usserius meritò profitetur. Quamvis figmenti illius vanitas patefacta sit indubiè, tum à Nostris, ut *Magdeburgensibus, Blondello*, & aliis, tum à Pontificiis ipsis non paucis, *Sirmondo, Petavio*, & aliis, illas ut suppositititias rejicientibus.

XVIII. Non destiterunt tamen Pontifices Romani, iisdem vestigiis insi-

insistentes, Monarchiam suam quacunque datâ occasione stabilire & promovere, tam in spiritualibus quàm temporalibus, non obstantibus variis Imperatorum & Principum generosis oppositionibus, & fidelium Veritatis Testium clamoribus. Donec tandem Deo magnum opus Reformationis moliente, ἀφαίρεμα seu *decrementum* successit seculi decimi sexti initio sub Leone X. cujus tempore tyrannica & Antichristiana illa potestas gravissimam cladem passa est per plurium Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum Secessionem ab Ecclesia Romanâ; Nequicquam obtinente Concilio Tridentino, quod ut *Conciliabulum profanorum hominum, & mane Christianismi ludibrium*, quod errores & tyrannidem Papalem firmavit potius & auxit, quàm correxit & reformavit, rationibus gravissimis moti, meritò Protestantes repudiârunt, eoque veluti sepimento quodam & pariete intergerino à Papatu sese discreverunt, & separati manent, & mansuri sunt in perpetuum, donec impios errores & idololatrias, ac tyrannidem Antichristianam Roma reformaverit. Porrò qui varios gradus Papatus crescentis & decrescentis, penitius cognoscere voluerit, consulat *Plessæum* in mysterio Iniquitatis, *F. Illyricum* in Testium Veritatis Catalogo, *Molinæum* in novitate Papismi, *Salmasium* in erutidissimo *de Primatu Papæ* opere, Et Celeberr. *Heideggeri* Theologi Tigurini meritissimi, nobis conjunctissimi, *Historiam Papatus* novissimè editam, in quâ accuratissimè & solidissimè totum hoc argumentum, ut cætera omnia, eximius ille Vir exequitur septem periodorum intervallis. Quæst. XX.

XIX. Antequam finis sit, libet hîc apponere *F. Guicciardini* Patritii Florentini Leoni X. à secretis consiliis, de Primatu Papæ Judicium, quod in variis exemplaribus malâ fide omissum, ex autographo Florentino restituit & novissimè edidit Celeberrimus Heideggerus, ut extabat in Editione Italicâ anni 1636. Ubi Author postquam varios gradus & artes descripsit, quibus Pontifices Romani à maximâ humilitate ad summum illud majestatis & potentiæ culmen, quô jam tyrannicè potiuntur, evecti sunt; Addit sub finem libri 4. *His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis divinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana Imperia omni cogitatione conversi, nec divisâ autoritate alio quàm quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, Principes potius Gentium, quàm rerum sacrarum Pontifices videri cœperunt. Horum cura & negotia, non jam vita sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes; sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, nova insidiæ ad pecuniam undique cogendam: in hunc finem audacissimè arma cœlestia vibrare, profanarum, sacrarumque rerum nundinationem impudentissimè exercere.*

QUÆST. XX. *Hinc opes in immensum adauctæ, & in totam ipsorum Aulam effusæ, ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla successoribus, nulla majestatis perpetuæ Pontificatus sollicitudo, sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios, non modo ad opes immoderatas, verùm etiam ad regna & imperia evehendi; non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerumque auctionando, aut in homines ambitione, avaritia & pudendis voluptatibus perditos effundendo*, &c. Quæ si Author de Primatu sui temporis dicere potuit, Quid non diceret de hodierno, qui eandem tyrannidem iisdem artibus, & pejoribus etiam quotidie firmare & augere nititur? quod, qui penitius Mysterium hoc Iniquitatis norunt, non possunt dissimulare, & vi veritatis adacti non semel fateri coguntur.

QUÆSTIO XXI.

DE DISTINCTIONE EPISCOPI & PRESBYTERI.

An Episcopatus sit Ordo, aut gradus Hierarchiæ Ecclesiasticæ à Presbyteratu distinctus, & superior Iure divino? Neg.

I. POstquam de Primatu Petri & Papæ dictum est, Ulteriùs agendum de *Distinctione Episcopi & Presbyteri*, quæ Quæstio nobis intercedit, non modò cum Pontificiis, qui affirmativam magno molimine tuentur, ut Hierarchiæ suæ fundamentum. Sed & cum variis Protestantibus, qui retento post Reformationem ordine Episcopali, pro superioritate istâ fervidè dimicant. Licèt verò magnum sit inter eos & Pontificios discrimen, quoad tyrannidem Antichristianam, quam isti in conscientias erigunt, à qua illi sunt alienissimi. In eo tamen utrique conveniunt, quòd Episcopos jure divino Presbyteris, quoad potestatem ordinis & jurisdictionis superiores esse statuant. Quamvis enim in Concilio Trident. acriter diu disceptatum fuerit, quo immediato jure Episcopi sint superiores Presbyteris, Divino, an Pontificio? Certum est, paucis Italis Episcopis exceptis, qui linguam conductam pretio habentes, pugnabant pro jure Pontificio, ne si à Christo immediatè dicerentur instituti, æquales sic-

fierent Romano Episcopo, nec ei competeret ulla in eos potestas & jurisdictio, omnium pene Episcoporum vocem fuisse *Episcopatum esse de jure divino*, quæ recepta est hodie sententia apud ipsos. Bellarm. lib. de Cleri. cap. 14. statuit *Episcopum majorem esse Presbytero jure divino, & quoad ordinis potestatem, & quantùm ad jurisdictionem.* Quæst. XXI.

II. Ad Statum Quæstionis observamus. 1. Non quæri de Presbyteris, quales nunc dicuntur apud Pontificios, qui hoc nomine intelligunt Sacerdotes Missaticos, qui sacrificandi & Deo offerendi in sacrificium ἱλαστικὸν Christi Corpus jus & potestatem sibi collatam esse jactant, quod munus fictitium esse, imò sacrilegum pertendimus. Sed de iis, qui ab Apostolis constituti in Ecclesiis particularibus potestate prædicandi Verbum & administrandi Sacramenta, & Ecclesiam cui præpositi erant regendi, instructi erant. Horum verò denominatio potuit fieri ab Apostolis allusivè ad morem Veteris Testamenti, ubi Judices qui in singulis civitatibus constituebantur, vocantur זקנים *Seniores*, quia homines provectæ ætatis, solent aut debent esse graves, & prudentes, quales decet esse Judices. Viri autem Synedrii magni vocabantur זקני העם, πρεσβύτεροι τῦ λαῦ in Novo Testamento. Ita qui ab Apostolis constituebantur ad Ecclesiæ curam, dicti sunt πρεσβύτεροι, non tantùm propter ætatem, quòd ex seniorum numero communiter eligerentur, sed & præcipuè honoris & muneris causâ, quòd illi in Ecclesia habebantur, tanquam ejus Rectores & Judices. *Status Quæstionis.*

III. 11. Non quæri De *distinctione ordinis seu politiæ* inter plures ejusdem Ecclesiæ Ministros, ut unus cæteris præsit, & in sacris Conventibus præsideat, sive Episcopi, sive Superintendentis titulo. Hoc enim commodè fieri posse non negamus, ut omnia decenter & εὐτάκτως fiant in domo Dei. Quod in pluribus Ecclesiis Protestantibus & Reformatis obtinet, quæad custodiendam εὐταξίαν, πρωτασίαν & ὑπεροχὴν quandam inter Pastores esse voluerunt, quæ tuos habent Episcopos, Superintendentes, Antistites, Decanos, Inspectores, quibus eminentior quædam dignitas & autoritas, quàm reliquis Pastoribus Jure Ecclesiastico competit. Sed de *distinctione potestatis*, tam quoad *gradum ordinis*, ex quo Episcopus sit superior munere & dignitate, Presbyter inferior, quàm quoad *jurisdictionem*, ex qua hic illius imperio sit obnoxius, quam qui à Nobis dissident obtendunt, Nos negamus.

IV. 111. Non quæri de *Jure Ecclesiastico*, quod arcessatur ex antiqua consuetudine, quæ non multùm post Apostolorum tempora cœpit invalescere, quod facilè concedimus; Ut postea videbitur. Sed de *Jure divino*, quod in institutione Christi & praxi Apostolorum fundetur, quod negamus. *Probatur Identitas Presbyteri cum Episcopo ex Hierarchiæ negatione.*

V. Rationes sunt. 1. Quia Hierarchia Papalis nullum fundamentum

QUÆST. XXI. tum habet in Dei Verbo, Nec quoad vocem, quæ non modò est ἄρχαφος, sed & ἀντίχαφος, contraria vocibus ἀρχονίας, δυλείας, & similibus, quibus ministerium describitur, Nec quoad rem voce significatam, quæ alienissima est à natura ministerii, & severè interdicitur, Luc. 22. 25. 26. 1. Pet. 5. 3. Nec uspiam, ubi agitur de ordinibus Ecclesiæ, à Paulo memoratur 1. Cor. 12. 28. Ephes. 4. 11. quod omnino fieri debuisset, si talis institutio à Christo facta fuisset, & jure divino niteretur. Unde bene observatum, si stylum dicendi & modum operandi Servatoris nostri, Apostolorum, & antiquæ Ecclesiæ sequi voluissent Patres, non *Hierarchiam*, sed *Hierodiaconiam*, vel *Hieroduliam* statuissent. Hierarchiam enim, qualis hodie est cum imperio conjuncta, non genium Christi, sed genium Romuli peperisse, jam olim *Petrus Messia* Pontificius in *Sylva variæ lectionis*, non absque ratione scripsit.

2. *Ex locis Scripturæ.*

VI. 11. Quia Episcopus & Presbyter passim in Scriptura pro uno eodemque sumuntur, ut discrimen sit tantùm in nomine, non in re; Episcopus ratione officii & muneris, Presbyter verò ratione ætatis & dignitatis, iidem characteres & eædem functiones utrique tribuuntur. Loca quæ id probant varia sunt; sed hæc præ cæteris Act. 20. 28. Paulus evocatis ad se Presbyteris Ephesinis, ut ipsis valediceret, eos omnes Episcoporum nomine insignit. Non erant ergo in illâ Ecclesiâ, nisi Presbyteri, & iidem Episcopi. *Attendite*, inquit, *vobis & toti gregi, super quem Dominus vos constituit Episcopos.* Phil. 1. 1. Apostolus salutat omnes sanctos Philippis degentes, unà cum *Episcopis & Diaconis*, nullà Presbyterorum factà mentione, quos Episcoporum nomine procul dubio intelligit, siquidem plures nunquam fuerunt in unâ Ecclesiâ Episcopi, ex quo singularem & præcipuam supra Presbyteros habuerunt potestatem. Nec dubitari potest, quin varii essent in illâ Presbyteri seu Pastores, qui illi præerant. Sic 1. Tim. 3. 2. loquitur de variis virtutibus Episcopi, nullâ factâ mentione Presbyteri, quod non omisisset omnino, si existimâsset, distincta esse jure divino munera, cùm non minus necesse sit nosse qualitates Presbyteri ac Episcopi, ut constet quinam ad hoc munus vocandi sint. Confirmatur ex Tit. 2. 5. 7. ubi postquam dixit se Titum reliquisse in Creta, ut istic constitueret πρεσβυτέρυς κ᾽ πόλιν, docet quales debeant esse illi Presbyteri, addens, *Oportet autem Episcopum esse irreprehensibilem*, quod sine ratione diceretur, nisi ex ejus sententiâ iidem, quos Presbyteros antea vocaverat, essent etiam Episcopi; Ubi Scholia Græca notant Presbyteros eosdem esse cum Episcopis, πρεσβυτέρυς τὺς Ἐπισκόπυς καλῶ, in quem locum eximiè Hiero. *Oportet Episcopum sine crimine esse tanquam Dei dispensatorem, Idem est ergo Presbyter qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gu-*

Act. 20. 28.

Phil. 1. 1.

1. Tim. 3. 2.

Tit. 1. 5. 7.

gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur; de quo loco postea fusiùs agendum erit. Eò pertinent etiam loca, in quibus Presbyteri cum Apostolis recensentur, nullâ Episcoporum factâ mentione, cujus non alia dari potest ratio, nisi quia illi Presbyteri fuêre etiam Episcopi, qui sub Presbyterorum nomine intelligebantur. Aliàs si distinctum ordinem à Presbyteris constituissent jam Episcopi, quomodo nulla de illis fieret mentio? Cur non potius Lucas de Episcopis, qui potiorem gradum obtinebant, quàm de Presbyteris locutus fuisset, consulantur loca Act. 12. 30. & 14. 23. & 15. 2. 6. 22. 23. Quæst. XXI.

VII. Nequicquam adversus varia ista loca excipitur. 1. *Nomen Presbyteri posse competere Episcopo, quia omnis Episcopus debet esse prius Presbyter. Siquidem Presbyteratus sit gradus ad Episcopatum; sed non pariter omnis Presbyter Episcopus.* Nam loca allata ostendunt omnes illos Presbyteros, de quibus agitur, fuisse etiam Episcopos, ut Act. 20. omnes Pastores Ephesini, qui Presbyteri dicuntur, vocantur etiam Episcopi, & dum characteres Presbyteri Apost. notat in Epist. ad Titum, eum designat nomine Episcopi. 11. *Episcopum alium esse Cleri sive Diœcesanum, Alium Gregis, seu Parochianum; hunc ordinari à Diœcesano, & rectè gregis peculiaris, cui designabatur inspector, dici potuisse Episcopum, licet respectu ordinantis Diœcesani, Presbyteri tantùm tenet subsellium.* Sed hæc distinctio Episcopi Cleri, & Gregis inaudita est in Scriptura, in qua nusquam occurrit discrimen inter Clerum & gregem, imò pro eodem sumuntur 1. Pet. 5. 3. Nec dari potest Episcopus, qui non sit gregis alicujus Episcopus. 111. *Presbyteros Ephesinorum & Philippensium Episcoporum titulis insigniri respectu gregum, quibus fuerunt præpositi, qui Apostolum interim habuerunt ipsorum Episcopum, qui illos pro jure suo præmonebat.* Sed gratis supponitur Apostolum fuisse istarum Ecclesiarum Episcopum, qui fuit Apostolus Oecumenicus, & Ephesini & Philippenses illi subfuerunt, quà Apostolo, non quà Episcopo.

VIII. Tertiò, Quia nulla legitur Episcopi seorsim à Presbytero ordinatio in Scriptura, quod Apostoli non omisissent procul dubio, si credidissent munus esse distinctum, & dignius Presbyteratu; ut ordinationem Presbyterorum variis locis tradiderunt Act. 14. 23. Tit. 1. 5. Nec regeri debet tales Presbyteros à Paulo, Barnaba, & Tito ordinatos fuisse, quos constat fuisse eminentissimos Episcopos. Quia supponitur gratis, Paulum & Titum fuisse Episcopos, & quà Episcopos ordinâsse Presbyteros; cùm longè majori instructi essent autoritate, nim. vel Apostoli, vel Euangelistæ. Si verò instituissent ordinem Hierarchicum, nonne 3. *Ab Ordinatione communi.*

QUÆST. XXI. debebant inter plures Presbyteros aliquem Episcopum creare, qui Presbyteros ordinaret? quod cùm nuspiam legantur feciſſe, hinc liquet Presbyteros oppidatim conſtituendo, illis autoritatem etiam & jus dediſſe alios collegas ordinandi ad conſervationem Miniſterii, & Eccleſiæ ædificationem. Quomodo jam antea Timotheo dicitur *gratia data per impoſitionem manuum τῦ πρεσβυτερίε* Presbyterii 1. Timoth. 4. 14. quod jus ordinandi Presbyterium habuiſſe clarè evincit. Si Chryſoſtomus & Hieronymus volunt ſolâ ordinatione ſuperiores fuiſſe Epiſcopos Presbyteris, loquuntur de ſuis temporibus, quibus diſcrimen jam factum fuerat, non de Apoſtolicis.

4. à Scripturæ ſilentio. IX. Quartò, Quia Paulus recenſens varios ordines miniſteriorum in Eccleſiâ, mentionem nullam facit Epiſcopatus, quod ſanè munus non debuit omitti, ſiquidem conſtituere debuit præcipuum gradum Miniſterii Eccleſiaſtici, à Presbyteratu diſtinctum. Aliàs defuiſſet officio ſuo Paulus, & occaſionem dediſſet errandi fidelibus, negligendo inſtitutionem, quæ jure divino nitebatur, in qua totius Miniſterii Euangelici autoritas fundari debuit. Nec dici debet hunc gradum contineri, vel ſub Apoſtolis & Euangeliſtis, quia hæc munera fuerunt extraordinaria & ad tempus; Vel ſub Paſtoribus, quia Paſtoratus competit etiam Presbyteris; At communia non faciunt diſcrimen.

5. à Jure communi Clavium. X. Quintò, Quia tam Presbyteri quàm Epiſcopi idem jus acceperunt à Chriſto ligandi & ſolvendi, retinendi & remittendi peccata per uſum clavium Matt. 18. 18. Joan. 20. 21. 22. & ejuſdem legationis honorem, & idem reconciliationis miniſterium gerunt 2. Cor. 5. 18. 19. 20. quod dici non poſſet, ſi duo iſta munera eſſent eſſentialiter & jure divino diverſa. Nec reponi poteſt hanc poteſtatem ſic Apoſtolis omnibus eſſe conceſſam, ut per illos, & Epiſcopos illorum ſucceſſores Presbyteris etiam communicaretur, ut illam haberent, non à Chriſto immediatè, ſed mediatè per manum Superiorum. Quia ſupponitur gratis Epiſcopos magis quàm Presbyteros eſſe ſucceſſores Apoſtolorum. Nam *ὑπεροχὴ* & poteſtas Apoſtolica, quæ pendet ex vocatione eorum immediatâ & extraordinariâ, non magis admittit ſucceſſores, quàm eorum infallibilitas & jus fundandæ Eccleſiæ; Et in iis quæ ſunt ordinarii Miniſterii omnes Presbyteri ſunt æquè Succeſſores Apoſtolorum, quatenus per ſuam vocationem illis pariter competit poteſtas clavium, Euangelii præconium, & adminiſtratio Sacramentorum, ad quæ nulla requiritur unius ſupra alios *ὑπεροχὴ*. Nec ulla dari poteſt miniſterii pars, quæ omnes ex æquo non reſpiciat.

6. à Veterum ſuffragio. XI. Sextò, Quia Veteres hanc diſtinctionem non tribuunt Juri divino, ſed humanæ conſuetudini. Cypria. de Unit. Eccleſ. *Eſt Epiſcopatus unus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Hieron. loco ante citato in Tit.

Tit. 1. cui addendus alius ex epistola ad Evagrium, ubi multis confirmat, *Episcopum & Presbyterum eundem esse, & quod unus postea electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum esse, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.* Et paulò post, *Presbyter & Episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen, Unde & ad Titum & ad Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo & Presbyter continetur.* Sic Ambrosius, vel quisquis est Autor Commentarii in Epistolas, qui Ambrosio vel antiquior vel coætaneus fuit, siquidem citatur ab Augustino lib. 2. ad Boni. cap. 4. Ambrosii discipulo sub nomine Sancti. In cap. 4. ad Ephesios de Presbyterorum successione loquens, *Ideo*, inquit, *non per omnia conveniunt Apostoli scripta ordinationi, quæ nunc est in Ecclesia, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam Timotheum Presbyterum à se creatum & Episcopum vocat, quia primùm Episcopi Presbyteri appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet.* Idem patet ex Epistolis Ignatii, Martyri falsò adscriptis; Nam author quisquis ille sit, qui scripsit circa 150. annum Christi, in epistola ad Magnesios vocat πρεσβυτέριον, & Ecclesiæ per illud administrationem Χριστὸν νόμον, *Christi legem*, quia ex institutione & voluntate Christi per Apostolos constituta est. At νεωτερικὴν πᾶξιν, *novellam institutionem*, quæ suo tempore Episcopum Presbyteris præponebat. Plura possent istiusmodi ex Veteribus afferri testimonia, quibus constat eundem fuisse ab initio Episcoporum & Presbyterorum ordinem, quæ collegit Doctissimus *Blondellus* in Apologia pro Hieronymo; ubi invictè probat Hieronymi sententiam pluribus argumentis ex prima, media, & ultima Antiquitate petitis.

Quæst. XXI.

XII. Ad eludendam istorum testimoniorum vim opponitur. 1. Potuisse quidem ab Apostolis primo Ecclesiæ initio constitutum fuisse Presbyterorum Collegium ad Ecclesiæ regimen: sed ad breve tantùm tempus hoc durâsse, donec experientiâ compertum fuit incommodam esse illam regendi rationem, ob Presbyterorum dissidia & contentiones, quibus in factiones scindebatur Ecclesia, quum alii dicerent, *Ego sum Pauli, Ego verò Apollo*, &c. 1. Corint. 1. 12. ad tollenda itaque illa dissidia, viventibus Apostolis excitata, ipsos constituisse unum aliquem supra reliquos, penes quem resideret tota Ecclesiæ administrandæ cura & potestas. Nec aliud velle Hieronymum, quum ait *toto orbe decretum esse*, ut unus cæteris præponeretur; nim. ab ipsis Apostolis, & totius Ecclesiæ consensu. Sed frustra hoc affertur. Nam præterquam quòd malè asseritur regiminis illud genus, quod ab Apostolis primò institutum conceditur per Presbyteriorum Collegium & Aristocratiam, bonum non fuisse, quòd contentiones & schismata ex eo orirentur, cùm non orirentur per se, sed per accidens ex hominum vitio. Licèt dissidia illa jam tempore Apostolo-

QUÆST. XXI. rum gliscere cœperint; Non sequitur jam tum decretum esse toto orbe, ut unus aliquis cæteris præponeretur, sed tantùm successu temporis, postquam alii passim Corinthiorum exemplo dementati in partes discerpti sunt, quod ante annum Christi 150. contigisse probari non potest. Unde non dicit statim atque hoc inter Corinthios dictum fuit, toto orbe decretum esse, *sed quum dictum est in populis*, quod ad Apostolorum tempora nemo retulerit. Ideo Hieronymus hoc refert ad *Ecclesiæ consuetudinem, quæ paulatim invaluerit*, non ad *dispositionem dominicam*, quo dici tamen debuisset, si ab Apostolis talis sanctio facta fuisset.

XIII. Si verò quæratur quando cœperit ista distinctio, & quomodo in Ecclesiam sit introducta; Non difficile est respondere. Praxim Apostolicam talem fuisse, ut quibus in locis memorabilem hominum multitudinem converterant, mox Presbyterium seu Synedrium Ecclesiasticum & Presbyterorum Cœtum ex fidelium suffragiis & consensu Act. 14. 23. Ecclesiæ ordinarent, ad Ecclesias constitutas regendas. Unde Paulus Act. 14. 23. postquam plures in Asia Ecclesias constituit, dicitur χειροτονῆσαι πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, id est, plures Presbyteros in singulis Ecclesiis, ex quibus constabat Presbyterium, ordinâsse. Qui Pastores erant Ecclesiarum illarum ordinarii, qui curam habebant eas pascendi, tum Verbi præconio & Sacramentorum administratione, tum sanctæ disciplinæ exercitio. Quod ita fiebat communi omnium consilio, ut nullus eorum in Collegas potestatem & autoritatem haberet, sed æqualis cum esset omnium in totum gregem. Quia verò in omni Cœtu, ut vitetur confusio, necesse est dari ordinem aliquem inter ejus membra; Ideo inter Presbyteros dabatur primus aliquis, sive hoc daretur ætati, sive dotibus, sive vocationi, qui Cœtui præesset: sed *primatus* iste fuit tantùm *ordinis & honoris*, qualis esse solet in Synodis & Classibus, non *autoritatis & jurisdictionis*; Sic enim non fuissent Collegæ & Sympresbyteri, quomodo passim vocantur in Patrum Scriptis. Rebus ita constitutis ab Apostolis pari autoritate & communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur. Decedente verò primo Collegii Presbytero, secundus succedebat, & secundo tertius pro ratione cooptationis. Quæ succedendi ratio per aliquod tempus mansit, donec mutata fuerit sub finem seculi secundi; Tum enim primus Synedrii factus est per reliquorum Presbyterorum electionem, & concessa est illi aliqua potestas in Sympresbyteros, quæ sensim per gradus crevit; Partim Doctorum ambitione, quæ sub meriti & dignitatis velo jam tum serpebat, quia doctrinâ & donis pollentes præ cæteris, ægrè ferebant præponi sibi alios minus idoneos, qui ideo potuerunt autores esse, ut non per successionem, sed per electionem eveherentur ad primatum Presbyteri; Partim Ecclesiarum ipsarum consensu, & Conciliorum autoritate, quibus visa est hæc regendæ Ec-

Ecclesiæ ratio commodior ad vitanda dissidia, & quæ inde nascebantur schismata, quod loca Ambrosii & Hieronymi docent. Sed remedium morbo pejus fuisse eventus docuit, siquidem hoc modo non obviam itum est schismatibus, sed fundamenta jacta sunt Antichristianæ dominationis. Partim denique Presbyterorum indignitate & desidiâ, *Quia cæperunt*, inquit Commentarius Ambrosio adscriptus in Epist. Pauli, *Presbyteri indigni inveniri ad Primatum tenendum, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum faceret Episcopum.* Quamdiu sanè vixerunt Apostoli nihil tale metui potuit, quia qui ab iis constituebantur, qui discretione spirituum pollebant, non poterant non esse idonei. Sed ubi post eorum obitum gratia & favor in eligendis Presbyteris apud homines prævaluit, non meritum doctrinæ & pietatis; tum plures in eum ordinem allecti sunt minus digni & idonei, qui non modò Primatum, sed & Presbyteratum obtinerent; Ideo mutatus est antiquus mos, æqualitas sublata. Quæst. XXI.

XIV. Qualiscunque autem mutationis istius fuerit causa, certum est primatum illum, qui per electionem conferebatur, non alium ab initio fuisse à præcedente, ordinis puta & honoris tantùm; nisi quòd Episcopi nomen singulariter tributum est Præsidi electo; Nomen verò Presbyteri penes reliquos remansit; qui ita Cœtum moderabatur, ut nihil inconsulto Presbyterio agere deberet; Et si ordinandus erat Presbyter, non solus id poterat, sed cum eo adesse debebant Presbyteri, qui manus suas juxta manum Episcopi in eo consecrando tenerent. Deinde Episcopus ita ordinabat Presbyteros, ut Presbyteris etiam liceret Presbyteros & Diaconos ordinare; Sed postea tractu temporis crescente Episcopi autoritate, factum ut ad eum solum potestas ordinandi traducta fuerit. Et sic ordo superior factus est. Sed ita ut Episcopi omnes inter se æquales essent. Postea primatum tenuerunt, qui primæ urbis in unaquaque provinciâ sedem haberent, qui ideo *Metropolitani* seu *Archiepiscopi* dicti, quorum erat Synodos provinciales convocare, & iis præsidere, & recens electos Episcopos confirmare. Iis etiam nomen *Patriarcharum* in principio commune fuit, quasi πατριᾶς ἄρχοντες, *gentis unius Primates.* Nam πάτρη vel πατριὰ, idem quod ἔθνος, ut bene ὁ πάνυ Salmasius observat de Prima. cap. 5. ex Socrate lib. 5. cap. 8. Ubi μητροπολιτία pro Metropolitani Provinciâ, & μητροπολίτης pro Metropolitano posuit. Sed postea cùm à Constantino plures Provinciæ in unam diœcesim redigerentur, distinctio facta est sedium Patriarchalium à Metropolitanis, dum inter plures eodem honore primatus affectos, aliquis adhuc primus constitueretur. Et ita supra Metropolitanos superiores facti sunt *Patriarchæ*, seu Primates, *Exarchi Diœcesium* dicti. Sic ingens moles ex tenuibus valde initiis excitata est, & paulatim in illam altitudinem & honoris culmen surrexit.

QUÆST. XXI. rexit. Sic per varios gradus ventum est ab infimo ad supremum Sacerdotalis potentiæ fastigium. Ex primo Presbytero factus est Episcopus, Ex primo Episcopo Metropolitanus, Ex primo Metropolitano Patriarcha, Ex primo denique Patriarcha, Ille qui nunc dicitur Papa. Sic ex *Aristocratia* in Ecclesia facta est *Oligarchia* Patriarcharum, ex qua tandem nata est *Monarchia* Antichristiana. Ut non sine ratione optârint Viri pii, ne ab institutione Apostolica ullo modo unquam declinatum fuisset, ut ἀριστοκρατία τοῖς ἴσοις tribuerentur, quando experientia nimis docuit, varia inde mala & dissidia orta esse, & sensim per talem Hierarchiam viam stratam fuisse Papatui, & Antichristianæ tyrannidi.

XV. Hinc in Episcopatu Romano hodierno tria occurrunt, quæ probè sunt distinguenda. 1. Aliquid *divini*, quod habet ex institutione Christi per vocationem ad ministerium Verbi, & ad curam Ecclesiæ. 2. Aliquid *humani*, quod illi accessit ex prærogativis humanis, hominum studio & consuetudine paulatim usurpatis. 3. Aliquid *Antichristiani*, quod illi superadditum est ex fastu & tyrannide papali. Quoad primum non potest non probari, ut munus legitimum & divinum à Christo ipso institutum. Quoad alterum tolerari potest ut licitum; Sed quoad ultimum tanquam illicitum & tyrannicum non potest non damnari & respui.

Fontes Solutionum. XVI. A Regimine Veteris Testamenti ad Regimen Novi, Non valet consequentia, quia mutato Sacerdotio, fit etiam Legis & ordinis mutatio. Nec magis potest urgeri argumentum pro Episcopali ὑπεροχῇ, quàm pro Primatu Papæ, quod solidè à Nostris refellitur: alia tempora, alios mores postulant. 2. Si Vetus Testamentum imago & umbra Novi dicitur, hoc non intelligendum relatè ad hierarchiam Ecclesiasticam, sed ad rerum promissarum exhibitionem, quæ obscuriùs & sub umbris proponebantur in Veteri Testamento, sed clariùs, & retectâ facie sub Novo. 3. S. Pontifex Veteris Testamenti, qui unicus fuit, non fuit typus Episcoporum, qui sunt innumeri, sed Christi ex declaratione Pauli ad Hebræos.

Apoc. 2..1. XVII. Angeli Ecclesiarum, quos compellat Christus Apoc. 2. & 3. cap. non debent sumi ἰδιωτικῶς & *individualiter*, sed συνηθικῶς & *collectivè*, non pro singulari aliquo Episcopo exclusivè ad alios Pastores, sed pro toto Presbyterio, sive pro Collegio eorum, quibus Episcopatus seu inspectionis in gregem cura competebat. Nec novum est nomen singulare, collectivè sumi. Sic Collegium Sacerdotum, quorum erat populum docere, *Angeli Jehovæ* nomine insignitur Malac. 2. 7. Sic *Angelus Jehovæ* dicitur *castra metari circa fideles*, id est, legiones Angelorum, quæ exercitum constituunt. Sic nomen Filii Dei sumitur collectivè pro populo Israëlitico Exod. 4. 23. & Os. 11. 1. Ita autem hic sumendam esse vocem

Mala. 2. 7.

An-

Angeli ex variis potest evinci. 1. Quia Christus dicitur scribere ad Ecclesias, & ℣. 7. cap. primi jubetur Johannes mittere ad septem Ecclesias & cap. 2. & 3. *Qui habet aures audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.* ℣. 10. alloquitur collectivè totam Ecclesiam, Vel saltem Presbyterium, *Ecce futurum est, ut conjiciat diabolus aliquos ex vobis in carcerem*, sic ℣. 24. *Vobis autem dico & reliquis*, id est, Ecclesiæ membris. 2. Certum est Ephesinam Ecclesiam plures habuisse simul Episcopos seu Pastores ex Act. 20. 28. Nec dici potest, non modò fuisse Episcopos Ephesinos, sed totius Asiæ Mileti congregatos, quia Lucas expresè dicit Paulum vocâsse ad se Pastores Ephesinos. 3. Aretas Cæsareensis Episcopus in Apoc. bene observat ex Andrea itidem Episcopo Cæsareensi per Angelos notari ipsam Ecclesiam, quia quæcunque hîc, vel pro, vel contra eam dicuntur, non Pastorem seorsim, sed totam Ecclesiam respiciunt. Ἄγγελον, inquit, τὴ Ἐφέσου, τὴν ἐν αὐτῇ ἐκκλησίαν λέγει. εἰ γὰρ ὁ πρῶτος ἄγγελος ἡμαρτάνει ᾧ δεῖ τὸ ἀκοῦσαι μετανόησον, &c. *Angelum Ephesi dicit Ecclesiam, quæ ibi erat; Nec enim Angelus illis præpositus peccaverat, cui audiendum est Resipisce*, &c. 4. Spiritus Sanctus potuit etiam collectivè intelligendo Presbyterium vel Ecclesiam singulariter illam designare sub eo, qui primus erat ordine & honore inter Presbyteros, utpote cui præcipua cura & ἐπισκοπὴ incumbebat, cuique propterea vitio vel laudi dabatur, si quid benè vel malè in Ecclesia gestum erat. 5. Si qui ex Nostris volunt intelligi Episcopos, per eos non intelligunt Episcopos strictè ita dictos contradistinctè ad Presbyteros; Sed latè, qui cum Presbyteris identificantur, sub quibus tota Ecclesia comprehenditur. Porrò non obscurum est, Cur Pastores nomine Angelorum designentur, propter eximiam cum illis cognationem ratione vocationis & officii, quia mittuntur à Deo; ratione scientiæ & cognitionis rerum divinarum, ratione sanctitatis & castimoniæ, ratione ardoris, zeli, & charitatis, vigilantiæ ac promptitudinis in officio exequendo, & aliorum id genus. Quæst. XXI.

XVIII. Titus & Timotheus, qui præfuerunt aliquandiu certis Ecclesiis, non sunt spectandi ut Pastores ordinarii, sed ut Euangelistæ 2. Tim. 4. 5. Ministri scilicet extraordinarii, qui vicariam operam præstabant Apostolis, & qui ad tempus eò mittebantur ad componenda reliqua, quæ Paulus non potuerat disponere propter temporis brevitatem. Sed nulli Ecclesiæ & Diœcesi specialiter erant addicti, ut Episcopi Diœcesani. Paulus nunquam illos vocat Episcopos. Nec si ita nominantur in Epistolarum subscriptionibus, iste quidem Ephesiorum, ille verò Cretensium Episcopus, sequitur ideo tales revera fuisse, quia fatentur Viri Docti tales subscriptiones non esse Canonicas, & diversitas, quæ in illis occurrit, abundè probat illas esse recentiores.

XIX. Aerius non ob assertam Ministrorum æqualitatem præcipuè, sed

ob

QUÆST. XXI. ob Arianismum hæreseos notatus est & damnatus, ut ait August. ad Quod vult deum cap. 53. 2. Si in ejusdem damnatione prior ratio locum etiam habuit, à facto humano ad jus divinum non valet consequentia. Et ut iniquè damnatus fuit, quòd serpenti jam tam & invalescenti superstitioni circa sacrificia pro mortuis, & invocationem Sanctorum se opposuit. Ita sine causa & injustè in hoc casu nota hæreseos illi inusta fuit. Aliàs Hieronymus ἰσονομίαν eandem defendens hæreseos crimine notari potuit.

XX. *Episcopale regimen*, Aliud est *primitivum* & *Apostolicum*, quod idem est cum Presbyterali, quod ab Apostolis ex Christi voluntate & præcepto institutum est. Aliud *secundarium* & *Ecclesiasticum* à Presbyterali distinctum, Ecclesiæ consuetudine, & humano consilio, potius quàm dispositionis Dominicæ veritate introductum. Primo sensu fatemur sæpe Episcoporum mentionem fieri apud Veteres, statim post Apostolorum tempora. Sed posteriori negamus.

XXI. Testimonia Patrum de Episcoporum in singulis Ecclesiis ab ipsa Apostolorum ætate deductâ successione, non evertunt Identitatem Presbyteratus & Episcopatus quam asserimus. Quia non evincitur istis testimoniis primis illis temporibus in Collegio Presbyterorum alios præpositos fuisse, quàm πεωτοχειροτονηθέντας, qui Presbyteri esse non desinebant. Licèt novum autoritatis pondus arbitrariâ fratrum legatione obtinerent; quod exemplo Ephororum apud Lacedæmonios, & Ἀρχόντων apud Athenienses illustratur, qui licèt plures essent eadem potestate præditi, unius tamen duntaxat, nempe primi, nomen fastis Civitatis præponebatur, quod non arguit fuisse solum Ephorum vel Archonta, sed eum fuisse primum illo anno.

XXII. Licèt non possit præcisè tempus designari institutionis Ecclesiasticæ, secundùm quam Episcopus superior fuit Presbytero; Non sequitur factam non fuisse: Sufficit ab initio non fuisse sic. Quis nescit multa evenire, quæ observantur potius postquam facta sunt, quàm quum fiunt, maximè cùm mutationes fiunt paulatim & sine sensu. Ex præcedentibus satis liquet varios gradus fuisse istius immutationis, quæ progressu seculorum crevit, & ad apicem, in quo jam versatur, tandem pervenit.

XXIII. Canones qui asserunt Presbyterum non posse consecrare & ordinare Episcopum, sed Episcopum ordinare Presbyterum, quia minor non potest benedicere majori, & nemo dat quod non habet; sunt posteriores immutatione veteris ordinis, & novellâ institutione, quâ cautum est, ut qui in Episcopum eligebatur, ab Episcopis non à Presbyteris consecraretur. Interim eligendi & ordinandi jus & potestas penes totum Presbyterium remansit, utpote in quo tota regendi Ecclesiam potestas residet.

Unde

Unde singulis quidem Presbyteris seorsim sumptis major erat Episcopus, quia primus eorum erat, sed non toto Presbyterio simul sumpto, à quo potestatem suam accepit. Quæst. XXI.

XXIV. Gratis supponitur Episcopos successisse Apostolis, & Presbyteros septuaginta Discipulis; Nam Apostolis nemo succedere potuit in munere Apostolico quà tali, quod fuit extraordinarium & temporale; Quoad munus verò ordinarium docendi & regendi Ecclesiam, non Episcopi tantùm, sed & Presbyteri, id est, omnes Pastores illis succedunt. 2. Quamvis ordinis Apostolici gradus eminens fuerit, tamen in missione prima, illis & 70. discipulis paria jura data sunt, nec jurisdictionem, vel potestatem illi in hos unquam usurparunt. 3. Si nonnulli ex Patribus dicunt Presbyteros succedere 70. discipulis, & Episcopos Apostolis, loquuntur post mutationem jam factam. Itaque non eo significant jure divino eam graduum inæqualitatem esse constitutam, sed consuetudine humanâ inductam, habere similitudinem aliquam cum illa veteri distinctione.

XXV. Licèt Timotheus Judex constitueretur ab Apostolo Presbyterorum 1. Timot. 5. 19. quando Paulus ait, *Accusationem noli esse suscipiendam contra Presbyterum nisi sub duobus testibus.* Non sequitur eum ut Episcopum superiorem Presbyterorum supponi. 1. Quia Timotheus non hîc spectatur ut Episcopus & Minister ordinarius, sed ut Evangelista, qui Apostolicâ & infallibili autoritate erat instructus. 2. Quia licèt spectaretur ut Episcopus, supponitur inferiores tantùm à superioribus judicari. At quis nescit æquales ab æqualibus sæpe judicari? Quod potissimùm in judicio Ecclesiastico obtinet, cujus potestas est penes Presbyterium, non modò in inferiores, sed etiam in æquales ut Collegas. Quòd ergo apud Timotheum accusatio institui debuit, non inde fiebat, quòd solus esset Judex Presbyterorum, sed quia primus in Collegio, à quo judicium fieri debuit. 3. ὁ πρεσβύτερος hîc propriè non est nomen officii, sed ætatis, quod opponitur τῷ νεωτέρῳ *juniori.* 1. Tim. 5. 19.

XXVI. Librum de *Hierarchiâ Ecclesiasticâ*, non esse genuinum *Dionysii Areopagitæ*, qui fuit σύγχρονος Apostolis, fœtum, sed suppositititium, autoris longè recentioris, & quinto demum seculo orti, pridem observatum est à Viris Doctis, Cajetano, Erasmo, Valla, B. Rhenano, & ipso Sirmondo & Petavio, aliisque ex Pontificiis, & pluribus argumentis demonstrat Celeb. Dallæus. Quia ante illud tempus libri istius nulla mentio; Nec apud eos qui Dionysium laudant, ut Aristidem, & Dionysium Corinthium; Nec apud eos, qui Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogos concinnârunt, ut Hieronymum & Gennadium; Nec apud eos qui in Act. 17. scribunt, ubi de eo loquitur Lucas; Nec apud eos, qui hæreses in Areopagiticis explosas refellunt. Primus Hypatius est, qui an-

QUÆST. XXI. no 533. objecta sibi à Severianis hæreticis quædam ex eo scripto loca rejecit, & opus illud Areopagitæ esse negavit.

XXVII. Quamvis Ordinem Presbyterialem, & ἰσοτιμίαν, seu æqualitatem Pastorum inter nos receptam, magis accedere credamus ad Christi & Apostolorum institutionem, & Ecclesiæ Apostolicæ praxim. Nollemus tamen cuiquam super hoc Capite negotium facessere, vel usum damnare Ecclesiarum Euangelicarum & Reformatarum ex nostris, quæ Regimen Episcopale hactenus retinent, ut populorum suorum genio, & moribus, & formæ regiminis politici convenientius, & ad οἰκοδομὴν & Disciplinæ exercitium utilius: Modò absit semper supercilium Babylonicum & tyrannis Papalis, Et ordo iste agnoscatur esse juris Ecclesiastici, non Divini. Sed vicissim eam æquitatem & moderationem à Fratribus, qui à Nobis hîc dissident expectamus, ut Ecclesias alias à se diversas, & pro libertate sibi à Christo concessâ, Presbyterialis regiminis formâ, ut statui suo, & populorum studiis & moribus accomodatiori utentes, decretoriâ sententiâ tanquam Schismaticas & legitimâ vocatione destitutas damnare non præsumant, sed fraterno affectu complecti non desinant, ut inviolatum maneat semper unionis & fraternitatis vinculum, atque ita conjunctis animis viribusque opus Dei promoveatur ad Regni Christi incrementum, & Antichristi destructionem.

QUÆSTIO XXII.

DE VOCATIONE PASTORUM.

An necesse sit dari Ministerium Publicum, & Vocationem ad illud in Ecclesiâ? Affir. contra Fanaticos & Enthousiastas.

I. UT Deus per Verbum homines ad Communionem Christi, & per eam ad participationem salutis deducere voluit. Necesse fuit dari Viros, qui per legitimam vocationem ad hoc munus seligerentur, quibus Jus & potestas competeret Verbum prædicandi, & Sacramenta administrandi. De cujus Ministerii necessitate Quæstio cum Fanaticis & Enthousiastis nobis intercedit.

Status Quæstionis. II. Ad Statum Quæstionis observa. 1. Non quæri de *Utilitate* Ministerii, quam multiplicem esse negare non possunt Adversarii; Et effecta ejus saluberrima, Conversio scilicet & salus hominum eam satis evincunt.

Nec

Nec de *Dignitate*, quam etiam magnam esse, non modò honorifici tituli, quibus in Scriptura passim ornatur, demonstrant; Sed & natura ipsius Muneris, sive ad *Causam efficientem* respiciamus, Deum scilicet istius ordinis authorem; Sive ad *Subjectum* in quo occupatur, Mysteria scilicet divina, & res quas oculus non vidit, auris non audivit, & quæ in cor hominis non ascenderunt; Sive ad *Objectum* circa quod versatur, animas scilicet hominum; Sive ad *Effecta* eximia quæ operatur, hominum renovationem & felicitatem; Sive ad *Socios* qui illud obiverunt, Christum scilicet, Prophetas, & Apostolos. Sed agi de *Necessitate*, An necesse fuerit in Ecclesia tale aliquod Munus institui, quod Adversarii negant, Nos affirmamus. Quæst. XXII.

III. 11. Non quæri De *necessitate absolutâ & simplici*; Non enim negamus Deum potuisse, si voluisset, homines immediatè per se absque hominum ministerio convertere & salvare. Sed de *necessitate hypotheticâ* relatè ad ipsam Dei *διδονίαν* & Decretum, quam asserimus contra hodiernos Enthousiastas, & Swencfeldianos, alioque id genus Fanaticos, qui solos afflatus divinos, & *ἐνθουσιασμὸς* jactant.

IV. Rationes sunt. 1. *Expressa Dei institutio*, qui tum in Veteri, tum in Novo Testamento Ministros sacros, partim ordinarios, partim extraordinarios vocavit, qui munus sacrum Verbum prædicandi, & populum docendi obirent, ut in Mose, Aarone, & Sacerdotio Levitico visum, & Prophetis, quos subinde extra ordinem excitabat in Veteri Testamento; Et in Apostolis, Euangelistis, aliisque Viris Dei in Novo Testamento, quibus Christus Verbi ministerium commisit. Eò pertinet vocatio Apostolorum Matt. 28. 19. 20. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, &c. Quod Apostolus confirmat Ephes. 4. 11. *Christus*, inquit, *in cœlum evectus, quosdam dedit Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus Ministerii, & ædificationem Corporis Christi, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei*, &c. Ubi cum ministerii institutione, ejus necessitas, usus, & perpetua duratio usque ad finem seculi clare confirmantur. *Probatur necessitas ministerii.* 1. *Ex Dei institutione.* Mat. 28. 19. 20. Eph. 4. 11.

V. Secundò, Consilium Dei per prædicationem Euangelii homines ad salutem vocandi. Cùm enim homo animalis non capiat ea quæ sunt Dei, 1. Corint. 2. 14. nec possit esse *ἀνυπόδεκτος*, opus habuit doctrinâ & institutione, quæ non aliunde quàm ex Verbi Ministerio haberi potuit. Licèt enim Deus ab initio hominem vocaverit etiam per opera, quia tamen medium illud insufficiens factum est post peccatum, aliud instituit per Verbum Euangelii, quod stultitia videtur carni, licèt sit reipsa sapientia Dei in mysterio, *Postquam in Sapientia Dei, mundus non cognovit Deum per sapientiam, placuit Deo salvos facere Credentes per stultitiam* 1. Cor. 1. 21. 2. *Ex Dei Consilio.*

QUÆST. XXII.

tiam prædicationis. Unde alibi necessitatem prædicationis ex isto Dei consilio arcessit Rom. 10. 14. 15. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt, quomodo credent in eum, de quo non audiverunt, quomodo prædicabunt nisi mittantur? fides ergo ex auditu, auditus verò ex Verbo Dei.* Ubi pulcherrimâ utitur gradatione; Nam sicut invocatio prærequirit fidem, fides auditum Verbi, auditus prædicationem; Ita prædicatio requirit divinam missionem, sine qua nemo legitimè prædicare potest. Frustra verò reponitur, Paulum de suo tempore tantùm loqui, cùm *adhuc nova & inaudita esset Euangelii doctrina; ac proinde res ipsa postularet, ut qui eam essent annunciaturi, missionem suam docere possent. Sed cùm hoc nostro tempore nihil novi afferatur, sed antiqua Euangelii doctrina proponatur, ideo non amplius opus esse singulari quadam vocatione. Itaque ibi esse sermonem de Apostolis, qui non extendendus sit ad omnes, qui alios docent.* Nam generale est dictum Apostoli, quod ad quosvis Ministros sacros, & ad omnia tempora extenditur, non minus ac cæteræ gradationis partes, quæ invocationem, fidem, & auditum Verbi respiciunt; Et rei natura hoc docet, quia ministerium non potest obiri sine voluntate & missione Domini & Patrisfamilias.

Rom. 10. 14. 15.

3. Ex natura Ministerii.

VI. Tertiò, *Natura Ministerii* hoc postulat, quia Pastores sunt *Legati* 2. Cor. 5. 10. At nullus Legatus absque speciali vocatione, & mandato Principis officii illius partes suscipit. Sunt *Oeconomi* & *Dispensatores* mysteriorum in domo Dei 1. Corint. 4. 1. At nemo hoc munus in se recipit, nisi quem Paterfamilias & οἰκοδεσπότης præfecerit. Sunt *milites Christi*, 2. Timot. 2. 3. qui ducum & præfectorum vices in hac militia obire debent, quod sine vocatione cœlestis Imperatoris fieri non licet. Sunt *operarii* in agro Domini, qui expectare debent, ut à Domino messis & vineæ ad opus mittantur.

4. quia Deus ἀυτοκλήτως damnat.

Jer. 23. 21.

VII. Quartò, Deus ἀυτοκλήτως damnat, & graviter in eos invehitur, tanquam Pseudoprophetas & deceptores, Jerem. 23. 21. *Non misi Prophetas, & ipsi cucurrerunt, non loquutus sum ad ipsos, & ipsi prophetabant.* Et ℣. 32. *Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium*, ait Dominus, *qui seduxerunt populum meum in mendacio suo, cùm ego nec misissem eos, nec mandâssem eis.* Ubi defectus vocationis & missionis proponitur ut argumentum seductionis. Licèt verò Jeremias hoc loco agat in specie de Pseudoprophetis Israëliticis, qui non missi nec vocati à Deo seductiones cordis sui proponebant. Non minus solidum inde ducitur argumentum, & regula generalis ἀυτοκλήτις opponenda, quòd nemo nisi missus à Deo docendi officium in Ecclesia usurpare debeat, sive nova doctrina proponatur, sive vetus, quia semper constat neminem Legati aut Ministri partes sumere sibi debere, nisi mittatur à Domino. Et quotquot in Ecclesia docent non vocati nec missi, dicuntur *venire in*

suo

suo nomine, non autem Christi Joan. 5. 43. id est, non missi à Deo, per se & propriâ autoritate, & à se ipsis intrusi, qui propterea *furum & latronum* nomen merentur, non verorum Pastorum Joan. 10. 8. *In venientibus*, inquit Hiero. proœm. in Matth. *præsumptio temeritatis, in missis obsequium servitutis.* Et Theophyl. in h. l. *Quotquot venerunt* scilicet *Pseudoprophetæ, non verò quotquot missi sunt, ut Prophetæ.* QUÆST. XXII. Joann. 5. 43. Joann. 10. 8.

VIII. Quintò, ex Heb. 5. 4. *Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur a Deo sicut Aaron, sic & Christus non seipsum glorificavit, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu*, &c. Apostolus collationem instituit inter Aaronem S. Sacerdotem Veteris Testamenti, & Christum, ut doceat verè constitutum esse S. Sacerdotem Novi Testamenti. Nimirum ut Aaron non se intrusit propriâ autoritate in munus sacerdotale, sed expectavit divinam vocationem; sic & Christus non seipsum glorificavit, hunc honorem sibi arrogando citra voluntatem Patris; sed is eum glorificâsse dicitur, qui locutus est ad eum, dicens *Filius meus es tu*, scilicet Pater, qui illum pro Filio suo agnovit. Prius verò membrum collationis Apostolus probat generali axiomate, quòd *nemo sibi sumat hunc honorem*, id est, sibi sumere debeat, ut verba actionem notantia sæpe officium & debitum significant, sed *is qui vocatur à Deo.* Nec si agitur hîc de officio Sacerdotali; sequitur, non posse aut debere extendi ad alia omnia munia publica, sive ecclesiastica, sive politica; quia exemplum speciale Aaronis non restringit & limitat, sed explicat & illustrat generalem illam regulam cui subjicitur. Nec alia ratio potest esse muneris docendi alios, in quo sit plus laboris quàm honoris, laudabile autem sit semper habitum laborem aliquem sumere. Quia labor & honor in officio docendi non sunt opposita, sed subordinata, quæ se invicem comitantur, tam in munere Pastorali, quàm Sacerdotali. Et licèt semper laudabile sit laborem sumere, ad quem quisque privatim tenetur; Non pariter dici potest de labore publico, qui præcedentem vocationem postulat. 5. Ex Heb. 5. 4.

IX. Sextò, A *praxi Ecclesiæ*, & Ab *Exemplis.* Quia nemo Munus sacrum sine vocatione suscepit. Patet in Sacerdotibus, Prophetis, Christo, & Apostolis; Unde subinde ad vocationem suam provocant Prophetæ Isa. 6. 8. Jer. 1. 4. Ose. 1. 1. Christus Luc. 4. 18. ex Isa. 61. 1. 2. Joann. 20. 21. Apostoli Rom. 1. 1. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Galat. 1. 1. 1. Pet. 1. 1. Et qui in docendi munere ipsis successerunt, non sine solenni vocatione id aggressi sunt. Act. 14. 23. *Paulus & Barnabas cùm constituissent per singulas Ecclesias Presbyteros, & orâssent cum jejunio, commendaverunt eos Domino.* Et 1. Tim. 4. 14. *Gratia dicitur data Timotheo per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Eò pertinent & alia id genus 2. Tim. 1. 6. 1. Tim. 5. 22. 2. Tim. 2. 2. Tit. 1. 5. Cùm ergo perpetua sit Ecclesiæ praxis, meritò arcessitur ab institutione divinâ, quæ necessitatem 6. *A praxi Ecclesiæ.* Act. 14. 23. 1. Tim. 4. 14.

QUÆST. XXII. ejus demonstrat; Ut perperam hîc Adversarii consuetudinem necessitati opponendam esse dicant.

7. A Causis Vocationis. X. Septimò, A *gravissimis causis vocationem postulantibus*, quæ Dei honorem, Ecclesiæ salutem, & conscientiarum tranquillitatem spectant. Respectu *Dei*, ut ipsius institutioni, voluntati, & ordini satisfiat Rom. 10. 15. Heb. 5. 4. Respectu *Auditorum*, ut illi de legitima Ministrorum vocatione certi reddantur, & de veritate doctrinæ, quam proposituri sunt, & persuadeantur Deum velle Ministris legitimè vocatis Spiritus sui Sancti efficaciâ adesse, & laboribus ipsorum benedicere, quod reverentiam & obsequium in ipsorum animis excitat. Respectu ipsorum *Pastorum*, ut ex vocatione certi sint Deum velle operâ suâ uti in Ministerio, & fiduciam concipiant firmam de benedictione Dei in ministerio suo, & de ejus protectione invictâ adversus odia mundi, & pericula illis imminentia, quo argumento se sæpe erigunt Prophetæ Isa. 49. 1. 2. & 51. 16. & 59. 21. Jer. 1. 7. 8.

Fontes Solutionum. XI. Aliud est docere ex charitate, & vocatione generali Christianorum, quod omnibus competit sine peculiari vocatione. Aliud verò publicè & ex autoritate, quod solis legitimè vocatis competit. Sic opus bonum in se non bene factum facienti cedit in malum: Ut Arcæ sustentatio ab Uza. Nec statim opus bonum à quolibet indiscriminatim debet præstari, Magistratum gerere est bonum opus, cùm sit Minister Dei Rom. 13. 4. Nec tamen ideo licet cuiquam illud sine vocatione speciali exercere. Legationem obire est bonum opus, nemo tamen dixerit hoc ab omnibus posse & debere sine vocatione suscipi. Charitas Christiana ita debet exerceri, ut non violetur ordo divinitus constitutus, ne confundantur distincta officia & vitæ genera.

XII. Alia est ratio perturbatæ, vel constituendæ Ecclesiæ, Alia constitutæ, & bene ordinatæ. In prima charitas quamvis arripit Euangelii propagandi ansam. In altera verò prospiciendum est, ut omnia decenter fiant, & ex ordine 1. Cor. 14. 40. multa quæ tolerantur in illa, non possunt ferri in ista.

1. Tim. 3. 1. XIII. Quum Apostolus ait 1. Tim. 3. 1. *Si quis Episcopatum appetit, bonum opus desiderat*, per τὸ ὀρέγεσθαι & ἐπιθυμεῖν, non intelligit ministerii sacri proprio arbitrio sine vocatione susceptam administrationem, vel violentam in hoc officium intrusionem, vel illegitimam & malis artibus impetratam vocationem; hæc enim omnia ordini divinitus instituto repugnant. Sed ordinatum & pium illud desiderium, quò quis Ecclesiæ operam sponte addicit, judicium de se aliis committit, & legitimam vocationem expectat; Ita notatur vocatio interna, quæ non excludit externam.

XIV. Quamvis omnes Christiani ex generali mandato possint & debeant

beant laudes Dei celebrare, hostias spirituales Deo offerre, & se invicem hortari & consolari Eph. 5. 19. Col. 4. 16. 1. Thes. 4. 18. Non sequitur speciale mandatum non requiri ad opus publicum Ministerii Verbi, & Sacrorum administrationem, quæ non licet ἀκλήτοις tractare. Quæst. XXII.

XV. Dispersi illi de quibus Act. 8. 4. agitur, qui à morte Stephani Euangelium prædicârunt, non fuerunt absolutè destituti vocatione, quia potuerunt esse inter ipsos vel Euangelistæ, vel Presbyteri & Diaconi, ut Philippus Act. 21. 8. Adde quòd agebatur de Ecclesia constituenda, non constitutâ. Act. 8. 4.

XVI. Aliud est se accingere ad ministrandum necessitatibus Sanctorum, quod dicitur de Domo Stephanæ & Fortunati, primitiis Achaiæ, 1. Cor. 16. 15. Aliud se ordinare in Presbyteros, ut aliis Verbum prædicarent, & Sacramenta administrarent. Quòd si hoc ad Ministerium Verbi extenditur, innuitur eos ultro operam suam ex charitate obtulisse, legitimè tamen vocatos, vel se segregâsse certo voto ac proposito ad hoc sacrum munus, non exclusâ tamen vocatione legitimâ. 1. Cor. 16. 15.

XVII. Prophetæ illi, de quibus Paulus agit 1. Cor. 14. 29. qui loquebantur in Ecclesiâ, non sunt promiscuè omnes fideles, sed vel ordinarii Ecclesiæ Doctores, qui sæpe hoc nomine designantur, vel qui peculiari Prophetiæ dono instructi, doctrinam suam aliorum judicio submittebant. 1. Cor. 14. 29.

XVIII. Ex traditione clavium, quæ facta est Ecclesiæ Matth. 16. 19. Colligitur rectè contra Pontificios, quòd jus vocandi Ministros ad totam Ecclesiam pertineat, cui claves traditæ sunt. Sed non potest inde inferri, quòd omnes qui sunt in Ecclesia etiam absque vocatione publicè docere possint; quia datæ sunt quidem claves toti Ecclesiæ, id est, in usum & commodum totius Ecclesiæ, atque ita ut omnibus Ecclesiæ ordinibus aliquod jus in vocatione competat. Sed administratio illarum clavium ab Ecclesia commendatur & commendari debet vi divinæ institutionis certis personis, quas Deus constituit in domus suæ Oeconomos, quibus dat potestatem claudendi & aperiendi, retinendi & remittendi peccata.

XIX. Si Fideles dicuntur θεοδίδακτοι Isa. 54. 13. & Joann. 6. 45. Et si Deus ex fœdere gratiæ debuit Legem inscribere cordibus fidelium, ne deinceps opus habeant ut quisquam eos doceat Jer. 31. 34. Unctione sacrâ eos omnia docente. 1. Joann. 2. 20. 27. Hoc non intelligendum est simpliciter & absolutè, ad excludendam necessitatem Ministerii Euangelici, quasi Deus immediatè & per se velit docere fideles. Aliàs nihil opus fuisset Christum Apostolos mittere ad prædicandum Euangelium, & dare Pastores & Doctores ad ædificationem Corporis sui, & coagmentationem Sanctorum. Nec debuissent Apostoli ordinare oppidatim Presbyteros, qui Ecclesias à se fundatas pascerent & docerent. Et frustra & sine necessita- Isa. 54. 13. Joann. 6. 45. Jer. 31. 34. 1. Joann. 2. 20. 27.

QUÆST. XXII. cessitate Johannes ad fideles scriberet. Sed dicta ista intelligenda sunt comparatè & secundùm quid, de cognitione Novi Testamenti, quæ longè amplior debuit esse cognitione Veteris, in quo fideles adhuc rudes & minorennes egebant continuò doctoribus & ductoribus, qui eos veluti manuduceret, & Legem paulatim insinuarent, lineam post lineam, ut habetur Is. 28. 13. Ubi nunc in plenitudine lucis & Spiritus, fideles jam adulti possunt per se Euangelica mysteria ipsis in Verbo patefacta longè clariùs & faciliùs percipere. Vel sic docere voluit Spiritus Sanctus ministerium externum non sufficere ad fidem ingenerandam, nisi accedat interna gratiæ operatio, homines ad recipiendum Euangelium efficaciter flectentis, quod fœderis Euangelici supra Legale beneficium est. Eo sensu *Spiritus* dicitur *nos ducere in omnem veritatem*, non immediatè per enthousiasmos, sed per media ab ipso ordinata, Verbi scilicet præconium & hominum studium, quibus fides non tantùm concipitur, & formatur, sed fovetur & augetur, dum Verbum illud vitæ, quod est semen incorruptum regenerationis nostræ, 1. Pet. 1. 23. est etiam cibus & lac λογικὸν & ἄδολον, quò nutrimur & crescimus in gratia cap. 2. 2.

Jo. 16. 13.

QUÆSTIO XXIII.

Quotuplex sit Vocatio ad Ministerium, Et An ordinaria semper sit necessaria? Dist.

I. UT variæ quæstiones, quæ moveri solent circa Vocationem Pastorum, faciliùs expediri queant, præmittendæ sunt variæ distinctiones *Vocationis*, quæ solent sæpius recurrere.

Vocatio generalis, & specialis.

II. Primò supponimus, Non agi hîc de *Vocatione generali* ad *Christianismum*, per quam vocantur homines ad Ecclesiam, & quæ communis est omnibus fidelibus. Sed de *Speciali* ad *Ministerium*, quæ propria est Pastorum, per quam certi homines ad Ministerium publicum eliguntur, ac exploratâ eorum vitâ, & doctrinâ, solenni ritu Deo consecrantur, & in possessionem muneris mittuntur. Nec de *prædicatione privatâ* Euangelii, quâ singuli fideles fratres & proximos tenentur ex communi charitatis lege docere, monere, & ad fidem & salutem deducere. Sed de *prædicatione publicâ* cum autoritate, cujus necessitas imponitur iis, qui per vocationem specialem ad munus publicum Ministerii consecrantur.

Interna, & externa.

III. Secundò *Vocatio* ista *specialis*, alia est *Interna*, alia *Externa*. Illa est quâ cor ipsum à Deo excitatur, ut ad opus Ministerii se consecret,

de

de qua Paulus 1. Tim. 3. 1. quæ potius est dispositio animi ad vocationem suscipiendam, quàm vocatio propriè dicta, per quam homo coram Deo sibi conscius est, quòd non ambitione aut avaritiâ, aut alio quovis affectu carnali, sed sincero Dei amore & ædificandæ Ecclesiæ studio, ad munus hoc obeundum impellatur. Ista verò, quâ homo ita dispositus ad munus exercendum expressè vocatur. Quæst. XXIII.

IV. Tertiò, *Vocatio* ista *externa*, vel est *immediata*, quæ fit ab ipso Deo immediatè sine interventu hominum; Qualis fuit vocatio Prophetarum in Veteri, & Apostolorum in N. Testamento. Talis vocatio Pauli de qua Galat. 1. 1. quum ait, se nec *ab hominibus*, nec *per hominem* vocatum, *sed a Christo & Patre*; ut opponat vocationem suam, non modò vocationi illegitimæ & merè humanæ, quæ fit ab hominibus, sed etiam vocationi legitimæ, sed mediatæ quæ fit per homines. Alia verò *mediata*, quæ licèt sit à Deo originaliter tanquam primario autore, fit tamen mediante hominum operâ, quibus tanquam organis Deus utitur, quum Deus vocat per Ecclesiam; Qualis est vocatio hodierna Ministrorum sacrorum. Porro immediata vocatio bifariam fieri potest, vel absolutè ἀμέσως, quando Deus ipse hominibus apparet, & cum ipsis immediatè loquitur, ut vocavit Mosem, & varios Prophetas in Veteri Testamento, & Johannem Baptistam in Novo, Joann. 1. 33. Sic Apostoli à Christo vocati sunt; Vel per internuncios vocationem suam illis denunciat, quomodo vocavit Aaronem per Mosem, Et Elisæum per Eliam. Licèt autem interiorem Spiritus afflatum ad istam vocationem concurrere non dubitemus, non tamen sufficit nisi accedat externa manifestatio & confirmatio, vel per Dei ipsius apparitionem, vel per divinæ voluntatis declarationem, conjunctam cum congruentia doctrinæ propositæ cum doctrinâ à Deo in Verbo revelatâ, ne confundatur cum Fanaticorum impostoris, qui divinos afflatus & revelationes jactant. *Immediata.* Galat. 1. 1. *Mediata.*

V. Quartò, *Vocatio* rursus, Vel est *ordinaria*, Vel *extraordinaria*. *Ordinaria* est, quæ per media ordinaria fieri solet, qualis erat vocatio Sacerdotum in Veteri Testamento, & Pastorum in Novo. Eaque iterum vel *bona* est, quatenus à Deo est instituta, vel *mala* & corrupta, quatenus pravis hominum moribus & consuetudinibus vitiata fuit, quæ vel *absolute*, & ab omni parte ita *mala* est, ut reformari non possit, sed sit penitus abolenda, qualis est vocatio Papæ, & Cardinalium; Vel tantùm *ex parte*, quæ licèt habeat aliquid vitiosi ex hominum culpâ, retinet tamen adhuc aliquid boni ex primævâ Dei institutione, qualis est vocatio Episcoporum Romanorum. Ut verò *ordinarium*, vel sumitur *proprie* de eo quod ordini primitus & divinitus instituto est consentaneum; Vel *equivocè*, pro eo quod inveteratâ consuetudine, qualiscunque ea sit, publicè receptum est. Ita vocatio bona, vel mala potest juxta variam il- Ordinariq.

QUÆST. XXIII.

lam κύριον dici ordinaria. *Extraordinaria* multipliciter etiam dicitur. 1. quæ immediatè fit à Deo, sine operâ hominum, & non observato ordine recepto; qualis fuit vocatio Prophetarum in Vet. & Apostolorum in N. Test. & sic coincidit cum immediata. 2. quæ non fit juxta consuetudinem & morem vitiosum in aliqua Ecclesia receptum. De qua in sequentibus fusiùs agetur.

Extraordinaria.

Ratione doctrinæ.

VI. Quintò, Rursus *Vocatio extraordinaria* diversimodè spectatur, Vel ratione *doctrinæ*, Vel *muneris*, Vel *rituum & modi vocandi*. Ratione *doctrinæ*, si res nova & antea incognita & inaudita prædicatur, qualis fuit vocatio Mosis, qui mittitur ad promulgationem Legis, & ad liberationem populi. Ratione *muneris*, quando munus est planè novum & ἀνάδοχον, qualis fuit vocatio Johannis Baptistæ, qui nullum habuit successorem. Ratione *rituum* & *modi vocandi*, quum nec doctrina nova est, nec munus, sed modus vocandi novus est & inusitatus, qualis vocatio Eliæ. Apostolorum vocatio tribus istis modis potest dici extraordinaria, quia & doctrinam novam de Messiæ adventu afferre debuerunt, & munus novum habuerunt, quod in ipsorum persona desiit, & modus vocationis, qui fuit immediatè à Christo, fuit planè extraordinarius.

Muneris.

Rituum & modi vocandi.

Ratione donorum, & ordinationis.

VII. Sextò, Vocatio extraordinaria iterum potest ita dici; Vel ratione *donorum*, & qualitatum, quæ in vocandis requiruntur ad munus obeundum, & ratione *successus* & *effectorum mirabilium*, quæ per Dei Ministros contigerunt; Vel ratione *electionis* ipsius & *ordinationis* ad munus. Vocatio Prophetarum & Apostolorum fuit utroque modo extraordinaria. Nam & dona ipsa, & electio atque constitutio in munere, à Deo fuerunt immediatè. Sed datur Vocatio quædam, quæ licèt sit ordinaria ratione muneris ipsius & electionis ac ordinationis, quæ potest fieri ab hominibus juxta ordinem receptum; rectè tamen extraordinaria dicitur quoad dona eximia & singularia, quibus prædita fuerunt supra modum ordinarium, qui ad id vocati sunt, & quoad successum mirabilem, & effecta planè extraordinaria, quæ ab iis præstita sunt, qualis fuit primorum Reformatorum vocatio, ut postea dicetur.

VIII. Porrò Vocationis extraordinariæ varii sunt characteres. 1. Quòd conjuncta sit cum donis extraordinariis, & cum mirificâ virtutis Dei efficaciâ, quæ modò per miracula se exerebat, modò per ipsius Verbi ἐνέργειαν, in demonstratione Spiritus & potentiæ. 2. Quod liberè & indiscriminatim fiat, nec alligetur vel genti, vel familiæ, vel ætati, vel conditioni, & qualitati, vel sexui, ut Samuel adhuc puer vocatur, Elizæus canus, Moses balbus, Amos bubulcus, & fœminæ variæ prophetiæ dono claruerunt. 3. Usus ejus est, vel in *Ecclesiæ institutione* ad eam primò fundandam & colligendam, vel in ejus *restitutione* ad eam collapsam & corruptam reformandam.

IX.

Quæst. XXIII.

IX. VII. *Vocatio* alia est ad *Reformationem*, quâ homo tenetur repurgare fidem & cultum suum ab omnibus erroribus & superstitionibus, quibus potuit corrumpi, ut religionem puram ab omni labe retineat. Alia ad *Ministerium ordinarium* & publicum Euangelii, quæ consistit in prædicatione Verbi, administratione Sacramentorum, & sanctæ Disciplinæ exercitio. Prima de jure communis est omnibus Christianis, cùm nemo sit, qui non vocetur legitimè per baptismum suum, tum ad gloriam Dei, tum ad propriam salutem, ad rejiciendos errores contrarios naturæ & puritati veræ fidei, & ad fratres ad id ipsum excitandos. Sed posterior non omnibus est communis, sed illis tantùm propria, qui eò specialiter vocantur, & nemo ad eam se ingerere debet. Nec obscura est istius discriminis ratio; quia Reformatio consistit in actibus fidei & charitatis, qui sunt omnium, & à quibus nemo eximi potest; quia nemo dicere potest, se non teneri ad fidem & charitatem exercendam. Sed prædicatio Verbi, administratio Sacramentorum, & exercitium disciplinæ sunt actus autoritatis publicæ, quos nemo nomine suo, sed alieno præstare debet, quique ideo peculiarem vocationem postulant, quæ talem potestatem conferat.

Vocatio ad Reformationem, & ad Ministerium publicum.

X. VIII. *Ministerium* sacrum potest spectari; Vel ratione *essentiæ*, & eorum, quæ ad illud constituendum necessariò requiruntur; Vel ratione *accidentium*, quæ pertinent ad ejus bonum vel malum statum & conditionem. Quod est essentiale ministerio, non potest mutari, quin aliud ministerium fiat. Sed essentiâ salvâ manente, non desinit idem esse ministerium, licèt varia & multiplex mutatio circa accidentia contigerit. Essentia Ministerii in eo posita est, ut veritas omnis salutaris, quæ ad fidei & pietatis conservationem pertinet, retineatur & doceatur, ut vera Sacramenta à Christo instituta administrentur, & ut populus sub regimine legitimo contineatur. Accidentia bonum vel malum statum ejus efficiunt; bonus est quum prædicatio Verbi est pura & integra, sine ullâ mixturâ erroris, vel superstitionis, quum Sacramenta ritè ex institutione Christi; sine additione, vel detractione, vel alteratione celebrantur, & populus Christianus sanctè ex Dei Verbo, & non tyrannicè gubernatur. Malus contrà est, quum veritas quæ prædicatur, cum erroribus & superstitionibus miscetur, Sacramenta diversimodè alterantur & corrumpuntur, & regimen vel confusum, vel injustum est & tyrannicum. Nihil bono statu ministerii optabilius & aptius ad conservandam fidem, sanctitatem, & pacem ac felicitatem in Ecclesia. Nihil contrà pravo statu periculosius, & à quo magis cavere debeamus. Sed non putandum tamen ministerium ex qualicunque corruptione, & pravo ejus statu statim deficere & extingui; ut vita non statim extinguitur, sed subsistere potest in mediis languoribus & morbis.

Ministerium ratione essentiæ, & accidentium.

XI. IX. Alia ratio est *Ministerii* præcisè & in se considerati. Alia verò

QUÆST. XXIII. *Ministrorum*, qui illud exercent: Ut aliud est loqui de munere Magistratus, aliud de personis quæ illud sustinent; munus idem manet semper, sed personæ mutantur. Quoad prius, ministerium est institutionis merè divinæ immediatè. Sed quoad posterius est etiam institutionis humanæ; Et si vocatio Ministrorum originaliter est à Deo, est tantùm mediatè interventu hominum. Priori respectu dubium non est, quin Deus ministerium instituendo, illud & quoad essentialia, & quoad accidentalia, tam quoad jus, quàm quoad factum in optimo statu ordinârit, non modò imponendo hominibus omnes partes illius muneris, sed & viros seligendo & vocando, qui ritè illas implerent. Sed posteriori non eadem est ratio eorum, qui per homines vocantur. Ut enim in externis tantùm hærent, nec internos animi motus scrutari possunt, ministerium potest committi iis, qui minus apti sunt ad sacrum hoc munus, quique diversimodè illud corrumpere possunt sive ignorantiâ, sive malitiâ. Si Deus immediatè semper vocâsset homines, ut fecit Apostolos, ministerium nunquam à prima institutione defeciisset, sed semper purum & incorruptum mansisset. Sed ex quo per homines vocationes fieri cœperunt, facilè corrumpi potuerunt, nec Deus unquam promisit se tales vocationes humanas spiritu infallibilitatis comitaturum, ut puræ & sine ullâ corruptione semper perstarent.

XII. x. Distinguendus est *Status Ecclesiæ constituta*, à *Statu Ecclesiæ constituendæ*. Status tranquillus & bene ordinatus, ab eodem perturbato & corrupto. Multa licent in statu Reipublicæ perturbato, quæ non licerent in statu pacato & bene composito, ubi omnia ritè sunt ordinata & secundùm Leges fiunt. Nam tunc necessitas quæ non habet legem, multa facit legitima, quæ remotâ necessitate fuissent culpanda.

Status Quæstionum.

XIII. Quibus ita positis, ut ad Quæstionem propositam descendamus. Non quæritur, An Vocatio ad ministerium sit necessaria? Hoc enim superiori Quæstione probatum est. Sed An vocatio ordinaria ita sit simpliciter & absolutè necessaria, ut sine ea nulla dari possit legitima Verbi prædicatio, & Sacramentorum administratio? quod Pontificii volunt, Nos negamus. II. Non quæritur, An non obstante vocationis ordinariæ defectu, liceat cuivis in omni casu & in omni tempore, & in Ecclesiæ statu constituto & bene ordinato, Verbum publicè prædicare, & aliàs partes muneris sacri peragere, quod fieri ritè non posse suprà evicimus contra Fanaticos & Enthousiastas. Sed An in casu necessitatis ineluctabilis, & in statu Ecclesiæ perturbato & corrupto, nulli liceat partes ullas muneris sacri obire, nisi iis qui ordinariè vocati sunt, & missionem à Rectoribus Ecclesiæ habuerunt, Quod negamus, Pontificii asserunt.

XIV. Talem enim Vocationis & missionis ordinariæ necessitatem esse pertendunt; ut si fortè talis casus daretur, ut si Ecclesia aliqua visibilis

eum

cum ministerio publico esset hæresi & idololatriâ corrupta, quæ veros fideles ex sinu suo ejiceret, satius esset pios illos manere sine Pastoribus & cultu externo, quàm usurpare jus creandi Pastores, & dandi illis Potestatem Verbum prædicandi, & Sacramenta administrandi, ut loquitur *Autor Libri de Præjudi.* c. 5. Unde ex Vocationis & missionis defectu Reformatores nostros tanquam Schismaticos & Usurpatores damnare solent, qui audiendi non sint. Nos verò sic censemus, Licèt vocatio ordinaria, necessaria sit in Ecclesia constituta; Non ita tamen esse necessariam in constituenda & corrupta, quin fideles possint partes illas obire ex vocatione extraordinaria, quæ talis sit, si non quoad munus & doctrinam, saltem quoad actum vocandi & ordinem receptum; si non ex autoritate publicâ, & quoad ritum solennem; at ex charitate privata à Deo singulis impositâ ex vocatione generali. Quæst. XXIII.

XV. Hoc verò ita se habere non uno argumento colligitur. Primò, Quia unusquisque tenetur ad veritatem amplectendam & propugnandam, & rejiciendum mendacium & errorem, non modò ex corde suo, sed etiam ex corde proximorum, & ex societate in qua versatur. Mendacium enim nullum jus habet per se ut credatur vel doceatur; imò aversatione & odio semper dignum est. Et quò gravius est & periculosius, quod inficit ipsum fundamentum Religionis, eò majori studio fugiendum est & oppugnandum. Ita necessitas incumbit cuilibet Christiano veritatem quærendi & retinendi, & mendacium rejiciendi, tum in se ad propriam salutem, tum respectu aliorum ad ædificationem proximi procurandam; ut pro virili ex charitatis lege doceat, hortetur, & reducat in viam fratrem errantem. Hoc Deus in Lege jam jusserat, ne *peccatum feramus in fratre & proximo* Levit. 19. 17. id est, ut eum fraternè moneamus, & eum dehortemur ab iis, quæ in Deum & propriam salutem peccant; Et Apostolus eò respicit, quum vult, *ut alii alios invicem adhortemur* Heb. 3. 13. Quæ potestas non est propriè munus publicum cum autoritate, sed officium generale charitatis, quô alii ergo alios tenemur, ut mutuæ saluti invicem prospiciamus. Et necessitas istius officii eò magis crescit, quum munus publicum, quod ad hoc inservire debet, vel nondum est constitutum; Vel si jam constitutum est, ita est corruptum & depravatum, ut loco veritatis mendacium doceat. Tunc quivis in eo rerum statu, non modò curare debet ea quæ sunt salutis propriæ, retinendo veritatem agnitam, & generosè abjiciendo errores receptos, sed & omni studio ea quæ pertinent ad salutem proximi promovere.

Probatur vocationem ordinariam non semper esse necessariam. 1. Ex officio generali fidelium salutem suam & proximi procurandi.

XVI. Secundò, *Necessitatis casûs* multâ legitima facit, quæ aliàs non licerent tam in œconomicis, quàm in politicis. Si in domo Ostiarius lethargo, vel apoplexiâ oppressus, fures à foribus arcere non potest; licet cuivis domestico claves sumere, & portas claudere latronibus. Si panem li-

2. Ex necessitatis casu.

QUÆST. XXIII. beris negat, is cui alendæ familiæ cura commissa est; Quis dixerit alteri cuipiam è domesticis non licere panem, si possit, illis subministrare, ne fame intereant? Si Pater ipse furit in exitium liberorum; Nonne arma eripienda, liberi abducendi, Tutori committendi, non expectato Prætoris judicio? Imò amicus & vicinus hoc in se recipere potest, donec prospectum sit autoritate publicâ. Ubi grassatur incendium, quis dubitat omnium esse aquam afferre ad illud restinguendum, cessantibus præsertim iis ad quos hæc cura pertinebat? Ita in Republica, si Rectores & Præfecti stertunt adventante hoste; Si janitores portas illi aperiunt; Nonne licebit cuilibet civi claves è proditoris manu eripere, ad fores hosti claudendas, & ad arma vocare? Si milites hostem in se irruentem vident, Duce suo stertente, vel proditoriè cum hoste colludente, An otiosi manebunt, & expectabunt mandatum Ducis? Nonne ipsi per se convenient ad signa, & de propulsando hoste consilia agitabunt, nihilque omittent à parte suâ, ne officio suo desint? Quum res ipsa vocat, quid opus est vocem externam petere? Imò si obedientiæ specie cessarent, immemores juramenti Principi præstiti, perfidiæ & proditionis meritò rei peragerentur, quia hîc sola sceleris conscientia inquinat, à qua nemo se purgat, nisi qui malo ingruenti pro virili obnititur. Nec juramentum Duci præstitum obstare debet. Quia prius Juramentum longè fortius Principi factum, arctiùs ipsum obligat, nec enim obedire tenetur Duci, nisi quatenus fidelem se præstabit Principi. Eodem modo hîc se res habet; fidelis tenetur obedire Rectoribus Ecclesiæ, sed quandiu ipsi obediunt Deo, & Verbum ejus purum & integrum prædicant. Sed ubi deficiunt ipsi à veritate, & in Deum summum Principem insurgunt, rebellis esset in Deum, qui eos sequi vellet. Ordo inferior retinendus, dum superior est inviolatus, sed ubi agitur de summa rerum, & de salute, injurius esset in Deum, in seipsum, in proximum, qui errantes sequeretur, nec ab iis recederet. Pontificii hoc diffiteri non possunt; Nam ut volunt constituta Patrum inviolata servari, si nulla necessitas urget; Ita in casu necessitatis fatentur multa fieri posse, quæ aliàs illicita essent: Ut in casu necessitatis baptizandi potestatem concedunt laïco, etiam mulieri, & privato confessionem audiendi, si desit Sacerdos.

Ex Exemplis.

XVII. Tertiò, *Exempla* varia suppetunt, ex quibus constat rem non modò fieri posse, sed & non rarò contigisse, ubi in casu necessitatis, & quum actum est, vel de Ecclesia constituenda, vel de ea restauranda, non pauci sine vocatione ordinaria munus sacrum obiverunt. Eò pertinet quod dicitur Act. 8. 4. de illis, qui post mortem Stephani, huc illuc vento persecutionis dispersi, Euangelium prædicârunt, quod in specie de quibusdam Cypriis & Cyreniis dicitur Act. 11. 20. 21. qui Antiochiam profecti Euangelizârunt Græcis, & manus Domini dicitur fuisse cum ipsis,

Act. 8. 4.

ipsis, ita ut magnus numerus crediderit, & conversus fuerit ad Dominum cap. 18. 3. Apollos edoctus viam Domini ab Aquila & Priscilla publicè convincebat Judæos, demonstrando ex Scripturis Jesum esse Christum ℣. 25. 26. Plura habet id genus historia Ecclesiastica. Huc facit quod Theodo. lib. 1. cap. 23. & Sozomenus lib. 1. cap. 15. referunt de Ædesio & Frumentio juvenibus, qui in Indias delati Euangelium prædicarunt, nec tantùm Regem & Reginam ad fidem Christi adduxerunt, sed Cœtus etiam publicos instituerunt, ut cultui divino vacarent. Et de fœminâ captivâ, quæ Iberos ad Christum convertit, adductâ primò ad fidem Reginâ, mox per Reginam Rege, qui totius gentis conversionem quærens, *Factus fuit suæ gentis Apostolus*, ut loquitur Ruffin. lib. 10. cap. 11. Sic Theodoretus refert lib. 4. cap. 14. fideles Samosatenses desertos à Pastoribus, Pastoris munus obiisse. Et cap. 24. Aphraatem laïcum Monachum, quales tum erant, tempore Arianæ hæreseos egressum, ut fideles adversus pestiferam illam luem præmuniret, Valenti Imperatori, qui illi succensebat, quòd monasterium reliquisset, respondisse, *Si filia alicujus essem, & sederem in conclavi, ut ædes curarem, & deinde cernerem flammam in eas incidisse, & eas conflagrare, quid me facere oporteret, intùs remanere, & ædes incensas negligere, an meo relicto conclavi sursum deorsum cursitare, & aquam afferre ad incendium extinguendum?* &c. *Atque hoc ipsum nos agimus, ô Imperator.* Victor Uticensis lib. 1. Persecut. Vandalicæ observat Maturianum & Saturnianum inter Mauros detentos Euangelii præcones fuisse.

Quæst. XXIII. Act. 11 20. 21. & 18. 3.

XVIII. Si hodie fideles in remotissimas orbis plagas tempestate delati, per naufragium in littus exponantur inter populos barbaros, & à religione prorsus alienos, atque illic necessitate pressi manere cogantur sine ulla ad suos spe redeundi; Quis non fateatur eos ex charitatis Lege fidem Christi Paganos docere debere? & si contigerit plures ex illis converti, Annon licebit ipsis Pastorem sibi deligere, qui Ecclesiam constituat, & ejus ædificationi & institutioni vacet? An satius erit sinere extingui lumen illud, quàm ministerium erigere ad populi illius consolationem & salutem, quamvis hoc non possit fieri ex ordine usitato? Ita si fortè contingat in gravissima alicujus Ecclesiæ vel Provinciæ persecutione, ut Pastores omnes vel prorsus tollantur, vel ita dissipentur, ut non possint facilè colligi, aut aliunde alii Pastores haberi. An in eo casu consultius erit populum fidelem manere sine Pastore, & sine cultu externo, & sic pati lucem Euangelii, & religionem omnem intercidere; quàm ut liceat illi privatum aliquem de Corpore suo idoneum eligere & constituere, à quo pascatur & doceatur, quamvis ordo receptus observari non possit? Imò quis non videt gloriam Dei & salutem fidelium contrarium omnino exigere? Nec magis peti potest, quo jure & quâ autoritate & vocatione

ista

QUÆST. XXIII. ista fiant, quàm potest peti à Cive, quam vocationem habeat sese opponendi hosti ingredienti, dum Præfecti sunt proditores, vel incendium depascens domum restinguendi, si alii cessant. Quia necessitatis casus, & salus Reipublicæ, quæ suprema Lex debet esse, hoc exigit. Idem est ac si peterem ab homine quod jus habeat Deo obediendi, & se opponendi Satanæ? Quam vocationem habeat ad salutem suam & proximorum procurandam? quod nemo nescit esse necessitatis indispensabilis.

Fontes Solutionum. XIX. Non potest dici latam portam aperiri confusioni, & quibusvis Turbonibus, si vocatio externa desit. Quia is turbator dicitur, qui ordinem possibilem negligit, sed non is qui ordinem toto animo cupit; at eum investigare & consequi propter summam rerum perturbationem non potest. Turbo ille dicendus, qui ordinem bene constitutum temerè & sine ratione negligit; Non verò is, qui invictâ & ineluctabili necessitate coactus est eum omittere. Sic non est seditioni in Urbe vel Castris favere, quum Civis ultro & injussus in Magistratum proditorem, miles in perduellem Centurionem insurgit; si nulla alia via & ratione malo prospici potest. Tum duntaxat pervertitur ordo & regnat ἀ-τάξια, quum extra hujusmodi casus tantum quis sibi permittit & licere putat.

XX. In Judice requiritur semper vocatio externa, ut autoritas illi concilietur, quia functio muneris politici suam vim & efficaciam ab autoritate fungentis habet. Sed virtus & efficacia functionis Ecclesiasticæ à fungentis autoritate non pendet; Sed à naturâ Verbi, quod prædicat; Unde vocatio externa non semper requiritur.

XXI. Licèt Sacerdotes sub Veteri Testamento munus suum sine vocatione speciali non exercerent; Non ideo & Pastores Novi Testamenti. Quia munus illorum erat adstrictum certæ familiæ, certis locorum & temporum circunstantiis. At ministerium Euangelicum liberum est ab omnibus istis circunstantiis carnalibus. Rursus salus non pendebat à Sacerdotio legali; Illius intermissio animæ jacturam post se non trahebat, quia dabatur præterea ministerium Prophetarum. Sed Verbum Euangelii & ejus prædicatio, necessaria est ad salutem; Ut sine ea fides haberi nequeat, Rom. 10. 17. *Fides enim ex auditu, auditus ex Verbo Dei.*

XXII. Dici non potest, lacerare unionem Ecclesiæ, & incurrere in schismatis crimen, qui sine consensu societatis à doctrina & cultu in illa societate recepto recedit. Quia vera unio non sita est in erroribus, & falsis cultibus, quantumvis communibus & longo usu receptis, quia ista non modò non faciunt ad bonum societatis; sed illam perdunt instar morborum epidemicorum, qui societatem vastant, non conservant. Rumpitur ergo unio societatis, sed prava & vitiosa. Ecclesia quippe corrupta duplex habet vinculum, unum ad bonum, alterum ad malum; Unum quò constituitur in esse Ecclesiæ, alterum quò corrumpitur; Illud ligat

gat homines inter se & cum Deo, Istud ligando inter se separat à Deo. Primum à nobis omni studio debet conservari, & nemo sine crimine potest illud abrumpere. Sed posterius est injustum, quod faciendi nemo jus habet, & ad quod rumpendum omnes tenentur; imò primum vinculum posterioris dissolutionem postulat, quantum enim quisque vult Christo arctiùs adhærere, eò impensiùs debet omne vinculum erroris & impietatis abrumpere. Quæst. XXIII.

XXIII. Aliud est neminem prædicare posse sine vocatione & missione. Aliud neminem hoc officio defungi posse sine vocatione ordinariâ. Aliud neminem hoc officio defungi posse sine vocatione ordinariâ. Paulus prius asserit Rom. 10. 15. sed non posterius. Certum est neminem invocatum & sine missione intrudere se debere ad docendum, ut nemo Legati partes obire potest, nisi à Principe mittatur: Sed non necesse est ut illa missio à Deo fiat semper modo ordinario & recepto. Verum quidem est in statu bene ordinato Ecclesiæ, ordinem à Deo constitutum omnino servandum esse. Sed in statu perturbato, quum hominum vitio & fraude tanta est rerum confusio, ut ordo constitutus conservari non possit, nec ab iis qui præsunt Ecclesiæ ulla reformatio exspectanda sit, quia corruptionis, quæ grassatur, autores ipsi sunt. Tum natura ipsa, ratio, Lex, & usus, docent, procurandum id esse omni viâ & ratione, quod præcipuum est & maximè momentosum & necessarium; officium pietatis & charitatis, quod omnibus incumbit, & necessitas, seu Deus ipse, qui in eam necessitatem homines conjicit, non modò non vetat, sed præcipit, & potestatem dat procurandi quæ faciunt ad propriam salutem & proximi ædificationem, licèt ritus & ordines recepti observari nequeant. Rom. 10. 15.

QUÆSTIO XXIV.

De Jure Vocationis.

An Ius eligendi & vocandi Pastores ad solos Episcopos pertineat, An verò ad totam Ecclesiam? Prius Neg. Poster. Affir. cont. Pontif.

I. UT Status Quæstionis de *Jure Vocationis Pastorum*, quæ nobis hìc movetur à Pontificiis, ritè teneatur. Observ. 1. Non quæri de primario vocationis Autore, cui jus propriè & *αὐτεξουσιανὸν* com- *Status Quæstionis.*

QUÆST. XXIV. competat, & à quo ad cæteros derivetur. Nam apud omnes est in confesso, Deo soli hoc convenire, qui homines ad ministerium vocat, & tanquam Dominus & Paterfamilias operarios in messem suam mittit. Sed agitur de Instrumentis, quibus uti vult in isto opere, & quibus hanc potestatem confert. An sint soli Episcopi & rectores Ecclesiæ exclusivè ad populum, quod pertendunt Pontificii? An verò tota Ecclesia, seu Corpus & Multitudo fidelium? quod volumus.

II. Non quæri, An Pastores, & Episcopi Jus Electionis & Vocationis habeant, illudque exercere possint, quod non negamus; Sed An illud habeant à se primariò & originaliter, An verò secundariò & derivative ab Ecclesia? An illud exerceant proprio nomine, An verò nomine Ecclesiæ, quæ illis hanc autoritatem concessit? quod asserimus.

III. Cùm in Vocatione tria potissimùm sint attendenda. 1. *Jus vocationis.* 2. *Actus* seu *exercitium* ipsum vocationis. 3. *Ritus & ceremoniæ*, quæ observari solent in vocatione quoad ordinationem & impositionem manuum. Non agitur hîc propriè, vel de actu, vel de ritibus vocationis. Ista enim duo à Presbyterio & Rectoribus Ecclesiæ fieri debere nemo negat. Sed de *Jure* & *Potestate*, penes quos resideat; An penes Episcopos & Pontificem, An verò penes totam Ecclesiam?

IV. Pontificii, qui volunt Episcopum distingui à Presbytero, & quidem jure divino, non modò Ecclesiam seu Cœtum fidelium omni jure vocandi Pastores spoliant, sed & Presbyteros ipsos; adeoque Jus illud ad solos Episcopos successione non interruptà descendentes transferunt, præcipuè autem ad Pontificem Romanum ceu Episcopum Oecumenicum totius Ecclesiæ. Sic sancit Concil. Trident. de Sacram. ordinis cap. 4. *Docet sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & Magistratus consensum sive vocationem & autoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio, quin potius decernit eos, qui tantummodo à populo aut seculari Potestate ac Magistratu vocati & instituti ad hæc ministeria ascendunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones habendos esse.* Et Cano. 7. *Si quis dixerit ordines ab Episcopis collatos sine populi vel secularis potestatis consensu aut vocatione irritos esse; anathema sit.* Bellarm. lib. 1. de Cleri. cap. 2. & 3. *Omnes Catholici summâ consensione docent, Jus Episcopos ordinandi & vocandi ad plebem nullomodo pertinere posse. Jus autem eligendi fuisse aliquando, & aliquomodo penes populum, sed Pontificum concessione & conniventiâ, non lege divinâ.*

V. Fons erroris Pontificiorum est falsa idea, quam sibi fingunt Vocationis, dum eam concipiunt tanquam aliquod Sacramentum, quod vocant Ordinis; Unde statim opinio oritur populum non posse conferre Sacramentum. Deinde volunt Sacramentum illud characterem indelebilem

lem imprimere, qui sit qualitas physica inhærens menti Pastoris. Tertiò pertendunt Christum & Apostolos Sacramentum hoc deposuisse in manus Episcoporum, ut à nemine nisi ab ipsis dispensetur; quo fundamento semel diruto, cætera, quæ illi superstruuntur, facilè corruunt. Quæst. XXIV.

VI. Sententia verò nostra est, Jus vocationis ad Ecclesiam *originaliter & radicaliter* pertinere, apud quam illam deposuit Christus, exerceri verò à Rectoribus nomine Ecclesiæ, ut Officiarii Regii non suo nomine, sed Regis, Judices & Magistratus instituunt. Et in Republica potestas creandi Magistratum residet in Corpore Communitatis, quæ Rempublicam constituit, & inauguratio fit nomine Communitatis, ab eo qui ad id delegatus est. Porro ut in Ecclesia tres ut plurimum sunt ordines, Politicus, Ecclesiasticus, & Oeconomicus, sive Presbyterium, Magistratus & Populus, ex quibus omnibus, velut ex membris Ecclesia constat, nullus Status Ecclesiæ ab hoc opere simpliciter est excludendus, sed singulis suæ partes, suaque officia sunt relinquenda. Presbyteris quidem hoc competere nemo negat. Sed quia non sunt tota Ecclesia, sed tantùm pars ejus, non debent ad se solos vocationem rapere, reliquis Ecclesiæ membris exclusis; Sed etiam Magistratui, si Christianus sit, suas partes relinquere, non solùm ratione *personæ*, quia est præcipuum Ecclesiæ membrum, sed etiam ratione *officii*, quia est divinæ Legis custos & Ecclesiæ nutritius Isa. 49. 23. Nec non toti populo in genere, cujus etiam hîc res agitur. Licèt verò forma vocationis & electionis variet quoad speciem, pro ratione locorum & personarum, & regiminis, tam politici quàm Ecclesiastici modo; In genere tamen dici potest *Presbyterio* competere *formaliter* quoad examen, electionem, & ordinationem; *Magistratui eminenter* quoad approbationem, confirmationem, & applicationem ad munus; *Populo* verò *virtualiter* quoad consensum & ultroneam admissionem. Atque ita Ecclesiæ Corpori manet semper proprium Jus vocationis.

VII. Rationes cur ita statuamus sunt variæ. Prima petitur à *Traditione clavium*. Quia Ecclesiis data est potestas clavium, quæ in se complectitur jus vocationis. Patet ex Mat. 16. 19. ubi claves regni cœlorum promittuntur Petro, & in ejus persona toti Ecclesiæ, & Matt. 18. 17. Christus dat Ecclesiæ potestatem ligandi & solvendi. Fateor Ecclesiam hoc jus exercere per Rectores suos, sed in eo Pastores exercent Jus, quod competit Corpori, tanquam illud repræsentantes, ita ut jus illud radicaliter pertineat semper ad Corpus & illi proprium sit, Ad Pastores verò quoad *usum & exercitium*, quod nomine Corporis fieri debet. Frustra Bellarm. lib. 1. de Cleri. cap. 7. dicit, *Petrum in persona Ecclesiæ accepisse claves, quia in Ecclesiæ totius commodum & utilitatem eas accepit, & quia non solus illis erat usurus, sed transmissurus ad successores & communica-*

Probatur Jus Vocationis competere Ecclesiæ.

1. *Ex traditione Clavium illi facta.*

Matth. 16. 19. & 18. 17.

QUÆST. XXIV. *turus cum Episcopis & Presbyteris.* Nam ut Petrus confessus est Christum in persona Ecclesiæ, non tantùm quia confessio illa cessit in totius Ecclesiæ commodum; Sed etiam quia Petro confitente, ipsa quoque Ecclesia confitebatur. Ita Petro datæ sunt claves regni cœlorum, non tantùm in commodum & utilitatem Ecclesiæ, sed etiam quia Ecclesia eas in persona Petri accepit, ut eas exerceret, tum in aliis potestatis clavium nomine significatæ partibus, tum in idoneis Pastoribus eligendis & vocandis. Unde ferus in cap. 16. Matth. *Ecclesia habet claves ut Domina ac Sponsa, Petrus, non ut Dominus, sed ut Minister.*

VIII. Quod Tostatus eximiè persequitur quæst. 48. in cap. 15. Numer. ubi variis rationibus probat claves datas esse toti Ecclesiæ, atque adeò jus illarum exercendarum ad eam primariò & radicaliter pertinere, ad alios verò tantum secundariò & participativè, *Communitas*, inquit, *cùm non sit aliquid unum propriè, sed per accidens, sicut acervus lapidum, non potest exercere actus aliquos, imo impossibile est in Communitate esse jurisdictionem secundùm actum. Est tamen jurisdictio secundùm originem in Communitate & secundùm virtutem; quia omnes personæ accipientes jurisdictionem, ex virtute Communitatis accipiunt, quia ipsæ per se possunt judicare, Communitas autem non. Ita autem videtur de clavibus Ecclesiæ, quia illæ datæ sunt à Christo totæ Ecclesiæ; quia tamen non poterat tota Ecclesia dispensare illas, cùm non esset aliqua persona, tradidit eas Petro nomine Ecclesiæ. Si tamen intelligeretur traditas esse Petro specialiter, non solùm sequeretur inconveniens commune quod inducitur, scilicet quod alii Apostoli non habuissent aliquam autoritatem clavium, quod falsum est, quia illis data est potestas remittendi peccata* Joann. 20. *Ista tamen est sola potestas clavium &c. Sed adhuc aliud inconveniens majus erat, scilicet quod defuncto Petro non mansissent claves, quod necesse erat, si soli Petro datæ essent. Et non solùm si ipsi soli, sed etiam si omnibus Apostolis datæ fuissent tanquam determinatis personis, defunctis illis non mansissent claves in Ecclesia; quia isti non habebant potestatem dandi aliis claves, faciendo eos successores suos &c. Et tamen omnes successores B. Petri & aliorum Apostolorum habent claves sicut Petrus & alii Apostoli. Ergo non fuerunt datæ claves illis tanquam determinatis personis, sed tanquam Ministris Ecclesiæ. Et hoc modo nunquam possunt cessare claves in Ecclesia, cùm Ecclesia, quæ habet ipsas radicaliter, nunquam moriatur &c.* Et in id. cap. quæ. 49. *Ecclesia suscepit claves à Christo, & Apostoli tanquam Ministri Ecclesiæ, & nunc Ecclesia illas habet, & Prælati etiam, sed aliter Ecclesia, quam Prælati; nam Ecclesia habet secundùm originem & virtutem; Prælati autem habent secundùm usum earum. Dicitur habere per originem, quia potestas Prælati non originatur à seipso, sed originatur à potestate Ecclesiæ per electionem. Ecclesia enim*

enim, quæ ipsum eligit, tribuit ei jurisdictionem illam; Ecclesia autem à nullo suscipit, postquam semel à Christo suscepit. Ideo eas per originem & virtutem habet, & quando confert eas Prælato, non confert eo modo quò habet, scilicet quantum ad originem & virtutem, sed quantum ad usum &c. Quæst. XXIV.

IX. Secundò, idem probatur ex *Jure Ministerii*, quod Ecclesiæ competit. Ad Corpus illud Jus Vocationis pertinet, ad quod pertinet Jus ministerii, propter quod à Deo institutum est, quod consensum suum debet conferre, & quod obligatur ad illud habendum ad conservationem fidei & pietatis. At tale Corpus non sunt soli Pastores & Episcopi, sed tota Ecclesia. Cùm enim sit Cœtus, quem Deus collegit per ministerium Apostolorum, & quem quotidie congregat & conservat per prædicationem Verbi & usum Sacramentorum; necesse est, ut Deus, qui non deficit in necessariis, illi dederit, eo ipso quo eam formavit, Jus sufficens & plenum omnia media impendendi, quæ necessaria sunt ad sui conservationem, inter quæ præcipuum est procul dubio ministerium. Quemadmodum Providentia, quæ congregat homines in civili societate, & quæ eos ita congregando præcipit, ut societatem foveant ordine legitimo, dat ipsis eo ipso jus vocandi & præficiendi sibi Magistratus à quibus regatur, & qui leges ferant & observari curent ad totius Communitatis bonum. Ita cùm Ecclesia sit societas sancta hominum, quos Deus ipse congregavit Verbo suo, ut inter se vivant non confusè, sed τάκτως, quam vult in mundo conservari ad finem usque mundi; necesse est, ut jus illi eo ipso largiatur habendi & vocandi Pastores, à quibus instituatur & regatur. Quod ex eo ulteriùs confirmatur, quòd Deus qui dedit Ecclesiæ fidem & pietatem, eam etiam per id ipsum obligavit indispensabiliter ad quatuor ista officia. 1. Ut perseveret in istarum virtutum exercitio usque ad finem. 2. Ut eas adversus errores & fraudes Satanæ tueatur. 3. Ut eas confirmet & augeat magis ac magis. 4. Ut eas pro virili propaget non modò ad liberos, sed & ad extraneos. Unde sequitur necessariò dedisse Deum Ecclesiæ jus sufficiens & plenum ad ministerium, quod medium est ad hoc legitimum & aptissimum. Nec potest dari Jus magis legitimum, eò, quod nititur officiis indispensabilibus, quia tunc non est solum jus quod rem justam reddat, sed etiam obligatio, quæ necessitatem ejus exequendæ imponat. 2. Ex Jure Ministerii.

X. Hinc patet Ecclesiam non esse propter ministerium, sed ministerium propter Ecclesiam, & Ecclesiam non pendere à ministerio; sed ministerium ab Ecclesia; Ut in societate civili, Magistratus pendet à Societate, non contrà Societas à Magistratu. Nam ut in Societate primò concipimus Deum fecisse homines; secundò eos congregâsse in unum, denique ex illa unione, quæ sine ordine conservari non potest, Magistratum

QUÆST. XXIV. tum originem ducere. Ita in Ecclesia, Gratia primò fideles facit, deinde eos inter se unit per mutuæ communionis vinculum; Et quia communio non potest esse sine ordine & regimine, inde nascitur necessitas ministerii. Atque ita Ministerium posterius est Ecclesiâ; nec facit Ecclesiam veram esse, hoc enim habet ex veritate fidei, sed Ecclesia vera facit ministerium legitimum, quia ex veritate Ecclesiæ pendet justitia ministerii. Fateor Ecclesiam primò productam fuisse à ministerio extraordinario Apostolorum, & idem ministerium eam quotidie conservare, & conservaturum usque ad finem, quia fides ea est quæ facit, & quæ faciet semper Ecclesiam, & ministerium Apostolorum facit & faciet semper fidem, idem Verbum quod ab ipsis prædicatum est, etiamnum hodie durat, & in unum homines congregat. Sed non eadem est ratio ministerii ordinarii; quia Pastores ordinarii non instituti sunt, nisi postquam Ecclesia jam producta fuit, ad ejus conservationem & propagationem. Unde ex ordine naturæ Ecclesia præcedit Ministerium & illud producit, non verò ministerium Ecclesiam.

3. *Ex Jure superioritatis.*

XI. Unde Tertium fluit Argumentum, Ex *Jure superioritatis*. Quia autoritas & Jus actionis ad superiorem, non ad inferiorem pertinet. At Ecclesia est superior Pastoribus, non Pastores Ecclesiâ, Ecclesia non est Pastorum, sed Pastores Ecclesiæ. *Omnia vestra sunt*, inquit Paulus 1. Cor. 3. 22. *sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas*; ubi arguit eos, qui in hominibus quasi Capitibus gloriabantur, & quorum gratiâ dissidia & factiones excitabant inter Corinthios; ostendens perperam eos agere, quòd Ecclesia sit major & superior omnibus. Unde Pastores dicuntur 2. Cor. 4. 5. servi & Ministri Ecclesiæ, *Servi vestri sumus propter Christum* 2. Cor. 4. 5. Si Ecclesiæ Ministri, ergo ab ea eligi & vocari debent; Ecclesia est Sponsa Christi, Ministri verò pararii & servi, qui eam parare debent Sponso suo. Licèt verò Pastores Ministri sint Ecclesiæ, non illi obediendo, sed eam regendo & illi præsidendo; Non sequitur Ecclesiam jus vocationis non habere. Quia hæc non sunt sibi invicem opponenda; Legitima Pastoris vocatio ab Ecclesiâ, & debita erga Ministrum legitimè vocatum reverentia & obsequium. Ut Magistratus qui imperat populo, potest tamen à populo eligi; Officium regendi Ecclesiam, non aufert Ecclesiæ jus vocandi Pastores suos.

4. *Ex probatione Doctorum.*

XII. Quartò, Ex *probatione Doctorum*. Quia ad illum pertinet Jus vocandi, cujus est discernere Doctores à seductoribus, probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος & à voce Pseudapostolorum distinguere, & alienum non sequi, anathematizare eos qui aliud Euangelium prædicant. At hoc Ecclesiæ toti competit, ex vi præcepti divini, Matth. 7. 15. *Cavete à Pseudoprophetis.* Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, alienum non sequuntur*, 1. Joan. 4. 1. *Probate Spiritus*,

Matt. 7. 15
Joan. 10. 27.
1. Joan. 4. 1.
Gal. 1. 8.

an

an sint ex Deo, Galat. 1. 8. *Si quis vobis Euangelizaverit præter id quod vobis Euangelizatum est, anathema sit.* Frustra Bellarminus regerit, Populum discernere debere verum Prophetam à falso ex consensu doctrinæ, quam prædicat, cum doctrina prædecessorum & Apostolicæ Sedis. Quia sic sequitur ad populum pertinere judicium de doctrina. Norma judicii non debet esse doctrina prædecessorum, vel ordinariorum Pastorum, quia fieri potest, & nimis sæpe factum est, ut aberrent à fide, nec veritas doctrinæ alligata est successioni personarum; aliàs Apostoli non debuissent sequi doctrinam Christi, quæ alia erat à doctrina Sacerdotum, qui Pastores erant ordinarii. Sed norma ista non quærenda est extra Dei Verbum ex locis Isa. 8. 20. Joan. 5. 39. 2. Pet. 1. 19. Galat. 1. 8. Si ergo audiendi sunt Pastores, audiendi sunt non absolutè & simpliciter, quicquid proferant, sed conditionatè, si audiant ipsi Christum, & loquantur eloquia Dei 1. Pet. 4. 11. nec à formâ saniorum sermonum recedant; Alias Christus jubet discipulos cavere à fermento Pharisæorum, & Paulus anathema nobis esse vult, qui aliud ab Euangelio Christi docuerit. Nec dicendum populum rudem non posse judicare de doctrinæ veritate, aliter quàm ex collatione doctrinæ prædecessorum & Pastorum ordinariorum; quia si ruditas populi non obstat, quominus possit conferre doctrinam traditam cum doctrinâ prædecessorum, quare impediret ne doctrinam Pastorum posset conferre cum doctrinâ Christi? quod feliciter Beroënses præstabant, quotidie conferentes sermones Pauli cum Scripturis Actor. 17. 11. Licèt verò populus possit per se judicare de doctrinâ Pastoris; Non sequitur non egere Prædicatoribus. Quia aliud est inquirere in veritatem doctrinæ traditæ, aliud publicè docere. Illud privatorum est, hoc tantùm Pastorum. Oves non debent esse Pastores, sed non sunt etiam brutæ, sed λογικὰ, quæ verum à falso discernere possunt, & quæ Pastorem errantem non modò sequi non debent, sed fugere & ab eo recedere, & alium vera docentem quærere, & in locum errantis vocare.

Quæst. XXIV.

XIII. Quintò, Ex *Praxi Apostolica*. Quia Ecclesia primitiva Apostolica hunc vocandi ordinem observavit, ut non fieret sine Ecclesiæ consensu Act. 1. 23. tota Ecclesia duos eligit, qui sortem subeant Apostolatus, & sorte jactâ in Matthiam, additus est communi consensu numero Apostolorum. Cap. 6. 3. 5. 6. tota piorum multitudo septem Diaconos eligit, qui impositione manuum confirmantur per Apostolos. Cap. 14. 23. Apostoli oppidatim constituunt Presbyteros per populi χειροτονίαν, sive liberis ejusdem suffragiis, voce deductâ à more Græcorum, qui porrectis & extensis manibus suffragia ferebant. Unde ad quaslibet electiones tam sacras quàm politicas translata significat per suffragia creare. Licèt verò verbum χειροτονεῖν nonnunquam latiùs sumatur pro qualibet creatione & electione, ut apud Hesych. χειροτονεῖν est ψηφίζειν; Non potest tamen

5. *Ex Praxi Apostolica.*

Act. 1. 23.

Cap. 6. 3. 5. 6. 13. 23.

QUÆST. XXIV.

men eo sensu hîc usurpari, sed propriè de creatione per suffragia est intelligendum. 1. Quia χειροτονία distinguenda est à χειροθεσίᾳ seu ordinatione, quæ fit per manuum impositionem, Illa fit à populo; Ista verò à Pastoribus. 2. Quia de ordinatione agitur in verbis sequentibus, quando additur *eos precantes commendâsse Deo*, quod non fiebat sine manuum impositione Act. 6. 6. & 13. 3. Nec dici potest intelligi tantùm suffragia Pauli & Barnabæ, quia textus circumstantiæ innuunt Ecclesiæ Corpus ad eam vocationem concurrisse, & exempla similia id evincunt Act. 15. 22. *Placuit Apostolis & Senioribus cum totâ Ecclesiâ electos ex ipsis viros mittere*, & ỳ. 25. *Placuit nobis collectis in unum ad vos mittere* 1. Cor. 16. 3. *Cùm præsens fuero, quoscunque probaveritis per Epistolas hos mittam*, 2. Cor. 8. 19. Lucas dicitur χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἐκκλησιῶν, ut comes esset peregrinationum Pauli, id est, electus per suffragia Ecclesiarum, ubi Chrysost. in h. l. Theophyl. Oecumen. & Estius electionem intelligunt. Si verò in eligendis iis, qui mandata extraordinaria debuerunt ad Ecclesias perferre, suffragium Ecclesiæ fuit adhibitum; quantò magis in illis eligendis, qui ordinario docendi munere fungi debuerunt? & si ad ἀλλοτρίαν collectarum, quantò magis ad ἀλλοτρίαν Verbi? Perperam ergo Cotonus fugillat Versionem nostram Gallicam, quæ χειροτονίαν de creatione per suffragia seu electione interpretatur. Quia vis vocis eam importat, ut Salmero observat in Act. 14. tr. 41. & Estius in 2. Cor. 8. 19. Nec si apud Veteres, & in Canonibus aliquando confunduntur χειροτονία, & χειροθεσία, & promiscuè ponuntur pro electione vel ordinatione Pastorum synecdochicè, quia utraque ad constitutionem & vocationem eorum concurrit; sequitur eandem significationem obtinere in Scriptura, vel ubique apud Patres retineri, quod Zonaras in Can. 1. Apost. observat. *Nunc quidem χειροτονία vocatur consecrationis officium, quia Archiepiscopus manum extendit promotum benedicendo. Sed olim αὐτὴ ἡ ψῆφος ipsum suffragium vocabatur χειροτονία. Nam quum populi admittebantur ad electionem Archiepiscoporum, congregati suffragia dabant extendendo manus*, quod confirmatur ex Cano. 5. Concilii Laodicen. qui præcipit χειροτονίαν non fieri coram Auditoribus, in quorum numero erant Catechumeni, quod de Impositione manuum dici nequit, quæ fiebat coram toto Cœtu.

Act. 15. 22.

1 Cor. 16. 3.

2. Cor. 8. 19.

6. Ex Ecclesia Primitivâ.

XIV. Sextò, Ex *Ecclesiâ Primitivâ*. Jus vocandi Pastores vindicant Ecclesiæ, *Decreta Veterum Conciliorum*, nominatim Nicæni in Epistola Synodica apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. *Si quis fortè Ecclesiæ Præsul obdormierit, jus esto paulo ante receptis, succedere in locum demortui, si modo & meruisse videbuntur, & populus elegerit* &c. Carthaginensis III. Cano. 27. & IV. Cano. 12. *Ne Episcopus sine assensu & testimonio populi Clericos ordinet*, qui Canon citatur c. Episcopus dist. 24. Nannetensis,

To

Toletani 12. Canon. 6. Sardicensis, cujus sanctionem refert Gratianus Dist. 65. c. *si fortè*. Eò pertinent *Rescripta varia Pontificum*, Nicolai, Leonis, Gelasii, Stephani, Pelagii, & aliorum, quæ Gratianus distinctionibus suis diligenter inseruit. Et *Testimonia Patrum*, quæ plurima & luculenta huc afferri possent ex Tertulliano, Origene, Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, Isidoro, Gregorio Magno, & aliis, qui citantur à Gratiano in Decreto Dist. 23. & 24. & 62. 63. & seqq. usque adeò ut communi quasi voce Antiquitas judicârit, omnes illas electiones irritas, quæ ἄνευ λαοῦ συνόστως, id est, ut vertit Cyprianus, *sine populi conscientiâ & assensu* factæ erant. QUÆST. XXIV.

XV. Loca Patrum pauca è multis damus. Cyprianus fusè hoc exequitur Ep. 68. ad Clerum & Plebes in Hispaniâ &c. *Plebs ipsa maximè habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videtur de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio & testimonio comprobetur.* Quod in sequentibus variis rationibus adstruit; additque, *hoc in Collegæ nostri Sabiniani ordinatione factum est, ut de universa Fraternitatis suffragio & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad ipsos literas fecerant, judicio Episcopatus, ei deferretur.* Idem Epist. 52. confirmat Exemplo Cornelii Episcopi Romani. *Factus est*, inquit, *Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio.* Quod Pamelius ipse in Cypri. non potest dissimulare in Epist. 68. *Non negamus*, inquit, *veterem Electionis Episcoporum ritum, qui plebe præsente, imò & suffragiis publicis eligi solent.* Origenes hom. 6. ad c. 8. Levit. qui citatur c. Licet q. 1. *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, ut sciant omnes & certi sint, quòd qui præstantior est ex omni populo, &c. eligitur ad Sacerdotium &c.* Leo I. epist. 89. *Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ac ordinis consensus & plebis.* Et Epist. 96. *Qui præfecturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Ambrosi. lib. 10. Epist. 82. *Meritò vir tantus evasit, quem omnis elegit Ecclesia, merito creditur, quòd divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent &c.* Chrysosto. lib. 3. de Sacerdo. *Omnes electiones & vocationes irritas fieri, quæ fiant sine populi conscientiâ & assensu.* Isido. lib. 2. de offi. Eccles. cap. 5. *Si in plebibus Archipresbyteri obierint &c. Archidiaconus quam citius illuc proficiscatur, & cum Clericis & populis ipsius plebis electionem faciat, quatenus dignus Pastor Domini Dei constituatur.* Grego. Nazianz. de laudibus Athan. refert, quòd electus fuerit ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, *totius populi suffragio.* Idem asserit Theodore. lib. 4. hist. c. 10. & Niceph. lib. 11. hist. Eccles. cap. 20. de Petro successore Athanasii. Idem dicit Socrates lib. 4. hist. cap. 25. de

QUÆST. XXIV. Ambrosio, *Quòd communi omnium suffragio, & ipsius Imperatoris voluntate & consensu in Episcopum Mediolanensem in Auxentii locum electus fuerit.* Idem de Eradio successore Augustini destinato Ecclesiæ Hipponensis consensu, suffragiis, acclamationibus, & subscriptionibus refert August. epist. 110. Porro Electionem Episcoporum ad Clerum & Populum semper pertinuisse fusè probat ex Veteribus *Antonius de Dominis* de Rep. Eccl. lib. 3. c. 3.

XVI. Nequicquam Adversarii varia effugia captant ad eludendam vim argumenti, quod ducitur ex Patribus. Facilè enim ad conspectum locorum evanescunt. An dicent *agi de consuetudine, non de jure divino?* Sed Cyprianus expresè hoc notat ex autoritate divina descendere, & Deum non solùm exemplo ostendere, sed & præcepto instituere, quòd ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientiâ fieri debeant, quod ex Actis Apostolicis confirmat. Nam quod Apostoli impulsu Spiritus Sancti in tam arduo negotio perpetuâ praxi observârunt, id meritò generalis regulæ locum obtinet, & ex jure divino descendere judicatur. An reponent *testimonium & consensum plebis requiri, non verò suffragia?* Sed loca contrarium docent, ubi Cypria. justam & legitimam ordinationem vocat, *quæ omnium suffragio & judicio fuerit confirmata.* Adde quòd consensus & testimonium locum habet suffragii. An addent esse *suffragium petitionis & testimonii, non verò potestatis & autoritatis?* Sed quis non videt, aliud esse petere, aliud suffragari, nec posse suffragium ferri in electione, nisi ex potestate & autoritate? An denique hoc factum fuisse *ex Concessione Pontificum, non ex jure divino?* ut loquitur Bellarm. lib. 1. de Cler. cap. 7. Sed ubinam concessionis vel conniventiæ Papalis, prout eam idem appellat, ulla fit mentio? Nonne antequam Episcopi Romani hanc autoritatem sibi arrogarent; populi consensus & suffragium tanquam necessarium ad legitimam vocationem requisitum fuit? deinde quomodo talis concessio locum habere potuit Sede vacante?

XVII. Nec hîc omittendum, quod in Veteri Pontificali legitur, ubi Episcopus ordinatus ait, *Non frustra à Patribus institutum, ut de Electione eorum, qui ad regimen Altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando.* Quod ita in hanc rem manifestum est, ut Passius Valentinus Canonicus, qui interfuit Concilio Tridentino, suaserit Concilio, ut corrigeret illud, & expungi loca, quæ ejus rei mentionem faciant, sineret.

Fontes Solutionum. XVIII. Licèt Christus Apostolos & Discipulos sine ullo consensu vel suffragio Multitudinis miserit; Non sequitur idem jus competere Episcopis seorsim ab Ecclesia. Quia longè differt potestas Christi, quæ absoluta *Joan. 20. 21.* est & αὐτοκρατικὴ, à potestate limitatâ & dependente hominum. Nec

id

id evinci potest ex Joann. 20. 21. quum Christus mittere dicitur Apostolos, sicut misit eum Pater; Quia particula καθὼς non est illimitatè accipienda, nec extendenda est ad omnimodam potestatis paritatem; sed tantùm ad aliqualem similitudinem, ad divinam muneris autoritatem, promissionem de successu in ministerio, & defensione in periculis, & aliis id genus. QUÆST. XXIV.

XIX. Oves brutæ & ἄλογοι non possunt eligere Pastorem, quia discretionis judicium non habent. Sed non eadem est ratio spiritualium & λογικῶν; quæ sicut vocem Pastoris à voce mercenarii & lupi internoscunt; Ita eligere idoneos Pastores ipsæmet norunt, imò jubentur veros Pastores à falsis discernere, & illos sequi, hos fugere. Aliàs Pontifex non posset ex hypothesi Adversariorum eligi à Cardinalibus, qui ipsi quoque sunt ejus oves. Et in politia subditi, qui oves dicuntur, non possent subinde Reges & Magistratus suos eligere. Licèt verò formaliter non habeant potestatem muneris, quam Pastoribus conferunt, habent tamen eam originaliter & quoad virtutem. Aliud est jus habere vocandi Pastores; Aliud jus habere ministerium exercendi, prius dicitur de Ecclesia; sed non posterius.

XX. Aliud est vocare Pastorem ad Ecclesiam constituendam, & ad populos infideles convertendos; Aliud ad Ecclesiam jam constitutam, & populos conversos. Priori respectu poterant mitti Pastores ab Apostolis sine consensu populi saltem antecedente. Sed posteriori, de quo nunc quæritur, dicimus, Apostolos in vocatione Pastorum suffragia Ecclesiæ non omisisse, ut ex dictis patet. Alia ratio est officii Euangelistarum, quod fuit extraordinarium & temporarium. Alia Pastorum, quod ordinarium est & perpetuum; Illud potuit conferri sine Ecclesiæ consensu à solis Apostolis, licèt & hîc Apostoli non neglexerint Ecclesiæ & Presbyterii suffragium, ut visum in ordinatione Timothei, cui manus dicuntur impositæ à Presbyterio 1. Timot. 4. 14. Hoc verò necessariò consensum Ecclesiæ postulat.

XXI. Titus jubetur oppidatim constituere Presbyteros, Tit. 1. 5. sed secundùm Ecclesiæ Apostolicæ consuetudinem, & omnibus quæ decebant observatis, quod clausula addita, *ut tibi præcepi*, satis docet. Deinde agitur potius de Ecclesia constituenda, quàm constitutâ, quia debuit τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσαι, *reformare & corrigere ea quæ supererant corrigenda.* Tit. 1. 5.

XXII. Canones Apostolici & Synodales, qui turbæ & populo interdicunt electionem Pastorum, ut Canon primus Apostolorum, ut Episcopus ab aliis tribus Episcopis ordinetur, qui postea in Concilio Nicæno sancitus fuit. Canon 13. Synodi Laodicensis, Constantinopolitani 4. Canon 12. humanæ sunt autoritatis, non divinæ. 2. Illis opponimus Concilia superiùs memorata, quæ consensum & suffragium Ecclesiæ postulant. 3. Canones illi consensum populi ab electione non simpliciter excludunt, sed

QUÆST. XXIV. hoc tantùm cavent, ne vel populus jure suo abutatur, vel sibi soli excluso Presbyterio potestatem eligendi rapiat, vel modum agendi Presbyterio insolenter præscribat, vel turbulenter & confusè in hoc sancto negotio procedat. Atque hunc in finem sancitum etiam Canonibus est, ut primores Ecclesiæ Viri honesti & prudentes reliquorum nomine negotium hoc maturè expediant.

XXIII. Licèt jus Plebi vindicemus in Vocatione Pastorum; Nolumus cum Fanaticis hoc jus illi tribuere excluso Magistratu & Presbyterio; Sed omnia ex ordine & decenter fieri volumus, ut cuique Ecclesiæ ordini suæ partes tribuantur, pro ratione locorum & modo regiminis, ut antea dictum.

XXIV. Licèt Corpus Ecclesiæ exercitium Juris vocandi Pastores commiserit Presbyterio ad vitandam confusionem; Non ideo se absolutè & simpliciter eo jure spoliavit, ut dicatur eo carere, nec possit amplius in ullo casu eo uti. Quia ita commisit Juris illius exercitium Rectoribus, qui nomine suo illud administrant, ut illud tamen originaliter tanquam sibi proprium & peculiare reservarit. Nec exemplum Societatis civilis huc pertinet, ubi populus ita resignat jus suum Principi, quem eligit, ut eo absolutè & simpliciter exuatur. Quia longè hac in parte differt Societas politica & sacra. In illa populus potest resignare absolutè jus suum Principi, illi se subjiciendo, ut Domino. Sed Ecclesia jus suum non transfert Pastoribus quoad proprietatem tanquam Dominis, sed tantùm quoad usum & exercitium tanquam Ministris, qui illud administrent, non proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ. Ratio discriminis est, quòd in Societate civili, ubi agitur tantùm de bonis temporalibus, nihil obstat quominus populus possit resignare absolutè jus suum, imò expedit aliquando ad vitandam confusionem & anarchiam. Sed in Ecclesia, ubi agitur de salute, fideles non possunt sine crimine absolutè se exuere jure illo, quod habent in media, quæ illi dantur ad promovendam salutem suam, quale est Ministerium. Licèt enim fides & pietas ipsorum non absolutè pendeat à Pastoribus, tamen exercitium ministerii, quod purum est & integrum, magno est ad pietatem adjumento, & contrà fidei conservatio difficillima est in corrupto ministerio.

XXV. Si porrò quæritur, An Ecclesia teneatur conferre semper vocationes suas interventu Pastorum? Annon liceat illi in certis casibus, ubi desunt Pastores conferre illas per se immediatè? Respondemus distinguendam esse Vocationem prout spectatur *in seipsa* respectu partium ejus essentialium, vel respectu *modi* eam conferendi, nimirum cæremoniarum & rituum, qui in ea adhiberi solent. Essentia vocationis consistit in triplici *consensu*, Dei, Ecclesiæ, & Vocati. *Dei*, quia vocatus ejus nomine loqui debet. *Ecclesiæ*, quia debet doceri & regi; *Vocati*, qui debet partes muneris

neris sui implere. Modus vocationis consistit in actibus quibusdam vel præcedaneis, vel concomitantibus, sine quibus vocatio confusa foret & inordinata, qualis sunt Examen fidei & morum, testimonium probæ vitæ, benedictio & manuum impositio. Quoad prius, cùm essentiale vocationis possit esse in Cœtu, ubi desunt Pastores, certum est populum fidelem posse vocationem facere in casu summæ necessitatis. Fateor ubi adsunt Pastores in Ecclesia constitutâ & ritè ordinata, plebem debere cum Presbyterio concurrere ad vocationem instituendam, si hoc fieri potest sine confusione, sin minus ratam debet habere & approbare consensu suo vocationem à Presbyterio factam, quia nomine ipsius facta est. Sed ubi nullos habet Pastores, nec potest habere sine periculo dissipationis; Certum est posse solum vocationem conferre. Vocatio enim non procedit à Societate, quatenus Pastores habet, sed quatenus est Cœtus, id est, Corpus fidelium inter se junctorum per vinculum fidei, pietatis, & justitiæ, quæque ideo, ut ordinem suum instituit, ita domina est proprii consensus. Sic non desinit vocatio esse plena & sufficiens quoad essentialia sine Pastoribus. Quoad ritus & cæremonias Vocationis, quæ non sunt de essentia Vocationis, obtinere debent in Ecclesiâ constitutâ, sed non semper observari possunt in Ecclesiâ constituenda & reformandâ. Vide quæ dicta sunt Quæst. præced. Quæst. XXIV.

XXVI. Quia verò hîc rursus quæritur, Quomodo laïci, qui non sunt Ministri, possint facere Ministros, siquidem nemo dare potest quod non habet? Responsio facilis est; Nimirum neminem dare posse quod non habet omnino. At Ecclesia seu Corpus fidelium, licèt non habeat *ministerium quoad exercitium*, nimirum ut ejus partes impleat prædicando & Sacramenta administrando; habet tamen *quoad jus & potestatem collationis*, quia autoritas ejus & consensus efficit ut functiones ministerii validæ sint ex institutione Christi, qui societatem istam religiosam voluit hoc jure donare. Ita ministerium ad Ecclesiam pertinet, quia ejus gratiâ & in ejus commodum tantum instituitur, Et Vocatio in eo posita est, ut jus illud publicum committatur illi qui vocatus est, ut eo utatur nomine totius Societatis. Nec potest denegari populo legitima potestas depositum illud certis personis committendi, nulla quippe justior est vocatio, eâ quæ fundatur, non modò in jure legitimo, sed etiam in officio & obligatione indispensabili, qualis est potestas, quam diximus Ecclesiæ Corpori competere. Nec si quivis privatus seorsim spectatus, hoc jus non potest sibi vindicare; sequitur Corpori fidelium tribui non posse; quia nihil absurdius est, quàm fingere Corpus Communitatis alicujus, non posse habere & aliis committere, quod singulis privatis ex quibus componitur non competit; alias populus non posset Regem & Magistratum creare, quia nullus privatus ex populo hoc juris habet.

QUÆST. XXV.

QUÆSTIO XXV.

DE VOCATIONE PRIMORUM REFORMATORUM.

An Vocatio Primorum Reformatorum fuerit legitima
Affirm. cont. Pontif.

I. INter Quæstiones omnes, quæ de Vocatione Pastorum agunt, nulla à Pontificiis frequentiùs movetur, vel majori contentione agitatur eâ, quæ Reformatorum nostrorum Vocationem spectat. Scopus eorum est schismatis eos reos peragere, & Reformationem ab ipsis institutam, ut illegitimam & sine vocatione susceptam damnare; atque ita hac digressione à summâ rei nos abducere volunt, & causam aliò, his obicibus positis, convertere, ut declinent doctrinæ examen, & tutiùs evadant.

Quæstio de Vocatione Reformatorum præposterа.

II. Verùm præposterа omnino est ista agendi ratio. 1. Quia inter Nos & Pontificios de Doctrinâ est quæstio, Non de disciplina. At de doctrina licet etiam privato cuivis agere, quærere, & respondere. 2. Non potest intelligi quæstio de Vocatione sine altera; cùm primæ partes vocationis sint Doctrinæ examen, & Veritatis quæ prædicanda est probatio. 3. Frustra inquiritur in veritatem Vocationis, si de veritate Doctrinæ constat, quia fides non pendet à Vocatione; sed contrà Vocatio à fide; Fides non est vera, quia qui eam prædicant, legitimè sunt vocati; sed contrà illi legitimè vocati sunt, qui veram doctrinam retinent & proponunt. 4. Hæc fuit agendi ratio Pharisæorum cum Christo, qui in vocationem ejus inquirunt, *Quâ autoritate*, inquiunt, *ista facis, & quis tibi dedit istam autoritatem?* Matth. 21. 23. quibus Christus respondens, & vicissim eos interrogans de origine baptismi & doctrinæ Johannis, satis innuit quæstionem de doctrinâ præcedere debere quæstionem de Vocatione. Ita si Adversarii importuniùs ex nobis quærant, Unde Majores nostri autoritatem habuerint, aliter quàm receptum erat docendi? Nos vicissim per opportunum ἀντιπρόπημα reponere possumus & petere. Utrum doctrina Reformatorum è cœlo fuerit, An ex hominibus? Si prius, cur illi repugnant? Si posterius, cur illud non ostendunt? & si ostendere non possunt, ullum esse inter Christi & Reformatorum doctrinam discrimen, cur de Vocatione eorum legitimâ dubitant? 5. Hæc Quæstio longè potiori jure urgenda

Matt. 21. 23.

genda est contra Pontificios, qui nullum Vocationis Pontificum, Cardinalium, & Sacerdotum vestigium in Scriptura ostendere possunt. Quæst. XXV.

III. Quamvis Quæstio de Vocatione Pastorum non exiguæ sit utilitatis, tam respectu Pastorum ipsorum, ad eorum solatium, quàm respectu Populi ad boni ordinis conservationem, & legitimorum Pastorum à falsis & παρεισάκτοις discretionem. Longè subsidet necessitas ejus infra necessitatem quæstionis de Doctrina. Illa enim est *necessitas* tantùm *ordinis*, sine quo salus potest obtineri. Sed ista est *necessitas medii*, sine quo non pervenimus ad salutem; Siquidem nulla sperari potest salus sine fide, quæ doctrinæ salutaris notitiam includit. Hinc si quæratur cuinam ex duobus Cœtibus adjungere nos debeamus, quorum alter supponatur habere successionem non interruptam, sed sine veritate; Alter verò veritatem doctrinæ, sed sine successione. Nemo dubitabit respondere ad posteriorem accedendum esse, quia Vocatio sine veritate salvare non potest, sed potest veritas etiam sine vocatione.

IV. Perperam hîc supponunt Adversarii Missionem esse titulum, ex quo nobis adscripsimus jus immutandi Ecclesiam. Quia non alium titulum habuimus, quàm veritatem doctrinæ. Si falsa est, quicquid fecimus injustum est. Sed si est vera, justè & legitimè fieri potuit, quod à nobis factum est. Nec reponi debet nullam esse spem salutis pro nobis, si nostra Ecclesia falsa est, Ecclesiam autem falsam esse, si missio nostra sit falsa. Quia alia ratio est missionis falsæ in essentialibus & respectu doctrinarum, quæ proponuntur. Alia verò missionis, quæ falsa & illegitima dicitur in accidentalibus & respectu rituum & cæremoniarum, quæ observari non potuerunt in statu perturbato; sed quæ essentiales non sunt, vel Ministerio, vel Ecclesiæ, nec sunt necessariæ ad salutem iis qui credunt. Illa arguit falsam Ecclesiam; Sed ista non item, quia potest reperiri in verâ Ecclesiâ; talis autem est missio nostra, non ratione doctrinæ, sed tantum ratione rituum tum receptorum.

Vocationis Reformatorum validitas asseritur.

V. Ut verò vindicare possimus vocationem nostram adversus iniquissima præjudicia, quibus gravari solet, Observandum validitatem vel invaliditatem Ministerii in tribus præcipuè spectandam esse 1. respectu *functionum*, quæ obeundæ sunt, & *rerum* ipsarum, quæ in eo docentur & præcipiuntur, si veræ sunt, vel falsæ, justæ, vel injustæ. 2. respectu *Cœtus* in quo exercetur, si habet jus vocandi, vel non. 3. respectu *personarum*, quæ ministerium exercent in illo Cœtu. Primo respectu vocatio & ministerium Judæorum, Mahumedanorum, & aliorum id genus infidelium est impium & sacrilegum, quia res quæ in eo docentur, sunt impiæ & falsæ, & functiones illicitæ. Secundo, ministerium Donatistarum & Luciferianorum, quod bonum erat in se, quia nihil mali in eo docebatur, vitiosum erat, quia in Cœtibus schismaticis exercebatur, qui nullum jus se ab-

QUÆST. XXV. ab aliis separandi habebant. Tertiò ministerium simoniaci, & usurpatoris, licèt in se bonum, non desinit malum esse & illegitimum propter defectum vocationis personalis. Jam facile est ostendere sub triplici ista χίσει legitimam esse Reformatorum nostrorum vocationem. Primò respectu rerum quæ docentur, vel præcipiuntur, quia ministerium quod vocatio nobis imponit, totum consistit in præconio doctrinæ Christi & Apostolorum. Quod si negatur ab Adversariis, deveniendum est ad viam discussionis, seu doctrinæ examen, & relinquenda erit via præscriptionis, seu quæstio de vocatione, quam tanto molimine urgent; Et ita facile nobis erit veritatem vocationis nostræ demonstrare, ex veritate doctrinæ quam docemus. Sed nunquam probare poterunt Pontificii vocationem, seu jus quod habent docendi Transubstantiationem, Purgatorium, Sacrificium Missaticum, Cultum Imaginum, Invocationem Sanctorum, & alia id genus, quæ ὡς ἀπὸ πασῶν repugnant Verbo Dei, quia nulla dari potest vocatio ad docendos errores & superstitiones. Secundò, Cœtus in quo ministerium exercetur, jus habuit tale ministerium instituendi, primò, quia ad veram Ecclesiam autoritas ista ministerialis pertinet, & jus eam Pastoribus communicandi, ut visum fuit in Quæstione præcedenti. Deinde quia illa Ecclesia non potest non esse vera, in qua vera doctrina Christi retinetur, & errores ac falsi cultus damnantur, qualem esse nostram pertendimus. Tertiò respectu personarum, quia non αὐτόκλητοι fuerunt, qui sese proprio motu intruserint in ministerium, sed vocationem habuerunt ab Ecclesia, cui jus illud competit, quòd si non vocati sunt semper juxta ritus tunc receptos, non ideo destituti fuerunt vocatione legitimâ in essentialibus.

VI. Sed ut specialiùs veritatem Vocationis Reformatorum demonstremus, spectandi sunt in duplici ordine. Primus est eorum, qui vocati sunt & ordinati in Ecclesia Romana. Secundus eorum, qui à Cœtibus fidelium sine Pastoribus vocati sunt. Et ad illos quidem quod attinet, non potest illis denegari vocatio legitima; nisi velint Pontificii fateri se destitui vocatione legitimâ. Nam vel illorum vocatio est legitima, vel non; si est legitima, non possunt illam culpare in Nostris, si non est legitima, malè ejus defectum Nostris objiciunt.

VII. Nec excipi potest, Eos excidisse Vocatione suâ, impugnando doctrinam receptam in Ecclesia Romanâ; Quia tantùm abest, ut ideo possint dici excidisse vocatione suâ, ut contrà eam ad verum & legitimum ejus finem retulerint, & qui à Christo intendebatur. Fateor non fuisse intentionem eorum, qui eos ordinaverant, ut doctrinæ receptæ se opponerent; sed attendendum illis fuit ad Christi mandatum, & ad munerum suorum primævam obligationem & naturam. Nimirum distinguendi sunt accuratè duo fines qui hîc occurrunt. Alius est *primarius Dei*

An-

Autoris Vocationis, & muneris ipsius; Alius *secundarius* & minus principalis *hominum vocantium*; Certum est eos non respexisse ad finem hominum, qui erat tueri & propagare doctrinam papalem, quia injustus fuit. Sed respexerunt ad finem primarium muneris ipsius, & Dei vocantis, qui fuit veritatem docere, & animas Christo lucrari. Nec obstare potuit juramentum Pontifici præstitum, quia prius Deo erant obstricti. Cùm ergo compertum ipsis fuit, se non posse bonâ fide juramentum Pontifici præstitum implere, nisi violato juramento Deo præstito, fidem datam Pontifici frangere potius debuerunt, quàm fidem datam Deo. Ut in castris milites fidem Regi & Duci suo pollicentur, sed primò Regi, deinde Duci propter Regem. At si agnoscunt Ducem defeciisse à Principe & proditionem moliri, eodem illo juramento, non modò Ducem deserere, sed & pro virili oppugnare tenentur, nisi velint perduellionis crimen & ipsi incurrere. Quæst. XXV.

VIII. Atque hîc distinguenda venit rursus *Vocatio*, alia, quæ *institutione suâ falsa* est & illegitima omni modo, quæ tendit primariò ad impietatis & idololatriæ propagationem. Alia, quæ institutione quidem suâ sancta est & justa, sed *abusu hominum corrupta* degeneravit, & ab ipsis ad erroris propagationem dirigitur. Prima absolutè rejicienda, quia nihil boni in ea occurrit. Sed altera corrigenda est & repurganda, ut sublatis erroribus & corruptelis per homines invectis, sola Christi institutio & usus maneat juxta intentionem Dei. Talis autem est Episcoporum & Presbyterorum vocatio in Ecclesia Romanâ, quæ quoad institutionem Dei bona fuit, sed quoad abusum hominum mala facta est. Unde resecatio errorum & corruptelarum ab hominibus invectarum, non potuit esse vocationis abrogatio, sed correctio & restitutio. Eò enim semper tendere debuit, ut vocatus religiosè & sanctè ex Dei instituto munus suum obiret, & licèt alii omnes munus illud aliò converterent, ille tamen, si vocem Dei & conscientiæ suæ audiebat, tenebatur ad veritatem indagandam, agnitam amplectendam, & publicè docendam, ad errorem profligandum, & salutem gregis procurandam; quia omnis ministerii institutio, à fonte & primario autore semper est repetenda. Hoc enim Deus ipse, cui magis obediendum est quàm hominibus, postulat. Hoc Ecclesiæ primaintentio & scopus exigit, qui non alius debuit esse, quàm veritatis prædicatio & erroris rejectio. Hoc ipsa rerum necessitas & vocationis natura requirit. Unde quisquis canonicè ordinatur, debet uti vocatione suâ ad propagandam illius Ecclesiæ doctrinam, in qua vocationem suam accepit, si fuerit conformis veritati, sin minus ad eam impugnandam.

IX. Licèt verò Excommunicati fuerint Reformatores ab Ecclesiâ Romanâ; Non ideo possunt dici excidisse Vocatione, quam acceperant, quia injusta fuit, quæ non potuit illis auferre jus suum, ut non ideo Apo-

QUÆST. XXV. stoli vocationem suam amiserint, quia excommunicati sunt à Synedrio Judaïco; Nec Episcopi Orthodoxi, qui ab Arianis excommunicabantur, maximè cùm ex hypothesi Pontificiorum ordo imprimat characterem indelebilem. Hoc ipsum sancitur apud Gratianum Causa 24. cap. 35. Ait Cœlestinus, *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est, seu Antistitis, seu Cleri dignitate, hunc in nostra communione & durâsse & durare manifestum est; Nec judicamus eum remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum,* quod confirmatur cap. 36.

X. Quamvis verò veram Vocationem in Ecclesiâ Romanâ fuisse statuamus; Non ideo tamen veram Ecclesiam fuisse agnoscimus; quia ista non sibi invicem ex æquo respondent. Ubi est Ecclesia vera; Ibi quidem indubium est esse Vocationem veram. Sed non vice versa, ubi est Vocatio vera, ibi est Ecclesia vera; quia ad veritatem vocationis sufficit professio Christianismi, quæ in Ecclesia falsa & hæretica potest dari. Nec magis potest ex vocatione colligi veritas Ecclesiæ, quàm ex baptismo, quem verum esse posse etiam in Ecclesiâ hæreticâ constat. Ita missio potest esse inter eos, qui vera Ecclesia non sunt, sed Ecclesiæ aliquid retinent, quia missio non oritur ab Ecclesia, ut fonte & principio, sed à Deo per homines, etiam malos; ut nihil refert ad efficaciam sementis ac plantationis, utrum lotis manibus, an sordidis id fiat, modò bonum sit semen, & terra fertilis. August. lib. 3. de bapt. cap. 10. *Lumen lampadis vel solis non inquinatur, etsi transeat per loca cœnosa, parum interest, utrum aqua per canalem lapideum, an per argenteum deferatur,* & cap. 11. *Verbum Dei etiam efficaciter prædicatur ab improbis.* In Ecclesiâ Judaïcâ idololatricâ manebat tamen vocatio. Ariani, & Nestoriani non erant vera Ecclesia, plures tamen Episcopos vocabant, qui ab Orthodoxis pro legitimis sine ulla nova vocatione recepti sunt, & pro veris Pastoribus agniti, vide Socrat. lib. 2. c. 12. Sozomen. lib. 3. cap. 4. 7. 9. Theodor. lib. 2. cap. 13. 31. Nec dici debet cum Perronio, tales rehabilitatos fuisse, quia non alia fuit redintegratio, quàm veritatis confessio & erroris agnitio.

XI. Secundus ordo Reformatorum, illorum est, qui, licèt non vocati ab Ecclesiâ Romanâ, hoc opus susceperunt. De quorum vocatione quæritur. Hic verò recurrere debet quod antea monuimus, distinguendam esse Ecclesiam constitutam & constituendam seu reformandam, & viam ordinariam à casu summæ necessitas. In Ecclesiâ constitutâ ordinem sancitum retinendum esse censemus, ut omnia fiant decenter in Ecclesiâ, & εὐτάξιαν & confusio vitetur. Sed in Ecclesiâ restituendâ, non expectandam semper esse vocationem ordinariam, sed posse privatum quemlibet in casu summæ & ineluctabilis necessitatis reformationis opus aggredi.

XII. Ta-

XII. Talem autem supponimus fuisse casum, & demonstrare parati sumus ex statu Ecclesiæ Romanæ, qui depravatissimus fuit, tam quoad fidem, quàm quoad cultum, & tyrannidem. Et quidem in iis ipsis, qui Ecclesiam regere debebant, & erroribus occurrere; qui in lupos conversi gregem Dominicum vastabant, & Ecclesiam in idem erroris præcipitium trahere secum conabantur. Quis verò reformationem ab ipsis expectare potuit? Sat ergo vocationis fuit cuilibet fideli ad opus hoc suscipiendum, licèt nullam autoritatem haberent ab Ecclesia Romana ad Euangelium prædicandum; tamen ratio illorum temporum perturbatissimorum, necessitas indispensabilis, quæ unicuique incumbit salutem suam promovendi, & charitatis lex, quæ nos jubet proximorum salutem procurare, dabat illis autoritatem Euangelium purè prædicandi, errores Pontificios rejiciendi, homines ab iis revocandi, revocatos simul colligendi, cœtus sacros instituendi, & alios sibi successores eligendi potestate sibi ad id à plebe conversâ concessâ. Ut licèt civibus bonis, etsi privatis, adversus Magistratum perduellem insurgere, & hosti adventanti portas claudere. Eòque magis, quòd, ut ante probatum, jus vocandi Pastores ad Ecclesiam propriè pertinet, cujus nomine exercetur à Pastoribus, quum adsunt. Sed ubi desunt, potest eodem alio modo uti; nec enim si amisit Pastores, continuò amisit jus suum; nec si illud non potest per Ministros exercere, non poterit per se ipsam, aut per alium quempiam, cui hoc commiserit. Non tantùm est juris sui, sed & officii, ne Ministerium intercidat, quod à Christo, non ad aliquod tempus, sed in perpetuum usque ad consummationem seculi institutum est in medium fidei & salutis Matth. 28. 20. Ephes. 4. 11. 12. Quæst. XXV.

XIII. Vocationem autem Dei verè intercessisse in hoc Reformatorum ministerio, ex variis colligimus. 1. Ex *necessitate*, Quia cùm Deus homines in eum statum conjici vult, ut miserè illis pereundem sit, nisi prospiciant hac ratione saluti suæ & proximorum; ipse etiam, qui eos ad eam necessitatem redigi patitur, censetur potestatem dare ipsis, eo potius defungendi officio, quàm ut sinant veritatem de mundo tolli, & salutem suam & aliorum periclitari. In eo statu verò ineluctabilis necessitatis constitutos fuisse Reformatores constat. Ecclesiam Romanam corruptelis exitialibus innumeris laborantem videbant, quas profiteri non poterant sine præsenti salutis discrimine. Nulla reformatio expectanda fuit à Rectoribus Ecclesiæ, à quibus errores manabant, quique pro illis retinendis tanquam pro aris & focis certabant, tantùmque abest, ut de reformatione vellent cogitare, ut ferro & flammâ persequerentur eos, qui eam petere sustinerent, & erroribus grassantibus se opponere auderent. Accedebat & ipsius Dei vox, quæ hanc necessitatem imponebat; Tum mandato generali omni tempore & loco, & omni hominum generi veritatem

QUÆST. XXV. tem sequendi & confitendi, & medacium arguendi; Tum speciali exeundi ex Babylone Apoc. 18. & secedendi à communione errantium 2. Cor. 6. 16. 17.

XIV. Secundò ex *charactere Vocationis* illis impresso, qui consistit non modò in puritate doctrinæ, & vitæ innocentiâ, sed etiam in *donis eximiis* & extraordinariis, quibus servos suos ornavit, & arcano impulsu, heroïcoque motu, quò eos excitavit ad tantum opus suscipiendum. Nam si Deus nemini dona eximia confert, nisi quum illum ad aliquid magnum & arduum vocat; non potest negari Deum talem vocationem imposuisse primis Reformatoribus; cùm constet eos donis extraordinariis fuisse instructos. Non quòd fuerint planè miraculosa, & supra naturam, qualia fuerunt in Ecclesiâ Apostolicâ; hæc quippe pertinebant ad Ecclesiam fundandam. Sed fuerunt tamen singularia & extraordinaria, quatenus fuerunt non parum supra modum & mensuram illorum temporum, quibus plusquam Cimmeriæ tenebræ errorum & vitiorum cœlum Ecclesiæ, & Rectorum animos occupabant. Quis enim non miretur eruditionem profundam, Judicii vim acerrimam, zelum ardentissimum, fidem admirabilem, constantiam invictam, charitatem intensissimam, & vitæ morumque integritatem singularem, aliasque innumeras dotes, quibus cæteris prælucebant, & se vasa ἐκλογῆς à Deo ad opus hoc extraordinarium segregata probârunt? Hæc sanè sigilla fuerunt authentica divinæ eorum vocationis.

XV. Tertiò ex *successu mirabili* & planè stupendo, quem Deus dedit ipsorum laboribus, quo factum est, ut tantum tamque arduum opus, non modò cœperint, sed & promoverint, & tandem perfecerint, non obstantibus innumeris Adversariorum contranitentium molliminibus, artibus, violentiâ, fraudibus & crudelitate, diris simisque persecutionibus, in quibus omnibus generosè ferendis & superandis invictum animi robur testati sunt. Et admirabilis Dei providentia sese in hoc opere inchoando & promovendo ita conspicuam præbuit, ut nemo, nisi qui sponte cœcutire voluerit, illud non videat. Cùm ergo opus hoc difficillimum præter omnium expectationem & perfectum sit semel, & substiterit ab eo tempore inter tot obstacula & contradictiones, verè divinum fuisse dubitari non potest, ex Gamalielis dicto Act. 5. & Viros, qui hîc operam tanto studio & labore impenderunt, divinâ vocatione ad id excitatos fuisse.

Fontes Solutionum. XVI. Vocatio Reformatorum potest dici *ordinaria*, & *extraordinaria* diverso respectu. *Ordinaria* fuit 1. ratione *muneris*, quia Ministerium non fuit novum & extraordinarium, qualis erat Apostolatus; sed idem illud munus ordinarium, quod à Christo & Apostolis institutum est, & quod durare debet usque ad consummationem seculi. 2. ratione *doctri-*

na

ne, quia non novam doctrinam proponere debuerunt, sed eandem, quæ ab Apostolis jam prædicata fuerat, nec novam Ecclesiam erigere, sed corruptam reformare, & cultum depravatum corrigere, & ad primævam Christi & Apostolorum institutionem revocare. 3. ratione *Juris perpetui* & indispensabilis, quod fidelibus competit veritatem profitendi, & errores rejiciendi, & ratione officii, quod tum Pastores, tum fideles ipsos spectat ex Christi præscripto Christum sequendi, & à falsis doctoribus recedendi. 4. ratione *materialis* & quoad functiones ordinarias Ministerii, nimirum Verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem. Sed *extraordinaria* bene dicitur ratione *modi & rituum*, qui observari solebant, quia non facta fuit modo ordinario, & in Ecclesia Romana usitato, sed præter ordinem & ritus receptos propter casum summæ necessitatis. 5. ratione *exercitii*, quia licèt reformatio fuerit functio ordinaria muneris sui, ad quam non opus habebant novo ullo jure, vel novo ministerio; cùm teneatur quilibet Pastor reformare gregem suum, quoties opus est. Quia tamen non quotidie hoc fieri solet, in hoc opere fuit aliquid extraordinarii, quatenus populi eguerunt auxilio extraordinario & insolito ad repurgandam doctrinam & cultum à corruptelis adhærentibus. Cùm ergo juxta varias *respectus* rectè possit dici Vocatio ista & ordinaria, & extraordinaria; Non debet propterea mirum videri, si diversimodè loquantur Nostri juxta varios illos respectus. Nonnulli ordinariam vocando. Alii extraordinariam, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, rei veritate eâdem semper manente. Si ordinarium intellgitur propriè, quod ordini primitus & divinitus instituto est consentaneum, Vocatio Reformatorum bene ordinaria dicitur; Sed si sumitur æquivocè, pro eo quod inveteratâ consuetudine qualiscunque ea sit, publicè receptum est, potest dici extraordinaria, quia plurimùm abfuit, ab ea consuetudine & more, qui in Ecclesia Romana inolevit, sed morem hunc legitimum ordinem esse negamus, cùm sit mera ἀταξία, quæ ordinis specie in Ecclesia illa grassatur. Quæst. XXV.

XVII. Non omnis Vocatio extraordinaria miraculis debet confirmari; Nam & varii Prophetæ, & Johannis Baptista, qui fuerunt extraordinariè vocati, nulla fecerunt miracula; sed ea tantùm, quæ talis dicitur ratione novæ doctrinæ, vel novi muneris, qualis fuit vocatio Mosis & Apostolorum; quia veterem cultum antiquabant & novum instituebant. Sed ubi eadem doctrina, quæ antea tradita fuit, retinetur & repurgatur; non opus est miraculis, quia eadem miracula, quibus antea confirmata fuit, ad ejus confirmationem adhuc faciunt. Talis autem fuit vocatio Reformatorum, qui novam doctrinam non afferebant, sed doctrinam Christi, hominum erroribus corruptam repurgabant. Unde Grego. hom. 29. in Euange. *Signa illa necessaria in Ecclesiæ exordio fuerunt, ut enim ad fidem cresceret multitudo, miraculis fuit nutrienda, quia & nos quum arbusta*

QUÆST. XXV. *plantamus, tamdiu iis aquam infundimus, quousque ea in terram jam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Ita miracula requiruntur in cultu instituendo, non verò dum agitur tantùm de eo restituendo. Cùm Ecclesia est de novo erigenda & fundanda, non verò quum est tantùm reformanda & à sordibus suis repurganda. Adde quòd successus mirabilis, quem dedit Deus laboribus Reformatorum, habuit rationem miraculi, quo Deus palam fecit, talem vocationem, quæ tantum opus perfecit, non potuisse non à se processisse.

XVIII. Aliud est *novum Ministerium* instituere, Aliud *novos Ministros*, solus Deus potest prius, quia solus est Dominus Religionis ad eam pro libitu immutandam. Sed Ecclesia potest posterius in quolibet statu, quia hoc jus illi datum est à Christo, nec ab ea auferri potest quacunque de causa. Aliud est *novum ministerium* erigere. Aliud *ministerium jam institutum*, sed corruptum *reformare*. Ecclesia nullum jus habet prius faciendi. Sed jus habet, imò tenetur ex officio ad posterius exequendum. Nam ut tenetur conservare ministerium purum, tenetur etiam reformare illud, quum corruptum est.

XIX. Aliud est *usurpatio Ministerii*, Aliud *usus juris* legitimi à Deo concessi. Usurpatio ministerii, quæ fit sine ullo jure, semper est injusta & illicita. Sed usus juris non potest esse injustus; Reformatores non possunt dici usurpatores, quia Ecclesia omni tempore jus habet vocandi Pastores ad suam ædificationem, etsi ritus omnes aliàs recepti adhiberi non possint. Si ergo contingat Pastores jam institutos officio suo deesse, & ministerio suo perperam abuti; Ecclesia, in cujus gratiam ministerium institutum est, jus semper habet ministerium corruptum repurgandi, & si hoc non potest propter hominum pervicaciam, jus habet ministerium illud deserendi, & alios Ministros eligendi, qui munere suo ritè fungantur.

XX. Vocatio, quam Reformatores habuerunt ab Ecclesia Romana, fuit Antichristiana quoad Ministros ordinantes; Sed Christiana & legitima quoad Deum autorem & primariam institutionem; Nec debet in Papam refundi, sed in Deum vocationis Autorem.

XXI. Nihil Reformatores commune habebant cum Novatianis & Donatistis, qui sine necessitate, & temerè secessionem fecerunt ab Ecclesia, propter facta personalia. Cùm Nostri, gravissimis de causis doctrinæ ipsius corruptionem spectantibus, reformationi manum adhibuerint.

XXII. Dum in Ecclesia viget ministerium, illa debet quidem eo uti ad vocationem Pastorum, nec Pastores ordinariè instituere potest, nisi per ministerium jam constitutum. Sed deficiente ministerio, vel miserè corrupto, potest ipsa sibi Ministros eligere, ad sui ædificationem, etiam sine

sine ministerii interventu; tum quia hoc jus habet à Deo, tum quia omni tempore & loco tenetur ministerium ad institutionem fidelium conservare. Nec dici potest sine gravissimâ absurditate, satius esse in casu necessitatis, Pastoribus omnibus deficientibus, Ecclesiam manere sine Pastoribus, & carere cultu externo & publico, & Religionis exercitio, expectando ut Deus extra ordinem alios excitet, quàm vocari Pastores sine aliorum Pastorum interventu. Quia necessitas ministerii ad vocationem dandam est *necessitas* tantùm *ordinis*, qui in statu instituto debet observari, sed qui non absolutè & simpliciter ad salutem est necessarius. Sed necessitas prædicationis Euangelii, & Vocationis Pastorum ad eam est *necessitas salutis*, quæ sine Verbo & fide in illud obtineri non potest. Accedit quòd cùm finis præferendus sit mediis, institutio Pastorum, quæ finis est, magis necessaria censenda est recepti ordinis observatione, ut non fiat nisi per Pastores, quæ est tantùm medium ad illum finem assequendum. Et cùm primariæ obligationes debeant prævalere posterioribus; quis dubitat Legem, quæ necessitatem ministerii in Ecclesia ponit, longè arctius obligare eâ, quæ vult neminem nisi per ministerium aliorum Pastorum ordinandum esse? quia ista particularis est, quæ valet tantùm in ordine constituto, & dum usus ejus est possibilis, sed quæ suas habet exceptiones. Illa verò est universalis, quæ omni tempore & loco sine ulla exceptione obtinere debet. Unde quum impossibile est utramque istam legem observari, primæ, quæ antiquior est & universalis, & causa ac fundamentum secundæ, ratio omnino habenda est. Quæst. XXV.

XXIII. Licèt Deus non expressè dixerit in casibus extraordinariis, licere potestatem pastoralem communicari aliâ viâ, quàm per ministerium ordinarium; Non sequitur non posse hoc fieri. Quia institutio ministerii semel facta in Ecclesia, quæ durare debet usque ad finem seculi, jus dat sufficiens Ecclesiæ illud semper conservandi, illudque reformandi, & denuo erigendi, si corruptum sit, & extinctum, ut ad id non opus sit novo mandato; ut præceptum quod dedit Ecclesiæ & fidelibus de veritate conservandâ, obligat eam ad se reformandam, quum à veritate se defeciſſe deprehendit; Idem quippe mandatum utrumque complectitur, veritatis conservationem, & corruptæ restitutionem.

XXIV. Reordinatio eorum, qui nunc ad nos veniunt ex Papatu, non evincit vocationem eorum fuisse nullam; Sed tantùm fuisse corruptam & vitiatam, quæ ideo repurgari debet, ut quod impium est & antichristianum separetur ab eo, quod est bonum & Christianum. Nec si talis vocatio sufficere potuit ad Ecclesiam reformandam, quia alia haberi non potuit; sufficere debet in Ecclesia jam reformatâ. 2. Reordinatio ista non tam est nova ordinatio absolutè, quàm reformatio & repurgatio prioris, ut quod in ea erat confirmetur, & quod mali corrigatur:

QUÆST. XXV. tur: Atque ita constet Ecclesiæ ad ædificationem suam de puritate doctrinæ & morum vocati, & de aliorum Pastorum consensu. Adde quod ingrediendo in novam societatem, à qua debebant pendere, æquum fuit ab ea mandatum & missionem recipere. 3. Cùm ordinatio non sit Sacramentum, nec in ejus iteratione quicquam sit damni, imò non parum faciat ad ædificationem Ecclesiæ, nihil obstat eam iterari, nec secunda consecratio derogat prioris validitati, imò eam confirmat in iis quæ bona sunt, cujus exemplum habetur Act. 13. 2. 3. Ubi Paulo & Barnabæ jam vocatis imponuntur denuo manus.

XXV. Ut in Societate Civili absurdum esset petere, quam vocationem homo habeat ad vivendum, & res suas agendas, ac fugiendum quicquid noxium est sanitati vel saluti. Ita absurdum est in Societate religiosâ petere quod jus habeant fideles, & quâ vocatione instructi sint ad fidem veram profitendam, Deum purè colendum, ad rejiciendum quicquid repugnat veritati fidei, & puritati cultus, & quod potest nocere vitæ suæ spirituali & saluti. Sufficit enim obligatio, quâ quisque tenetur salutem suam promovere, quam rei ipsius natura, & Dei mandatum nobis imponit. Fateor hoc non posse fieri sine abruptione vinculi communionis, quô in societate cum aliis conjungebatur, sed hoc respectu erroris tantùm locum habet, non respectu veritatis. Nec putandum veram Ecclesiæ unitatem dissolvi; quia Cœtus à quo fit secessio, non est amplius spectandus ut Ecclesia Christi; sed ut Cœtus Errantium, quia exitialibus suis doctrinis, & cultibus falsis veram Ecclesiæ unitatem primi abruperunt.

XXVI. Nec dici debet secessionem à publico ministerio fieri non posse à privatis, sine violatione obsequii, quod illi reddi Deus ipse non semel præcepit. Nam licèt nemo diffiteatur magno in pretio apud nos esse debere Pastores & fideles Ministros Dei, qui vigilant pro animabus nostris, & obediendum illis esse ex præscripto Pauli Heb. 13. 17. Certum tamen, obedientiam istam & dependentiam non esse absolutam & illimitatam, quæ soli Deo & Christo competit; sed certis limitibus circumscriptam, id est, quatenus gloriæ Dei & saluti expedit, quatenus subsistere potest cum fidelitate & obsequio Christo debito. Cùm enim Ministerium publicum nihil sit aliud, quàm medium externum ad homines ad salutem adducendos, per professionem veræ fidei, & puri cultus praxim; Ea autem sit mediorum externorum ratio, ut quum recedunt à destinatione utentis, & non modò ad finem nos non adducunt, sed ab eo nos removent, amor finis debet prævalere supra amorem mediorum, quia media non appetuntur nisi propter finem. Si constet ministerium publicum, non tantùm nos ad salutem non adducere, & viam cœli non ostendere, sed in exitium certissimum nos protrudere pestiferis erroribus; Quis dubitat

bitat ab eo secedendum nobis esse, ut saluti nostræ prospiciatur? Nec exemplum Magistratus civilis, qui deferendus non sit, licèt minus rectè faciat officium suum, contrarium potest evincere. Quia de bono temporali tantùm agitur, quod nullum saluti damnum infert. Sed ministerium versatur circa bonum spirituale, & animæ nostræ salutem, quâ nobis nihil debet esse carius. Nec propterea dici debet, hoc esse Deo ipsi, qui nos Pastoribus submisit, resistere. Quia in *ministerio* apprimè distinguendum est id quod est *institutionis divinæ*, & quod est *dispositionis humanæ*. Dari ministerium in Ecclesia est institutionis divinæ. Sed quod ministerium ab his vel illis exerceatur, si Apostolos & Euangelistas primos Ecclesiæ Doctores excipias, est dispositionis humanæ. Ordo ministerii est inviolabilis, quia est à Deò, sed non eadem est ratio Ministrorum. Nam ut per homines vocantur; Ita vocatio sæpe corrumpi potest variis vitiis, vel dantium, vel recipientium; quo casu non modò licet, sed necesse est à falsis Pastoribus secedere, qui salutem in discrimen adducunt. Nec scandalum, quod à tali separatione oriri potest, si aliquod inde oritur, æquiparandum est jacturæ salutis, & religionis damno. Quæst. XXV.

XXVII. Hoc verò fortiùs confirmatur, si natura unionis, quam fideles habent cum Christo & cum Pastoribus suis expendatur. Nam unio fidelium cum Christo est immediata, cum Pastoribus verò tantùm mediata; quia fideles non uniuntur Pastoribus suis, nisi in Christo & propter ipsum, quia est centrum & vinculum nostræ communionis, sive cum fidelibus, sive cum Pastoribus. Unde colligitur fideles nôn debere uniri Pastoribus suis, nisi in quantum constat ipsos unitos esse cum Christo, & ab iis separari debere, quoties eos vident separatos esse à Christo, & velle alios ab eo avocare. Idem dicendum de dependentiâ, quam fideles habere debent tum à Christo, tum à Pastoribus. Prima est immediata & absoluta; Sed posterior mediata tantùm & conditionalis. Solus Christus jus habet in conscientiam, ut summus Princeps, & *αὐτεξούσιος*. Pastores sunt Ministri & Interpretes ejus voluntatis; dependentia ergo & submissio, quæ illis debetur, tota nititur dependentiâ, quæ Christo ab ipsis debetur, quæ illius causa est & regula. Quamdiu ergo Pastores veros Dei Ministros se præbent, fideles ab ipsis propter Christum pendere debent; sed si contingat, eos se gerere ut dominos, non ut Ministros, & abducere à Christo, non ad eum ducere; si ut ab ipsis pendeamus violanda est dependentia, & obsequium Christo debitum; Quis neget justissimè, imò indispensabiliter ab illis secedendum esse, ut salva & illibata maneat nostra cum Christo unio?

XXVIII. Alia est ratio *Novatorum*, qui doctrinam novam, & falsam nobis proponunt. Alia *Reformatorum*, quorum scopus est non novam doctrinam afferre, sed veterum quæ corrupta fuerat reformare & ab erro-

QUÆST. XXV. ribus superinductis repurgare. Primi non sunt audiendi, ex mandato Pauli Galat. 1. 8. Sed posteriores non modò non sunt rejiciendi, sed amplectendi & sequendi cum studio, si nobis constet, verè esse Reformatores. Ad cujus rei notitiam ad examen doctrinæ veniendum est. Tales fuisse primos nostros Pastores pertendimus, ex conformitate doctrinæ suæ cum doctrina Christi; nec nisi falsissimè ut Novatores traduci asserimus.

XXIX. Locus Tertulliani lib. de Præscript. cap. 37. *Qui estis? Quando, & unde venistis, quid in meo agitis, non mei?* Et postea, *Ego sum hæres Apostolorum, sicut ea verum Testamento suo, sicut adjuraverunt, ego teneo*, rectè opponitur Novatoribus, qui novam doctrinam, aliam à doctrina Apostolorum afferunt. De quibus statim subjicit, *Unde extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversùs Apostolos, aut tulit, aut recepit?* Sed nihil facit contra Reformatores nostros, qui non alium finem sibi proponebant, quàm reducere nos ad veritatem Euangelii, & ad puritatem doctrinæ Apostolicæ, à qua Ecclesia Romana defecerat.

XXX. Exempla, quæ petuntur à praxi Apostolorum circa vocationem & ordinationem Pastorum non nobis adversantur. Quia agunt de Ecclesiâ jam ordinatâ, in qua Apostoli ordinem à se institutum in Presbyteriis servari voluerunt. Sed loquimur de Ecclesiâ corruptâ, quæ nullos Pastores habebat, nisi corruptos, & multiplicibus erroribus infectos.

XXXI. Si in quibusdam Ecclesiis, Reformatio à Laïcis instituta est; Præterquam quod, in statu illo deploratissimo, & in casu necessitatis ineluctabilis, sat vocationis fuit singulis ad resistendum abusui, ut antea probatum est, & variis exemplis confirmatum; quò pertinet etiam Canon vetus apud Clementem Rom. lib. 8. Const. cap. 38. quô statuitur, *Ut qui docet, quamvis Laïcus sit, peritus tamen sermonis, & moribus gravis, doceat, quia erunt omnes docibiles Dei.* Si quid hîc desiderari potuit, suppletum fuit, tum ordinatione subsequente, tum autoritate publicâ Magistratus, & consensu Populi.

QUÆ-

QUÆST. XXVI.

QUÆSTIO XXVI.

DE CONJUGIO CLERICORUM.

An Cœlibatus perpetuus ex instituto Apostolico Ordini sacro necessariò sit servandus? An verò licitum sit Ministris sacris Conjugium? Prius Neg. Poster. Affir. cont. Pontif.

I. HActenus de Vocatione Ministrorum actum est, Nunc de eorum *Cœlibatu*, & *Immunitate* ac Privilegiis disputandum est cum Pontificiis, qui super utroque capite controversiam nobis hîc movent.

II. Et de *Cœlibatu*, ut primò dicamus; Notum est Pontificios, qui *Clericorum* nomine omnes Ecclesiasticos, distinctos à Laïcis & Secularibus, designare solent, licèt contra stylum Scripturæ, quæ totam Ecclesiam vocat κλῆρον & hæreditatem Domini, 1. Pet. 5. 3. hanc legem illis imponere, ut abusu conjugii perpetuò abstineant, & in cœlibatu vivant. Scopus eorum est, partim majori sanctitatis specie eos apud plebem commendare, & autoritatem illis majorem conciliare, partim arctius illos Pontifici subjicere; quasi matrimonium concedere Episcopis, non sit aliud quàm Hierarchiam de Ecclesia tollere, & Pontificem redigere ad solius Romæ Episcopatum, ut non pauci in Concilio Tridentino loquebantur; *Nimirum permisso Presbyterorum conjugio futurum, ut omnes affectum & amorem suum in uxorem & liberos, adeoque familiam & patriam convertant. Inde cessaturam arctam illam Ordinis clericalis cum Sede Apostolica conjunctionem* &c. ut habet Histor. Concil. lib. 6. & alibi Cardinalis Carpensis ita ratiocinatur, permisso conjugio secuturum, *ut familiam, uxores ac liberos alendo ad Principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet; ut intra breve tempus Apostolica Sedes Urbis Romanæ cancellos non egrediatur* &c. Atque hîc mira Satanæ fallacia deprehenditur, qui levitas Domini, quos sanctitas præ cæteris decebat, sub religioso prætextu castitatis & perfectionis, ἀκαθαρσίᾳ undiquaque contaminavit, & quod aliis omnibus contra carnis incentiva remedium Deus exhibuerat, unis Clericis lege abstulit, ut qui in aliis rebus dispensatione laxandis faciles sint, in hac una sint inexorabiles, ne Conjugium Sacerdotibus permittant. *Satus Quæstionis.*

QUÆST. XXVI. III. Quia verò Pontificii inter se circa hoc Caput non consentiunt; quænam sit recepta apud ipsos sententia videndum. Convenit quidem inter omnes Ordinibus majoribus interdictum esse Conjugium, & positam legem perpetui Cœlibatus, ex Canone 9. Sessi. 24. Concilii Trident. Sed interdictum non omnes eodem modo intelligunt, sive quoad ejus causam, sive quoad terminum. *Causam* alii volunt esse naturalem, quasi natura & usus conjugii ex se & per se repugnet functionibus sacri Ordinis & Sacerdotii, ut sunt illi, qui ut interdicti justitiam tueantur, immunditiem & sordes conjugii tam prolixè exaggerant, qui in carne esse, & conjugatum esse pro eodem habent, & negant conjugatos posse Deo placere, quod dixit olim Syricius Papa, atque ita longè gravius peccatum esse censent Sacerdoti, si uxori misceatur, quàm si scortetur aut mœchetur, quæ est *Costeri* propositio impurissima. *Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio sese obstringat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium*, quam sententiam, quæ est etiam *Pighii*, Hosius vult omnibus Catholicis placere; quod praxis eorum satis ostendit; siquidem propter scortationem nemo Clericorum deponitur, ut notat Glossa ad Canonem *Presbyter* dist. 82. At propter matrimonium omnes exauthorantur. Hoc modò non modò usus conjugii, sed & ipsum conjugium ex se & naturâ suâ repugnabit Sacerdotio. Alii verò, ut horrendam istam doctrinam fuco aliquo incrustent, contrarietatem matrimonii & Sacerdotii volunt tantùm esse accidentalem, quæ peratur, vel à voto continentiæ, quod volunt sacris Ordinibus esse annexum, ut quidam pertendunt, vel ab interdicto Ecclesiæ, ut alii, quod iterum varii volunt esse juris Divini, ut *Joannes Major* in disti. 24. iv. senten. quæstione secundâ, *Franciscus Torrensis* lib. de Synodis. Alii verò juris Ecclesiastici humani & positivi, ut *Espensæus*, *Gregor. de Valentia*, *Bellarminus*, qui pro se citant *Thomam*, *Durandum*, *Cajetanum* & alios. Rursus quoad *terminum* interdicti non consentiunt inter se. Sunt enim qui absolutè & ἀπότομως negant exceptionem posse admittere, ut permitti possit Sacerdotibus matrimonium, nec ullam Ecclesiasticam potestatem, ne Papæ quidem hac in parte quicquam posse, ut *Costerus*, *Medina*, & alii. Sunt verò qui dispensabile esse contendunt, utpote juris positivi, sed non expedire tamen relaxari, quæ sententia est Bellarmini cap. 9. *Probandum*, inquit, *nobis est, votum continentiæ esse Ordinibus sacris annexum, Ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat post ordinationem, positivo quidem jure, sed antiquissimo, & quod nullo modo expedit, ut hoc tempore relaxetur.*

IV. Nostra sententia est, Matrimonium non esse morale aliquod bonum vel malum, quod per se momentum aliquod ad pietatem vel impietatem habeat, sed esse ex rebus indifferentibus, quibus homo uti potest, vel

vel non uti, prout sibi expedire judicat. Esse à Deo ipso institutum ab initio etiam ante peccatum, ut in eo haberet homo commodum vitæ adminiculum, & post peccatum, ut esset potens libidinis & intemperantiæ carnis remedium. Unde nulla lege Ecclesiasticâ vel imponendum vel prohibendum; sed liberæ cujusque voluntati permittendum. Posse unumquemque privatis apud se expensis rationibus eo vel uti, vel abstinere, prout se senserit interiùs dispositum; Et abstinere quidem, si sentiat se continentiæ dono præditum, ut sic expeditior esse possit ad munus aliquod, sive Ecclesiasticum, sive politicum obeundum. Eo verò uti non tantùm posse, sed & debere, si se eo dono destitutum deprehendat juxta præscriptum Apostoli, qui omnes, qui continere non possunt, jubet ut nubant. Et hanc matrimonii contrahendi non modò libertatem, sed & necessitatem & legem, talem esse, ut nemo mortalium eam impedire possit aut debeat; atque ita impiè & contra ordinem Dei, & libertatem Christianam, cœlibatus Legem sacris Ministris esse impositam. Quæst. XXVI.

V. Hinc facilè emergit Quæstionis Status. 1. Non quær. An Ministri sacri omnes uxorati esse debeant; Nec An Cœlibatus licitus sit & commodus iis, qui continentiæ dono sunt præditi? Nam nec prius quisquam nostrûm asserit, nec posterius negat. Sed An Lex Cœlibatus omnibus sine discrimine, qui sacris operantur, ita ponenda sit, ut matrimonium contrahere omnino ipsis non liceat? Quod Adversarii affirmant, Nos negamus. 2. Non quæritur, An Cœlibatus respectu finis & utilitatis sit commodior & melior in certo casu & tempore, quod cum Apostolo non diffitemur 1. Corint. 7. Sed An naturâ suâ & intrinsecâ ratione sit excellentior? quod negamus. 3. Non quæritur, An Christianis Cœlibatum solenni voto profiteri liceat, quod ad aliam quæstionem de Votis & de Monachatu pertinet. Sed An Clericis, in sacris Ordinibus constitutis, Ecclesia Cœlibatus Legem figere possit? Quod volunt Adversarii, Nos negamus. 4. Non quæritur simpliciter, An prohiberi debeat iis, qui jam sunt sacris Ordinibus initiati, matrimonium contrahere, non verò antequam ordinati sint, quæ sententia est Orientalis Ecclesiæ, & Græcorum, qui distingunt matrimonium contractum, & contrahendum. Et concedunt quidem iis, qui ad sacros Ordines adspirant, matrimonium ante susceptos ordines contrahere, & etiam post susceptos eo uti; sed post negant hoc illis licere. Nec enim distinguendùm putamus matrimonium contrahendum à contracto, quia censemus iisdem de causis utrumque aut concedendum aut prohibendum. Quæstio ergo eò redit. An Ministris sacris lex Cœlibatus perpetui ponenda sit? An verò liberum ipsis relinquendum sit matrimonium, ejusque post susceptum Ministerium usus? Adversarii prius affirmant, Posterius negant. Nos contrà.

QUÆST. XXVI.

VI. Rationes sunt. 1. Ab *honestate matrimonii.* Quia matrimonium honorabile est omnibus Hebr. 13. 4. *Honorabile est conjugium ἐν πᾶσι, & torus immaculatus.* Quicquid est in omnibus honorabile, id non potest nec debet prohiberi certo hominum generi; Et quod coram Deo est immaculatum, non potest nec debet interdici tanquam immundum. Quo jure solis Ecclesiæ Ministris probrosum fuerit, quod inter omnes honestum declarat Spiritus Sanctus? quasi Sacramentum ex ipsorum sententiâ, quod cæteros sanctificat, polluat Sacerdotem Sacramenti administrum. Nec dici potest, 1. *ἐν πᾶσι ad res, non ad personas referri, adeòque esse neutrius generis, non masculini.* Quia ubi Lex non distinguit, nostrum non est distinguere. Deinde, si omnia quæ pertinent ad matrimonium, sunt *τίμια*, quomodo status matrimonii in quibusdam potest censeri impurus? Tertiò scopus Apostoli ostendit ipsum agere de personis, non tantùm de rebus, quia opponit eos, qui castas nuptias sectantur, scortatoribus, in quos eò gravius Deum animadversurum testatur, quia remedium adversus concupiscentiam carnis illis instituit, quod in omnibus, cujuscunque sint conditionis, est honorabile. Quartò plures ex Adversariis ad personas referunt, Biblia Lovanienſia, Benedicti, Antverpiensia retinent *inter omnes.* Ita & *Pagninus, Salmero, Cajetanus, Estius, Bellarminus*, & alii. Sic Paphnutius in Concilio Nicæno intelligebat, utens hoc loco contra Cœlibatum Clericorum, *Nolite*, inquiebat, *grave jugum cervicibus illorum imponere, qui sacris sunt initati, honorabile enim conjugium in omnibus*, apud Socratem lib. 1. cap. 8. 11. *Sententiam Apostoli esse imperativam, non assertivam, ut sensus sit, Honorate matrimonium, quia Deus judicabit scortatores.* Sic Paulus dicere debuisset *τίμιος ἔστω honorabile sit*, non simpliciter *τίμιος ὁ γάμος*, quod assertionem esse meram, non verò præceptum evincit. Verba sequentia non habent causalem γάρ, quasi ratio reddatur præcepti, nimirum, quia Deus judicabit scortatores. Sed adversativam δὲ, ut opponat scortatores conjugatis, & istorum quidem honestatem Deo gratam esse testetur, illorum verò immunditiem Deo exosam, adeoque graviter puniendam. Assertivè exponunt Syrus, Chrysosto. Oecumen. Theophyl. Hieron. in Matth. 13. Augusti. contra Pelag. & Cœlest. lib. 2. cap. 34. Anselmus in Hebr. & alii. 111. *Non posse universaliter intelligi de omnibus personis, sed tantùm de legitimè conjunctis, alias matrimonium inter patrem & filiam, fratrem & sororem honorabile fore.* Quia honorabile est conjugium in omnibus, qui juxta ordinem Dei conjunguntur. At talium conjunctio non potest dici matrimonium, sed incestus, quem Deus ut *ἀθέμιτον* severissimè prohibuit, quod dici nequit de Conjugio Ministrorum sacrorum, qui nuspiam ab ordine divinitus instituto excipiuntur, quique ideo legitimè conjungi possunt. Adde quod scortatio & adulterium hîc opponitur conjugio.

1. Ratio pro Libertate matrimonii ab ejus honestate Heb. 13. 4.

jugio. Ut ergo illis interdicuntur omnibus; Ita & hoc quibus opus præceptum intelligitur. Quæst. XXVI.

VII. 11. *Ex præcepto Apostoli*, qui omnibus & singulis, qui continere non possunt, præcipit conjugium 1. Corint. 7. 2. *Propter fornicationem suam quisque uxorem habeat, & proprium quoque virum habeat.* Et ℣. 9. *Quod si se non continent, matrimonium contrahant, nam satius est matrimonium contrahere, quam uri.* Ubi Paulus omnibus, qui continere non possunt cujuscunque ordinis & conditionis, non modò licitum & permissum dicit esse conjugium, sed & præceptum. Si unquam adhibenda fuit distinctio personarum, opportunus erat locus, quod Apostolus non facit, notam universalem opponens, ἕκαστος, inquit, nulla prorsus exceptione, nisi doni continentiæ, additâ, nullâ Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus limitatione, nec distinctione aut temporis ante vel post Sacerdotium, vel conditionis virginum aut viduorum. Deinde causa notatur non peculiaris, sed indefinita & generalis; nimirum fornicatio, cujus periculum non minus imminet Clericis, quàm aliis, ideoque diligenter cavendum, eoque magis quòd peccatum in istis longè sit gravius. Fruſtra excipitur *agi de conjugatis.* Nam quod Paulus ait se loqui ἀγάμοις καὶ χήραις, *cœlibibus & viduis*, & jubet eos matrimonium contrahere γαμησάτωσαν inquit, satis ostendit ulteriùs extendi debere, & illud ἐχέτω *habeat suam uxorem* ℣. 2. non debere restringi ad uxoratos, sed referri etiam ad conjungendos, ut Lyranus observat, qui de matrimonio contrahendo vult agi. Non melius dicitur, excipi continentes voto adstrictos, quia quæstio est, An votum legitimè fieri possit, & An lex imponi queat? Nec Paulus expressit illam conditionem, nisi ubi donum est. Reddenda sunt vota fateor, sed licita & justa, non verò, quæ vocationi, Deo, & conscientiæ repugnant.

2. *Ex Præcepto Apostoli* 1 Cor. 7. 2. 9.

VIII. 111. Ex *Interdicto matrimonii*, quod Apostolus ponit inter notas Apostasiæ novissimorum temporum, & quod vocat Doctrinam Dæmoniorum 1. Timoth. 4. 1. 2. 3. *Spiritus disertè dicit, fore ut novissimis temporibus desciscant quidam a fide, spiritibus deceptoribus attendentes, & doctrinis dæmoniorum, per hypocrisim falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est* κωλυόντων γαμεῖν, καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων *prohibentium matrimonium contrahere, & jubentium abstinere a cibis &c.* Scopus Pauli est ostendere Timotheo, quanto cum studio deberet versari in domo Dei, quæ est columna & firmamentum veritatis, ut ritè defungeretur officio suo, non modò propter excellentiam Mysterii pietatis, & sublimitatem Euangelii, de quo locutus fuerat sub finem capitis præcedentis, sed etiam propter periculum imminens Ecclesiæ à seductoribus, qui novissimis inprimis temporibus, non modò debebant in apostasiam incidere & deficere à fide, id est, à vera doctrina mysterii pietatis, sed & erroribus variis gravissimis implicari, attendentes spiritibus seductoribus, & re-

3. *Ex interdictione matrimonii positâ inter doctrinas dæmoniorum.* 1. Tim. 4. 1. 2. 3.

QUÆST. XXVI. & recipientes eorum errores, quasi essent doctrinæ divinæ & cœlestes, cùm sint re ipsa doctrinæ impiæ & falsæ, à Satanæ officina prodeuntes, & à Diabolo mendacii patre profectæ. Modum autem istius seductionis notat *per hypocrisim falsiloquorum*, id est, per fraudem & mendacium, sub specioso pietatis & sanctitatis zelo tectum. Cujus duos characteres notat præcipuos, *prohibitionem conjugii*, & *interdictionem ciborum*, quia cœlibatus, & abstinentia, potissimi sunt colores, quibus seductores fucare solent suam hypocrisim & impietatem; non modò ipsi utramque legem sequendo, sed & aliis imponendo. Quod Apostolus innuit, quum addit tales Ψευδολόγους κωλύειν γαμεῖν, καὶ ἀπέχεσθαι τῶν βρωμάτων. Ubi curta est oratio, & ellipsis contrarii; Nec enim vult tales seductores vetare abstinentiam ciborum, ut conjugium, quod ridiculè quidam ex Pontificiis vellent, contra consensum omnium interpretum tam veterum quàm hodiernorum. Sed contrà asserit prohibituros Conjugium, & usum ciborum. Atque ita τὸ κωλύειν, vel contraria significabit pro rei natura, *prohibere* respectu conjugii, & *præcipere* respectu abstinentiæ, ut נתן quod significat præcipere, aliquando notat vetare Deut. 2. 37. Vel erit ellipsis contrarii, ut supplendum sit, τὸ κελεύειν quod facit Syrus, vel τὸ κελεύοντων, *jubentium*, ut Epiphanius, *prohibentium conjugium, & jubentium abstinere à cibis.* Cujusmodi ellipses variæ occurrunt, tam apud sacros quàm profanos Scriptores; Ubi sub eodem verbo duæ actiones vel contrariæ, vel saltem diversæ intelliguntur, quod observat Estius in h. l. ex Psal. 121. 6, *Sol non te uret per diem, nec Luna per noctem*, Lunæ non est urere, sed frigefacere, & Jac. 1. 9. 10. *Frater humilis glorietur in exaltatione sua, & dives in demissione sua*, supple deprimatur, submissum gerens animum, considerans sortis suæ instabilitatem. Similis locutio habetur 1. Tim. 2. 12. 1. Cor. 14. 34. & non rarò apud profanos Scriptores. Phædrus, *Non veto dimitti, sed cruciari fame*, supple jubeo. Vid. Eusta. in 8. Iliad. ad ℣. 506.

IX. Nequicquam excipitur Paulum *notare eos, qui absolutè nuptias, ut malas prohibebant, quales erant Tatiani, Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi.* Quia illorum incusatio, ipsos non potest excusare, nisi probare possint, se non prohibere nuptias & usum ciborum, quod Apostolus hîc damnat. 2. Hæc vetus Montanistarum apologia fuit, non sibi applicandam esse hanc Prophetiam, qui nuptias non damnarent, ut malas, sed tantùm abstinendum ab iis censerent majoris sanctitatis specie. Sed Tatiano Encratitarum parenti, & Marcioni potius, ut Tertullianus observat cap. 25. de Jejun. Damnavit tamen vetus Ecclesia Montanum & Montanistas, iisque Prophetiam hanc Pauli accomodavit, ut patet in Conci. Gangr. in Præfa. & cap. 4. & 10. quibus cum Pontificiis eadem ferè est & communis causa. Ita Manichæi non damnabant absolutè nuptias,

nuptias, sed prohibebant eas suis electis, Augustin. lib. 2. de moribus Manichæo. cap. 18. 3. Pontificios non minùs, imò potius quàm veteres hæreticos respicit hoc Oraculum. Primò, quia Apostolus de Apostasia loquitur *novissimorum temporum*, ὑστέρων καιρῶν, quæ non tam tempora primitivæ Ecclesiæ, quæ Apostolorum ætatem statim subsecuta sunt designant, quàm novissima, quæ sub finem seculorum fluere debebant, ut Vulgata vertit. Secundò de iis loquitur Paulus, qui potestatem habituri erant prohibendi conjugii, & ciborum usus, quod hæreticis illis, qui docere quidem poterant, jubere autem aut cogere non poterant, minus competit, quàm Romanis Pontificibus, qui jus hoc sibi arrogant. Tertiò non agit de illis, qui absolutè damnabant nuptias, sed de iis qui hypocrisi, id est, sub mentitæ cujusdam sanctitatis specie certis quibusdam hominibus matrimonio interdicerent, & quorundam ciborum abstinentiam imponerent. Nec ideo necesse erat, ut Spiritus Dei tam sollicitè fideles adversus blasphemas istas veterum hæreses præmuniret, quarum manifesta impietas primâ statim fronte plerisque omnibus invisa videretur. Sed ab Antichristo periculum majus metuendum fuit, qui mysterium iniquitatis sub pietatis prætextu operaturus erat. QUÆST. XXVI.

X. IV. A *Praxi Apostolicâ* & libertate ipsis concessâ. Quia Apostoli & discipuli Christi aut conjugati fuerunt, aut esse potuerunt. Petrus certè Jacobus & Johannes conjugati fuerunt ex Matt. 8. 14. & 1. Cor. 9. 5. Philippus Evangelista Act. 21. 8. 9. Reliquis libera fuit conjugii potestas, salvo Apostolatus ministerio 1. Cor. 9. 5. *Nonne potestatem habemus ducendi nobiscum uxorem sororem, ut & alii Apostoli, & fratres Domini & Cephas?* Nec dici potest *fœminas, quæ sequebantur Apostolos, non fuisse proprias eorum uxores, sed mulieres locupletes, à quibus Christi exemplo* Luc. 8. 1. 2. *alebantur.* Quia primò vox γυνὴ, quæ hîc habetur, passim pro uxore sumitur; Sic vertunt Clemens lib. 3. Strom. Eusebius, Nicephorus, Tertullianus exhortat. ad uxorem cap. 8. Valla, Faber Stapulensis, & alii non pauci. Ratio suadet, quia Paulus agit de potestate in uxores, quas circumducebant mariti more peregrinantium, non de aliarum fœminarum in sequendis Apostolis libertate. 2. Glossa repugnat scopo Apostoli, qui testatur ideo se non circumduxisse uxorem, ne gravis esset Ecclesiæ. At si pias istas fœminas circumduxissent Apostoli, non utique gravata, sed sublevata per eas fuisset Ecclesia. 3. Non loquitur Paulus de pluribus, sed de unica, quæ non potest alia esse quàm uxor, aliàs honestas non ferebat tales mulieres circumducere, quas etiam in contubernio habere Synodus Nicæna vetuit. Frustra additur *dimissas fuisse uxores ab Apostolis post vocationem suam, quia dicuntur omnia deseruisse ad sequendum Christum* Matt. 19. 27. Quia gratis hoc fingitur, & eâdem facilitate negatur quâ affirmatur. Imò

4. *A Praxi Apostolica.* *Matt.* 8. 14. 1. *Cor.* 9. 5. *Act.* 21. 8. 9.

Matt. 19. 27.

QUÆST. XXVI.

nec potuit hoc fieri ab Apostolis, quin primævæ legi conjugii repugnarent, & regulæ positæ à Paulo 1. Cor. 7. 10. Derelictio de qua loquuntur Apostoli Matt. 19. 27. non est omnium omnino rerum, quæ ad vitæ conservationem requirebantur, quia sic in se ipsos injurii fuissent, sed tantùm eorum, quæ impedimento erant, vel ordinario promptoque ministerio, vel liberæ confessioni Christi & Euangelii ejus, cujusmodi non possunt dici uxores legitimæ, quæ solatio & confirmationi fidei esse poterant.

Ex libertate Conjugii. 1. Tim. 3. 2.

XI. v. Ex *libertate Conjugii Ecclesiasticis relictâ*, 1. Timoth. 3. 2. 4. Apostolus vult ut Episcopus, qui ἀνεπίλημπτος debet esse, sit *unius uxoris vir*, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, quod dicere non potuisset, si Episcopatum & Cœlibatum ἁγνείᾳ credidisset, & nisi liberum esse & licitum conjugium Episcopo agnovisset, modò unius tantùm, & non plurium uxorum sit maritus. Non utimur hoc loco, ut probemus Episcopum debere esse necessariò conjugatum, quod per calumniam nobis objicitur, sed ut ostendamus Episcopum posse esse conjugatum, modò sit unius uxoris vir. Nec hoc potest *allegoricè exponi de unius Ecclesiæ Episcopo*, ut quidam vellent. Quia quæ adduntur ab Apostolo repugnant, quum facit mentionem liberorum, & ex gubernatione familiæ vult judicari, sitne aptus ad regendam Ecclesiam, necne. Nec de *eo qui fuerit antè ordinationem, non qui sit vir unius uxoris.* Quia Verbum præsentis temporis, non præteriti usurpatur, oportet *Episcopum*, εἶναι esse, non fuisse Tit. 1. 6. εἴ τίς ἐστιν ἀνέγκλητος *si quis est*, & de Diaconis 1. Tim. 3. 12. ἔστωσαν *sint unius uxoris viri*. Eodem modo intelligendi sunt unius uxoris viri, quomodo alia attributa de ipsis prædicantur, sobrietas, temperantia, & vita inculpata, quæ de tempore præsenti, non præterito loquuntur, ut illis non tantùm antea ornatus fuerit, sed constanter ornatus sit. Nec juvaret virtutes uxorum commemorare, si vel defunctæ essent, vel à viris separatæ. Perperam denique volunt *hoc διάταγμα Apostoli fuisse temporarium, quod valuerit tantùm in Ecclesiis primitiva propter paucitatem cœlibum, quæ cogebat conjugatos eligere, sed nostrorum temporum aliam esse rationem.* Nam si temporibus illis, quæ fuerunt tempora Virginitatis Ecclesiæ, non pugnavit Conjugium cum Episcopatu, quare repugnaret hodie? Lex ab Apostolo posita non est unius tantùm temporis, sed omnium.

XII. Porro μονογαμία, quæ hîc præcipitur, non excludit digamiam, vel polygamiam successivam. Nam si uxori post mortem viri licet nubere alteri, modò fiat in Domino Rom. 7. 2. 3. & 1. Cor. 7. 39. idem & viro licere debet, ut secundæ nuptiæ hoc sensu culpari nequeant, quantumvis non pauci ex Veteribus illis iniquiores fuerint. Sed *simultaneam*, cujus duæ erant species, una aperta & manifesta, quum homo duas pluresve simul uxores domi alebat, quomodo sub Veteri Testamento obtinebat, vel occultior, quum quis post repudiatam sine justâ causâ uxorem,

aliam

aliam ipsâ vivente superinducebat, quod cùm solenne Judæis esset tum temporis, & Romanis & aliis Gentilibus familiare, ex quibus varii polygami ad fidem veniebant; Causa justa fuit & idonea, cur Apostolus hoc improbaret in eo, qui ad Ministerium sacrum erat promovendus. Quia licèt hoc in aliis utcunque toleraretur, quia ut jam factum, corrigi non poterat licèt vitiosum esset, in Episcopo tamen intolerandum erat & prorsus vetabatur. Quæst. XXVI.

XIII. VI. A *Primâ Conjugii institutione.* Quia potestas conjugii facta est omnibus sine exceptione, tum jure divino Genes. 1. 28. tum jure naturæ, ut patet ex insito omnibus appetitu habendi adjutorium se dignum, & videndi liberos, & in iis genus propagandi: nulla verò Lex dari potest, quæ Jus hoc tam solenniter datum abrogare possit. Ut nemo impedire potest inclinationem naturalem conservationis, per cibum & potum, sic nemo potest obligari ad non ducendam uxorem, maximè necessitate ita urgente ad remedium incontinentiæ. Eoque magis, quòd Christus primævam istam institutionem, quæ omnibus erat communis, repetiit, confirmavit, & vindicavit Matth. 19. 4. 5. & 5. 27. Et Apostoli regulas vivendi præscripserunt maritis & uxoribus citra distinctionem ordinis Politici & Ecclesiastici inter Christianos, Eph. 5. & 6. 1. Pet. 3. Licèt verò præceptum de conjugio sit affirmativum, quod ideo non obligat semper & omni tempore, sed in in casu necessitatis; Non sequitur posse abrogari respectu quorundam, & contrariam illis legem imponi; maximè casu necessitatis urgente, non modò ad bonum propagationis, ne intereat genus humanum, sed & ad evitandam scortationem, iis qui continentiæ dono non sunt præditi. Nec tamen ii sumus, qui necessariò omnibus utendum hoc jure naturæ censeamus, sed qui contendamus, neminem ab eo arcendum. Est enim naturæ Jus duplex; Unum, quô utendum sit omnibus; Alterum, à quo nemo prohibendus, cujus generis est matrimonium. *6. A Primæva Conjugii institutione.*

XIV. VII. A *malis Cœlibatum insequentibus.* Quia Lex ista causa fuit ingentium malorum, quæ mundum impuritatibus, & Ecclesiam scandalis replevit. Testes sunt plurimi, ne exceptis quidem ipsis Romanis Pontificibus, Pius II. antea Æneas Sylvius, referente Platina in ejus vita, *Sacerdotibus magna ratione ademptum conjugium*, aiebat, *majori restituendum.* Nec hoc dissimulabant Paulus II. apud Balæum, Salvianus, Huldericus Augustanus, Gratianus, Bernardus, Polydorus Virgilius, Agrippa, & alii. Quinqueecclesiensis Episcopus fassus est, Sacrificulos libidinibus & vitæ sordibus contaminatos in summa impietate consenescere. Hinc querelæ passim factæ istius corruptionis, & vota frequentia pro relaxatione & abrogatione istius Legis. Cassander in Consulta. in eo totus est, ut lex Cœlibatus abrogetur, quia sit occasio vagæ & effrænatæ libi- *7. A Malis Cœlibatum comitantibus.*

QUÆST. XXVI. dinis. Sigismundus in Concilio Basileensi matrimonia Clero restitui petit: In Concilio Tridentino Quinqueclesiensis Episcopus nomine tum Imperatoris, tum Bavariæ Ducis, Galli Oratores & Lotharingus Patres pro relaxatione istius Legis interpellant.

8. *A difficultate continentiæ Matt. 19. 11. 1. Cor. 7. 7.*

XV. VIII. A *difficultate continentiæ*, quæ donum est singulare & paucis concessum, Matth. 19. 11. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed ii quibus datum est.* Et 1. Cor. 7. 7. *Unusquisque proprium suum donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Ergo non debuit indifferenter imponi omnibus Cœlibatus; cùm continentia non sit in hominis voluntate, sed à Deo pendeat, licèt media non negligenda sint ab homine, ut illam obtineat. Frustra Bellarminus regerit, *Ut non omnium est donum continentiæ, ita nec omnes debere esse Sacerdotes. sed eos tantùm, qui videntur hoc donum habere.* Quia gratis supponit solos eos eligendos esse in Sacerdotes, qui dono continentiæ præditi sunt; cùm Apostolus eligi etiam eum posse statuat, qui sit unius uxoris vir. Deinde aliud est, videri hoc donum habere, aliud habere re ipsa; multi sibi & aliis hoc donum habere videntur, qui tamen se, quum ad exercitium ejus deventum est, non habere agnoscunt, nec possunt in futurum sibi illud polliceri; licèt illud velint & cupiant, imò & precibus à Deo expetant. Preces enim fide, fides verò promissione nititur, nulla autem promissio data est certo hominum generi de hoc dono obtinendo in perpetuum.

9. *A Praxi Veteris Ecclesiæ.*

XVI. IX. A *Praxi Ecclesiæ Veteris.* Quia lex cœlibatus diu in Ecclesia non est recepta. Canones Apostolorum à Clemente Romano editi sic habent Canone 6. *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam religionis obtentu abjiciat, si verò rejecerit, excommunicetur, si perseveraverit, dejiciatur.* Nec hoc tantùm referri debet ad curam quoad victum & vestitum, sed etiam quoad thorum. Quia Apostolus docet legitimam uxorem contemni, si debita συνουσία illi denegetur 1. Cor. 7. 3. 4. Unde *non vult fraudare se invicem.* Ipsa Canonis verba hoc docent, quia loquuntur de eo, qui religionis obtentu, deserit uxorem; At destituere omni auxilio, quem potest habere religionis prætextum? Sed distractionem thori, manifestum est à multis inductam hoc ipso prætextu. Ita de thoro intelligenda sunt Canonis verba, quod Nicolaus Papa apud Gratianum Caus. 30. qu. 2. cap. 3. de separatione thori loquens confirmat, *Nullius religionis obtentu debet conjunx dimittere conjugem*, & Zonaras in Canonis verba. Eodem pertinet Synodi Gangrensis Canon. 4. *Si quis de Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non oportere, eo sacra celebrante, oblationi communicare, sit anathema.* Canonis scopus est licere Presbytero conjugato λειτουργεῖν, ubi non agitur tantùm de eo, qui uxorem habuit, sed qui adhuc conjugatus sit, ut recitat Gratian. cap. si quis dist. 28. & Balsamon in Comment. quia Eustathius, contra quam Gangrense illud

Con-

Concilium institutum est, Presbyteris absolutè conjugium interdici voluit, ut notat Niceph. lib. 9. cap. 45. Sed præcipuè observandum venit Decretum Concilii Nicæni, quò cautum, ut ne esset Canon, quò usus conjugii coërcetur, sed esset in cujusque libertate positus. Cùm enim quidam Legem cœlibatus molirentur, graviter dehortatus est Paphnutius Thebarum Episcopus, licèt ipse cœlebs, & inclamavit *grave jugum viris sacris non esse imponendum, honorabile enim esse conjugium, nuptiasque impollutas.* In cujus sententiam itum à Patribus illius Concilii, & unanimiter improbatus cœlibatus, teste Gelasio Cyziceno in Actis illius Concilii, Socrate lib. 1. cap. 12. Sozome. lib. 1. cap. 22. Gratia. dist. 31. & aliis non paucis. Huc spectat etiam Canon tertius Concilii Constantinopolitani quinti, & Canon 13. Concilii sexti Oecumenici in Trullo. Notum etiam in veteri Ecclesia conjugatos fuisse plurimos Ministros sacros, Clementem Romanum, Polycarpum, Polycratem, Irenæum, Spiridionem, Gregorium Gregorii Nazianzeni Patrem, Gregorium Nyssenum fratrem Basilii, Tertullianum, Hilarium Pictavi. aliosque innumeros, quorum exempla referuntur & vindicantur à Chamiero lib. 16. cap. 13. Gherardo p. 564. & Molinæo de Novit. Papismi lib. 7. c. 8. QUÆSTIO XXVI.

XVII. Quod vitæ genus melius est, sanctius, & beatius propriè & per se, & peculiariter imperatum Ministris sacris, id ipsis spectandum est omnino. Sed negamus talem esse cœlibatum. Nec potest ostendi ex 1. Cor. 7. ubi Apostolus confert quidem cœlibatum cum conjugio, & illum huic præfert, sed non propriè & per se, cùm contrà ex professo asserat esse utrumque externos vitæ status, qui nos Deo non commendant aut ei acceptos reddunt ℣. 18. & seq. sed secundùm quid, & certi temporis respectu. Cœlibatus ergo melior dicitur conjugio, tum quia curis & molestiis paucioribus & levioribus est obnoxius ℣. 28. tum quia tempora illa infesta erant persecutionibus ℣. 26. quæ à cœlibibus facilius, quàm à conjugatis tolerantur. Τὸ καλὸν ergo apud Paulum, non de bonitate morali, & honestà, intelligi ipsa matrimonii institutio, quæ benedictionem conjunctam habuit, docet, & quod Deus ipse Gen. 2. 18. dicit *non esse bonum homini esse solum*; sed de *bonitate utili*, ut Apostolus ipse explicat ℣. 35. per συμφέρον, quod *commodum est & conducibile*, & Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, *propter instantem necessitatem crucis, quâ ingruente dici poterit beata sterilis & ventres qui non genuerunt* Luc. 23. 29. Denique non imperatur cœlibatus sive perpetuus, sive temporalis, sed tantùm suadetur. Paulus negat se mandatum Domini de eo accepisse ℣. 6. 25. Testatur nullius se conscientiam opinione necessitatis aut cultus illaqueare velle ℣. 35. Suadet non omnibus, sed iis tantùm, qui dono continentiæ sunt præditi ℣. 7. 17. Aliis verò conjugium præcipit ℣. 2. 9. Ita Paulus commoda & incommoda utriusque status confert, non ut laqueum injiciat, sed

Fontes Solutionum.

1. Cor. 7.

18.

28.

26.

35.

QUÆST. XXVI. ut quod consultius est explicet, utrinque quidem scopuli, & distractio, sed periculosissima, quæ à libidinis incentivis, onus eo gravius, quo intimius & tenacius visceribus infixum.

1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8. XVIII. Quod Apostolus vult Episcopum esse σώφρονα & ἐγκρατῆ 1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 8. non favet Cœlibatui. Nam σώφρων vel opponitur ἄφρονι, & μαινομένῳ *furenti* & *insano*, & tunc significat eum qui *mentis compos est*, vel ἀκολάστῳ *dissoluto*, & tum *temperantem*, & eum qui modum servat in cibo, potu, & τῆς ἀφροδισίοις significat, qualis in matrimonio æquè ac in cœlibatu esse potest. Ἐγκρατὴς verò dicitur, non quòd à consuetudine conjugali abstinet, aliàs quomodo Episcopum unius uxoris virum, habentem liberos juberet esse ἐγκρατῆ, sed qui ab illicitis cupiditatibus cavet, sibique temperat; in quibus nemo pius legitimum conjugii usum numerare potest.

XIX. Aliud est implicari τοῖς τοῦ βίου πραγματείαις *negotiis & curis hujus sæculi*, nimirum immodicis, nimiis, à pietate, sanctitate, & obeundo munere avocantibus. Aliud matrimonio alligari. Paulus prius vetat Episco-

2 Tim. 2. 4. po 2. Tim. 2. 4. sed non posterius; quod vel hinc patet, quòd in priore Epistola curam propriæ domus Episcopo imperat. Unde patet, negotia repugnantia sacræ huic militiæ, non ei subordinata notari.

XX. Licèt potestas Leges ferendi Ecclesiæ competat; Non ideo illi licuit legem cœlibatus Ministris sacris imponere; Tum quia Christus Matth. 19. 12. non posse nec debere talem legem ferri satis clarè innuit, jubens, ut cuique permittatur statuere, quid capere possit; Tum quia nec ipse, nec Apostoli legem istam unquam tulerunt; Tum quia Paulus 1. Cor. 7. 37. à consilio retinendæ virginitatis vult abesse ἀνάγκην, qualem lex cœlibatus imponit, quò spectant argumenta superiùs allata.

XXI. Quum Apostolus dicit Conjuges ex consensu posse fraudare se

1. Cor. 7. 5. invicem ad tempus, ut vacent orationi & jejunio, 1. Cor. 7. 5. Non vult imponere legem cœlibatus ulli, sed docere dari tempus, in quo consultum sit abstinere ab usu conjugii, etiam legitimi; ut melius possimus dispositi esse cultui divino: Loquitur ergo de precibus, non quibusvis, sed solennibus, & quæ extra ordinem sæpe instituebantur cum jejunio, vel ob insignem aliquam publicam vel domesticam calamitatem, vel ob Ministros eligendos, aut ex alia quadam necessitate suscipiebantur, ubi suadet abstinentiam mutuam, non quòd conjugium per se preces impediat, sed ut posthabitis omnibus negotiis, etiam licitis voluptatibus, se totos dedere possent studio pietatis, & ardori precum. Sed quid hoc ad Legem cœlibatus? cùm agatur, non de abstinentia perpetua, sed tantùm ad paucos dies, non de precibus ordinariis, sed extraordinariis; nec Clericis hoc tantùm dicatur, sed etiam laïcis, jubeaturque ut iterum conveniant, ne à

Sata-

Satanâ tententur. Fruſtra additur Clericum ſemper abſtinere debere, quia ſemper tenetur vacare cultui divino. Nam licèt teneatur ſemper vacare rebus divinis, id eſt, ut nunquam vacet rebus oppoſitis, qualis eſt idololatria, & ita ut in actu primo ſit ſemper in id intentus; Non tamen ſemper tenetur vacare rebus divinis in actu ſecundo, ut nunquam vacet; aliàs officia omnia, quæ verſantur circa τὰ βιωτικὰ illi interdicerentur: Divina ita curanda primò & præcipuè ut humana non ſint negligenda, & ſua habeant intervalla & vices, quibus curentur. QUÆST. XXVI.

XXII. Mulier συνείσακτος, quæ prohibetur Miniſtris Canon. 3. Concilii Nicæni, non eſt vera conjux. 1. Quia contrarium ex concilio Paphnutii decretum eſt, nec improbatus legitimæ uxoris uſus. 2. agitur de muliere ſuſpectâ, & ſic uxor non poteſt dici συνείσακτος ſubintroducta, & ab ea ſeparatur Novella 123. 3. talis mulier prohibetur ὅλως ἐνὶ τῷ ἐν κλήρῳ, *omnibus qui in Clero ſunt*, cùm Pontificii cœlibatus legem minores ordines non obligare ſtatuant. 4. hoc genus mulierum συνεισάκτων à ſolis iis habebatur, qui profitebantur cœlibatum, non vel voto, vel lege, ſed libera voluntate, ut conſtat ex Concilio Carthag. I. cap. 3. Balſamone in Baſilii Epiſtolam, Photio in Nomocanone tit. 8. cap. 14. quæ etiam cauſa eſt, quòd Canon uxorem non excipit, ſed tantùm matrem, ſororem, & reliquas. Ita concubinatus, non matrimonium hîc interdicitur. Sic exponit Balſamo, Zonaras, & ex Adverſarii Clicthovæus, Eſpenſæus, Medina, & alii varii.

XXIII. Cùm nulli Concilio poteſtas competat legem ullam ferendi Verbo Dei & juri naturæ repugnantem; Si quid à nonnullis Conciliis circa cœlibatum ſancitum fuit, ut Neocæſar. Can. I. Elibertino, Arelatenſi II. Carthaginenſi II. & V. non poteſt hoc licitum & juſtum præſtare. Deinde non alia Concilia, quàm Latina & Occidentalia, eaque non Oecumenica, ſed Provincialia tantùm objiciunt; Sed Græca ſive Oecumenica, ſive particularia, ut parum faventia omittunt.

XXIV. Si quam immunditiem conjugalis conſuetudo afferebat ſub Veteri Teſtamento, ea tota legalis & levitica fuit, quæ cum tranſlato Sacerdotio abrogata eſt, non minus quàm impuritas ex contactu mortui. Deinde ſi quid valerent illa exempla, ſequeretur legem abſtinentiæ iſtius, non extendendam eſſe niſi ad illud tempus, quò ſe ad publicum cultum proximè parant, vel publico cultui actu ipſo vacant. Nam toti populo & Sacerdotibus Veteris Teſtamenti conjugatis eſſe licuit, tametſi illis æquè incumberet legem nocte, dieque meditari. Tertiò ἐφημερίαι illæ ſeu vices Sacerdotum Vet. Teſt. non inſtitutæ ſunt ideo, quòd conſuetudo conjugalis Sacerdotes ad λειτουργίαν indignos redderet, cùm vices illæ quadringentis poſt Moſem annis inſtitutæ fuerint, & ipſe Pontifex, cujus erat quotidie ſacrificium juge offerre, conjugatus fuerit; Nec lex ulla exti-

QUÆST. XXVI. extiterit, quæ Sacerdotibus cœlibatum imponeret, vel juberet abesse domo tempore suæ ἐφημερίας. In genere observandum multa imposita Judæis, quorum vis nulla apud Christianos. Abstinendum erat à porcina, leporina, aliisque carnium generibus, multæ etiam pollutiones vitandæ fuerunt, à quibus Christiani liberati sunt, ut à gravissimo jugo. Licèt ergo occurreret tale aliquod præceptum, nihil inde elici posse, nisi peculiariter doceretur hoc in Euangelio esse continuâtum.

XXV. Aliud est impedire munera Ecclesiastica per se. Aliud per accidens, vel in perpetuum, vel ad tempus, vel ex natura sua, vel ex abusu tantùm. Illa rectè prohibentur, sed non ista. Matrimonium non per se, nec semper impedit, nec avocat à toto, sed à tanto. Episcopi enim non pauci fuêre sancti, & tamen conjugati, Et in Ecclesia Græca semper licuit Presbyteris esse conjugatis. Deinde ex prohibitione plus mali nascitur, quàm ex avocatione non perpetuâ ob periculum scortationis. Nam in promptu est periculum scortationis, cujus causa legem tulit Apostolus; Et nunquam tanta erit distractio illa, quàm hoc periculum. Quia nulli peccato ullum incommodum poterit aut comparari, aut æquari; nec ullum dari tantum, ut non semper melius sit nubere quam uri.

Apoc. 14. 4. XXVI. Illi, qui cum mulieribus non se inquinarunt, Apoc. 14. 4. & qui virgines ideo dicuntur; Non sunt cœlibes, qui à conjugio abstineant, quia nusquam conjugium appellatur pollutio, contrà vocatur immpollutum Heb. 13. 4. & inde sequeretur, & solos & omnes cœlibes salvandos tunc fere, quod absurdum; Cùm Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli plerique conjugati fuerint, & cœlibes non pauci sub Papatu scortatores sint, sed sic designantur puri Christi cultores, qui non polluti sunt idololatriâ, quæ scortatio est spiritualis, aut consuetudine cum Ecclesiis Antichristianis, aut cum voluptatibus & inquinamentis mundi.

QUÆ-

Quæstio XXVII.

De Immunitate Clericorum.

An Personæ Ecclesiasticæ exemptæ sint à Iurisdictione & subjectione Magistratus Civilis.? Neg. contra Pontificios.

I. Hæc etiam Quæstio agitatur inter Nos & Pontificios; Ut enim Papa sibi ex mera ambitione arrogat potestatem & jurisdictionem αὐτοκεφαλον in Ecclesiam; Ita vult omnes Clericos ab omni seculari Principum potestate & jugo penitus esse exemptos, suæque prorsus mancipatos & addictos.

II. Pontificii in quibusdam inter se conveniunt, in aliis dissentiunt. Conveniunt in Exemptione & Immunitate. Unde illud Emanuëlis Sà in Aphorismis, *Sacerdotem non posse crimen læsæ Majestatis in Regem committere, quia non est subditus.* Dissentiunt verò in natura juris; An sit divinum, An humanum, An mixtum? Sunt enim, qui jus humanum tantùm obtinere volunt; Alii mixtum, ut Bellarminus. Alii verò pro jure divino pugnant, quæ sententia est Canonistarum, qui pertendunt Clericos à potestate civili simpliciter & absolutè esse exemptos, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, tam in personalibus, quàm in realibus, tam in criminalibus, quàm civilibus, & quidem jure divino. Bonifacius VIII. in c. quanquam de censibus, *Jure Divino & humano Clerici, & eorum bona libera sunt à seculari potestate.* Concil. Tridenti. Sess. 25. cap. 20. *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & sanctionibus Canonicis est instituta.* *Sententiæ Pontificiorum.*

III. Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 28. quinque Propositionibus sententiam suam complectitur. Prima est, *In causis Ecclesiasticis jure divino liberi sunt Clerici à secularium Principum potestate.* Secunda, *Non sunt exempti Clerici ullo modo ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant sacris Canonibus, vel officio Clericali.* Tertia, *Etsi Clerici teneantur leges civiles servare, non tamen possunt à Judice politico puniri, vel ullo modo trahi ad secularis Magistratus tribunal.* Quarta, *Bona Clericorum tam Ecclesiastica, quam secularia libera sunt ac meritò esse debent à tributis Principum secularium.* Quinta, *Exemptio Clericorum in rebus politicis saltem quoad bona, jure humano introducta est, non divino.* Idem tamen sibi contrarius in appendice secundi Tomi, tuetur divino jure immunitatem bonorum;

QUÆST. XXVII.

norum; Ut scilicet gratiam Sixti V. sibi conciliaret, qui offensus iis quæ dixerat de subjectione Pontificum Cæsari de jure in civilibus, parum abfuit, quin Bellarmini libros in Indicem Librorum prohibitorum referret, ut observat Barclaius de Potestate Papæ cap. 13.

Et Orthodoxorum.

IV. Nos ita distinguendum putamus. Duplex est *subditorum subjectio*, quâ obnoxii sunt imperio Magistratus, sive fidelis, sive infidelis. Una quoad *personas*, in causis criminalibus & civilibus. Altera quoad *facultates* in pendendis tributis, aliisque oneribus civilibus sustinendis. Utraque Clericos saltem jure divino & naturali teneri censemus, non minus ac alios subditos, licèt ex privilegio fere ubique ab oneribus personalibus propter labores S. ministerii, alicubi etiam à tributis sint immunes.

Status Quæstionis.

V. Hinc patet 1. Non quæri de *subjectione quoad officium Ecclesiasticum*, quod versatur in Verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & disciplinæ Ecclesiasticæ exercitio, & quoad causas Ecclesiasticas, quæ ad conscientiam spectant, quæ nonnisi ex Verbo Dei & autoritate à Deo Ecclesiæ demandatâ, legitimè definiri possunt, quales sunt controversiæ de Fide. Nam in istis actibus Ecclesiasticis spiritualibus, Magistratui non sunt subjecti. Magistratus quippe nec potest, nec debet illis præscribere aliam formam docendi, errores & peccata arguendi, Sacramenta administrandi, quàm eam quæ Verbo Dei est præscripta. Imò Magistratus in istis tanquam membrum Ecclesiæ, se habet ut ovis ad Pastorem. Sed agi de subjectione quoad *officium politicum*, seu causas politicas, quæ τὰ βιωτικὰ, & externam Reipublicæ pacem & tranquillitatem spectant, in quibus Ministros non minus ac cæteros cives, ex quorum numero non eximuntur, cùm Ecclesiasticorum albo inseruntur, teneri dicimus. Et eò sanctius leges ab illis servari par est quo conspectior est vita eorum, quos tanquam exemplaria gregis, sanctæ vitæ exemplo prælucere necesse est.

VI. 11. Non quæri de *Privilegiis*, quæ ex Magistratuum & Principum Christianorum beneficio & leberalitate possunt concedi Clericis, cujusmodi plura ab Imperatoribus data esse constat. Sed de Immunitate, quæ illis jure divino competat. 111. Non quæri de *oneribus personalibus*, quæ non esse imponenda agnoscimus, ne muneris Ecclesiastici exercitio sint impedimento, & aliquid decedat vel dignitati, vel autoritati muneris sacri. Unde l. generaliter & l. Presbyteros C. de Episc. & Cleri. Justinianus statuit, *ut Presbyteri à muneribus personalibus, quæ obeuntur industriâ & operâ adhibitâ, immunes essent.* Si enim ad illa adstringerentur, fieri non posset, quin à munere suo abstraherentur, & confunderetur dignitas Sacerdotis, ut dicitur l. nec honore, ut esse militem, vigilem, & alia munia obire, quæ merè sunt civilia. Excipe summæ necessitatis casum, si

pa-

patria in extremo versetur discrimine. Sed de *realibus*, quoad bona, quæ possident, non tam respectu bonorum sacrorum & Ecclesiasticorum, quæ Ecclesiæ consecratæ, sunt ab omni tributorum onere prius soluta, atque libera, licèt in casu necessitatis, possint ad tributa extraordinaria obligari; quàm respectu *secularium*, qui ab ipsis per emptionem, hæreditatem, & jura matrimoniorum, & alia media sunt acquisita, ex quibus solvendum est Magistratui quod debetur; res enim transit cum onere, *at onera realia, res & quoscunque possessores sequuntur* l. Imperatores. Nec ideo à Magistratus politici jurisdictione eximuntur, quòd à Clericis bona illa possidebantur. Nam quod Clerici Ecclesiæ inserviunt, non facit ut Cives & Reipub. partes ac membra esse desinant; Neque ut quà tales Magistratui politico non subjaceant, eorumque bona, quæ de suo habent, Reip. oneribus subdita non sint. QUÆST. XXVII.

VII. Denique, Non quæritur de *Immunitate speciali*, partiali, & limitatâ, quæ est Juris humani, ex Principum piorum beneficio ac privilegio, in ordinem Ecclesiasticum descendens, quâ certis quibusdam in casibus, respectu personarum, vel rerum, à publicis oneribus, & subditorum officiis eximuntur. Sed de *generali, totali, & indeterminatâ*, quæ sit juris divini, qualem tam personarum quam rerum ratione Pontificii Clericis tribuunt. Nos verò negamus.

VIII. Rationes sunt 1. Ex *generali obedientia & subjectionis mandato*, quod ad omnes sine exceptione extenditur, loca sunt Rom. 13. 1. *Omnis anima Potestatibus ὑπερεχούσαις sit subdita*, & Petrus cap. 2. 1. ℣. 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*, Tit. 3. 1. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse.* Christus ipse vult *reddi Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, & quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Ubi varia latent argumenta. 1. Nota universalitatis, *omnis anima*, id est, synecdo. persona, ut passim alibi; Nam animam sumere velle pro homine animali, ut visum quibusdam, tam absurdum ut refutatione non egeat. 2. Non agitur de qualibet potestate, sed de seculari, quæ gladium gestat, ad bonorum protectionem & malorum pœnam, & cui tributum pendendum est. 3. Quotquot excutiunt hoc jugum, Deo, & naturæ bellum indicunt, Dei ordinationi resistendo, & publicam tranquillitatem, ac humanæ societatis compagem luxant & dissolvunt. 4. Antithesis immediata inter Magistratus civiles, & Subditos; At Clerici non pertinent ad ordinem Magistratus, ergo in censum subditorum sunt reponendi. 5. Paulus & Petrus scribentes ad omnes sanctos, non possunt excludere Ecclesiæ Ministros, nisi illi ex numero Sanctorum expungendi sint. Chrysost. hom. 13. in Rom. in ini. *ostendit Apostolus, quod ista imponuntur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solùm secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat, cùm dicit omnis anima Potestatibus superemi-*

Destruitur Immunitas 1. Ex generali obedientiæ mandato. Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 13. Tit. 3. 1.

QUÆST. XXVII.

nentibus sit subdita, etiamsi Apostolus sit, si Euangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fuerit, nec enim pietatem subvertit ista subjectio, Et non simpliciter dicit obediat, sed subdita sit. Idem asserit Theophyl. in h. l. Bern. epist. 42. ad Archiepisc. Senon. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus sit subdita, si omnis, & vestra; Quis vos excepit ab universalitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.*

IX. Frustra Excipitur. 1. *Omnem animam subjectam esse debere sublimioribus Potestatibus, dum sunt sublimiores Potestates, sed Principes non esse amplius sublimiores Potestates, respectu Clericorum, quia Clericos partim ipsi Principes subjecerunt Episcopis suis in omnibus causis civilibus & temporalibus, & Summus Pontifex Clericos omnes exemit a subjectione Principum.* Quia petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, & supponitur quod probandum est, nimirum Principes Clericos à sua potestate exemisse, vel eximere debuisse, & Pontificem Romanum potuisse eos à potestate Principum eximere; Quod negamus, Quia nihil potest contra jus divinum statuere, quod eos ad obedientiam & subjectionem alligat. Licèt verò Principes ad fidem Christianam accedentes, sceptra sua Christo subjiciant, & potestati spirituali; Non ideo sequitur Ministros potestatis spiritualis, in temporalibus exemptos esse à potestate temporali. Hoc unum tantùm licet colligere, Principes quoad spiritualia potestati spirituali subjici; Non item ut excidant autoritate suâ politicâ erga Ministros in temporalibus. 2. Non melius distinguuntur hîc *Christiani à Sacerdotibus, ut hæc dicantur ipsis quà Christianis, non qua Sacerdotibus.* Quia absurdè separantur conjungenda; Nam si Sacerdos Christianus est, subjici semper debet, licèt in muneris sui exercitio, & quoad spiritualia sit immunis; Et si Baptismi character & libertatis Euangelicæ in Christo jus, non solvit ab obedientia Regis, multò minus character clericalis. Nam libertas Ecclesiæ prius dicitur de fide, & anima, quàm de temporalibus. 3. Hoc intelligi de *anima, quæ potest subjici, sed potestatem non posse potestati subjici, atque adeo nec Ministros, qui potestatem habent.* Quia potestas non potest potestati subjici in eodem ordine; Sed nihil obstat eos, qui habent potestatem spiritualem, in ordine Ecclesiastico & in foro conscientiæ quoad spiritualia, subjici in ordine politico, & quoad temporalia potestati politicæ. Ut non dicamus potestatem Ministrorum non esse αὐτοκρατορικὴν & supremam, sed ὑπηρετικὴν & ministerialem.

2. *Ab exemplo Sacerdotum V. T.*

X. 11. Ab *Exemplo Sacerdotum Veteris Testamenti*, qui subditi fuerunt Magistratui politico tam in civilibus, quàm in criminalibus. Nec dispar potest esse ratio, quia Bellarm. propos. 5. fatetur, *Nunc idem esse Clericos, quod olim Sacerdotes.* Moses præficitur Aäroni in Deum Exod. 4. 15. & in peccatum prolapsum corrigit Exod. 32. 21. Levitæ non solùm Aäroni, sed & Moli, qui Princeps civilis fuit totius populi, fuerunt sub-

subjecti. Nec excipi potest Mosem etiam summum Sacerdotem fuisse. Nam licèt ante consecrationem Aäronis potuerit extraordinem fungi aliquoties Sacerdotio, tamen eo semel uncto & consecrato, totum illud munus illi Dei nomine commisit, nec ullas ejus partes amplius obivit; sed tantùm Ducis & Legislatoris. Sic David ordines & officia Levitarum constituit, 1. Chron. 23. & seq. cap. Salomon Abiatharem seditionis reum loco movit 1. Reg. 2. Nec ille restitit, aut Legem divinam violari causatus est. Frustra dicitur, vel *factum hoc narrari, non probari*, quia idem regeri potest omnibus exemplis, quæ pro stabilienda opinione sua ab Adversariis ex Vet. Test. afferuntur. Vel *Salomonem* hîc *quà Prophetam egisse, non quà Regem.* Nam Prophetarum quidem est prænunciare judicia Dei, exilio autem, aliâve graviori pœnâ afficere ad Magistratum tantùm pertinet. Nec id colligi potest ex eo, quòd dicitur Salomon hoc fecisse, *ut impleretur sermo Dei*; Quia per Principes etiam implet sermonem suum, ut per Ministros, imò & per impios, ut per Judam & alios. Eodem pertinet, quod Josaphat Sacerdotibus mandat reformationem cultus publici 2. Chro. 17. Joasus Jojadæ Pontificis negligentiam coarguit 2. Reg. 12. Ezechias Religionem à Sacerdotibus corruptam vindicavit 2. Chron. 29.30. 31. Josias ossa Sacerdotum super altaria combussit, & templum repurgavit 2. Reg. 22. 23. Nec reponi potest, non mirum esse si in V. Testamento potestati seculari subjiciebatur spiritualis, quia in eo vigebant temporales promissiones. Nam si ratio valet, non possunt ex Vet. Test. jus divinum deducere Adversarii.

QUÆST. XXVII.

XI. 111. A *Christi exemplo*, qui tum in personalibus, tum in realibus Magistratui se subjecit. Quoad personam, patet ex Joan. 19. 11. ubi Christus Pilati in se potestatem agnoscit, & illi se submittit. *Non haberes potestatem ullam super me, nisi tibi data esset desuper.* Ubi manifestum est constitutam esse divinitus in Christum potestatem civilem, cui in illo statu humilitatis per obedientiam ad mortem usque subjectus esse debuit. Qui subjectionem istam à Christo præstitam, facti, non juris esse volunt, Scripturæ apertè refragantur, quæ testatur Christum ut ex muliere factum, sic & Legi obnoxium fuisse Galat. 4. 4. At hæc lex hominem ordini humano, & quidem divinitus instituto subjicit. Ideo Christus quà hominis Filius, Magistratui fuit subjectus, tam jure, quàm facto. Fateor necessitate naturæ & quà persona erat divina, non fuisse subjectum, & potuisse ab ea se eximere; Sed quia fieri voluit homo, ideo quà talis legibus humanis obnoxius esse debuit. Rursus si de facto subire voluit illud judicium, cur Clerici se ab eo eximunt, nec sequi volunt exemplum Domini sui? Non melius dicitur *potestatem datam Christo non fuisse potestatem judiciariam, sed permissionem.* Quia de eadem potestate loqui debuit Christus, de qua Pilatus dixerat, *Nescis quia potestatem habeo crucifigen-*

3. *A Christi exemplo Joan. 19 11.*

QUÆST. XXVII. *figendi te, & potestatem absolvendi*, quæ non alia quàm judicaria fingi potest. Non ergo hic mera permissio statuenda est, qualis data est Diabolo & Judæis ad Christum vexandum; longè aliter se gerit erga Judæos vim inferentes, aliter erga Pilatum judicantem; minus enim peccati agnoscit in hoc, quàm in illis. Imò qui se sistit judicandum Pilato, manibus ac lapidibus & furori Judæorum se non semel subduxit. Hinc Bern. ep. 42. ad Archie. Senon. *Jam tunc per se loquebatur, & in se experiebatur, quod per Apostolos clamavit in Ecclesiis, non est Potestas nisi a Deo*, & ante eum Aug. in h. l. *Potestas Pilati in Christum fuit a Deo, juxta illud Apostoli, non est Potestas nisi a Deo.*

XII. Confirmatur idem argumentum ex censu, sive tributo Quæstoribus persoluto, Matth. 17. 25. per Petrum tum pro Christo, tum pro se ipso; quod signum subjectionis omnes agnoscunt. Quamvis enim Christus ut Dominus omnium, non teneretur tributum solvere; tamen quia nondum ut talis agnoscebatur, scandali vitandi gratiâ, ne haberetur tanquam Legis Dei contemptor, voluit censum solvi & pro se & pro Petro, sive quia Petrus solus aderat, non alii Apostoli, sive quia solus rogatus fuerat, quòd Capernaumi habitaret. Si verò Christus hoc fecit; multò magis ipsius Ministri, & si pro Petro solvi debuit tributum, quo jure Pontifices, qui se Petri successores jactant, se ab eo immunes esse pertendunt? Non juvat dicere *Christum solvisse tributum, quia voluit, non quia debuit.* Quia ita voluit Christus solvere tributum, ut simul quoque voluerit debere solvere, & debuerit in statu exinanitionis in quo versabatur, ut debuit circumcidi, baptizari, Pilato subjici, & mori; ita debuit tributum solvere; liber quidem fuit absolutè quà Filius Dei; sed in hoc casu non liber, quia ipse se fecerat servum, quod Hiero. in h. l. ita exponit, *Tributa quasi Regum filius non debebat; sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem justitiam.* Quo pacto exemplum dare voluit, ut quid suis omnibus in hac causa faciendum esset doceret. Ut quicunque Christi sunt, faciendum sibi censeant, quod Christus fecet, tantoquè magis faciant, quia illum hoc vident pro nobis & in exemplum nostrum facientem, cui alioqui secundùm se obligatio faciendi nulla fuit. Porro quomodocunque intelligatur Tributum istud, sive de Tributo Cæsareano, seu capitatione, quæ ab Augusto imposita fuit Judæis, cujus modus erat Didrachmum, à quo cùm Judæi se exemissent rebellando, Vespasianus expugnatis Jerosolymis illud reposuit, ut observat Joseph. de bell. Jud. lib. 7. cap. 26. quæ est sententia Hierony. & variorum ex Pontificiis, Jansenii Harmo, cap. 69. Salmeronis, Barradi, & aliorum, quæ videtur firmari ex sequentibus, ubi agitur de Regibus terræ tributa exigentibus; Sive de Tributo, quod imposuerat Deus filiis Israël in usum Sanctuarii Exod. 30. ut Hilario, Bellarm. Baron.

Matth. 17. 25.

ron. & aliis placuit, vis argumenti semper manet. Nam ex eo quod Templo pependit, colligere licet eum quoque subiisse Leges forenses, tributum enim Deo pendebatur, ut proprio Regi, ille verò qui Regis illius erat Filius ab eo eximere se poterat. QUÆST. XXVII.

XIII. iv. A *Pauli facto*, qui à Synedrio Jerosolymitano appellat ad Cæsarem Act. 25. 10. *Ad Cæsaris tribunal sto, ubi opertet me judicari* &c. *Cæsarem appello.* Quem autem appellat quis, eum sibi superiorem & judicem agnoscit, & ejus potestati se submittit. Nequicquam Bellarminus regerit, *Paulum appellâsse ad Cæsarem, quia de facto erat Judex ipsius, etsi non de jure.* Quia non de facto tantum, sed & de jure loquitur, quum dicit, *quòd coram Cæsare dèi oportet se judicari.* Ubi autem oportuit Paulum judicari, ibi de jure subjectus erat judicio. Namquod juri repugnat, fieri opertere, nunquam dicturus, ne dum facturus erat Apostolus. Quæ in actione juris fiunt non de jure, fieri contra jus & per injuriam intelligenda sunt; *Quia facit contra debitum justitiæ*, ut habet Aquinas, *mortaliter peccat* 2. 2. q. 61. Pertinet autem ad debitum justitiæ cuique, ut superiori jus suum servetur illæsum, quod non facit, qui pro vero Judice alium substituit. Confirmatur ex eo, quòd appellationem ratam habuit Deus, qui misso Angelo Paulum tempestate periclitantem consolatur, *Ne metuas Paule, quia oportet te Cæsari sisti*, cujus certè rei mentionem non feciisset, si contra jus Apostolus pro Petro Cæsarem judicem sibi constituisset. Unde vanitatem responsionis agnoscens Bellarminus addit, *Secundo dici potest & melius ex Alberto Pighio, discrimen esse inter Principes Ethnicos, & Christianos; Nam quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex judex illorum; sed è contrario illis subjectus erat in civilibus omnibus causis, non minus quam ceteri homines. Merito itaque Paulus Cæsarem appellavit, eumque judicem agnovit, cùm accusaretur seditionis & tumultus excitati.* Sed nec hoc pacto elabi potest Adversarius; quia sic deterior esset conditio Principum Christianorum, quàm Ethnicorum; At Euangelium non abolet politias, & ut Bellarminus ipse loquitur, *Lex Christiana neminem privat jure suo*, quod fieret, si per suam ad Christum conversionem partem juridictionis & potestatis suæ amitterent. Quid quod ipse Bellarminus alibi hanc responsionem rejicit. *Non probo*, inquit, in recognitione operum, *quod dixi cum Alberto Pighio S. Paulum appellâsse ad Cæsarem tanquam ad legitimum suum Principem; Nam si ratio exemptionis Clericorum est, quia Ministri sunt Christi, qui est Princeps Regum terræ, certè sunt exempti de jure, non solùm a Potestate Principum Christianorum, sed etiam Ethnicorum*, scilicet hac ratione gratiam voluit inire apud Sixtum V. qui ita ægrè tulerat quod dixerat, Pontifices olim de jure Cæsari in causis civilibus fuisse subjectos, ut animus esset libros ejus omnes censoriâ virgula notare.

4. *A Pauli facto* Act. 25. 10.

QUÆST. XXVII.

tare. Hinc tertiò addit, quæstionem de qua Paulus accusabatur fuisse de fide, ideoque non pertinuisse ad Magistratum Politicum; nec Paulum Cæsari subjecisse. Sed Paulus satis ostendit non ob religionem duntaxat accusatum fuisse coram Cæsare, sed aliis de causis. Judæi quippe illum variorum criminum reum peragebant ℣. 7. & potissimùm seditionis. *Invenimus eum κινοῦντα στάσιν seditionem moventem.* Rursus Paulus coram Festo & Cæsare non disceptat de fide directè, sed de vi sibi illatâ, non licuisse scilicet Judæis, vim illi ob prædicationem Euangelii inferre. Non quæritur utrum Paulus sit hæreticus necne, sed an ob ejusmodi prædicationem ea debuerint designare & moliri Judæi, *Si quam injuriam, ac si quid morte dignum feci, mori non recuso.* Postulat itaque ut judicetur, non an vera sint, quæ dixerit, sed an propterea mortem meruerit, An in Judæos injurius, templi profanator, Legis infractor, & Cæsaris hostis fuerit? Ad Cæsarem ergo provocat, non tantùm tanquam ad Judæorum Judicem, ut illi compescantur, sed ut ipse etiam judicetur quoad crimina sibi à Judæis impacta.

5. *A Clericorum statu.*

XIV. v. A *Clericorum statu*, Qui sunt Cives & partes Reipublicæ, quique ideo debent esse vel Magistratus, vel subditi, siquidem duæ sunt partes integrantes Reipublicæ. Cùm ergo non sint in numero Magistratus, debent esse in numero subditorum, quia Respublica non est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, ut loquitur Optatus lib. 3. c. Parmen. Quod agnoscit Bellarm. lib. 1. de Cleri. cap. 28, *Clerici præterquam quod Clerici sunt, sunt etiam Cives & partes quædam Reipublicæ, igitur ut tales, oportet eos obedire Legibus & Magistratui, quia non decet ut membra à capite discrepent.* Sic Medina in c. de restit. q. 15. *Non repugnat rationi, ut homines addicti obsequio Dei & spiritualibus functionibus, subsint in temporalibus & civilibus Magistratui seculari; Nam sicut Princeps secularis ut Christianus & in rebus spiritualibus est ovis, & filius Sacerdotum; Ita è contrario Sacerdotes ut cives & in rebus temporalibus dici possunt oves, & quasi filii Principum secularium.*

6. *Ab incommodis.*

XV. VI. Ab *incommodis & absurdis variis*, Plenariâ illâ exemtione Clericorum nihil cogitari potest perniciosius & iniquius. Quæ enim major iniquitas, quàm florem bonorum Reipublicæ iis depascendum dari, qui non tantùm onera non ferant, nec Rempublicam juvent ex iis bonis, unde suam salutem sperare debent, sed qui ne eam quidem agnoscant benefactricem, à qua omnia sua prius emendicarunt? Quæ major pestis, quàm in medio sinu habere, non tantùm contra quos, si te affecerint injuriâ, mutire non audeas, sed etiam qui alienæ potestati fidem dederint, qui teneantur ad nutum alterius arma in te sumere? ut loquitur Arnisæ. lib. 1. de subject. & exemt. Cleric. cap. 2. Quid injustius quàm bona & commoda Reipublicæ cum aliis communia habere, nec tamen onera ejus

cum

cum illis portare velle, ut aliis omnibus sit angustia, ipsis verò solis relaxatio? Charitas erga patriam non patitur, ut qui tot tantaque possident, otiosè sedeant, & se oneribus subtrahant. Denique si Lex Euangelica non liberat quemquam à debitis ante contractis, nec à debito filiali, nec à debito pecuniario, nec à debito servitutis, nec à debito conjugali; quare eximeret à subjectione & obedientiâ Magistratus? Nam majus esse vinculum debitoris cum creditore, servi cum Domino, filii cum patre, supponitur gratis, non probatur; quia hoc debitum ut fundatum in jure divino est indispensabile. QUÆST. XXVII.

XVI. VII. A *Pontificum ipsorum*, & *Pontificiorum variorum suffrago.* Gregorius Romanus Episcopus *Imperatorem Dominum suum agnoscit*, lib. 3. epist. 61. Imperatoris *se indignum* vocat *servum*, ibidemque *obedientiam se ei debere fatetur*, lib. 4. epist. 31. & lib. 2. epist. 65. agnoscit *Principi datam potestatem non tantùm supra milites, sed & Sacerdotes.* Leo IV. Lothario scribens hoc agnoscit, ut habetur in cap. 9. dist. 10. & c. Adrianus dist. 63. Quod jus etiam confirmavit Ottoni c. in Syn. dist. eadem. Idem Leo IV. ab Imperatore Ludovico petit judicari, & ejus sententiæ se pariturum promittit C. *Nos si incompetenter* s. 2. q. 7. Nec dici potest cum Bellarmino, quòd se *subjecerit Imperatoris Judicio discretivo, sed non coactivo.* Nam qui rem legitimo terminari judicio petit, ut loquitur Leo, non solùm discretionem, sed etiam executionem postulat. Pontificii non pauci nobis hîc favent; in primis illi, qui docent Clericos in Ecclesiasticis quidem & spiritualibus jure divino & potestate seculari liberos esse, in aliis verò nonnisi jure humano, ut *Franciscus Victoria* de potest. Eccles. *Domi. à Soto* in 4. dist. 25. *Joh. Medina* in Cod. de restit *Covarruvias* in l. practi. quæsti. cap. 31. *Molinæus*, *Alciatus*, *Bannes*, *Alb. Pighius*, *Jansenius*, *Marsilius Patavinus.* 7. *Pontificiorum suffragio.*

XVII. VIII. Ex *Constitutionibus*, & *Factis*, *Imperatorum*: Constat Imperatores potestatis suæ memores & vocationis suæ conscios, Clericos politicis legibus subjecisse, patet ex utroque Codice & Novellis, ubi multa Clericis imperant l. Decernimus 26. C. de Episc. & Cleri. l. omnes 10. C. de Legi. & Consti. Princ. *Omnes secundùm leges vivant, etiamsi ad divinam domum pertineant.* Novell. 123. cap. 8. *Nullus Episcopus invitus trahatur ad secularem, nisi Princeps jusserit*, quæ verba postrema, ut & vocem *invitus* Gratianus omisit, c. Nullus q. 1. quia jugulant causam Pontificiam. Huc refer l. addictos 6. l. si quis ex consensu 7. & Novel. 3. in Princ. Novel. 6. cap. 8. *&c.* Ex proœm. Edicto. Justiniani ad Archiepiscopos & Patriarchas scripto constat Justinianum, licèt Episcopis audientiam concesserit, tamen cognitionem & appellationem supremam sibi reservâsse. Valentinianus in Epist. ad Epsc. Asiæ, referente Theodo. lib. 4. cap. 7. scribit, *probos Episcopos, non solùm Dei, sed etiam Re-* 8. *Ex Constitutionibus & factis Imperatorum.*

QUÆST. XXVII. *cum legibus obtemperare.* Ex Jure Canonico constat Imperatores olim habuisse potestatem coërcendi Pontifices & Clericos, ut probat Jacobus Rex Britanniæ in præfat. monit. ad Principes Christianos. Testantur historiæ Imperatores Christianos sæpius judicâsse & deposuisse Pontifices. Constantius in exilium Liberium misit, Justinianus Sylverium, Otho I. Johannem XXII. de posuit, & Leonem VIII. substituit. Henricus III. Gregorium VI. & Clementem II. ordinari jussit, Constantius Athanasio de morte Arsenii accusato judices dedit, Legati Constantis Imperat. Stephanum Antiochenum Episc. de vi publica ex l. Corne. de Sica. reum egerunt, & in palatio damnarunt. Nec hoc diffiteri potest Baronius Annal. t. 7. an. 558.

Fontes Solutionum.

XVIII. Non est absurdum unum eundemque hominem ovem esse in ordine Ecclesiastico, & quoad spiritualia, & Pastorem in ordine politico, & quoad temporalia. Ut ergo in iis, quæ ad Christi regnum spectant, Principes Ministris sacris, qui pro Christo legatione funguntur subjici par est: Ita in iis, quæ ad terrenam vitam pertinent, eos Principis jussa capessere necesse est. Sic in navali classe Navarchum obtemperare Nauclero in illis quæ navis regimen spectant notum est; Nauclerum verò eidem subesse & obedire, in iis quæ ad Navarchi munus & potestatem pertinent.

XIX. Potestas Politica & Ecclesiastica Ministrorum non possunt dici collaterales. Collateralitas enim obtinet tantùm inter æquas potestates. At potestas Ministrorum longè subsidit infra potestatem politicam, quia est tantùm ministeriales & ὑπηρετικὴ, ista verò architectonica & principalis. Nec Magistratus dicendi sunt subditi Ministris, sed Christo qui eos misit; Ministri verò propriè subsunt Magistratibns tanquam Dominis.

XX. Superior debet esse exemptus ab inferioris imperio, in iis in quibus verè est superior. Sed Clerus non est superior in civilibus, sive ea personas, sive res spectent; sed tantùm in spiritualibus, quoad mysteria Verbi & Sacramentorum, eorumque dispensationem.

XXI. Aliud est Ministros sacros gaudere privilegiis quibusdam sibi à Principibus concessis. Aliud immunitatem omnimodam habere de jure divino. Prius damus, sed non posterius; Nec ex exemplis quibusdam particularibus potest colligi jus perpetuum & universale. Bellarminus ipse lib. 1. de Cleri. cap. 7. resp. ad arg. 7. *Exempla Scripturarum*, inquit, *non faciunt rem esse de jure divino, sed præcepta Dei sunt, quæ hoc faciunt.*

Gen. 47. Exemptio data Sacerdotibus Ægyptiis à Josepho Gen. 47. non fuit immunitas ab omni subjectione jurisdictionis regiæ in politicis & vectigalibus, sed tantùm immunitas à certo vectigali, nimirum à pensatione quintæ partis proventuum agrorum, qui non venditi erant Regi; cum eorum dominis ex regiis apothecis annona suppeditaretur.

Dein-

Deinde nullum hîc divinum mandatum, sed humanum institutum narratur. Quæst. XXVII.

XXII. Si Artaxerxes Esdræ cap. 7. 24. vetat Sacerdotibus, reliquisque Templi Ministris tributum aut vectigal imponi, quia ex sacrificiis & oblationibus victitantes agris carebant; Non sequitur nullo jure capitationem ab ipsis potuisse exigi, si id Reipub. usus postulâsset, Regique ita visum fuisset. Esd. 7. 24.

XXIII. Imperatorum Constitutiones & Justiniani Novellæ, quibus sententiam suam tuetur Bellarminus, causam ejus non juvant; ostendunt quippe Exemptionem illam Clericorum esse humanum privilegium ex indulgentia Imperatorum potius concessum, quàm jure ullo divino acquisitum. Imò & ex Bellarmino non eximit Justinianus Clericos in Causis criminalibus, sed in civilibus tantùm. Et supra vidimus Imperatores subjectionem istam imposuisse Ministris.

XXIV. Sacerdotes apud omnes fere gentes à quibusdam oneribus & tributis immunes fuisse concedimus; sed ab omni jurisdictione Magistratus immunes fuisse negamus. Aliud est dignitatem summam ipsis deferri solitam fuisse, sed in ordine suo, quod fatemur. Aliud potestatem in temporalibus & civilibus obtinuisse, quod nolumus. Unde Gelas. c. duo sunt dist. 96. autoritatem sacram Pontificibus, Regalem potestatem Principibus tribuit.

XXV. Si Principes Clericos Episcopis subjecerunt, hoc pietatis quidem studio factum, quia delicta Ecclesiasticorum non sine infirmorum scandalo, & religionis detrimento, à Ministris ordinariis, maximè si infideles & Ecclesiæ infesti essent, cognosci poterant; sed quatenus immunitas ista perpetuâ lege sancita fuit, & simpliciter & absolutè obtinuit, quod ad tempus tantùm & κατὰ τὶ valere debuit, hoc superstitioni Principum, & ambitioni Episcoporum tribuendum est. Quod verò Pontifex Romanus cum Clericis ipsos Episcopos, & cum Episcopis ipsos tandem Principes sibi subjecit, jugumque suâ cervice excussum ipsorum cervicibus injecit, nec divino, nec humano jure factum putandum est, sed ab Antichristi tyrannide in Scripturis ipsis prædictâ profectum est.

XXVI. Gratis dicitur per istam subjectionem vilescere ordinem Ecclesiasticum, perire ejus autoritatem, & adimi libertatem necessariam corripiendi politicos. Subjectio enim in politicis & temporalibus, non aufert autoritatem in spiritualibus. Restitit liberè summus Sacerdos Oziæ Regi thuribulum arripienti, licèt in politicis illi esset subjectus.

XXVII. Frustra Bellarminus pertendit Clericos legibus civilibus teneri tantùm *directivè*, non *coactivè*; & mera est illusio, quâ fucum facere conatur. Qualis enim est illa Legi subjectio, si cogi ad obsequium non possumus? Nervus Legis est pœnæ sanctio, quæ si infligi non possit, inanis

QUÆST. XXVII. est lex, quæ sic vim omnem & autoritatem amittit. Inanis est obligatio sine potestate cogendi in superiore, & necessitate parendi in inferiore sub sanctione pœnæ. Ideo Paulus subjectionem istam imponit, tam *propter iram*, id est, metum pœnæ, quàm propter conscientiam.

XXVIII. Aliud est loqui de omnimoda exemptione. Aliud de certis Privilegiis beneficentiâ Principum concessis. Justinianus Nov. 79. 83. & 123. non loquitur de omnimoda & universali immunitate, sed in civilibus tantùm causis ordinat, ut Clerici primùm conveniant Episcopum, ne ab officiis suis abstrahantur, nec à suis Ecclesiiis propter actionem in foro abesse cogantur. In criminalibus autem publicis Imperii judiciis eos subjicit, ut ex illis constat. Et si Episcopis *audientiam* in causis Ecclesiasticis concessit, supremum tamen jus & cognitionem sibi reservavit. Si à Principibus privilegia acceperunt Episcopi, ad Jurisdictionem Principum pertinuerunt, quia privilegium ab alio accipiens, eundem superiorem agnoscit.

QUÆSTIO XXVIII.

DE STIPENDIIS MINISTRORUM, & BONIS ECCLESIASTICIS.

An Ministris Ecclesiæ aliquod stipendium debeatur? Affirm. contra Anabaptistas.

Status Quæstionis.

I. QUæstio hæc mota fuit antehac ab Anabaptistis, qui putârunt gratis prædicandum esse Euangelium, vel à ditioribus, qui de suo abundè habent unde vivant, vel etiam à pauperibus, qui arte aliqua βαναύσῳ, & proprio labore victum & necessaria sibi procurant ad Pauli exemplum, qui συλλογιμαίου exercebat, & propriis manibus laborabat 1. Cor. 4. 12. Et Ministros Reformatos non esse veros Ministros censebant, sed mercenarios, qui Ministerium capessunt per modum mercaturæ, & operam suam maximum stipendium offerentibus addicere ac locare soleant. Agnoscunt quidem in Colloquio Embdano Act. 78. sect. 4. teneri Ecclesiam Ministris à se vocatis de necessariis prospicere. Sed in eo casu tantùm, si ipsis non suppetat, unde familiam honestè sustentare possint, vel ex patrimonio, vel ex mercatura, & opificio, & alia vocatione hujus seculi, sed extra hunc casum teneri Ministros volunt ex charitate & gratis prædicare.

II. Or-

II. Orthodoxi sic statuunt. Non tantùm posse Ministrum ex ministerio vivere, sed & debere. Et licèt in casu necessitatis, cùm scilicet nec ab Ecclesia, cui inservit, nec ab aliis sustentari potest; Euangelium ἀδάπανον præstare possit; Imò etiam extra casum necessitatis propter graves rationes ex charitate & prudentiâ Christianâ possit Ecclesiæ alicui debitum illud remittere, atque adeò illam eleëmosynis suis ad tempus aut in perpetuum refocillare; non tamen teneri jure divino & humano; sed contrà Ecclesiam teneri absolutè ad procurationem & exsolutionem justi stipendii. Quæst. XXVIII.

III. Rationes sunt. 1. Ex loco Pauli 1. Cor. 9. 4. 5. usque ad 19. ubi sedes est hujus doctrinæ, & Apostolus non tantùm hoc jus accipiendi debiti stipendii, & hanc potestatem sibi & omnibus Ministris vindicat, sed argumentis variis ex jure tum divino, tum naturali, & probatis exemplis confirmat; primum petitur ab Apostolis ℣. 5. 6. *Nonne potestatem habemus, ut & reliqui Apostoli, ducendi uxorem sororem? An solus ego & Barnabas potestatem non habemus non operandi?* Secundum ab analogia militis, agricolæ, pastoris, quibus stipendia deberi naturalis æquitas & ratio dictat ℣. 7. *Quis militat propriis stipendis? Quis vitem plantat, & ex fructu non commedit? Quis gregem pascit, & ex lacte ovium non bibit?* Tertium ex præscripto Legis circa bovem triturantem à minori ad majus, quia bovi trituranti non est os obligendum Deut. 25. 4. ut Deus boves laborantes prohibet à pabulo arceri, quanto minus Ecclesiæ Ministri privandi sunt fructu laboris sui? Nec enim hac lege tam boves respuit, quàm homines, ne fraudentur justâ operis mercede ℣. 9. 10. *An Deo cura sunt boves? nonne propter nos ista dicuntur? quia qui arat, debet in spe arare*, &c. Quartum ex comparatione imparium, operis & mercedis, ℣. 11. *Qui spiritualia seminant, debent colligere corporalia.* Quintum ex ordine divinitus instituto, tam in Veteri quàm Novo Testamento ℣. 1. *Nonne scitis, quòd qui sacris operantur, de sacrificiis comedunt, Et qui ministrant altari, debent ex altari participare, sic Deus præcepit, ut qui Euangelium prædicant, ex Euangelio vivant.*

Stipendium debere Ministris probatur 1. Ex 1. Cor. 9 4 5. 6.

℣. 7.

Deut. 25 4.

IV. 11. Ex *mandato Christi*, Matth. 10. 10. & Luc. 10. 7. ubi mittens Apostolos ad prædicandum Euangelium in Judæa, vetat ne quicquam in via portent, ne cibum quidem, sed vultro eo illorum expensis vivere ad quos mittebantur. Cujus rei rationem reddit justissimam, nempe quòd *operarius dignus sit alimento, & mercede suâ.* Ostendens Ministris Euangelii, non minus justè deberi ab auditoribus τὰ βιωτικὰ, quæ ad se & suos sustentandos sunt necessaria, quam mercenario ob laborem & operam justè debetur merces. Nec opponi debent verba Christi ℣. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* Quia patet ibi eum non agere de Verbi prædicatione, sed de charismatis & donis miraculosis sanationum, & virtutum, pro

2. *Ex mandato Christi Matt. 10 10. Luc. 10 7.*

℣. 8.

QUÆST. XXVIII.

quibus vetat pretium accipi, nedum ut venderentur, ut pertendebat Simon Magus Act. 8. 10. *Ægros sanate*, inquit, *leprosos purgate, mortuos excitate, dæmonia ejicite, gratis accepistis, gratis date.* Non posse verò extendi ad justa Ministrorum stipendia verba allata ex ℣. 10. evincunt. Cur enim vult Apostolos sustentari & nutriri ab Auditoribus, quia operarius dignus est mercede suâ, si gratis prædicare debuerunt?

3. *Ex stipendiis Sacerdotum V. T.*

V. III. Ex *stipendiis Ministrorum Sacrorum in Vet. Testamento* Num. 18. ℣. 8. 9. 10. 11. 12. quibus cedebant ordinariò sacrificia, decimæ, primitiæ, & alia id genus præter Urbes quasdam & agros suburbicarios Num. 35. Licèt verò in Novo Testamento non obligemur iis legibus quoad specialem materiam ex qua, & modum quô dabantur stipendia, manent tamen quoad genus & analogiam, ut ex loco ante allato 1. Cor. 9. 13. patet.

4. *Ab exemplo Christi & Apostolorum.*

VI. IV. Ab *Exemplo Christi & Apostolorum*, qui non recusarunt à fidelibus accipere necessaria ad sui sustentationem. Christus à mulieribus τῶν ὑπαρχόντων accepit Luc. 8. 3. ut & Paulus à Philippensibus Phil. 4. 10. 15. 16. Et 2. Cor. 11. 8. dicit se ὀψώνιον accepisse ab aliis Ecclesiis ad Corinthiorum ministerium exequendum, ut posset ipsis gratis Euangelium prædicare, ad declinandam scilicet invidiam avaritiæ & turpis lucri, quâ eum gravare conabantur Pseudoapostoli.

5. *A minis.*

VII. V. A *minis* denegationem stipendii sequentibus. Quia non exsolvere stipendia Ministris, numeratur inter gravissima peccata, injustitiæ in proximum, & impietatis in Deum, cui Deus pœnas minatur, & contrarium facientibus benedictionem suam promittit Mal. 3. 8. 10. 12. Nehem. 13. 10. 11. Gal. 6. 6. 7. *Deus non irridetur*, inquit Apost. *quod quisque severit homo, hoc metet.*

6. *Ab Absurdis.*

VIII. VI. Ab *absurdis*, & incommodis consequentibus. Negatâ enim stipendiorum necessitate, sequeretur. 1. in electione Ministrorum spectandas esse qualitates & prærogativas carnis, illosque præferendos, qui de suo possent sustentari & gratis prædicare, quo fieret ut sæpenumero optimi & meritissimi in electione prætereundi essent. 2. Periculosam discriminationem fore inter Ministros, quorum alii ex charitate & conscientia Dei δωρεάν præstarent Euangelium; alii necessitate suâ Ecclesiam gravarent, atque adeò viliores, & magis odiosi, minusque grati forent. 3. Sic mutarentur stipendia in eleëmosynas, & crederentur Ministri vivere ex eleëmosynis, quod falsum est, & contempta redderetur eorum conditio. Hinc sapienter cautum in disciplina Ecclesiarum Reformatorum Galliæ, ut singulis Pastoribus sua assignentur stipendia, nec quisquam ad munus promoveatur sine illis, arti 42. de Pastoribus.

7. *Ex naturali Justitiæ.* 2. Cor. 8. 13. 14.

IX. VII. Ex *naturali justitiâ & æquitate*, cujus regulam indicit Apostolus 2. Cor. 8. 13. 14. quæ non patitur, ut commodum ex alieno damno per-

percipiatur, ut unus gravetur, dum tota Communitas sublevatur. Imò æquitas postulat, ut qui docentur, doctores bonis suis sustinent Gal. 6. 6. Tit. 3. 12. Et qui spiritualia recipiunt ab aliquo, illi saltem temporalia impertiantur. *Quæst. XXVIII. Gal. 6. 6. Tit. 3. 12.*

X. Aliud est non habere jus petendi & exigendi stipendium. Aliud nolle eo uti certis de causis, manente enim jure, exercitium & usus ejus potest hîc & nunc intermitti. Paulus posterius potuit facere, & re ipsa fecit gravibus de causis Act. 20. 33. & 2. Thess. 3. 8. 9. Sed nec sibi nec aliis Ministris regulam facit, quam constanter sequi debeant, siquidem alibi jure suo usus legitur. *Fontes Solutionum.*

XI. Aliud est μισθοφορία, Aliud φιλαργυρία. Mic. 3. 11. reprehenduntur Sacerdotes, *qui in mercede docebant, & Prophetæ, qui in pecunia divinabant*, scilicet qui ob pecuniam à ditioribus emungendam falsa docebant, qui loquebantur placentia, & felicem Reipublicæ statum pollicebantur, ut stipendia liberaliora acciperent; cùm potius auditorum suorum peccata acriter taxare, & comminatione pœnarum ad pœnitentiam eos hortari debuissent. Sed ex eo inferri nequit, illicitum esse accipere stipendia, quia illis ipsis Sacerdotibus, qui ob avaritiam accusantur, Deus liberalem sustentationem in Lege sua instituerat. *Mich. 3. 12.*

XII. Aliud est stipendii & lucelli causâ Ministerium amplecti. Aliud deposcere stipendium, & de illo pacisci ad ministerium commodè exequendum. Prius est mercenariorum, qui id unicè agunt, ut lucrum ex Euangelio aucupentur. Sed posterius verorum est Pastorum. Sane si non deberetur ipsis pro opere quod faciunt ulla merces; Si collecta illa esset verè arbitraria & gratuita, ut sunt eleëmosyna. Tum pacisci stipendia non liceret, & ejusmodi stipulatio sordida foret, & simoniaca. Sed quia debentur justissimè ex Dei & Christi præscripto, licet ea pacisci, quando ea aliter & commodè haberi non possunt; nec in eo ulla est mercenarii animi labes aut macula, aut suspicio, modò ea sint moderata, non ad gregis gravamem nimia, & sufficiant ad Pastoris ejusque familiæ honestam sustentationem; quorum stipendiorum modus ex prudentum consilio & communi Ecclesiæ consensu constitui debet. Quod si qui pertinaciter & ex impietate & ingrato animo, non ex inopia negant, digni sunt quibus Verbum Dei non annuncietur, & qui à Pastoribus deserantur.

XIII. Si qui sunt ex Ministris, qui ex patrimonio se familiamque suam commodè ac honestè alere possunt; Ministerii sui stipendiis ideo fraudandi non sunt. Nec illi, nisi peculiaris subsit causa, laborum suorum præmia recusare debent 1. Cor. 9. 18. ne eximiæ cujusdam sanctitatis gloriam aucupare videantur, aut tenuiores collegas invidiâ onerent, & ne populi hac immunitate illecti, avaritiam foveant, magno cum successorum incom-

mo-

QUÆST. XXVIII. modo, & totius Ecclesiæ, non semper ἀδέκατον ministerium nacturæ, periculo. Cùm verò stipendii labore suo parti, quisque sit dominus, æquum est, ut suo arbitratu, non alieno, in pauperes, & alios usus eroget, quod visum fuerit.

XIV. Variis autem modis stipendia ista exsolvi possunt, Vel ex spontaneis fidelium oblationibus; quæ in communem Ecclesiæ usum ex Christiana charitate, & justitiâ liberaliter de bonis suis conferunt, ut fiebat à primis Christianis Apostolorum tempore, & aliquot post seculis: Vel ex mutuo pacto, & singulorum collatitiâ stipe corrogata; Vel de ærario publico à Christiano Magistratu persoluta, Vel ex decimis petita, Vel denique ex agrorum & prædiorum Ecclesiæ donatorum & legatorum, aliorumque bonorum Ecclesiasticorum annuis reditibus & proventu collecta. Utrovis autem istorum modorum fiat, parum aut nihil omnino interest ad rem ipsam quod spectat, modò sufficientia Euangelii Ministris solvantur stipendia, moduſque in iis servetur, ne plus æquo angusta sint, & infra id quod satis est ad Pastorem, ejusque familiam honestè alendam; Nec minus ampla, quæ ad luxum magis & fastum faciant, quàm ad id quod satis est & necessarium. Utrumque enim extremum ex æquo periculosum & fugiendum, ne vel contemptui sint apud ingratam plebem ex nimis arctâ re familiari, vel ne illi luxui, otio, & inani pompæ litent & indulgeant ex nimis lautâ & splendidâ, ut factum in Papatu.

XV. Licèt Pastor teneatur in certis casibus ad τὸ *gratis*; si quidem ipsi facultas suppetat; Cùm Ecclesia pauperçula est, Vel primùm plantata, & adhuc tenella, quæ nollet recipere Euangelium, nisi gratis, Vel quando sectarii hoc faciunt, nostrisque Ministris factum exprobrant. Non sequitur hoc illi jus non competere. Quòd si Ecclesia satis dives sit, sed nolit, vel ex avaritia, vel ex contemptu & fastidio Ministri sui, necessarium stipendium tribuere; licet illi Ecclesiam deserere, tentatis tamen prius omnibus aliis mediis, & ad alterius Ecclesiæ ministerium se offerre; tanta enim invidia erga Ministrum, ne dicam scelus, suadet & permittit migrationem.

XVI. Si quæratur, quid censendum sit de Monarchorum, & præsertim Jesuitarum *gratis*, quod ab Ignatio Ordinis fundatore ipsis præscriptum legitur Regula 17. Responsio est in promptu, non modò crassam esse hypocrisim, sed & audacem & subdolam nihil non corradendi licentiam: quicquid enim docere gratis se simulant, promptissimè tamen selectissimos agros, pinguia prædia, & reditus ingentes ipsis per modum doni gratuiti, aut eleëmosynæ oblatos recipere solent. Et sic operam suam non *gratis* adverbialiter seu δωρεὰν, sed *gratis nominaliter*, id. iis, qui beneficium grato animo agnoscunt & remunerantur.

XVII.

XVII. Quoad *bona Ecclesiastica*, ut aliquid de eorum origine & incrementis dicamus. Certum est jam tempore Christi eorum initium cœpisse, per oblationes pias & devotas fidelium, & fœminarum in primis, quarum nomina Lucæ 8. commemorantur. Quarum pecuniarum administratio Judæ commissa fuit, quæ debebant cedere, partim in usum Christi & Apostolorum, partim in usum pauperum, ut Joan. 12. exponitur. Post Christi ascensionem prima Christianorum Ecclesia Hierosolymis collecta, partim charitatis testandæ causâ, partim ut hostium injuriis esset minus opportuna, & ad migrationes & fugam expeditior, facultates suas in commune ærarium congessit, ditioribus tenuiorum egestatem etiam agrorum suorum dispendio sublevantibus Act. 2. & 4. cap. Verùm hæc bonorum communio, non κτῆσιν, sed χρῆσιν, nec extra Hierosolymitanam Ecclesiam locum habuit in aliis Ecclesiis, nec diu ibi duravit ita singulæ Ecclesiæ ærara sua habuerunt, in quæ quisque stipem conjiceret, & collectæ reponerentur, ut patet ex Justini & Tertulliani apologiis. Quæst. XXVIII.

XVIII. Nòn constat inter Scriptores, quo tempore Ecclesia agros & latifundia primùm possidere cœperit. Certum est, jam ante Constantinum Ecclesias fundos & prædia obtinuisse; Et Romanam præ cæteris amplissimis oblationibus fuisse ditatam, quæ non solùm sufficerent sustentandis Clericis & pauperibus, sed & aliis Ecclesiis sublevandis. Sed profusæ largitiones, quibus immane quantum Ecclesia locupletata intumuit, Constantini demum seculo invaluerunt. Quippe hic Imperator, pro suo in Religionem Christianam zelo, erepta à Decessoribus suis restituit Ecclesiis, & vectigalium, tributorum, & publici frumenti partem illis admensus est, & luculentissima ex aureis & argenteis idolorum statuis conflatis donaria obtulit. Sed quoad donationem Urbis Romæ cum Occidentis imperio, qui illi tribuitur Dist. 96. C. Constantinus, falsam & suppositiam esse pridem observatum & probatum est invictis argumentis à Viris doctis in ipso Papatu *Petro de Vineis*, *Dante*, *Marsilio Patavino*, *Cusano*, *Valla*, *Othone Frisingensi*, *Volaterrano*, *Nanclero*, imò & ipso *Æneæ Sylvio*. Pipino ergo potiùs quàm Constantino hoc quicquid est doni tribuendum videtur, quamvis nec ille tam multa magnaque profuderit, quam vulgo persuasum est. Longè propius vero, Papas, cùm ardente intestinis bellis Italiâ, oppida ac ditiones non paucas vi ac fraude insedissent, modò hujus aut illius donationem aucupatos fuisse.

XIX. Crescente postea superstitione, cujus œstro vulgus fascinatum, nullum esse tam atrox scelus aut turpe flagitium credidit, quod ejusmodi donariis expiari non posset; nullis deinceps aggeribus reprimi potuit exundantium largitionum impetus, quô tanquam decumano fluctu obruta ac pessundata fuit Ecclesia, & spirituale ejus decus in profanæ Monar-

QUÆST. XXVIII. chiæ splendorem ac luxum degeneravit, nimisque vere dictum *Religionem peperisse divitias, sed filiam devorásse matrem.* Qui plura voluerit de origine & incrementis bonorum Ecclesiasticorum consulat *Hospinianum* de Bonis Ecclesiasticis, *Voetium* Polit. Eccles. P. 1. lib. 4. to. 2. & aureum Tractatum Itál. *Pauli Sarpi Veneti* de Materiis Beneficiariis.

QUÆSTIO XXIX.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

An Ecclesiæ aliqua Potestas spiritualis competat, distincta à Politica? Affirm.

I. UT Deus, qui non est Deus confusionis, sed ordinis, in Ecclesia Regimen & ordinem sacrum instituit, quò ritè colligeretur, & collecta conservaretur & regeretur. Ideo Pastores legitimâ aliquâ potestate & autoritate instrui voluit, ut munus sibi commissum sanctè obire queant. Quia verò diversimodè circa istam potestatem, tam in excessu, quàm in defectu peccatur; sedulò expendendum, quibus limitibus circumscribi debeat, ne vel nimis extendatur, vel nimis coarctetur.

II. In *Excessu* peccant Pontificii, qui potestatem istam in dominatum & tyrannidem intolerandam in conscientias convertunt; eamque supremam & absolutam deferunt Romano Pontifici, tanquam Christi Vicario, & Petri Successori. In *defectu* verò Erastiani, & Libertini, aliique id genus Turbones, qui nullam potestatem spiritualem Ecclesiæ datam agnoscunt, sed meram prædicationem & persuasionem relictam Pastoribus, & si quæ potestas ipsis competit, totam derivari à Magistratu; aliam verò potestatem omnem, sive jurisdictionem Ecclesiæ, qualiscunque sit, meram esse tyrannidem, atque adeò partem mysterii iniquitatis pertendunt. Sic *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*, dum tyrannidem volunt amoliri, incidunt in anarchiam, & propter rei abusum, legitimum ejus usum tollunt. Ad quos accessit non ita pridem L. *Molinæus* Venerandi Viri Petri Molinæi filius, D. M. qui Erasti vestigia premens, Potestatem Ecclesiasticam, & quæ ex ea pendet Excommunicationem, merum esse hominum figmentum statuit; Imò & partem mysterii iniquitatis, & scalam per quam Papa ad intolerandæ illius tyrannidis fastigium ascendit, quâ Imperatores & Reges ipsos impiè sub jugum misit; Nullumque aliud medium commodius dari posse ad evertendum

uno

uno ictu totum Papatum, quàm Potestatis Ecclesiasticæ abrogationem, quod magno molimine probare satagit in sua *Paraenesi ad edificatores Imperii in Imperio*, In *Jugulo Causæ*, & in variis epistolis & tractatibus, quos super hoc argumento in lucem misit, in quibus impotenter & iniquissimè invehitur in sententiam in Ecclesiis nostris receptam, & praxim feliciter hactenus & magno cum fructu usitatam, & memoriam benedictam magnorum Virorum & fidelium Dei Servorùm, & Calvini in primis nostri, qui regimen hoc sanctum in Ecclesia instituerunt, quasi reliquias Papismi adhuc retinuerint, & tribunal Ecclesiæ supra tribunal Politicum Magistratus erigere voluerint, traducere non erubescit. Cujus figmenti vanitas & falsitas à variis jam retecta fuit & solidè confutata, & novissimè à Celeberrimo Theologo D. Jurieu ipsius Nepote in erudito Tractatu de *Potestate Ecclesiæ*. Quæst. XXIX.

III. Orthodoxi medium inter duo extrema tenentes, potestatem & autoritatem Ecclesiæ distinctam à politica, datam esse agnoscunt, sed quæ sit tantùm ministerialis & subalterna, non suprema & αὐτοκρατορικὴ. Et ut meritò abolitam esse fatentur potestatem tyrannicam Papatus humanitus introductam. Ita ordinem Ecclesiasticum divinitus sancitum, ex Dei Verbo retinendum esse contra ἀταξίας Anabaptistarum & Libertinorum censent.

IV. Ut verò Status Quæstionis, & natura Potestatis istius Ecclesiasticæ melius intelligatur, Observ. 1. Non quæri de Potestate dominica, regia, monarchica ac suprema & ἀνυπευθύνῳ, quæ solius est Christi Capitis & Regis Ecclesiæ propria. Sed de inferiori & ministeriali, quæ servis ejus competit. 11. Nec de Potestate Ecclesiastica extrinseca, quæ talis est tantùm indirectè, objectivè, & per externam denominationem, quæ circa Ecclesiam quidem versatur ἐξ τῶ ἐξω, sed quæ formaliter illi non inest, nec directè eam sibi subordinat, qualis est potestas Magistratus circa sacra. Sed de ea quæ formaliter & intrinsecè talis est circa spiritualia, quæ propriè ad fidem & religionem pertinent. 111. Nec de Potestate extraordinaria Prophetarum & Apostolorum, quà tali formaliter & specificè sumptà, quæ illis propria fuit, & ad alios non transiit. Sed de ordinaria & communi, quæ à Christo data est Ecclesiæ, & omnibus ejus Rectoribus. 1v. Non quæri de Potestate, quæ occupetur circa statum internum & invisibilem Ecclesiæ, in eo enim soli Christo subest, nec quisquam mortalium ullum jus & potestatem eo respectu in eam obtinet. Sed de ea, quæ versatur circa statum externum & visibilem, in communione ejusdem professionis fidei, & usus sacrorum. Quæ nihil aliud est, quàm Jus sacrum ministeriale à Christo Capite Ecclesiæ concessum, extemè se & sua gubernandi ad mutuam ædificationem & salutem. *Status Quæstionis.*

V. Potestas autem ista diversimodè distinguitur. Alii in duas partes

QUÆST. XXIX.

tribuunt, potestatem *dogmaticam*, & *judicialem*, seu *disciplinarem*. Ad priorem reducuntur Verbi prædicatio, Sacramentorum administratio cum reliquis agendis Ecclesiasticis, & quæ illis tanquam media subserviunt, Ecclesiarum collectio & constitutio, Ministrorum electio, Conventuum convocatio & celebratio, & sim. Ad posteriorem pertinet disciplinæ exercitium. Quò pertinet duplex clavis *scientiæ*, & *regiminis*. Sed commodiùs alii tres ejus partes constituunt. 1. δογματικὴν, *dogmaticam*. 2. ἀρχιτεκτονικὴν, *ordinantem*. 3. ἀγωνιστικὴν, *judicialem & disciplinarem*. Prima versatur circa dogmata fidei & prædicationem Verbi & Sacramentorum administrationem. Altera occupatur circa Leges & constitutiones Ecclesiasticas, & regimen Ecclesiæ ex illis. Tertia respicit disciplinæ exercitium, & complectitur, tum jus censurâ notandi peccatores, & eos excommunicandi, sive excommunicatione minori per suspensionem à Communione sacrorum, sive majori per exclusionem ab Ecclesia; Tum jus ita excommunicatos positâ pœnitentiâ reconciliandi.

Probatur Potestas Ecclesiastica 1. à Clavibus.

VI. Dari talem potestatem in Ecclesia probatur. 1. A *Clavibus*, quæ datæ sunt Ecclesiæ. Cùm enim constet Claves esse insigne potestatis & autoritatis, dubitari non potest aliquam potestatem distinctam à politica datam esse Pastoribus, siquidem expressè testatur Christus se illis dedisse claves Regni cœlorum, potestatem scilicet claudendi & aperiendi cœlum, ligandi & solvendi peccatores, remittendi & retinendi peccata Matth. 16. 19. 20. & 18. 18. Joan. 20. 21. 22. Licèt verò usus clavium referatur ad prædicationem Verbi; non tamen in ea includitur, sed ad exercitium disciplinæ extendenda est, quam in Ecclesia sua instituit Christus, & quæ non modò seorsim à singulis Pastoribus, sed conjunctim à toto Synedrio exerceri debet.

2. A natura Societatis.

VII. 11. A *natura Societatis*. Quia nulla societas potest integra & sarta tecta manere sine aliquo ordine & regimine, & regimen non potest subsistere sine aliqua potestate, ad ea omnia quæ bonum spectant commune ritè & commodè disponenda, & ad mala societati ruinam minitantia, eliminanda & averruncanda. Sic Ecclesiæ Christi, quæ Societas omnium est præstantissima & ordinatissima, sua integritas in hoc mundo constare non posset, nisi certo regimini & idoneis legibus esset adstricta, per quas ordo ejus & διάταξις adversus carnis, mundi ac Satanæ fraudes & molitiones inviolata conservetur. Christus ergo, qui nunquam Ecclesiæ suæ deest in necessariis, hanc potestatem illi commisit, quam per Rectores suos exerceret.

3. A natura muneris.

VIII. 111. A *natura Muneris*. Quia munus omne seu officium & ministerium quodcunque dicit potestatem. Et cuicunque munus aliquod committitur, ei datur jus, & potestas agendi secundùm illud munus; Imò ei imponitur necessitas hoc agendi, ut si cui munus Prætoris, Quæstoris,

Se-

Secretarii, Consulis &c. committitur, homogenea potestas per necessa- Quæst. XXIX.
riam consequentiam eidem data esse intelligitur. At Ministris sacris, mu-
nus imponitur Ephes. 4. 11. 12. Matt. 16. 19. Rom. 12. 6. Act. 20. 28.
Ergo datur ipsis potestas & jus illud exercendi quoad omnes suas partes.

IX. iv. Quia tituli, quibus Pastores insigniuntur, hanc potestatem 4 *Ex Titulis datis Pastoribus.*
notant, quum vocantur ποιμένες 1. Timot. 5. 17. ποιμάνσιοι 1. Thess.
5. 12. ἡγούμενοι Heb. 13. 7. 17. ἐπίσκοποι Act. 20. 28. οἰκονόμοι 1. Cor. 4. 1.
2. Tit. 1. 7. κυβερνήσεις 1. Cor. 12. 28. qui omnes tituli autoritatem & po-
testatem aliquam in eos, qui ipsorum curæ commissi sunt, involvunt.
Frustra regeritur, hæc omnia spiritualiter esse intelligenda, de ea autorita-
te, quæ in administratione Verbi exercetur, non verò de ea, quæ circa
disciplinam versatur. Quia ea autoritas designatur, quæ tum temporis
exercebatur à Rectoribus, quæ non fuit tantùm circa prædicationem Ver-
bi, sed etiam circa disciplinam, ut exempla varia docent, & vox κυβερνή-
σεων longè aliam potestatem notat, quàm merè doctrinalem, aliàs nulla es-
set differentia inter eos, qui bene præsunt, & eos qui laborant in Verbo &
doctrinâ 1. Tim. 5. 17. quos duplici honore dignos asserit Paulus.

X. v. Quia Scriptura istam potestatem non uno in loco adstruit 2. 5. *Ex locis Scripturæ* 2. *Cor* 10. 8.
Cor. 10. 8. *Nam si amplius etiam quippiam glorier de potestate nostra, quam*
dedit nobis Dominus ad ædificationem, & non ad destructionem vestri, non
pudefiam. Ubi non tantùm loquitur de potestate Euangelium annuncian-
di, sed & de potestate disciplinam exercendi, ut liquet ex versibus 4. 5. 6:
Sic. 2. Cor. 13. 10: *Propterea hæc absens scribo, ne præsens præcisa seve-* 2. Cor. 13. 10.
ritate utar ex autoritate, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem. Utro-
bique habetur vox ἐξουσίας, quæ denotat potestatem. Huc pertinent loca
alia id genus, in quibus Paulus autoritatem ministerii sui asserit. Licèt ve-
rò autoritas & potestas hodierna Pastorum, longè subsidat infra autorita-
tem Apostolicam, quæ obtinuit in Ecclesia primitiva, non ideo nulla
censenda est, suum enim pondus, suamque potestatem semper debent ha-
bere, ut ut minorem.

XI. vi. Quia talis Potestatis exercitium non semel occurrit, ut in
Concilio Jerosolymitano, quod Ecclesia non modò convocavit ex pote- *Act.* 15.
state sibi concessa, sed ubi etiam multifariam potestatem istam exeruit in
ipsa decisione, tam *dogmaticam*, veritatem controversam determinando,
& errorem rejiciendo, quàm *diatacticam*, Gentibus mandando, ut à qui-
busdam pacis & ædificationis ergò abstineant; Et *judicialem*, schismatis &
erroris istius autores notando, & pro mendacibus, & animarum subver-
soribus habendo ℣. 24. Quò pertinet etiam, quòd Synodi istius decreta
vocantur δόγματα Act. 16. 4. δόγματα κεκριμένα, quod potestatem & ju-
risdictionem necessariò importat. Licèt verò Apostoli, qui huic Concilio
interfuerunt, extraordinario infallibilitatis dono essent præditi; Non sequi-

QUÆST. XXIX.

tur decreta Synodi illis peculiaria esse, quæ ad alias non possint pertinere Ecclesias. Quia constat non solis Apostolis, sed & Presbyteris, & toti Synedrio vim suffragii decisivi datam fuisse, ut colligitur ex Act. 16. 4. Idem patet ex praxi Apostolica erga incestuosum Corinthium, quem Paulus cum toto Synedrio judicat tradendum esse Satanæ 1. Corinth. 5. 3. 4. 5. quod nequaquam præstare potuissent, nisi autoritatem & potestatem spiritualem sibi ad id collatam intellexissent; de quo loco plura in sequentibus dicenda erunt, quum de Excommunicatione agetur. Tertiò ex praxi Ecclesiæ primitivæ, quæ subinde & Synodos congregavit, & varia decreta & sanctiones fecit tam circa doctrinam, quam circa disciplinam.

7. Ab Ecclesia V. T.

XII. VII. Quia Ecclesia Veteris Testamenti suam peculiarem habuit politiam & regiminis sacri formam, in cujus exercitio Ministri sacri potestatem habuerunt distinctam à politica, ex Dei ipsius institutione. Ergo à pari debet eadem esse ratio Ecclesiæ N. T. ut suam etiam potestatem habeat & regiminis formam ad vitandam confusionem, & εὐταξίας conservationem.

8. Ex 1. Cor. 14. 32.

XIII. VIII. Quia *spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur* 1. Cor. 14. 32. nimir. quoad examen doctrinæ, & quoad correptionem & censuram, si quid fortè occurrat sive in doctrina, sive in moribus, quod reprehensione sit dignum. Ex quo patet Prophetis collectivè sumptis potestatem concessam fuisse Prophetas sigillatim judicandi, non judicio politico, nec judicio merè discretivo privatorum, sed judicio Ecclesiastico, & autoritativo. Quòd si hoc in Prophetis extraordinariis, locum habuit, quantò magis in ordinariis locum habere debet? Ut hic nemo potestatem αὐτεξουσίου sibi arrogare debeat, quasi omnes quidem judicandi jus habeat, à nemine autem sit judicandus. Huc facit etiam, quòd alibi Paulus prohibet 1. Tim. 5. 19. *Accusationem suscipere adversus Presbyterum, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Ubi clarè elucet regimen & regiminis potestas; nam accusationes recipere sub duobus vel tribus testibus, est actus potestatis.

1. Tim. 5. 19.

Potestas Ecclesiastica distincta est à politica quoad originem.

XIV. Potestas autem ista qualiscunque sit, non eadem est cum politica, sed toto genere diversa. 1. Quoad *originem*, potestas politica à Deo Creatore, & supremo mundi Rectore instituta est. Sed Ecclesiastica à Jesu Christo, supremo Capite Ecclesiæ, ejusque Domino & Gubernatore. Magistratus Politicus, quà talis non inservit propriè formaliter regno Christi promovendo, nec ejus nomine munus suum obit, ut in Magistratu Ethnico patet. Sed ministri à Christo mittuntur, ad Regni sui constitutionem, & nomine ejus agunt. 11. Quoad *subjectum*, Potestas politica potest esse penes Ethnicos & extraneos à fœdere; sed non Ecclesiastica. Illa à fœminis exerceri potest, Ista non item. 111. Quoad *formam*, potestas Politica est ἀρχιτεκτονική & ἀυτοκρατορική, quæ dominium & im-

Subjectum.

formam.

imperium importat. Sed Ecclesiastica est ὑπηρετικὴ, οἰκονομικὴ, & λειτουργικὴ, quæ in solo ministerio consistit, sine ullo imperio & dominio propriè dicto. Licèt Magistratus Dei respectu Minister sit, & ejus potestas ministerium Rom. 13. 4. respectu tamen subditorum, quibus præest, dominium exercet & imperium 1. Pet. 2. 13. Luc. 22. 25. Ministri verò non modò respectu Dei, sed etiam respectu populi cui præsunt, Ministri sunt tantùm, & non Domini 1. Cor. 4. 1. 2. Cor. 1. 24. Magistratus habet potestatem leges propriè dictas ferendi ad Rempublicam gubernandam, easque quando necessitas postulat, refigendi & mutandi. Sed Ministris non competit hæc potestas nomothetica; Leges Christi promulgare possunt & debent, & eas certis casibus applicare, possunt Canones ad εὐταξίαν retinendam facere; sed nullas leges propriè dictas ferre possunt. Christus unus est Legislator, cujus leges nec mutari nec refigi possunt à Ministris. Magistratus potestatem habet coactivam in bona & corpora Rom. 13. 4. 5. Sed Pastores non sunt gladio armati, nec coactivam potestatem ullam habent ad pœnas corporeas inferendas. Quæst. XXIX.

XV. IV. Quoad *finem*. Nam finis principalis & supremus Magistratus politici quà talis, est gloria Dei Creatoris, & Conservatoris generis humani, & Rectoris mundi; Et subordinatus, qui ipsam Communitatem spectat, est pax & tranquillitas publica, bonum externum & temporale Reipublicæ. Licèt enim Magistratus quà Christianus debeat etiam regnum Christi promovere; non tamen quà talis; Sed finis summus Ministerii est, non solùm gloria Creatoris, sed & gloria Christi Mediatoris & Ecclesiæ suæ Regis & Capitis; subalternus est pax & salus Ecclesiæ, præservatio & propagatio regni Christi Mediatorii. V. Quoad *objectum*. Potestas politica habet pro objecto res, actiones, & personas, quæ & quatenus ad vitam animalem & symbiosim politicam, seu hominem externum pertinent, sed Ecclesiastica pro objecto habet res, personas, & actiones sacras, quà tales, sub hac formali reduplicatione, quatenus & ordinantur & ordinari possunt ad unionem cum Deo in Christo, & ad salutem æternam. Non negandum quidem potestatem politicam versari etiam circa res sacras & Ecclesiasticas, nam harum cura, licèt non administratio, ad eam quoque pertinet, sed habet se ad eas tantùm extrinsecè, non intrinsecè, pro objecto habet τὰ ἔξω, non τὰ ἔσω, & hoc respectu potestas politica, non dicenda est formaliter & directè Ecclesiastica, sed tantùm objectivè & indirectè. VI. Quoad *effecta*, Ut Magistratus versatur circa objectum modo politico, & finem habet politicum, habet etiam effectus homogeneos scilicet politicos, leges civiles, pœnas & mulctas civiles, & per hæc media pacem & tranquillitatem civilem. Sed potestas Ecclesiastica, ut occupatur circa objectum spirituale, modo spirituali, & in finem spiritualem, effectus etiam habet spirituales, quales sunt determinatio

Quoad finem. *Objectum.* *Effecta.*

Con-

QUÆST. XXIX. Controversiarum fidei, Canonum circa τύπους constitutio, Clavium quibus ligantur & solvuntur peccatores, dispensatio, & alia id genus.

quoad modum.

XVI. VII. Quoad *modum*. Potestas politica mundana est & naturalis, hominem tantùm externum attingens. Sed Ecclesiastica spiritualis est, hominem internum & conscientiam spectans, quæ non regulatur ratione naturali, legibus politicis, & statutis humanis, quibus reguntur Respublicæ; sed solo Dei Verbo & Scripturarum Canone à Sp. Sancto dictato. Quæ non exercetur modo politico & mundano, sed spirituali, & mystico per claves regni cœlorum, & per gladium Spiritus, & alia id genus arma, non carnalia, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, & ad captivandas cogitationes omnes ad obsequium Christi 2. Cor. 10. 4. Sacramenta administrat, quæ sigilla sunt, non mundani & civilis alicujus privilegii, sed communionis mysticæ Christi, & beneficiorum ejus spiritualium. Nec alium finem respicit, quàm ædificationem Corporis Christi, stabilimentum regni Christi, & salutem peccatorum.

XVII. Cùm ergo Potestas ista Ecclesiastica sit spiritualis, & tot modis à politica differat; Sequitur eam non esse formaliter & specificè civilem & secularem, sed ab ea specie distinctam, & consequenter non esse eam penes Magistratum, tanquam primum & proprium subjectum δεκτικὸν, à quo derivetur in Pastores, ut pertendunt Pseudopolitici & Libertini potestatis Ecclesiasticæ hostes.

XVIII. Cujus commenti falsitas patet. 1. Quia sic datæ fuissent Magistratui quà tali claves regni cœlorum, quod nusquam legitur; datæ fuissent omni Magistratui, quod dici non potest de Ethnicis, qui non sunt Ecclesiæ membra; datæ fuissent illi soli, qui *quatenus ipsum* includit *per se*; Ergo non Apostolis & Euangelistis, non Pastoribus & Rectoribus Ecclesiæ, sive ordinariis, sive extraordinariis, quia illi non sunt Magistratus. 2. Sic nullo jure Apostoli, & qui eos secuti sunt, potuissent potestatem istam Ecclesiasticam exercere, quam Christus Magistratibus quà talibus donaverat. 3. Sic confunderetur Ecclesia cum Repub. quia Magistratus quà talis præest Reipublicæ, & habet Rempublicam pro suo correlato. 4. Sic Ecclesia nec esset Ecclesia, nec ullam potestatem Ecclesiasticam ad ædificationem regni Christi, & salutem hominum absolutè necessariam haberet, & nisi dependenter à Magistratu, Et quum Magistratus est in Ecclesia. At Ecclesia non desmit esse Ecclesia, & potestatem illam Ecclesiasticam habere, etiam quum Magistratus est extra Ecclesiam, imò & quoad spiritualem statum melius nonnunquam se habet, ut tempore Apostolorum, & post illud Virorum Apostolicorum. 5. Sequeretur aliquam in Ecclesia esse potestatem αὐτοκρατορικὴν, & aliquem in terris vocari posse Magistrum præter Christum contra Matth. 23. 8. 6. Sic Ministri

stri non amplius erunt dicendi diacriticè Ministri in Ecclesia, & opere Christi, ut vult Apostolus 1. Cor. 4. 1. & 2. Cor. 5. 19. 20. Gal. 1. 10. Sed Ministri hominum, aut Deputati & Vicarii Magistratus, pariter ac alii quicunque legati, & præfecti, quia opera illorum eodem jure & modo utuntur in Ecclesiasticis, ac istorum in negotiis politicis. 7. Sequeretur ab ipso Magistratu omnem Potestatem Ecclesiasticam per se obiri posse, siquidem aliorum operâ uti non expediat; quod enim quis per alium tanquam Ministrum aut Delegatum exequitur, per se exequi potest. Sic constituet Synedrium & Synodum, pascet populum Verbo & Sacramentis, excommunicabit, & uretur clavibus Regni Cœlorum, quod absurdissimum esse nemo non videt. 8. Quia Ecclesia est Regnum cœlorum, non de hoc mundo, in quam proinde Magistratus seu Domini hujus mundi intrinsecam directam, & οἰκείαν Potestatem non habent, quia nulla est proportio inter Objectum quod est purè sacrum, & spirituale, & Potestatem, quæ secularis est & humana in se. Quæst. XXIX.

XIX. Potestas Ecclesiastica non potest præjudicium creare Politicæ, quasi Imperium in Imperio erigeretur; Quia sunt Potestates toto genere diversæ, ut jam dictum, non magis quàm per potestatem patriam & maritalem fit præjudicium politicæ, quia sunt in alio ordine. Fateor Potestatem Ecclesiasticam & Hierarchicam Papatus, qui dominium & tyrannidem erigit in conscientias, & Ministros sacros subtrahit jurisdictioni Magistratus civilis, bene posse dici Imperium in Imperio. Sed alia ratio est potestatis legitimæ & ministerialis, quæ à nobis statuitur, quæ ab illa est alienissima. *Fontes Solutionum.*

XX. Potestas Magistratus circa sacra non abrogare debet potestatem, quæ competit Rectoribus Ecclesiæ, quia etsi versentur circa idem objectum materialiter, non tamen idem est formaliter; Potestas Magistratus est externa, Pastorum interna. Illa coactiva, & corporalis, armata quippe jure & potestate gladii. Ista verò spiritualis, coercens & convincens armis spiritualibus, id. Verbo Dei & censuris conscientiæ applicatis. Illa dominium includit, Ista tantùm ministerium. Illa est circa Ecclesiam & res sacras κατὰ τὸ ἔξω. Ista in ipsa Ecclesia & κατὰ τὸ ἔσω. Illa objectivè tantùm & impropriè dicitur Ecclesiastica, Ista formaliter & propriè.

XXI. Licèt Apostoli non locuti sint ut Magistri & Domini, nec autoritatem Christi sibi arrogârint; Non sequitur nullam omnino habuisse, nec præcepta dedisse fidelibus; cujus contrarium patet ex Tit. 2. 15. 1. Thessal. 4. 11. Philem. 8. Act. 15. 28. Coloss. 4. 10. 1. Timoth. 4. 11. & 5. 7. & 6. 17. Unde obedientia illis præcipitur Heb. 13. 17. 2. Cor. 2. 9. Nec ista autoritas est specialis Apostolis, sed communis, licet in dispari gradu, omnibus Pastoribus, ad quos etiam extenditur Tit. 2. 15. Heb. 13. 17. 2. Tim. 2. 2.

QUÆST. XXIX.

XXII. Sententia nostra nihil habet commune cum tyrannide papali, quia ut dat potestatem mandandi Pastoribus; Ita fidelibus tribuit facultatem omnia probandi, & quod bonum est retinendi 1. Thess. 5. 21. & vult provocari ad judicium ipsorum fidelium 1. Cor. 10. 16. 1. Joan. 4. 1. & rejici cœcam obedientiam Papistarum.

XXIII. Propter rei abusum non tollendus est ejus usus. Nec si fugienda est tyrannis Pontificia; ideo in aliud extremum confusionis & anarchiæ Anabaptisticæ transeundum est; sed medium tenendum legitimæ potestatis Ecclesiasticæ & ministerialis inter duo ista extrema.

XXIV. Aliud est loqui de potestate intrinseca & *οἰκεία*, quæ purè spiritualis est & formaliter Ecclesiastica, ministerialis. Aliud de potestate seculari, formaliter politicâ, & supremâ dominante, quæ Ecclesiæ qua tali extrinseca est, non intrinseca, ideoque objectivè tantùm, & secundùm extrinsecam denominationem dici potest Ecclesiastica, sed quæ intrinseca est Reipublicæ, supremisque Potestatibus in Republica constitutis. Prior potestas, quæ spiritualis & ministerialis est, soli Ecclesiæ quà tali competit. Posterior solis Principibus & Magistratibus.

XXV. Potestas Politica est architectonica, cui omnes aliæ potestates sunt subordinatæ, & à qua dependent, etiam Ecclesiastica & spiritualis. Sed *subordinatio* est duplex, alia *per se*, seu quà est spiritualis, quam negamus in sacris, & concedimus in civilibus, alia *per accidens*, seu quà est corporalis & secularis, vel rei aut actioni seculari conjuncta, quam in sacris agnoscimus.

QUÆSTIO XXX.

An Potestas Ecclesiastica versetur circa dogmata Fidei, & circa Symbola & Confessiones Fidei? Affir.

I. TRres diximus esse partes potestatis Ecclesiasticæ; Primam *dogmaticam*, quæ versatur circa dogmata fidei. Alteram *διαταντικὴν*, quæ occupatur circa *διαταξεις*, seu constitutiones & Canones, qui faciunt ad *εὐταξίαν*. Tertiam *κριτικὴν* seu *judicialem*, quæ respicit disciplinæ exercitium. Ad illam potest referri *clavis scientiæ*, Ad istam *clavis regiminis & directionis*, Ad hanc *clavis jurisdictionis & correptionis*.

De Potestate circa dogmata κατ' ἐξοχὴν.

II. De prima parte hîc agitur, seu de *Potestate circa dogmata fidei*. Circa quam dicimus primò *κατ' ἐξοχὴν*. Eam non consistere in eo, ut autoritatem

tatem Ecclesia Verbo conciliet, vel quoad se, vel quoad nos, cùm contrà omnis Ecclesiæ autoritas à Verbo Dei suspendatur, & illo nitatur Eph. 2. 20. ut suo loco probatum est, quum de Scriptura disputavimus. 2. Vel ut nova fidei dogmata condat, quia ut Scripturæ nihil detrahi debet, ita nec addi, & quisquis sapere vult præter id quod scriptum est, vel Euangelizare supra id quod Euangelizatum est, anathemati subjicitur Gal. 1. 8. 3. Vel ut Scripturam αὐτοκρατορικῶς & infallibiliter pro libitu interpretetur; quia jus supremum interpretationis infallibilis non alii, quàm ipsimet Spiritui Sancto in Scripturis loquenti tribui potest, qui sui optimus est interpres in Scripturis & per illas 1. Pet. 4. 11. qui ideo omnem ἰδίαν ἐπίλυσιν 2. Pet. 1. 20. facessere jubet. 4. Vel ut Judex sit supremus Cotroversiarum; quia hæc suprema potestas soli Christo Doctori infallibili competit, nec magis ad alium transferri potest, quàm ejus Officium Propheticum; Et Spiritus S. nos amandat ad Scripturam tanquam judicem, & vult spiritus omnes, & doctrinas ab iis prædicatas ad eam explorari Iesa. 8. 20. Joan. 5. 39. 1. Thessalon. 5. 20. 21. 1. Joan. 4. 1. Heb. 4. 12. Ut fusè probatum est Parte I. de Judice Controvers. QUÆST. XXX.

III. Sed καὶ θέσιν consistit. 1. In custodia Scripturæ, tanquam sacri depositi, quod illi commissum est Rom. 3. 2. 11. In ejus interpretatione & vindicatione, ut legitimus ejus sensus ex Scriptura ipsa inquiratur, aperiatur, & adversus Errantium sophismata vindicetur, quo sensu φύλαξ & ἑδραίωμα & ἀληθείας dicitur à Paulo 1. Tim. 3. 15. Hoc sensu Ecclesia est *Custos*, *Præco*, & *Vindex* Scripturæ. Sed quia hæc non tàm ad potestatem pertinent, quam ad munus & officium. 111. Potestas ista propriè attendenda est in *Judicio*, quod de doctrina facere debet Ecclesia, & in *Symbolis* ac *Confessionibus*, quas condere debet ad doctrinæ conservationem, & communionis Ecclesiasticæ vinculum. & κατὰ θέσιν 1 *In custodia Scripturæ & interpretatione.*

IV. *Judicium* autem hoc in rebus fidei, non est tantùm privatæ discretionis, quod singulis fidelibus competit, nec supremum & infallibile ac ἀνυπεύθυνον quod ad solum Deum pertinet. Sed publicum cum autoritate conjunctum, sed subalternum tamen & Verbo Dei adstrictum. Cui licèt respectu ordinis externi acquiescere teneantur fideles, quamdiu fundamentum salutis non impetitur, tamen quoad conscientiam non ulteriùs obligat, quàm quatenus conforme esse deprehenditur Canoni infallibili Scripturæ S. 3. *In Judicio.*

V. Ad hanc potestatem pertinent *Symbolorum & Confessionum* publicarum *Institutio*, quæ fieri solent à Synodis & Presbyteriis ad fidei unitatem & consensum servandum, & Errorum rejectionem, quarum licèt non sit eadem cum Scriptura autoritas, siquidem debent ad Scripturam exigi, & ex ea corrigi, suum etiam pondus memorabile habent, & magno in pretio à piis haberi debent. Tum quia continent summam & fundamentum 4. *Circa Symbola & Confessiones fidei.*

QUÆST. XXX. doctrinæ Christianæ, & sunt instar sepimenti adversus errores & corruptelas, quæ Religionem inficere possunt. Tum quia sunt vincula communionis Ecclesiasticæ, & formulæ consensus, quæ testantur de unitate fidei & consensu Ecclesiarum inter se, & distinguntur ab infidelibus, quomodo milites notis vel tesseris ab hostibus.

VI. Tale fuit olim *Symbolum Apostolicum*, quod ab initio Christianismi coditum est, non quod ab Apostolis ipsis in regulam fidei compositum sit, singulis articulum unum ut symbolam suam conferentibus, ut quibusdam placuit. Sed quia ex scriptis Apostolorum collectum est, in compendium doctrinæ ab ipsis traditæ. Porro Symbolum istud duplex fuisse colligimus ex collatione veterum Scriptorum. Aliud explicatione brevius, usu antiquius, autoritate majus, cum ipsa baptismi institutione receptum, & unâ cum administratione baptismi, jam inde ab Apostolorum temporibus usurpatum, eique perpetuò connexum, origine immediatè divinum, atque adeò αὐτόπιστον & authenticum, regula, norma, & principium fidei, quod fidem Trinitatis continebat ex Matth. 28. 19. Aliud verò prolixius, quod nunc habemus, 12. articulis comprehensum. De priori illo breviori, non posteriori intelligendi sunt Patres, quum dicunt regulam fidei à Christo institutam, cùm mitteret Apostolos in mundum ut docerent *Nationes tingendas in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*; & Tertull. de Præscript. cap. 14. & 20. *Accepisse nos regulam veritatis per baptismum.* Et Irinæ. lib. 1. cap. 2. *Habere nos confessionem fidei per ipsam baptismi traditionem.* Quoad posterius, quanquam quoad materiam non diffiteamur esse divinum, desumptum puta ex S. Literis, formâ esse humanum scriptum, tantum, atque adeò quod sit humanæ tantùm autoritoritatis, non verò divinæ & αὐτοπίστου. Hoc Symbolum alia postea exceperunt variis temporibus & à variis scripta, qualia sunt Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum & Chalcedonense. Constantinopolitanum idem est planè cum Nicæno, eo solùm excepto, quòd in articulo de Spiritu Sancto contra Macedonium addita sunt hæc verba, *Et in Spiritum S. Dominum vivificantem, qui ex Patre & Filio procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur.*

VII. *Confessiones* distinctæ à Symbolis, sunt fusiores explicationes, non modò Symbolorum illorum, sive dogmatum fidei, sed etiam doctrinæ morum, atque adeò totius Religionis, pro necessitate unius aut plurium Ecclesiarum scriptæ. Cujusmodi plures ab initio Christianismi sunt exaratæ, & novissimis hisce temporibus in variis Regnis & Nationibus, ut per illas tanquam ex Tabulis authenticis, quid in Ecclesiis doceretur manifestum fieret, adversus calumnias, & iniqua hominum præjudicia. Quales sunt Augustana anno 1530. Carolo V. Imperatori exhibita in Conciliis ab aliquot Germaniæ Principibus, Bohemica, quæ & Walden-

densium dicitur, à Luthero & Melanctone comprobata anno 1532. & à Quæst.
liberis Baronibus & aliis nobilibus Regni Bohemiæ oblata Seniſſimo Regi XXX.
Ferdinando anno 1535. Helvetica, anno 1636. Baſileæ primò breviùs facta, poſt fuſiùs anno 1566. Gallica an. 1559. Lutetiæ in prima Synodo Nationali conſtituta. Anglica anno 1562. Scotiana anno 1568. Belgica primò Gallice anno 1561. ſcripta, & an. 1579. in Synodo Belgii confirmata. Polonica anno 1570. Debrecini excuſa, & aliæ id genus plures.

VIII. Cùm autem duo de iſtis Confeſſionibus quæri poſſint. Primò *neceſſitas*, Deinde *autoritas*, Quoad *neceſſitatem*, dicimus, non eſſe abſolutam, quaſi illius carere non poſſit Eccleſia, fuit enim tempus, quò illis caruit, ſolis Symbolis œcumenicis, vel etiam abſque illis, ſolâ Scripturæ formulâ contenta; ſed *hypotheticam* ex hypotheſi mandati divini, & conditionis Eccleſiæ, ex quo hæreſes, periculum contagii, Adverſariorum calumniæ, & inteſtinæ & Religione diſcordiæ eam infeſtare cœperunt, ut neceſſitas & juſtitia Seceſſionis noſtræ ab Eccleſia Romana pateret, ut eſſent formulæ conſenſus, & unionis ſalutaris vinculum, quò pii omnes in unum corpus coagmentarentur, & ſic omnes diſtractiones, periculoſi diſſenſus & ſchiſmata, quibus veritas & unitas Eccleſiæ laceratur, præcaverentur.

IX. *Autoritas* earum magna quidem in Eccleſiis eſſe debet apud pios, ſed quæ ſubſidit tamen infra autoritatem Scripturæ; nam iſta regula eſt, illæ regularum; Iſta ſola αὐτόπιστος, & tam reſpectu verborum, quàm rerum divina & infallibilis, Illæ ut rebus diuinæ, verbis tamen & tractandi modo humana ſcripta ſunt. Iſti fides debetur immediatè & abſolutè, Illis verò judicium debetur, & eo demum mediante, ſi cum Verbo conſentiunt, fides. Iſta conſtans, eſt & immutabilis fidei Canon; Illæ vero reviſioni & examini novo ſunt obnoxiæ, in quo fas eſt eas, non tantùm explicare & ampliare, ſed & ſi quid vitii in iis deprehenſum fuerit, corrigere, & ad Verbi normam reformare. Unde patet eos in exceſſu hîc peccare, qui tales Confeſſiones pro ipſius Veritatis norma habent, & Verbo Dei æquiparant; Cùm ſint ad ſummum *Norma ſecundaria*, non veritatis, ſed *doctrina* in aliqua Eccleſia *recepta*, quoniam ex illis quid cum Eccleſiæ doctrina conveniat, quidve ab ea diſcrepet, perſpici poteſt & dijudicari.

X. Vera ergo autoritas earum in eo poſita eſt, ut obligativæ ſint eorum, qui illis ſunt obnoxii in foro *communionis externæ*, quia ſcriptæ ſunt ab Eccleſiis, vel nomine Eccleſiarum, quibus membra ſingula in communione externa ſunt obnoxii 1. Cor. 14. 32. Unde ſi quod in illis correctione dignum obſervare ſibi videntur, nihil temerè, vel ἀτάκτως & intempeſtivè ſuſcipere debent, ut matris viſcera violenter diſcerpant, quod faciunt Schiſmatici ſed ſuas, quas habent difficultates Eccleſiæ ſuæ commendare, & vel ejus ſententiam publicam privato judicio ſuo anteſer-

QUÆST. XXX. re, vel ex communione illius secedere, si ejus judicio acquiescere non possit conscientia. Ita non possunt obligare in foro interno conscientiæ, nisi in quantum deprehenduntur convenire cum Verbo Dei, quod solum vim habet conscientiam obligandi.

XI. In defectu ergo peccant, qui Confessionum nullam autoritatem vel perexiguam agnoscunt: quales sunt Neutrales & Libertini, qui ut rebus privatis suis consulant, certi & determinati nihil profitentur, sed inter contradicentium conflictus, volant medii, fluctuantquè, & fortunæ ventis obsecundantes, ad illorum imperium vela inflectunt, quorum proin Religionem, si quæ datur, menstruam fidem, imo & ἡμερόβιον seu horariam non malè dixeris. Tales etiam Heterodoxi, & hæretici, qui dum se talibus formulis velut fræno constringi vident, ne errores suos spargant, earum autoritatem infringere, vel apertè, vel opertè, & per cuniculos modis omnibus conantur. Ut factum ab Arminianis, qui non semel in Considerationibus suis in Confess. & Catech. Belgi. per calumniam nobis affinxerint nos hisce formulis Canonicam & Scripturis parem autoritatem tribuere, quando in Cœtu publico prælegebantur, quasi pro ipso Dei Verbo haberentur. Sed vanitas istius accusationis patet ex discrimine allato inter Confessiones, & Dei Verbum. Nec obscurum est, quo consilio hæc ab ipsis dicerentur, nimirum ut hoc pacto Confessionem publicam labefactarent, & ipsis formulis sensim abrogatis, novas à se confictas, sed subdolas, & malæ fidei introducerent.

XII. Quod de Confessionibus publicis dicimus, dictum volumus de *Formulis consensus*, quæ ab Ecclesiis fieri consueverunt, ut Novaturientium pruritum reprimant, & obviam eant erroribus subnascentibus, qui fidei puritatem corrumpere, & dissidiorum sacrorum semina jacere possunt, ut ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, & τύπος διδαχῆς nobis traditæ servetur illibatus. Quod feliciter sæpe præstitum in Veteri Ecclesia, & superiori seculo, nostroque non semel renovatum, pio, prudentique consilio, ad præcavendas periculosas novitates, quæ fidei simplicitatem inficere poterant, & pacem Ecclesiæ turbare. Ut visum in variis Synodis Gallicanis circa varia doctrinæ capita. In Synodo Dordracena in Belgio circa Controversias Quinquarticulanas. In Helvetia, & hîc ante paucos annos circa Imputationem primi peccati, Gratiæ universalitatem, & connexa quædam capita, ad doctrinæ inter nos receptæ & constanter creditæ confirmationem.

QUÆ-

Qu. est. XXXI.

QUÆSTIO XXXI.

An Ecclesiæ competat Potestas Legislatoria propriè dicta Leges ferendi, quæ conscientiam per se obligent. An verò διαταντικὴ tantùm Constitutiones & Canones ad τάξιαν sanciendi? Prius Neg. Posterius Affir. cont. Pontif.

I. SEcunda Pars Potestatis Ecclesiasticæ est νομοθετικὴ seu διαταντικὴ, quæ respicit sanctionem Legum seu Constitutionum, quæ vigere debent in Ecclesia ad τάξιαν, & legitimi regiminis observationem. Circa quam Quæstio nobis etiam intercedit cum Pontificiis.

II. Isti enim in excessu peccando, ut alibi, potestatem istam in immensum efferunt, pertendentes Jus Ecclesiæ competere leges propriè dictas condendi, quæ conscientiam per se obligent, & quæ non possint violari sine peccato mortali, etiam scandalo remoto, quibusque ideo obedientia debeatur ob autoritatem imperantium. Nos verò nullam Ecclesiæ potestatem propriè νομοθετικὴν datam censemus, quâ possit leges condere, quæ conscientiam directè & per se obligent, sed tantùm διαταντικὴν, quæ possit Constitutiones & Canones condere ad pacis & εὐταξίας observationem, quæ ideo non obligent conscientiam per se & directè, sed tantùm indirectè, in casu scandali. Istas non esse Leges à Principe latas, sed ordinem tantùm à Ministris, non de essentialibus Regni Christi, sed de externis duntaxat accidentibus, & adiaphoris, nec bonas esse per se, sed tantùm ob circumstantias, & χάριν ad finem.

III. Ad Statum Quæstionis nota 1. Actiones divini cultus duplices esse, alias quæ non differunt ab ipso cultu, pietate scilicet & sanctitate, in quibus cultus consistit essentialiter. Alias verò ad cultum ordinatas, ut adminicula vel instrumenta ad cultum illum commodiùs obeundum, & foris declarandum. Prius actionum genus à solo Deo institui & præcipi potest, qui solus est Princeps & Legislator, qui imperium habet in conscientiam. Nec ullum jus Ecclesiæ competit quicquam adjiciendi, detrahendi, aut mutandi. Posteriores rursus, vel sunt necessariæ, & ideo etiam à Deo institutæ, saltem quoad τὸ ὄν, verbi gratiâ, ut Cœtus habeantur, Verbum prædicetur, Sacramenta administrentur. Aliæ sunt contingentes & liberæ quoad τὸ πῶς, cujus ratio pendet ab honestate & commoditate

Status Questionis.

QUÆST. XXXI.

ditate singularum Ecclesiarum particularum, nempe ut hoc vel illo tempore & loco Cœtus habeantur, & Sacramenta administrentur. Illæ utpote necessariæ, à Deo solo pendent, & nullum Ecclesiæ in eas arbitrium & potestas. Istas ut medias & adiaphoras hactenus Ecclesiæ arbitrio permisit Deus, ut divinæ veritatis, Christianæ simplicitatis, & publicæ ædificationis ratio semper habeatur.

IV. 11. Accuratè distinguendas esse *Leges* propriè dictas, quæ fiunt cum jurisdictione, & *Canones* seu *Constitutiones*, quæ ad directionem meram pertinent. Leges essentiam cultus divini sanciunt, & ad Deum solum pertinet eas dare, ut animarum Dominum. Sed Constitutiones dirigunt hominem in praxi cultus, ordinem & modum cultus præscribendo, quoad locum, tempus, & alias circumstantias externas, quæ possunt variè mutari, prout ædificatio exigit. Leges per se & directè obligant conscientiam; & earum violatio reatum inducit. Sed Constitutiones tantùm indirectè & mediatè in casu scandali & contemptus. Unde reatus, qui ex earum violatione oritur, non est propriè propter constitutionis violationem, sed propter neglectum autoritatis, quam Deus ordinavit, & propter scandalum datum. In Legibus ferendis, Ministri sunt tantùm *Præcones*, & Legati, qui promulgant Leges Principis, & jussa Dei referunt nomine ejus fideles alloquendo. Sed in Constitutionibus sunt *Directores* cultus externi in rebus, quæ ad εὐτάξιαν pertinent, quia licèt Deus in genere præscripserit, ut omnia decenter fiant & ordine, nihil tamen in specie sancivit, sed reliquit prudentiæ Pastorum, qui de illis disponere possent, prout vident ad ædificationem expedire. Tanta quippe in animis est varietas, tanta in judiciis & ingeniis pugna, ut, nisi certis legibus adstringantur veluti vinculis quibusdam & frænis, facilè scinderentur inter se, & unitas, Ecclesiæ dissolveretur. Quia verò de rebus istiusmodi nullum extat præceptum singulare, utpote quæ sunt innumeræ & mutabiles, quæ pendent à circumstantiis temporum, locorum, & personarum, Deus vult ut Rectores Ecclesiæ paci & ædificationi ac decoro consulant, ea statuendo, quæ convenientissima videntur pro moribus populorum & temporum ac locorum ratione.

Probatur Ecclesiam non habere potestatem ullibi nisi lato.

V. His ita positis sententiam nostram duabus Propositionibus includimus. Prima, *Pastores nullum Jus habent Leges propriè dictas conscientiæ obligativas condendi.* Rationes sunt. 1. Quia *Unus est Legislator* Jac. 4. 12. supremus scili. & αὐτεξούσιος, qui jus habet in conscientiam, ut qui potest servare & perdere, non corpus modò, sed & animam Luc. 12. 5. Pastores verò meri sunt mandatarii & præcones, qui jus nullum habent Leges condendi vel mutandi, sed tantùm officium eas promulgandi, & earum observationem urgendi. Ut Principis & præconis in politicis idem dicitur mandatum, sed ratione diversa, Illius ut sanciat & præscribat, Istius verò

verò ut declaret tantùm & proponat. Sic in sacris mandati autoritas est à solo Deo, promulgatio sola Ministris relinquitur. Fruſtra distinguitur Legislator primarius & secundarius, quia conscientia neminem habet inter se & Deum, à quo cognoscatur & judicetur; Ut Deo soli patet, ita à solo Deo potest judicari. Et ut nemo subordinatur Sponso erga Sponsam, Ita nemo subordinari potest Christo respectu autoritatis in conscientiam, quam sibi junxit connubio spirituali, & in quam ideo jus Sponsi obtinet. Quæst. XXXI.

VI. Nec hîc locum potest habere ratio Legislatorum politicorum, qui subordinantur Deo supremo Legislatori; Magnum enim est discrimen inter Magistratum Politicum, & Ministerium Ecclesiasticum. 1. Quia Reges & Magistratus sub Deo sunt Domini propriè dicti, qui potestatem habent in corpora & bona hominum, atque adeò possunt disponere de vita & bonis ipsorum. Sed Ministri non sic, qui ἀξιωσίαν tantùm habent, non ἀρχὴν, & quibus propterea jus nullum competit in conscientiam. 2. In rebus hujus vitæ temporalis, dominium non impedit salutem, nec nos privat gratiâ Dei, reddit miseros, sed non malos, & quod patimur potest stare cum integritate & bonâ conscientiâ; ideo tenemur subjici, licèt mandata sint iniqua & dura. Sed in rebus conscientiæ, quæ fidem, pietatem, & Dei cultum spectant, nemo potest imperium in conscientiam usurpare, nec tenemur cuiquam obedire, quia aliàs obligaremur ad errorem & impietatem, & sic incurreremus in pœnam æternam, & conscientiæ inficerentur vitiis sine crimine, quia tenerentur obedire absolutè Superioribus. 3. Sufficit in ordine politico, ut detur obedientia externa, licèt non adsit internus conscientiæ assensus, quia autoritas politica respicit tantùm bona corporea & externa. Sed in rebus fidei & pietatis, consensus cordis requiritur, sine quo nihil potest acceptum esse Deo. Quamvis ergo detur potestas propriè νομοθετικὴ in politicis; non pariter obtinet in Ecclesiasticis.

VII. Secundò. Quia Legi divinæ non licet quicquam addere, vel detrahere ex Deut. 4. 2. & 12. 32. Quòd si Legi Mosaïcæ nihil addi potuit, multò minus Legi Euangelicæ Christi, quod Apocalypsis confirmat cap. 22. 18. Nec dici potest hoc præcipi tantùm populo fideli; non verò Pastoribus, ut ait Bellarminus lib. 4. de R. P. cap. 17. Quia omnis additio, quæcunque sit, & à quocunque fiat, etiam ab Angelo damnatur. Gal. 1. 8. Nec talis additio potest subsistere cum perfectione Scripturæ, ut suo loco visum. 2. *Quia Legi non licet addere.*

VIII. Tertiò. Quia omnia mandata humana prohibentur Isa. 29. Matth. 15. 9. *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ nihil sunt, quam mandata hominum.* Nec excipi potest mandata Ecclesiæ, non esse mandata humana, sed quodammodo divina, sive quoad inspirationem, sive 3. *Quia mandata hominum vetantur Isa. 29. Matt. 15 9.*

QUÆST. XXXI. quoad autoritatem divinam, à qua proficiscuntur. Quia mandata hominum, quæ à Christo hîc rejiciuntur, erant mandata Seniorum & Rectorum Ecclesiæ Judaïcæ, qui se à Deo vocatos & missos, & à Spiritu Sancto inspiratos profitebantur: eoque magis quòd tunc temporis Ecclesia Judaïca erat adhuc vera Ecclesia, cujus ideo Rectores non poterant non censeri Dei Ministri. Ideo mandata hominum à Christo & Isaia damnata, ea omnia sunt, quæ in Verbo Dei non deprehenduntur, quod solum est divinum & διάτακτον.

4. Quia Pastores ad Legem alligantur.

IX. Quartò. Quia Pastores sunt Judices subalterni ad Legem alligati, qui non debent transilire autoritatis sibi concessæ limites; nec ultra mandata Principis quicquam afferre. Hinc Christus mittens Apostolos expressè illis injungit, ut doceant Gentes servare quæ præceperat ipsis Matth. 28. 19. 20. *Docentes servare omnia, quæ mandavi vobis.* Jubentur ergo docere mandata Christi, non sua, nec mandata quæ daturus esset, sed quæ jam dederat, ὅσα ἐνετειλάμην, ne relinqueret locum cuiquam obtrudendi pro mandato Christi quicquam extra Verbum, quod jam ipsis tradiderat. Unde alibi Joan. 14. 26. loquens de dono Spiritus Sancti dicit, eum suggesturum ipsis, quæ jam ipsis dixerat. Quod verò alibi Christus ait, *Qui vos audit, me audit*, non probat Rectores Ecclesiæ posse nova mandata cudere, & novis Legibus conscientias onerare. Sed Ministros Christi Verba Christi loquentes, ut Christum audiendos esse. Qui mandata Christi loquentur, ii quum audiuntur, Christus auditur. Sed non auditur Christus, quum ii audiuntur, qui non ejus, sed sua mandata loquuntur.

5. Quia fideles non debent fieri servi hominum. Galat. 5. 1. 2. Cor. 7. 23.

X. Quintò. Quia fideles semel liberati à Christo, non debent sub jugum servitutis reduci, vel fieri servi hominum. Galat. 5. 1. 1. Cor. 7. 23. quod fieret, si homines jus haberent leges propriè dictas condendi, quæ obligatoriæ essent conscientiæ. Nec dici potest libertatem istam respicere tantùm liberationem à servitute peccati, & à jugo Legis Mosaïcæ, non verò ab obedientia Prælatorum, cui Christus ipse nos subjecit. Nam libertas Christiana, dum nos subjicit Christo, eo ipso nos eximit à quolibet alio jugo, & ab aliis omnibus Legibus, quæ à Christo non sunt datæ. Obedientia, quam vult reddi Doctoribus, semper intelligenda est cum conditione, quatenus Doctores non aliud nobis præscribunt ab eo, quod Christus ipsis dedit in mandatis, quod non faciunt, qui jus novas Leges condendi sibi arrogant.

Fontes Solutionum.

XI. Aliud est Leges obligare conscientiam per se immediatè, Aliud *Legibus deberi obedientiam propter conscientiam.* Leges divinæ solæ obligant conscientiam per se, quia solus Deus imperium habet in conscientiam. Sed Legibus humanis, sive politicis, sive Ecclesiasticis, debetur obedientia propter conscientiam, quæ jubet nos obtemperare Deo Magistratum & Ministerium instituenti. Eæ leges conscientiam obligant, qua-

quarum imperium propriè & per se est in conscientiam; Sed quæ observantur propter conscientiam, nituntur alienâ autoritate, id est, alterius Legis. Quæst. XXXI.

XII. Locus Matth. 16. 19. potestatem νομοθετικὴν non sancit; sed tantùm autoritatem tribuit Ministris Euangelii prædicandi Euangelium, & disciplinam exercendi in nomine Christi, cujus virtute solvuntur credentes, ligantur increduli & impœnitentes, ut alibi visum. Locus Joan. 20. 21. non melius illud evincit; Autoritatem vocationis adstruit iis, qui mittuntur; Sed non efficit Dominos fidei nostræ, quos Christus gaudii nostri administros esse voluit 2. Cor. 1. 24. nam causa principalis vim suam non dat instrumentis, pro quorum conditione & modo agit. Particula καθὼς similitudinem notat & analogiam inter missionem Christi & Ministrorum, non verò æqualitatem. Similitudo est in vocatione ad ministerium, & in ministerio Verbi, sed non in Opere Mediatorio, & in potestate Regia & νομοθετικῇ, quæ Christo propria est, & cæteris ἀνεπιδότως. *Matt.* 16. 19. *Joan.* 20. 21.

XIII. Constitutio Apostolica sancita in Concilio Hierosolymitano Act. 15. non fuit Lex nova, sed ex Mose repetita; Et quoad scortationem quidem, debuit esse juris perpetui, & necessaria per se, sed quoad suffocatum, sanguinem, & idolothyta, nonnisi secundùm quid propter charitatem, & vitandi offendiculi necessitatem ad tempus tantùm sancita, ut probatum fuit Loco XII. Qu. 26. Th. 20. 21. Nec si *onus* dicitur, ideo sequitur esse legem propriè dictam, quæ conscientiam obliget, quia hoc intelligitur tantùm secundùm quid, ratione præcepti positivi, quod observare tenebantur fideles ad vitandum scandalum; aliàs Paulus ipse testatur conscientiam non obligari per se tali interdicto 1. Cor. 8. 9. 13. & 10. 23. 25. 27. *Act.* 15.

XIV. Les de non ordinandis Digamis 1. Timot. 3. 2. non est Lex positiva, & ab Ecclesia tantùm condita, sed est divina & æterna, quam Deus ipse autor naturæ posuit, qui duos, non plures in una carne esse jussit. Nec si Paulus hanc Legem statuisset, sequeretur quasvis leges à quovis Ministro aut Ecclesia statui posse. *1. Tim.* 3. 2.

XV. Ex loco Heb. 13. 17. nihil aliud colligi potest, quàm obedientiam deberi Ductoribus, quandiu ipsi Christum audiunt, & Verba Dei loquuntur. Aliàs si à Christo nos abducunt, nobis debent esse anathema. Ita duæ concurrunt causæ in ministerio Verbi, efficiens principalis Deus, & instrumentalis homo, cui qui obsequitur, dum ab efficiente & causa principali movetur, Deo ipsi obtemperat. *Heb.* 13. 17.

XVI. Quum Apostolus loquitur de præceptis, & traditionibus, quas dedit fidelibus servandas, vel intelligit præcepta ipsa Christi 1. Thessal. 4. 2. & 2. Thessal. 3. 6. 14. Vel instituta Ecclesiastica de rebus adiaphoris, quæ decorum & εὐταξίαν spectant, quæ quidem servanda sunt ad boni ordinis observationem, sed non ex obligatione conscientiæ, ut 1. Cor. 11. 2.

QUÆST. XXXI. *Deut.17.12.*

XVII. Perperam hîc affertur exemplum Sacerdotum Leviticorum, de quibus Deuter. 17. 12. quia eorum mandata populum non obligabant, nisi quatenus Legem à Deo traditam docerent, cujus illi peculiariter à Deo constituti erant vindices & custodes ℣. 11. *Ex præstituto Legis, quam docuerint te, & secundum judicium illud, quod dixerint tibi, facito.*

2. *Propositio de Canonibus Ecclesiæ.*

XVIII. Secunda Propositio. *Licèt Pastoribus non competat potestas νομοθετικὴ propriè dicta, seu jus condendarum Legum, quæ conscientiam obligent; Habent tamen potestatem condendorum Canonum & Constitutionum Ecclesiasticarum, ad εὐταξίαν & decorum, quæ licèt servandæ sint ad boni ordinis conservationem, non obligant tamen extra casum scandali & contemptus.* Hæc est pars altera gubernationis Ecclesiasticæ, quæ versatur in constituenda politia externa, seu εὐταξίᾳ, ut omnia ordine ac decenter fiant in domo Dei 1. Cor. 14. 40. De qua agitur 1 Cor. 11. 34. & 16. 1. Quò respicit Constitutio Apostolica Act. 15. & varia ab ipsis sancita circa regimen Ecclesiæ.

XIX. Objectum hujus potestatis directivæ, non est doctrina ipsa fidei & cultus, quæ solo Dei Verbo nititur, sed alia de quibus expressum Verbum Dei non datur, quæ vel sunt merè adiaphora, & libera, vel ambigua & dubia, de quibus nihil certi in specie tradidit Deus, qualis erat casus ille de quo loquitur Apostolus 1 Cor. 7. 10. 12. vel quæ modum cultus externi spectant, seu determinationes circunstantiarum, sine quibus prioris Tabulæ præcepta, ac publica pietatis exercitia in Cœtibus Ecclesiasticis, vix ac ne vix quidem ritè servari & peragi possunt. Quò pertinent tempus, locus, forma, ac norma precum, concionum, administrationis Sacramentorum, Jejuniorum, Eleemosynarum, quæ omnia non tumultuariè, sed ritè & εὐσχημόνως ad Ecclesiæ ædificationem institui & exerceri par est. Quæ cùm per se sint adiaphora, nec salutis nostræ mysterium directè attingant, conscientias per se non obstringunt, nec tam fixa & immota sunt, quin, ubi usus Ecclesiæ postulaverit, refigantur & mutentur.

XX. Licèt Autoritas istarum Constitutionum sit magna in Ecclesia; Negamus esse absolutam, sed limitatam, vel parem cum Legibus divinis, aut peccari tam graviter illarum, quàm istarum transgrssione. Negamus posse rerum naturam immutare, ut quæ per se erant adiaphoræ, fiant necessariæ, & juris perpetui. Vel partem in illis ullam esse justitiæ Christianæ, minus ullum meritum apud Deum, vel extendere se ultra politiam Ecclesiasticam, seu εὐταξίαν, quæ per se non sunt pietatis, sed tantùm propter aliud & per accidens. Rursus dicimus non ex se metiendas esse, sed ex divinis, ne quoquo modo eis officiant, sed subserviant potius. Deinde in earum transgressione peccatum nullum esse posse nisi indirectè, id est, non, propter rei ipsius usurpationem, ut in homicidio, fornicatione, sed propter aliud, si sit ex contempti autoritatis legitimæ; nam quia mandata

data est à Deo obedientia, in ea neglecta peccatum est. Si cum neglectu fraternæ ædificationis, si ex impietate & licentia. Si verò hæc absint omnia, nullum erit in earum transgressione peccatum. Non mutantur ergo per leges Ecclesiæ rerum ipsarum *natura*, quominus indifferentes sint, & quum prohibentur, tantùm contrahitur earum *usus*, ut qui prorsus liber est, modò accomodetur ordini Ecclesiæ necessario, & judicetur ex Pauli regulâ 1. Cor. 10. 23. *Omia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Et quia non est eadem omnium temporum & locorum ratio, nec semper eadem ubique expediunt, ideo non ubique, aut semper valent ejusmodi leges, aut perpetuus est earum usus: nec tam mandantis autoritas, quàm mandati causa est spectandâ. Quæst. XXXI.

XXI. Hæc Statuta & Leges, si fortè Leges dicuntur, latè sumpto legis vocabulo; Patres vocant modò Κάνονας, modò Διατάξεις & Διαταγὰς, modò Διατυπώσεις, modò ὁρισμὺς promiscuè, aliquando tamen distinguntur, ut Canones propriè appellentur dogmata de fide, Διατυπώσεις formulæ seu ritus Liturgiarum, ὁρισμοὶ capitula seu decreta, quæ ad Cleri disciplinam pertinebant. Postremis temporibus omnia ejusmodi Decreta *Canonum* appellatione designata sunt.

XXII. Ecclesia primitiva duplici *Jure* utebatur, *Divino*, & *Canonico*. Ac divinum quidem Jus Codice Sacræ Scripturæ, Canonicum verò Codice Canonum utebatur. Unde in Conciliis duo Codices in medio Consessus poni solebant, ut ex eorum Jure Episcopi inter se dogmata pietatis explorarent, obortas hæreses refutarent, & quæstiones ad disciplinam Ecclesiasticam, & sacram πολιτείαν pertinentes, dirimerent. Hinc passim in Actis Concilii Chalcedo. Constantinopo. in Trullo; & aliis hæc verba reperiuntur, *Antepositis in medio sacris & inviolatis Evangelii Codicibus.* Codicis verò Canonum ipsa quoque Chalcedonensis Synodus meminit, & ex eo Patrum Canones citat, & eorum jure de Controversiis pronunciat: Cano. 1. *Canones, qui à sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque constituti sunt, observari æquum censuimus.* Quò pertinet Novella 131. de Ecclesiasticis Canonibus, ubi Imperator S. 1. *Sancimus igitur ut sancti Ecclesiastici Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis & expositi & confirmati sunt, vicem legum obtineant,* τάξιν νόμυ ἐχέιν; *Præditorum enim sanctorum Conciliorum decreta, perinde ut sacras Scripturas suscipimus, & Canones ut Leges custodimus.* Atque hoc est genuinum illud antiquum Jus, & Corpus Canonicum, quod Ecclesiasticâ & Imperatoriâ Potestate sancitum fuit in Imperio. Cui Corpus Canonicum Papale, solâ usurpatione, absque autoritate Ecclesiarum & Imperii, imò & contra eam paulatim obtrusum est.

XXIII. Collectio autem Canonum istorum varia ac multiplex fuit. Quidam eò referunt Διατάξεις seu Constitutionum Apostolicarum libros 8.

QUÆST. XXXI. bros 8. sub Clementis nomine, quos fœtum esse Scriptoris tertii seculi omnibus hodie persuasum esse ait *Petrus de Marca* in Opere de Concordia lib. 3. cap. 2. cum quo facit *Blondellus* in præfat. in Apol. pro Hieron. *Dallæus* verò seculo demum v. scriptos esse censet, paulò ante Decretum Gelasii in Concilio Romano anno 494. Nec non *Canones Apostolorum*, quos suppositios esse pridem observârunt Viri Docti, & seculo demum v. quô Constitutionum libri, eodemque fortassis auctore collectos ex variis Conciliorum Canonibus, ut vult Dallæus. Certum est Codicem Canonum ante finem quatuor Conciliorum fuisse, ut colligitur ex Conci. Chalcedo. art. 4. & 11. & fatetur Baronius ad ann. 341. in quem relati sunt Canones quatuor primorum Conciliorum Oecumenicorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, & Canones Conciliorum particularium à Conciliis Oecumenicis approbati, Ancyrani ann. 308. Næocæsarienſis anno 316. Gangrensis ann. 326. Antiocheni anno 341. Laodiceni anno 364. quorum duo priora Concilia præcesserunt Concilium Nicænum, duo posteriora secuta sunt; sed reliquis tribus Oecumenicis priora fuerunt. Hic est *Codex Canonum Ecclesiæ Universæ*, quem in Gallia in lucem misit *Tilius* Episcopus Meldensis, & post eum *Christophorus Justellus* J.C.Paris. anno 1610. & denuo Henricus Christophori filius recudi curavit anno 1661. in *Bibliotheca Juris Canonici Veteris*. Huic addendus *Codex Ecclesiæ Africanæ*, & Photii Nomocanon cum Scholiis Balsamonis ab eodem Justello gr. lat. editi. Et alii id genus plures, qui variis temporibus & locis prodierunt, in quibus colligendis laborârunt Dionysius Exiguus, Isidorus Mercator, Burcardus Wormatiensis, Yvo Carnotensis, & tandem Gratianus, qui Opus suum *Concordiam discordantium Canonum* inscripsit, quod magno in pretio habitum est inter Pontificios.

XXIV. Magnum autem discrimen intercedit inter Canones Ecclesiasticos, & documenta fidei & morum, quæ Scripturis continentur. Ista enim sunt κανὼν ἀκλινὴς τῆς ἀληθείας, *Canon indeclinabilis veritatis*, ut dicitur à Veteribus. Sed Canones Ecclesiastici, utpote juris positivi & humani, ordinis duntaxat externi gratiâ constituti, eodem consensu, quô sanciti fuerant, mutari possunt & refigi, aliis commodioribus. prout tempora, & personæ ferunt in eorum locum substitutis. Quod Tertull. lib. de Velan. Virg. bene expressit. *Regula quidem fidei una omnino est sola immobilis & irreformabilis*, &c. *Sed hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis*. Sic differunt à legibus civilibus, in variis. 1. Quòd istæ manant à potestate autocratorica, Illæ à potestate tantùm ministeriali. 2. Legibus ut ut duris & minus æquis, quandiu nihil turpe & contrarium Dei mandatis exigunt, obsequendum est propter conscientiam etiam sepositoscandalo. Canonibus

mibus iniquioribus reclamare licet. 3. Leges sunt armatæ pœnis propriè dictis. Sed Canones non item; nec Censuræ Ecclesiasticæ, pœnis propriè dictis debent annumerari. Quæst. XXXI.

XXV. Porro in Canonibus istis sedulò attendendum. 1. Ne ultra rerum adiaphorarum sphæram progrediantur, cùm in æternis & necessariis unus nobis sit Legislator Deus Jac. 4. 12. 11. Ne operositate & multitudine sua onerent magis & impediant, quàm ornent & promoveant Dei cultum. 111. Ne vergant ad tyrannidem & superstitionem, vel ullo modo incurrant in Dei Verbum, in libertatem Christianam, & analogiam fidei, & injiciant laqueum conscientiis, ac si in illis prora & puppis salutis versaretur. 1v. Ne iis accedat opinio meriti, cultus & necessitatis, neve pro ipso Dei cultu per se veniant, cùm tantùm illius sint adminicula & appendices.

QUÆSTIO XXXII.

De Disciplina Ecclesiastica, & Excommunicatione.

An Ministris sacris competat Potestas spiritualis peccatores contumaces & scandalosos excommunicandi? Affirm. contra Erastum, & ejus Sequaces.

I. TErtia pars Potestatis Ecclesiasticæ spectat *Disciplinæ Exercitium*, quæ consistit in Potestate spirituali, quâ peccatores publici & scandalosi, propter doctrinæ aut vitæ impuritatem, post privatas & publicas Ecclesiæ monitiones neglectas & rejectas, per Ministros sacros ex Presbyterii ordine & autoritate à signis divinæ gratiæ arcentur, & si in eadem contumacia perseverent, tandem coram tota Ecclesia in nomine Dei ab Ecclesiæ communione excluſi esse pronunciantur, tantisper dum per veram & seriam resipiscentiam Deo & Ecclesiæ reconcilientur.

II. Disciplinæ istius necessitas & justitia, præter Dei institutionem, ex rei ipsius natura colligitur. Nam si nulla Societas, imò nulla domus contineri in recto statu sine disciplina potest, eam esse multò magis necessariam in Ecclesia constat, cujus statum quàm ordinatissimum esse decet. Ut ergo salvifica Christi doctrina, anima est Ecclesiæ, ita disciplina pro nervis est, quâ fit, ut membra Corporis suo quodque loco inter se cohæ- *Sententia nostra de Disciplina & Excommunicatione.*

QUÆST. XXXII. hæreant. Ideo quicunque vel sublatam disciplinam cupiunt, vel ejus restitutionem aut exercitium impediunt, Ecclesiæ dissipationem quærunt. Quid enim futurum est, si unicuique liceat quod libuerit? Disciplina igitur est *fundamentum ordinis*, & *vinculum unitatis*, *frænum* quô retinentur & domantur, qui adversus Christi doctrinam ferociunt, *stimulus* quô excitentur parum voluntarii, & velut *paterna ferula*, quâ clementet & pro Spiritus Christi mansuetudine castigentur, qui graviùs lapsi sunt.

III. Fines, quos spectat Ecclesia in ejnsmodi disciplina sunt. Primò, ne cum Dei contumelia inter Christianos nominentur, qui turpem ac flagitiosam vitam agunt, ac si sancta ejus Ecclesia foret improborum & sceleratorum hominum conjuratio. Nam cùm ipsa sit Christi Corpus, ejusmodi putridis membris inquinari non potest, quin aliqua ignominia in Caput recidat. Cœnæ etiam Dominicæ ratio est habenda, ne promiscuâ exhibitione profanetur. Secundò, ne assiduâ malorum consuetudine, ut fieri solet, boni corrumpantur, quia nihil facilius est, quàm ut malis exemplis à recto vitæ cursu abducamur. Ideo incestuosum à consortio suo amandare Corinthiis præcipit, quia *modicum fermenti totam massam corrumpit*, Et postea, *si quis frater inter vos nominatur, vel scortator, vel avarus, vel idolorum cultor, vel ebriosus, vel maledicus, cum hujusmodi nec cibum sumite* 1. Corint. 5. 6. 11. Tertiò ut eos ipsos confusos suæ turpitudinis pudere incipiat, conducit illis suam nequitiam castigari, quô expergefiant sensu ferulæ, qui indulgentiâ obstinatiores futuri erant.

IV. Hîc verò inprimis observandum disciplinam istam talem severitatem exerere, quæ cum spiritu mansuetudinis semper conjuncta sit. Semper enim diligenter cavendum, ut præcipit Paulus, ne à tristitia absorbeatur is in quem animadvertitur, quia sic remedium verteretur in exitium. Nam cùm hoc in ejus exercitio quæratur, ut ad pœnitentiam perducatur peccator, & mala exempla tollantur è medio, ne vel malè audiat Christi nomen, vel ad imitationem alii provocentur, facilè licet inde judicare, quousque progredi, & ubi desinere debeat severitas. Quippe ubi pœnitentiæ suæ testimonium Ecclesiæ dat peccator, & hoc testimonio scandalum, quantum in se est, obliterat, non est ultra urgendus, aliàs modum excedit rigor. Unde non potest probari immodica Veterum austeritas, quæ & à Domini præscripto dissidebat, & non exiguis periculis erat obnoxia. Nam quum peccatori pœnitentiam solennem, & privationem à sacra Communione, nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in totam vitam indicerent, quid inde sequi potuit, nisi vel magna hypocrisis, vel maxima desperatio? Levi ergo de causa stringendus non est gladius iste spiritualis, ut obtinet passim inter Anabaptistas, sed omnia prius sunt tentanda; Nec nisi gradatim ad extrema deveniendum, id. à minori excom-

communicatione ad majorem; ut olim Judæi à Niddui ad Cherem, & inde ad Maranatha progrediebantur. Quæst. XXXII.

V. Potestas ista correptionis, duplici clave constat, claudente & ligante, aperiente & solvente, ut colligitur ex Matth. 16. 19. Illâ hæretici pertinaces, pacis Ecclesiæ turbatores, scandalosi & incorrigibiles peccatores post unam & alteram admonitionem, suspenduntur ab usu Sacramentorum, & si in contumacia sua & rebellione perseverant, ejiciuntur ex Ecclesia, ut nulli pietatis exercitio cum reliquis fidelibus interesse ipsis liceat: quod non debet extendi ad societatem politicam, & officia charitativa & moralia simpliciter, aut aliàs ex nostra vocatione in statu œconomico aut politico debita & necessaria, ut vellent Pontificii; quasi prohiberentur uxores maritis, liberi parentibus, servi Dominis, subditi Principibus excommunicatis præstare officia, ad quæ jure naturæ obligantur. Nec enim excommunicatio potest abrumpere vincula naturalia & moralia, quibus inter se homines tenentur. Sed hæc separatio tantùm extendi debet ad illas conversationis partes, quæ conniventiam vel approbationem viderentur inferre. Istâ verò, quæ aperiens & solvens dicitur, resipiscentes & ex animo dolentes de peccatis suis, post idoneam scandali dati reparationem, quæ Canonica satisfactio dicitur, ad communionem Ecclesiæ & sacrorum iterum recipiuntur.

VI. Porro ejectio ista ab Ecclesia diversimodè est concipienda, juxta duplicem ejus statum. Nam quoad statum externum notat realem separationem à Communione externa Ecclesiæ, & usu sacrorum; sed non perpetuam, sed ad tempus, donec resipuerit. Quoad internum verò, non est realis expulsio ex Corpore mystico Christi: Nam qui semel in illud corpus est cooptatus, nunquam potest ab eo ejici. Sed comminatio tantùm seu declaratio demeriti intrinseci culpæ, quòd scilicet talis peccator impœnitens & contumax mereatur ejici ex illa Societate, juxta sententiam Dei in tales peccatores latam 1. Cor. 6. 9. ac proinde sensu gratiæ Dei præsentis in hac vita meritò privetur, & usu gloriæ in altera privandus sit, nisi resipiscat. Unde non statim credendum per Excommunicationem peccatorem simpliciter & absolutè rescindi à Corpore Christi; Non desinit enim sæpe membrum esse Ecclesiæ in occulto, & quoad statum internum, licèt quoad externam disciplinam pro tempore removeatur à societate fidelium. Ut pater quum filium contumacem è domo sua ejicit, eumque conspectu suo ac favoris paterni testimoniis privat, nondum tamen propterea eum planè exhæredavit, vel omnem paternum affectum erga eum exuit, imò tunc hoc remedio utens ad eum ad resipiscentiam reducendum, vel ex hoc facto erga eum amorem suum exerit, etsi id tunc non agnoscentem, tum demum seriò agniturum, cùm per veram conversionem cum patre suo in gratiam redierit. Sic Excom-

QUÆST. XXXII. municatio flagellum est piæ matris in pravum filium, quem non quia flagellat, ideo habet pro non filio, sed castigat graviter ut emendet, ne fiat omnino non filius, non ut perdat, sed ut sanet, non ut à se projiciat, sed ut ad se errantem reducat. Nec obstat quòd Deus dicat se ratum habiturum in cœlis, quod ligatum fuerit in terris. Nam eo modo ratum habet Deus, quò pronunciatum est; resectio autem ista nunquam est absoluta, sed conditionata, ut dictum.

VII. Hæc est nostra de Disciplina Ecclesiastica, & ejus in Excommunicationis exercitio sententia, quæ in plerisque Ecclesiis Reformatis & Euangelicis obtinet, & cum fructu exercetur. Fatendum tamen nonnullas, quæ nobis sunt conjunctissimæ, hactenus usum ejus non recepisse, non quòd eam injustam & illicitam censeant, sed quia existimant sub Christianis Principibus non esse adeò necessariam, & Magistratu Christiano ritè officio suo fungente, & scandalosos quosvis juxta Verbi divini normam coercente, Ecclesiam posse ea tutò carere. Interim ejus usum in aliis Ecclesiis, non modò non improbant & damnant, sed etiam commodè retineri posse & debere censent, ut factum seculo præterito ab Amplissimo Magistratu Tigurino, & Venerando ejusdem Ecclesiæ Cœtu, qui interrogati à Nostris super Legibus Consistorialibus, & disciplinæ Ecclesiasticæ exercitio, & Excommunicationis inprimis usu, quem improbi & factiosi homines modis omnibus convellere satagebant, respondent, *Dudum audivisse se de legibus istius Ecclesiæ Consistorialibus, & agnoscere illas pias esse, & accedere ad Verbi Dei præscriptum, ideoque non videri admittendum, ut per innovationem mutentur, satius esse ut integræ conserventur, hoc præsertim seculo, in quo subinde homines fierent deteriores. Et quanquam disciplina ipsorum nostræ per omnia non respondeat, illam tamen pro ratione temporum, locorum, personarum esse temperatam, nec ideo nostram velle subversam.* Et postea, *Se suæ disciplinæ formam non mittere, ut vel tantillum præscribant, præstare ut in semel receptis, & sanctè quidem ex Scriptura receptis perseverent Ecclesiæ* &c. Vid. Epist. Bullingeri ad Calvi. ad an. 1553. 12. Decemb.

VIII. Sed alii quibus displicuit Excommunicatio, longiùs progressi sunt, nec tantùm ut non necessariam non receperunt, sed ut illicitam & injustam damnárunt; Ut commentum purè humanum, quod nullum habeat in Scriptura fundamentum, & quod involet in jura Magistratus, cujus est coercitio sontium. In ea sententia fuit *Tho. Erastus* D. M. quam variis rationibus probare satagit in Thesibus & Tractatu de Excommunicatione, qui varias contentiones Heidelbergæ excitavit hac de causa. Quem hîc nonnulli secuti sunt, & nominatim L. *Molinæus*, de quo ante diximus, qui eam non modò, ut animi humani figmentum, & inane terriculamentum traducere audet, sed etiam eam, ut pestem generis humani, ter-

iæ flagellum, omnium malorum originem, unicum tyrannidis Pontificiæ fundamentum, mysterium iniquitatis, & Antichristi characterem, cane pejus & angue fugiendam esse, & ab Ecclesiæ finibus proscribendam pertendit. Imò eò furoris homo parum sanus progreditur, ut verba quæ in Liturgia de ea leguntur, *In Nomine D. N. I. Christi, ego excommunico omnes idololatras, hæreticos* &c. expungenda statuat, & reponenda ista *In nomine J. Calvini*; Quasi Calvinus primus autor sancti istius instituti fuerit, Et ante ipsum in Ecclesia primitiva non obtinuerit. Sed minus mirum est hominem Independentismo & Fanatismo faventem in hunc scopulum impegisse, & hoc errore ita fuisse fascinatum, ut tanquam pro aris & focis pro eo tuendo decertare usque ad obitum non desierit; imò & à se dissentientes dicteriis, acerbis sacrasinis insectari, & ineptis cavillationibus urgere ausus sit, in quo facto ludibrium debuit viris piis & ordinis amantibus, & à propriis cognatis & affinibus, tanquam *Caput tribus Anticyris vix sanabile*, damnatus est, ut de eo non semel in epistolis suis queritur. QUÆST. XXXII.

IX. Quàm injustè verò sententia in Ecclesiis nostris recepta ab ipso, & aliis ὁμοψήφοις traducatur, non difficile est ostendere ex variis rationibus solidis, quibus adstruitur. 1. Quia ut ante diximus, hoc est Jus naturale omnium Societatem bene ordinatarum, ut separare de suo grege possint homines incommodos & noxios, suique Cœtus maculas, probra, & carcinomata. Nam eadem potestas, quâ jus habent inter se conveniendi, dat illis autoritatem Leges & constitutiones faciendi ad conservationem Corporis, & ad expulsionem eorum, qui legibus istis immorigeros se præbent, & qui rebellione sua totum Corpus inficere vel corrumpere possent. Et ea est istius ordinis necessitas, ut sine eo nullus Cœtus diu subsistere possit. Quòd si hoc aliis Societatibus conceditur, longè potius Ecclesiæ competere debet, quæ & sanctior est, & ordinatior. Nec hoc diffiteri possunt illi cum quibus nunc agimus, qui agnoscunt, Magistratu à fide alieno, vel officium suum negligente in coercendis & puniendis facinorosis, quemlibet Cœtum per confœderatam disciplinam, & mutuum pactum sibi ipsi potestatem quandam Magistratus assumere, ἀξιωτικὴν in ordinem cogere, impios, infidos à se arcere, & res suas sibi habere jubere, aliisque conservationi suæ conducentibus prospicere. Parum autem refert sive hoc Jus naturæ dicatur, sive autoritas manans à Christo; Cùm Jus naturæ non aliunde quàm ab ipso Deo derivetur: Imò cùm Ecclesia sit Societas sacra & religiosa, quæ à Christo ipso instituta est; Nemo negare potest eam quicquid habet potestatis, ut cætera omnia, à Christo ipso accepisse. Idem enim qui eam voluit in mundo erigere, eam etiam instruxit iis omnibus, quæ necessaria sunt ad sui conservationem.

Probatur justitia Excommunicationis 1. Ex Jure Societatum.

X. Secundò, *Ex Usu Veteris Testamenti.* Quia Excommunicatio locum

2. Ex usu V. T.

QUÆST. XXXII. cum habuit in Vet. Test. Nam ut nihil dicamus de ejectione hominis lapsi è Paradiso, & interdictione esus Arboris vitæ, quorum ille erat typus Ecclesiæ, Ista verò Sacramenti rationem habuit. Et de eo quòd Caïn dicitur expulsus à facie Domini Genes. 4. 14. nimirum è loco cultui divino & sacris Conventibus dicato; quod judicium divinum potest nobis esse exemplo quoad judicium Ecclesiasticum. Constat sub Lege incircunciſos, leprosos, & legaliter immundos, Templo, ac Cæremoniis prohibitos fuisse. Deus præcepit, ut impuri secundùm legem non tantùm sponte à sacrorum communione abstinerent Levit. 5. & 6. & 7. 10. capitibus. Sed etiam ut Sacedotes & Levitæ hujus rei curam præ cæteris haberent, nempe ut secundùm Dei Verbum inter purum & impurum, sanctum & profanum discernerent, ac judicarent, ut videre est de omni impuritate, Levi. 19. 19. Ezech. 44. 29. & de impuris ex lepra Levit. 13. 2. utque eos, quos impuros judicassent, à Templi & sacrorum communione tantisper arcerent, donec per singularia sacrificia denuo essent mundati; Expiatio verò necessariò supponit immunditiem, & immunditiem necessariò sequebatur exclusio ab altari, quod præter Uziæ exemplum singulare 2. Paralipo. 26. universè indicatur 2. Paralip. 23. 18. *Jojada distribuit munera in domo Dei inter Sacerdotes & Levitas* &c. *& collocavit Janitores in portis domus Dei, ut non ingrederetur immundus ulla re.* Licet verò hoc de impuritate cæremoniali dicatur, non minus, imò multò magis, à minori ad majus de morali potest & debet intelligi, quum illa istius typum gesserit Hag. 2. 12. 14. 2. Deus apud Ezec. 44. 9. cum incircumcisis carne incircumcisos corde conjungit in exclusione à Sanctuario, *Nemo peregrinus incircumcisus carne, aut incircumcisus corde in Sanctuarium meum veniet.* Quod etsi mysticè de Sanctuario Novi Testamenti intelligatur, notat tamen quid in externo Sanctuario fuerit faciendum, quod clarè demonstrat reprehensio Sacerdotum, quæ habetur ℣. 6. & 8. *Satis esto vobis, discedite ab omnibus iniquitatibus vestris ô domus Israël, qui introduxistis alienigenas, præputiatos corde, & præputiatos carne, ut essent in Sanctuario meo, ut profanarent domum meam.* 3. Prophetæ variis in locis reprehendunt eos qui domum Dei ingrediebantur manibus sanguine plenis, & Sacerdotes, quòd inter mundum & immundum non discernant Isa. 1. 12. Jer. 7. 9. Ezech. 23. 38. Ezech. 22. 26. Sophon. 3. 4. Ita Levit. 5. 21. illi qui immundi erant propter fraudem & furtum non poterant accessum ad sacra habere, nisi purgati fuissent sacrificiis à Deo præscriptis. Jam ubi impuritas, ibi est etiam à sacris communibus exclusio Num. 19. 20. Eò pertinet quod toties de *excisione* animæ ex populo habetur apud Mosem Exod. 12. 15. 19. & 30. 33. Levi. 7. 15. 17. & 17. 4. Gen. 17. 14. Num. 9. 13. & 15. 30. 31. & 19. 20. & alibi sæpius, quam ad excommunicationem referendam esse, potius quàm ad judicium

aliquod θανατον, vel mortem æternam, cum Calvino nostro & pluribus aliis Viris doctis censemus. Quæst. XXXII.

XI. Nec dubium est, quin apud Judæos Excommunicatio locum habuerit, & sæpe exercita fuerit. Ut vel ex loco Ezræ 10. 8. patet. Hinc toties in Euangelio mentio sit τῦ ἀφορισμῦ, & de iis qui ἀποσυναγωγοὶ fiebant sequendo Christum Luc. 6. 22. Joan. 9. 22. 23. 33. 34. & 11. 22. & 16. 2. Huc faciunt tres illæ separationis species, quæ apud ipsos obtinebant נדוי, הרם, & שמתא, vel מרן אתא, inter quas hoc discriminis à Viris doctis statuitur. Ut נדוי prima & levior fuerit excommunicationis species, ad certum tempus. הרם verò gravior, quâ puniebatur, qui ad primam non relipuisset, quæ fiebat cum diris & imprecationibus. Tertia schammatha gravissima, quæ erat sine spe reditus ad communionem Reipublicæ vel Ecclesiæ, ut observat doctissimus Buxtorfius in Lexico Thalmud. Si verò hæc disciplina fuit merum ingenii humani figmentum, quod mysterium iniquitatis fundare debuit; quî fit quòd Christus, qui tam acriter carpit scrupulosam Pharisæorum religionem in decimandis oleribus, & in purgandis vasis, ne verbum quidem de ista exitiali consuetudine fecerit? Hoc sanè satis apertè innuit, hunc ritum illi non improbatum fuisse, si modò ritè exerceretur.

XII. Tertiò, Quia Christus istum ordinem, qui jam obtinebat in Ecclesia Judaïcâ confirmavit & præscripsit, per *traditionem clavium* regni cœlorum factam Petro, & in ejus persona toti Ecclesiæ, quibus illud non referatur solùm, sed & clauditur, ne profanis eò aditus sit, & per potestatem *ligandi & solvendi* eidem concessam, quæ non ad meram prædicationem referenda esse, sed etiam disciplinæ exercitium includere antea visum. Confirmatur ex Mat. 18. 17. ubi Christus vult fratrem offendentem, qui noluerit acquiescere piis fratris læsi monitionibus, deferendum esse ad Ecclesiam, seu Presbyterium, & si noluerit illam audire, à nobis habendum esse pro Ethnico & publicano, allusivè ad Synagogæ processum, quos enim à sua communione excludebat, velut Ethnicos & Publicanos habendos esse pronunciabat, id est, alienos à fœdere & populo Dei, quales erant Ethnici omnes & Publicani, qui maximo in probro apud Judæos erant, cum quibus nullum populo Dei debuit esse commercium. 3. *Ex Christi præscripto.* *Matt.* 16. 19. 18. 17.

XIII. Nequicquam hîc obtenditur, 1. *Ligationem & solutionem notare remissionem & retentionem peccatorum, quæ fit per Verbi prædicationem.* Quia unius positio non est exclusio alterius, imo hæc se invicem comitantur, ligatio & solutio *generalis*, quæ fit per prædicationem, per quam in genere promittitur venia pœnitentibus, & denunciatur pœna immorigeris, & *specialis*, quæ pertinet ad exercitium disciplinæ, per quam huic & illi pœnitenti applicantur promissiones gratiæ, & huic & illi.

QUÆST. XXXII. illi peccatori scandaloso & contumaci denunciatur retentio peccatorum, & exclusio à regno cœlorum, nisi resipiscat. 1. *Ecclesiam, quam frater læsus adire debet, esse Synedrium Judaïcum, seu Politicam Magistratum ejusdem religionis, quod si ne hunc etiam audire velit, deferendum esse ad Magistratum gentilem, ut fieri solet cùm res est cum Ethnico & Publicano.* Sed vanitas istius glossæ patet ex variis. 1. Quia nusquam Synedrium Judaïcum nomine Ecclesiæ designatur. Et absurdum est, Christum discipulos suos injuriâ affectos ad Judaïcum Synedrium politicum ablegare, quia erat Christianis maximè adversum, & brevi abrogandum cum Republica. Deinde quia tale Synedrium vel erat supremum tribunal, à quo non dabatur provocatio; at hîc volunt provocari ad Magistratum Paganum; Vel si forum aliquod inferius intelligitur, ab eo, non ad Paganos, sed ad supremum Synedrium Judaïcum debuit fieri provocatio. Sed clarum est Christum eam intelligere Ecclesiam, cui dare claves regni cœlorum voluit, ut quicquid ligaret in terra, ligatum esset in cœlis, ℣. 18. de illa de qua dicit ℣. 19. ubi *duo vel tres congregati erunt in Nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*; quod de Ecclesia Christiana dici nemo non videt. 11. Inauditum est per ista verba, *Sit tibi ut Ethnicus & Publicanus*, designari provocationem ad Magistratum Ethnicum. Sic ergo licebit Christianis, nec tantùm licebit, sed imponetur eis ad tribunal Ethnicum confugere ad contendendum cum fratre, & litigandum cum ipso, contra Paulum, qui hoc vetat, & acriter ideo Corinthios reprehendit, quòd coram Ethnicis judicio cum fratribus experirentur 1. Cor. 6. 1. 2. 3. Deinde hac ratione Christus doceret modum non lucrifaciendi fratrem offendentem, sed amissa recuperandi, & injurias reparandi, qui non debet esse primarius Christianorum scopus. 111. Christum non dicere, *Sit toti Ecclesiæ, velut Ethnicus & Publicanus, ut dicendum fuit, si facta esset excommunicatio ab ea, sed sit tibi.* Sed supponitur perperam juxta nos sensum istorum verborum esse, *sit tibi velut Ethnicus*, id. excommunicetur, quasi Christus dederit cuivis privato potestatem fratrem contumacem excommunicandi. Nam ex nobis verba ista nihil aliud notant, quàm secessionem à fratre, ut non respiciamus eum amplius ut fratrem, nec cum eo, ut cum membro ejusdem Societatis religiosæ vivamus, vel commercium cum eo habeamus, quomodo Judæi cum Paganis & Publicanis nihil commune habere volebant. 2. Hoc modo non pertendimus Christum dedisse jus cuilibet fratrem excommunicandi, eum habendo ut Ethnicum, sed tantùm velle, ut fratrem contumacem, & qui Ecclesiam audire recusavit, quique ideo ab Ecclesia seu Presbyterio Ecclesiastico resectus est à communione Ecclesiæ, habeamus ut Ethnicum; Ita quod homo habeatur ut Ethnicus & Publicanus, non facit excommunicationem, sed eam sequitur, & supponitur facta ab Ecclesia, seu Rectorum Cœtu propter contuma-

maciam. 3. rectè potuit dicere Christus, *sit tibi ut Ethnicus*, quia agebat de eo, quod faciendum fuit privato læso, erga fratrem induratum & contumacem, qui noluit audire Ecclesiam, & qui propterea judicio Ecclesiæ excommunicatus est. Sed à pari quod dicitur uni, dicitur omnibus; Unde additur statim in plurali *quicquid ligaveritis*, nonquid ligaveris. IV. *Datam quidem esse potestatem Ecclesiæ. sed quandiu fuit sub cruce & Imperatoribus Christianis caruit.* Sed gratis hoc etiam supponitur, quia ordo in Ecclesia à Christo constitutus, non debuit esse temporalis, sed perpetuus. Ut perpetuo usu postea fuit confirmatus, tam sub Imperatoribus Christianis, quàm sub Paganis. Christianismus ab Imperatoribus susceptus, non debuit abrogare istam potestatem, sed tantùm cavere, ne civili derogaret, aut cum ea confunderetur. Tantùm abest ut Magistratus pius hunc ordinem sustulerit, ut potius eum confirmare & sancire debuerit. Ut constat eum etiam sub Imperatoribus constanter obtinuisse. QUÆST. XXXII.

XIV. III. Paulus idem institutum non semel confirmat, præcipuè in pœna exercita in incestuosum Corinthium 1. Cor. 5. 3. ubi postquam atrocitatem criminis descripsit, & carpsit negligentiam Ecclesiæ in ejiciendo illo homine ex communione sua, autoritate Apostolica decernit, ut quod factum pridem oportuerat tandem faciant, id est, ut congregati in nomine Christi, à quo potestatem hanc acceperant, istum impurum Satanæ tradant, & ita è medio sui tollant, non quidem ut in Satanæ regno pereat ille miser à domo Domini ejectus, sed ut ipse quidem hac pœna attritus, sceleratum illud carnis affectum penitus aboleat, & ita in die Domini servetur; Ecclesia verò Corinthiaca tantæ impuritatis contagione non inficiatur; sed potius quod in Paschate legali constitutum erat, hoc veluti fermento expurgato, festum azymorum verè celebret, id est, purè & sanctè Deum colat, tum ad Verbum audiendum, cum ad Domini mensam accedens, sic vero Paschate nostro Christo fruitura. ℣. 3. *In Nomine Domini Nostri J. Christi, congregatis vobis & meo spiritu, tradere talem Satanæ ad exitium carnis, ut spiritus servetur in die Domini Jesu.* Ubi varia occurrunt argumenta 1. quia Apostolus objurgat Corinthios ℣. 2. quòd non *luxerint, ut tolleretur talis peccator è medio ipsorum*, non sanè per pœnam capitalem, quasi vellet tribuere Presbyterio jus Magistratus proprium, sed per excommunicationem, per quam tollitur peccator è medio Cœtus, id est, ex Ecclesia excluditur, ut Cyprianus loquitur, & quia Ecclesia, cùm aliquem à suo consortio erat exclusura, lugentium sumebat habitum, eumque ut *mortuum lugebat*, ut ait Origen. lib. 3. cont. Celsum; Ideo lugere per metony. adjuncti ponitur pro excommunicare. Sic ℣. 13. præscribit ipsis, *ut scelestum è medio sui tollant*; quod utique facere non potuisset, nisi agnovisset, hoc esse jus Ecclesiæ, flagitiosos ex com-

3. Ex paulo 1. Cor. 5. 3.

QUÆST. XXXII. communione suâ ejicere. 2° Quia pœnam istam describit per *expurgationem fermenti* ℣. 7. Ut enim fermentum debebat ejici ex domo ad celebrationem Paschatis; Ita impius incestuosus, qui instar fermenti poterat totam massam corrumpere, id est, totam Ecclesiam inficere, ut contagium unius improbi hominis, facilè ad omnes dimanat, debebat ejici ex Ecclesia, ne cæteros pravo hoc exemplo corrumperet. 3. Quia *traditio Satanæ* non aliò melius potest trahi quàm ad Excommunicationem, & ejus effecta. Ratio locutionis petitur ex eo, quòd qui extra Ecclesiam ejectus est, & per hoc privatus bonis Ecclesiæ propriis, qualia sunt orationes, Sacramenta, conciones publicæ, cura pastoralis, & specialis Dei protectio, expositus relinquebatur tyrannidi & tentationibus Diaboli, qui regnat extra Ecclesiam, sic Paulus melius innuere voluit quàm horribile sit ex cœtu Ecclesiæ ejici. Quò faciunt isto Theophylacti in 1. Tim. 2. 10. *Infidelem & incorrigibilem puniebant, Satanæque tradebant, Quomodo? ejiciebatur ex Ecclesia, abjiciebatur à charitate, tradebatur nudus lupo.*

XV. Fruſtra Erastus, & alii ad eludendam vim istius argumenti opponunt. 1. *Si Satanæ tradere est extra Ecclesiam ejicere, extra quam nulla est salus, non dixisset Paulus se hoc facere, ut spiritus salvus sit in die Domini* Quidni verò? Nam ejectus extra Ecclesiam censetur traditus Satanæ, non tanquam apud Satanam permansurus, & cum eo periturus, sed contrà ut miserrimi status sui sensu motus resipiscat, & ita carne, id. veteris hominis corruptione abolita, quæ antea ipsi dominabatur, spiritus salvetur, id est, ut mortificetur homo, & novus vivificetur. 11. *Traditionem Satanæ de miraculosa hominis incestuosi traditione ad excruciandum & interficiendum intelligendam esse, quomodo factum à Petro circa Ananiam & Sapphiram, & à Paulo in Bar-Jesum.* Sed Paulum de ordinario Ecclesiæ officio, non verò de miraculo simpliciter loqui multa ostendunt. 1. reprehendit Corinthios, quod ipsum non sustulerint de medio sui, ℣. 2. at non reprehenderet eos de non edito miraculo, quod donum erat particulare Apostolorum, non omnium; Nec mandâsset Apostolus, ut ipsi miraculum patrarent. 2. ad hunc tollendum requiritur solennis consensus & conventus Ecclesiæ, ista enim pœna ab iis infligenda fuit, quorum erat unà in hunc finem convenire, quibus Apostolus mandat ut expurgent vetus fermentum, & tollant impium de medio ipsorum; At quid consensu & conventu Ecclesiæ opus fuit ad miraculum præstandum, quem non liquet Apostolos in ullo extraordinario operi unquam desiderasse? 3. Finis istius pœnæ ostendit non posse intelligi de morte ipsi miraculosè inflictâ, tum quia constat incestuosum traditioni illi supervixisse; tum quia traditur Satanæ, ut spiritus salvus fiat, id est, ut in hac vita resipiscat, & tandem servetur; Quod confirmatur ex loco parallelo 1. Tim. 1. 20. ubi Hymenæum & Alex-

Alexandrum Paulus dicitur tradisse Satanæ, *ut discerent non blasphemare*, id est, hac pœnâ affecti à blasphemia desisterent per seriam resipiscentiam. 4. Exemplum Ananiæ & Sapphiræ non huc facit, quia non pertinebat ad exercitium disciplinæ, & ipsorum correctionem, sed ad justam pœnam eorum mendacii, ut ita autoritas Apostolica majori in pretio haberetur. 5. Licèt *tollere è medio* aliquando de occisione intelligatur; Non sequitur & hîc ita usurpandum esse, quia Apostolus non dicit simpliciter tollendum esse de medio talem, sed *de medio ipsorum* ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, quod ejectionem ex Ecclesia clarè innuit. 6. Quamvis daremus, quod quidam ex Patribus voluerunt, traditionem istam Satanæ corporales aliquos cruciatus secum traxisse; Non ideo evertetur sententia de Excommunicatione, quia inter se non pugnant, ejici ex Ecclesia, & à Satana torqueri, qui extra Ecclesiam regnat, ut Saulum à Domino abjectum invasit spiritus malus. Chrysost. utrumque jungit, Satanæ flagellum, & ejectionem extra Ecclesiam 1. Timot. 1. 20. *Ejiciebant*, inquit, *à communi fidelium Cœtu, abscindebatur a grege, fiebat nudus, atque ita destitutus lupis patebat.* Licèt autem Traditio ista Satanæ aliquid extraordinarium habuerit, quatenus ab autoritate Apostolica proficiscebatur, quomodo certum est Apostolis insignem præ cæteris potestatem in regimine Ecclesiæ datam à Christo fuisse, ut eo majori in pretio essent apud fideles. Non ideo tota hæc actio extraordinaria fuit & singularis, quæ soli Apostolo propria fuerit, exclusivè ad Ecclesiam, quæ hîc expressè includitur. Nec si quod extraordinarium fuit debuit cessare, Ideo quod commune erat, & ordinarium abrogari debet, quodque ut permanens & immutabile Ecclesiæ suæ sapienter præscripsit, ut optimè observat Doctissimus *Saldenus* in eximia dissertatione de *Virga Apostolica*, ubi hoc argumentum solidè & accuratè exequitur, ut cætera omnia, quæ in erudito opere Otiorum Theologicorum novissimè edito pertractat, ubi nihil minus quàm se otiari luculenter demonstrat. Quæst. XXXII.

XVI. iv. Huc bene refertur, quod Apostolus ait 1. Cor. 4. 21. de *virga*, quam in Corinthios exercere poterat, *Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an in charitate?* Licet enim non nesciam non paucis Viris doctis videri, virgam istam Apostolicam peculiaribus prærogativis Apostolorum adscribendam esse, nihilque aliud esse, quàm potestatem quandam extraordinariam divinitus ipsis concessam, quâ non verbis, minis, & increpationibus tantùm, sed & acriori quodam remedio, id est, corporali qualicunque noxâ peccatores immorigeros & contumaces mulctare poterant; quam exeruerint quandoque erga impios & incorrigibiles, ut sic commoverentur eorum exemplo boni, à blasphemando deterrerentur mali, & severissima in malefactores Dei vindicta manifestaretur. Nec dissiteamur hujus severitatis exempla occurrere in Petro erga Ananiam & 4. 1. Cor. 4. 21.

QUÆST. XXXII. Sapphiram Act. 5. 5. & in Paulo adversus Elymam præstigiatorem; Nihil est, quod nos cogat eò devenire, cùm commodè virga ista referri possit ad disciplinæ severitatem, quâ tanquam pater, qualem se dixerat esse erga ipsos ℣. 15. poterat castigare eorum vitia per censuras Ecclesiasticas, & acrem correptionem, qualis erat illa, quam erga incestuosum exercitaturus erat; quam opponit spiritui lenitatis & charitatis, non quòd ex charitate etiam non proficiscatur, sed quia occultabatur charitas tali severitate, ut & vultus tristitiâ & verborum asperitate, quâ non tam consolaturus & confirmaturus erat resipiscentes, quàm reprehensurus delinquentes, ut bene idem V. D. observat.

5 Ex Ro 16. 17. VVII. v. Ex variis locis, in quibus Apostoli hanc disciplinam non obscurè designant, ut Rom. 16. 17. *Precor vos, fratres, ut observetis dissidiorum & offendiculorum autores, contra doctrinam, quam vos didicistis,* 2. Thes. 3. 14. 15. *& declinetis ab iis.* Et 2. Thessal. 3. 14. 15. *Si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne commercium habete, cum eo, ut erubescat,* & Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem repelle,* 2. Joan. 10. 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, ne ave ei dicite,* ut significet talium familiaritatem & societatem esse devitandam, quia qui salvere eum jubet, & multò magis, qui eum hospitio excipit, in signum familiaris benevolentiæ, *communicat operibus ejus malignis*, id est, in partem venit culpæ tanquam approbator aut fautor. Alludit ad morem Judæorum, qui excommunicatos ut Ethnicos & Publicanos vitabant, nec communem inter homines salutationem illis offerebant aut reddebant. Hæc verò & alia id genus non privatis tantùm dicuntur, sed & toti Ecclesiæ. Et à minori ad majus facilè id colligitur. Nam si quilibet fidelis sorsim debet se separare ab impiis, quanto magis Ecclesia ipsa debet ipsos à communione sua ejicere? Eò Apoc. 2. 2. respicit quòd laudatur Ecclesia Ephesina Apocal. 2. 2. quòd *non possit ferre malos*, eos scilicet arguendo & ejiciendo ex Ecclesia, mansuetudinem zelo temperando, nec ad peccata connivendo.

6 Ex Matth 7 6. XVIII. vi. Et Matth. 7. 6. ubi Christus vetat *sanctum dare canibus*, sanctorum autem nomine intelliguntur μυστήρια, quorum sunt dispensatores servi Christi 1. Cor. 4. 1. Canum autem & porcorum voces, nullis melius quadrant, quàm iis, quos in Ecclesiam admissos, experientia tales comprobavit, & Ecclesia judicavit. Ergo talibus vetat Dominus sua mysteria dare, ac proinde Sacramenta dispensare. Licèt verò hoc non dicatur directè respectu Eucharistiæ, vel excommunicationis, regula tamen generalis inde elicitur, de non toleranda mysteriorum sacrorum profanatione; quæ fit ab impuris porcis & canibus. Nec reponi debet, malos non posse inficere bonos quibuscum communicant. Quia magnum inde creatur scandalum piis animabus, quæ sine sancta indignatione videre non possunt,

sunt, mysteria ista sacra pollui à profanis, & se cum illis associari in eadem mensa, nec ullum discrimen fieri inter bonos & malos pœnitentes & impœnitentes. Deinde mysteria ipsa vilescunt, quando sancta, quæ sanctis destinantur, promiscuè profanis distribuuntur. Tertiò, licèt nullum inde ad bonos & pios rediret detrimentum, in eo tamen maximum est malum, quòd profani sibi mensam sacram polluunt, & præsentissimum exitium in se accersunt, edendo & bibendo judicium suum. Pastorum autem est hujusmodi pollutionem quantum in se est impedire, ne & ipsi rei sint sacrarii ab aliis sua socordiâ polluti. Nonne esset crudelis misericordia liberum accessum dare profano ad mysteria sacra, quo novum in se reatum accerseret? Imò sola compassio, quâ commoveri par est erga miserum crimina sua augentem, & in perditionis barathrum eo modo se præcipitem agentem, sufficeret ad denegandum illi Sacramentum, etsi nulla alia ratio suppeteret. Quæst. XXXII.

XIX. VII. Ex *Praxi Veteris Ecclesiæ*, quæ peccatores publicos à sacrorum communione removere solebat, donec per varia eaque publica humiliationis exercitia, communi Exomologesis nomine ut plurimùm expressa, idoneè reparato scandalo Ecclesiæ, eadem iterum potestate publicè reciperentur & admittentur. Quod Tertullianus in Apolog. eximiè docet cap. 39. *Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censuræ divinæ. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sacri commercii relegetur* &c. Plura id genus occurrunt apud Cyprianum de disciplinæ istius exercitio. Eò spectant distincti illi pœnitentiæ quatuor gradus, qui apud eos obtinebant, 1. κλαυσις seu *fletus* ad oratorii seu Templi januam ubi peccator consistens fideles ingredientes, orabat cum lacrymis, ut pro se precarentur. 2. ἀκρόασις *auditio* Verbi divini, in porticu oratorii, unde erat illis discedendum, quumprimum preces incipiebant, quibus interesse illi nefas erat. 3. ὑπόστασις *prostratio* intra Templi portam, ubi cum Catechumenis consistebat, & cum ipsis egredi tenebatur. 4. σύστασις *consistentia*, quum jus habebat inter ipsos fideles consistendi, nec amplius exeundi cum Catechumenis, quam tandem sequebatur μέθεξις, seu partipatio Sacramentorum. In συστάσει erat κοινωνία τῆς εὐχῆς, in μεθέξει κοινωνία τῆς ἁγιασμάτων. Quàm constanter vero & rigidè exercita fuerit ista disciplina, constat ex Canonibus pœnitentialibus, & nemo ab ea adeo eximebatur, ut Principes quoque unà cum plebeiis se ad eam ferendam subjicerent. Et merito, cùm Christi esse constaret, cui omnia Regum sceptra submitti æquum est. Sic Theodosius, quum ab Ambrosio ob cædem

7. Ex praxi Veteris Ecclesiæ.

QUÆST. XXXII. Thessalonicæ perpetratam jure communionis privatus esset, stravit omne quo circundatus erat, insigne regium, deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, gemitu & lachrymis oravit veniam. Nec enim dedecori id sibi esse debere judicavit, si coram Christo Rege Regum suppliciter se prosterneret, nec sibi displicere quod per Ecclesiam judicaretur. Licèt vero severitas illa prisca tractu temporis relaxata fuerit, & rigidi illi Canones in desuetudinem abierint; ubi cœperunt Christianorum mores mollescere per opes & delicias mundi, deficiente cote persecutionum, ad quam fervor zeli & amor virtutis solebat exacui. Non ideo debet in totum abrogari, sed commodè pro ratione loci & temporis ad ædificationem exerceri.

Fontes Solutionum.

XX. Licèt non possit privatus se separare à Sacra Cœna sine schismatis crimine propter vitia apud multos in Ecclesia regnantia, modò doctrina sit pura. Non sequitur Ecclesiæ non licere quenquam separare à Cœna, modo confessio sit pura. Quia alia ratio est hominis privati, Alia Rectorum Ecclesiæ; his enim præcipitur, ut invigilent, ne Sacramenta profanentur, & ut inter mundum & immundum discernant cum publica autoritate, quam non licet cuiquam privato sibi sumere: Illud enim remedium adversus vitia, hoc vero charitatem violat.

XXI. Quamvis Christus admisisset Judam proditorem ad Communionem Sacramenti, de quo merito dubitatur; Non sequeretur omnes promiscuè esse admittendos; quia Judas adhuc erat occultus proditor & hypocrita, soli Christo notus. Christus autem noluit ut Deus agere ex divina autoritate, sed ut homo, & Minister Patris. Nemo autem debet arceri à Cœna, nisi propter peccatum publicum & scandalosum, quod idoneis testibus sit probatum, & cujus peccator publicâ autoritate sit convictus & damnatus.

XXII. Non eadem est ratio Verbi & Sacramentorum, Verbum ad omnes etiam impios & profanos dirigitur, quia est medium conversionis hominum. Sed Sacramenta destinantur tantùm fidelibus, quia sigilla sunt fœderis, quæ obsignare debent gratiam fœderatis, & supponunt peculiarem applicationem, quæ postulat conditionem fidei in utentibus. Verbum destinatur ad dandam fidem & pœnitentiam. Sacramenta vero ad utramque confirmandam. Verbum ad incredulos dirigitur, ut fideles reddantur. Sacramenta dantur, quia creduntur fideles. Verbum non facit vinculum societatis inter eos quibus prædicatur. Sacramenta dantur ut vincula nostræ unionis, ut sint sigilla nostræ justificationis. Ita non possunt ritè dari iis qui vincula societatis abruperunt, nec sunt in statu justificationis.

XXIII. Licèt Paulus neminem expressè excluserit à Sacra Cœna cap. 10. & 11. 1æ ad Corinthios, quia relinquit hoc officium Synedrio Ecclesiastico, contentus regulam præscripisse; Satis tamen docet, quomodo cum

cum peccatoribus scandalosis, & hæreticis sit agendum, quum ait non posse quemquam participem esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum, significans non posse ad Cœnam Domini accedere, qui idolorum sacris communicant. Idem non obscurè testatur, tùm 1. Cor. 5. tum 2. Thess. 3. 14. 15. Quæst. XXXII.

XXIV. Parabola zizaniorum, quæ relinquenda sunt usque ad messem, non huc pertinet; Quia agitur de hypocritis occultis, quos facile non est secernere à veris fidelibus, nec tam de Magistratus aut Pastoris officio disseritur, quàm fidelium ipsorum, quos hortatur hîc Christus ne animis deficiant, quia malos secum ferre cogantur. Non negare quidem vult Christus Pastores incumbere debere purgandæ Ecclesiæ, & hac in parte adjuvandos esse ab omnibus piis quatenus fert cujusque vocatio. Sed ubi omnes in commune mutuas operas contulerint, si non eò usque proficere possunt, ut penitus ab omni sorde purgetur Ecclesia, non ideo vel abjiciendum esse ministerium, vel inusitatâ asperitate totam Ecclesiam perturbandam. Ita similitudo ista de universali Ecclesiæ repurgatione nunquam ante ultimum diem futura, particulares evulsiones sive à Magistratu, sive ab Ecclesiastico judicio factas non prohibet.

XXV. Quamvis Christus neminem expressè arceuerit ab usu Sacramentorum, satis tamen hoc designavit, Quum vetat quenquam accedere ad Altare, nisi prius reconciliârit se fratri. Quum prohibet sanctum dari canibus. Quum fratres contumaces & rebelles voci Ecclesiæ vult haberi pro Ethnicis & Publicanis. Quum eum qui caret veste nuptiali ejici vult ex convivio. Et quum Christus Cœnam suam inter discipulos suos tantùm instituit & celebrat; hoc ipso quippe satis ostendit solis illis Cœnæ celebrationem convenire, qui Christi se discipulos profiteantur; non verò illis, qui ob vitæ impuritatem & scelera publica ab Ecclesia sint à communione sacrorum exclusi. Quis putârit Christum, quum Cœnam institueret, quæ nostræ est cum ipso mysticæ communionis tessera, voluisse quenquam aliter. quàm dignè ad mensam suam accedere? Dignè ergo accedentes invitans, & omnes edere præcipiens, non præcipit certè indignis, ut quales erant accederent; sed ita hortatus est, ut resipiscendo sese ad illud epulum compararent; satis, interprete Apostolo, monens ne aliter affecti accederent.

XXVI. Causâ nulla erat, Cur Joh. Baptista Saducæos & Pharisæos ad baptismum suum accedentes rejiceret, ut qui venirent cum peccatorum confessione, ut disertè exprimitur Matth. 3. 6. nec essent ab aliis excommunicati, nec ipse potestatem haberet eos excommunicandi, etsi fuissent excommunicatione digni. Fecit ergo quod muneris erat sui, quam accedentes quosvis hortatus est ad resipiscentiam, proposito acerrimo Dei ex Lege judicio, & simul oblatâ in Christo præsente peccatorum remissione.

QUÆST. XXXII.

XXVII. Ut Anabaptistæ insaniunt, qui subversuri Magistratuum tribunalia, fingunt nullâ aliâ pœnâ in facinorosos animadvertendum, quàm Excomunicationis. Sic sine ratione alii putant id genus Censurarum, Magistratum authoritatati præjudicare, cùm correptio Ecclesiastica, & politica punitio multifariam differant, & hæc ad πμωρίαν, illa verò ad σωτηρίαν potissimùm pertineat. Illa animi salutem & conversionem, Istâ verò corporis exitium & pœnam respiciat. Quamvis ergo Magistratus pœnâ corporali animadvertat in facinorosos; Non sequitur ideo, nullum esse spiritualibus & Ecclesiasticis ἐπιτιμίοις locum, quibus peccatores ad tristitiam secundùm Deum, ad resipiscentiam, & ad salutem adducantur.

XXVIII. Non opus est ad decernendam Excommunicationem, speciali revelatione Spiritus Sancti, sufficit ut ex Verbo Dei, & potestate sibi in eo concessa agant Pastores. Nam ut de jure, quas ob causas exercenda sit ex Verbo Dei constat; Ita de facto ex idoneis testimoniis liquet, de scandalis admissis ab Ecclesia corripiendis.

QUÆSTIO XXXIII.

DE CONCILINRUM ORIGINE, ET AUTORITATE.

An proprium sit Pontificis Romani indicere & cogere Concilia, iis præesse, & autoritatem ipsis conferre infallibilem in dogmatis Fidei & Religionis? Et An recipiendum sit Concilium Tridentinum? Negc. Pontif.

Conciliorum Origo.

I. TRiplex illa Potestas Ecclesiæ, quæ occupatur circa ejus Regimen, de qua hactenus actum, non solùm exercetur à Pastoribus & Presbyteriis seu Conventibus ordinariis Ecclesiarum particularium. Sed etiam in Conciliis, qui extraordinarii sunt Conventus plurium Ecclesiarum ejusdem Provinciæ, vel Nationis & Regni, simul junctarum, quæ dicta sunt *Concilia Prouncialia*, & *Nationalia*, aut etiam plurium simul Nationum, qualia fuêre olim, quæ *Oecumenica* vel universalia dicebantur, non quòd ex toto orbe absolutè, sed quòd ex toto Ro. Imperio, quod vocabatur πᾶσα οἰκουμένη Luc. 2. 1. convocarentur, & Episcopis con-

constarent tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, in quas duas partes tribuebatur illud Imperium. Aliàs verè Oecumenica nec data sunt, nec dari possunt. Quæst. XXXIII.

II. Cùm verò variæ sint de Conciliis Controversiæ. Tres tamen præcipuæ censentur, quæ in hac Quæstione continentur, De *Indictione*, *Præsidentia*, & *Autoritate*. De qua prius quam dicamus, Paucis sententia nostra de Conciliis, & eorum necessitate & usu est aperienda, quæ non parum lucis afferet ad ejus pleniorem intelligentiam & enodationem.

III. *Concilium* à concalando vel conciendo, id est, convocando dictum, est Conventus publicus, vel à Magistratu Politico, vel de communi Ecclesiarum consensu indictus, in quo viri pii & eruditi, ritè vocati ac delegati, causas Ecclesiasticas cognoscunt, collatisque sententiis ex Verbo Dei, pro potestate Ecclesiæ à Deo concessâ definiunt, ut mala, quæ hæreses vel schismata gignere solent, vel caveantur, vel curentur. *Sententa nostra de Conciliis.*

IV. Licèt verò Concilia non sint simpliciter & absolutè necessaria ad esse Ecclesiæ, siquidem sine his fides & Ecclesia incolumis esse potest, & diu fuit, rectè tamen eorum usus & necessitas ad melius esse urgetur adversus ἀζύγτους & Independentes, ex multiplici quam conferre possunt utilitate. 1. ad *Veritatis* conservationem contra hæreses, ut doctrina fidei salutaris adversus hæreticos asseratur, & publici conventus consensu ac testimonio comprobetur. 2. ad *Pacis* & εὐταξίας confirmationem contra schismata & anarchiam, ut disciplina Ecclesiastica pro temporum, locorum, & personarum ratione rectè constituatur, & sicubi collapsa est, restituatur. 3. ad *Libertatis* Christianæ defensionem adversus ambitiosos conatus eorum, qui ad tyrannidem grassantur. Ut enim non est sperandum Ecclesiam militantem in terris immunem futuram ab ejusmodi morbis. Ita remedium istud Conciliorum non modò utile, sed & necessarium factum est, maximè ubi sublata cruce & persecutione, pace externa fruitur, ex cujus otio ejusmodi mala frequentiùs nasci, eorumque contagia latiùs serpere solent. Tunc enim commune incendium communi auxilio & concursu restinguendum est, Mala, quæ universitatem occupant, ab universitate curanda sunt & præcavenda, & quod omnes tangit, ab omnibus curari debet.

V. Atque hîc præluxerunt nobis suo exemplo Apostoli, cùm orto dissidio de legalibus servandis, vel non, statim Concilium indixere, & *congregati sunt Apostoli, & Presbyteri, ut dispicerent hac de re*, Act. 15. 6. Quamvis enim Apostoli essent infallibiles, quique ideo soli hanc litem componere potuissent, voluerunt tamen suo exemplo sub ductu Spiritus S. ordinem præscribere, qui perpetuò vigeret in Ecclesia post suum obitum. Ac sanè si Apostoli, qui peculiari prærogativâ acceperant à Deo

ava-

QUÆST. XXXIII.

ἀναμαρτησίαν in fide, noluerunt tamen de contentione super legalibus cæremoniis ferre sententiam, nisi prius communicato concilio. Quanto magis Pastores posterioris ævi, qui sunt obnoxii errori, debent conferre operas, & opem mutuam exposcere? Nec enim singulis Deus omnia largitur, & sæpe quod pauci non possunt, plures efficiunt. Adde quod Leges Ecclesiasticæ majoris sunt apud populos autoritatis, cum unanimi multorum Pastorum consensu fuerunt conditæ.

VI. Licèt verò non semper felix sit exitus talium Conventuum, ex accidenti corruptionis humanæ, prout optimi solet esse pessima corruptio; quomodo artibus Romæ factum est, ut ex Concilio Tridentino, à quo expectabatur Reformatio in Capite & in Membris, nihil nisi errorum & Antichristianæ tyrannidis confirmatio prodierit, quæ ratio movebat olim Gregor. Nazianzenum, ut ad Procopium diceret epist. 42. *Sefugere omnes Conventus Episcoporum, quia nullius unquam Synodi bonum & felicem exitum vidisset*, scilicet ex hominum vitio, φιλονεικίᾳ, & φιλαρχίᾳ. Non ideo hoc rei per se legitimæ & perutili obesse debet, ut verè August. ep. 118. dicat, *Conciliorum in Ecclesia Dei saluberrimam esse autoritatem.* Cùm Christus pronunciet Matt. 18. 20. *Ubi duo aut tres in unum congregantur in Nomine meo, se in medio eorum futurum.*

Sententia Pontificiorum.

VII. Circa ista Concilia quæritur. Ad quos jus indictionis præsidentiæ, & autoritatis pertineat. Pontificii hæc omnia ad Pontificem suum referunt. Cujus proprium esse asserunt. 1. Indicere & convocare Concilia. 2. Iisdem præsidere, & totum Conventum moderari, Prætoriâ vel potius Dictatoriâ quadam potestate 3. Iis dare autoritatem infallibilem, ut in Canonibus & Decretis errare non possint, iisdemque absolutè, sine ulteriori examine acquiescendum sit, ut Bellarm. loquitur lib. 1. de Conci. cap. 12. 13. 14. & c. 19. 20. & lib. 2. c. 2, 3. & seq.

Et Orthodoxorum.

VIII. Orthodoxi diversimodè ad varias istas quæstiones respondent. 1. Quoad *indictionem*, Jus ejus ad Ecclesiam pertinere statuunt. Ut enim Christus potestatem regiminis Ecclesiæ commisit; Ita penes eam deposuit autoritatem ea omnia procurandi, quæ pertinent ad prosperitatem istius regiminis, inter quæ meritò reponitur Conciliorum Convocatio. Quia verò convocatio ista non potest fieri, nisi ex autoritate, ad eos consenda est pertinere magis propriè, qui præcipua sunt Ecclesiæ membra, & quos Deus dat Ecclesiæ suæ in nutricios & custodes utriusque tabulæ, quales sunt Reges & Magistratus, penes quos est jurisdictio & imperium, & potestas coactiva, quâ hîc sæpe opus est. Si verò Magistratus alienus à fide fuerit, vel in manifesto Ecclesiæ periculo, Ecclesia sibi non deesse debet, sed convocationis jure & autoritate, quam Deus illi commisit, uti potest, quo præsentibus & urgentibus malis, si fieri, & qua fieri potest ratione quàm citissimè occurratur. Sed Pontifici nullum Jus indicen-

cendorum Conciliorum competere pertendimus. Idem de *Præsidentia* dicimus, & duplex munus hîc distinguendum censemus, politicum & Ecclesiasticum, prout in Conciliis sunt, quæ ad ordinis externi moderationem pertinent; alia ad rerum spiritualium disquisitionem & decisionem. Illud Magistratui Politico deferimus; Hoc verò uni vel pluribus Episcopis aut Pastoribus, communi consensu extra ordinem electis tribuimus. Politici Præsidis partes sunt, Concilium cogere, coactum tueri, & tum externam vim, tum internam αἴταξίαν & ἀχημοσυνίω prohibere, decereta legitimè facta, & delegatorum subscriptionibus confirmata, sua quoque autoritate sancire, ut κρίσις συνοδικὴ ἐπικρίσει βασιλικῇ sanciatur. Ecclesiastici verò quæstiones in Concilium mittere, disceptationem moderari, sententias rogare, & decreta per Notarios in acta referre & similia. Denique quoad *Autoritatem*, non aliam ratione materiæ infallibilitatem in iis agnoscimus, nisi quatenus cum Verbo Dei scripto consentiunt eorum Canones & Decreta. De cætero ratione efficientis humana & fallibilia esse pertendimus, quæque nullam â Pontifice Romano ἀναμαρτησίαν habere possunt. QUÆST. XXXIII.

IX. Fundamenta sententiæ nostræ sunt. Primò. Quia Papa hanc potestatem convocandi Concilia, iis præsidendi, & his autoritatem infallibilem largiendi; Nec accepit à Christo, quia nullum ejus extat in Scriptura vestigium. Nec ab Imperatore, à quo solitus fuit petere Concilii indictionem, ut Leo I. epist. 9. & 24. ad Theodosium, & 26. ad Pulcheriam, Imò Episcopis antiquitus per leges civiles, ne convenire quidem licuit, nisi de consensu Imperatoris. Nec ex se potuit habere, quia nemo sibi sumit hunc honorem Heb. 5. 4. *Concilia non pendere quoad indictionem à Pontifice probatur 1. quia talis potestas illi non est data.*

X. 11. Quia est actus Potestatis civilis & coactivæ, quæ non cadit in ordinem Ecclesiasticum, nec ei de jure convenit, qualia sunt locum, tempus, & modum Conventuum definire & præscribere, securitatem advenis præstare, sumptus suppeditare, mandare Episcopis ut conveniant, pœnas in contumaces statuere, & sim. quæ circa externa & civilia occupantur, & quæ absque imperio peragi nequeunt. *2. Quia indictio est actus potestatis civilis.*

XI. 111. Quia Exemplis Veteris & Novi Test. constat Conventuum sacrorum indictionem pertinuisse ad Reges & Magistratus fideles. Patet exemplo Josuæ 23. 24. Davidis 2. Sam. 6. 1. Chro. 28. Salomonis 1. Reg. 8. Josaphati 2. Chron. 20. Ezechiæ 2. Chron. 29. Josiæ 2. Rag. 23. Et sub Novo Testamento exemplo Constantini Magni in Concilio Nicæno, Teodosii I. in Constantinopolitano, Theodosii II. in Ephesino, Martiani in Chalcedonensi, Justiniani in Constantinopolitano II. & aliorum in aliis Conciliis. Frustra hîc cavillantur, qui Imperatoris autoritatem, Et Episcopi Romani consensum seu postulatum, tanquam duas causas partiales considerari volunt. Nam & reliqui Episcopi *3. Quia exemplis V. & N. T. hoc liquet.*

QUÆST. XXXIII. omnes consentire, & ubi opus fuit, Synodum postulare potuerunt ac debuerunt.

Nec quoad præsidentiam.

XII. Non quoad *Præsidentiam*, Quia eadem est ratio præsidentiæ, quæ convocationis: Nam ordinem agendi sancire, insolentiam coercere, & totum Conventum autoriate sua moderari, non minus sunt actus potestatis civilis & coactivæ, quàm quæ ad Concilii indictionem pertinent. Unde qui in Veteri & Novo Testamento leguntur indixisse & convocâsse tales Cœtus, iisdem quoque præfuerunt, sive immediatè & per se, sive mediatè per Legatos, quamdiu Imperio Majestas Imperatorum, & Ecclesiæ suæ libertas constitit. Et sanè jus ordinarium & perpetuum in rebus Ecclesiasticis nititur Lege divinâ vel Ecclesiasticâ; Neutra autem Jus præsidendi dat Papæ Romano; Non Divina, quia nulla probatio ejus afferri potest; Non Ecclesiastica, quia membra Ecclesiæ universalis nunquam consenserunt de tali jure in Papam conferendo. Accedit perpetua praxis Conciliorum puriorum.

Nec quoad autoritatem.

XIII. Quoad *Autoritatem infallibilem*, non potest dici conferri Conciliis à Pontifice, quia non potest dare quod non habet, ut alibi ostensum Quæst. XI. Unde nequidem inter ipsos Adversarios de ejus infallibilitate convenit. 2. Quia Concilia nullum autoritatem habent, nisi quando, & quatenus decreta eorum cum Verbo Dei consentiunt, & in serio, religioso que examine consentire deprehenditur, ex locis Deuter. 4. 2. Isa. 8. 20. Galat. 1. 8. 9. 1. Thess. 5. 21. Cùm enim Ecclesiam in terris militantem repræsentent κατ' ἐπιτομὴν, non magis extra omnem, sive in doctrina, sive in moribus errandi aleam posita sunt, quàm ipsa Ecclesia. Cujus cùm nullum hîc sit membrum ἀναμάρτητον, absurdum est toti Corpori ἀναμαρτησίαν tribuere.

XIV. Autoritas ergo Conciliorum longè subsidit infra autoritatem Scripturæ, nec ulteriùs eorum decisiones obligant in conscientia, nisi quatenus constat eas esse conformes Dei Verbo. Unde judicium illis competit in rebus fidei, non autoritativum & infallibile ac supremum, sed subalternum & ministeriale, obligativum quoad ordinem externum communionis Ecclesiasticæ, quodque magni debet esse ponderis apud pios omnes, sed non quoad fidem & conscientiam, nisi inquantum concordant cum Scriptura, quæ sola potest conscientiam obligare.

XV. Ut verò Concilia circa tria occupari possunt, quæ in Ecclesia simul occurrunt, 1. Dogmata fidei, 2. Canones seu constitutiones regiminis & διαταξεις, & 3. exercitium disciplinæ circa eos qui vel in fide vel in moribus errant exitialiter. Ita autoritas eorum diversimodè spectari potest. Nam quoad illa, decreta eorum se habent ad modum placitorum Sapientum & Prudentum, qui maturè de re quaque differe possunt. Quoad ista sunt Directores, qui ex potestate sibi concessa jus habet sanciendi quod

ex-

expedit ad τὸ ἔξω. Et quoad hæc sunt Judices ab Ecclesia constituti ad pœnas Ecclesiasticas infligendas peccatoribus. Quæst. XXXIII.

XVI. Licèt Concilia in nomine Christi debeant congregari ; Non sequitur ea non nisi autoritate sacra Petri & Successoris ejus indicenda esse. Quia cùm in nomine Christi aliquid agere nihil aliud sit, quàm obsequio mandati, & fiduciâ gratiæ ejus aliquid facere ad ejus gloriam, non minus Principes & Magistratus in nomine Christi agunt, quàm Ministri. *Fontes Solutionum.*

XVII. Licèt Pontifici Levitico jus fuisset indicendi Concilia, & illis autoritatem infallibilem conciliandi ; Non sequitur idem Pontifici Romano competere, quia Pontifici Veteri non alius præter Christum successit Heb. 7. 8. 9. cap. Adde quod Conventuum extra-ordinariorum jus erat penes supremum Magistratum, ut dictum ; Et si quam autoritatem habebant, illa tota à Verbo, non à Pontifice manabat.

XVIII. Concilia promissionem habent perpetuæ præsentiæ Christi, non absolutè, sed secundùm quid, nimirum quatenus in nomine Christi congregantur, & juxta normam ipsis præscriptam agunt ; aliàs subjiciuntur anathemati Gal. 1. 8.

XIX. Frustra Bellarminus ad supremum Pontificis sui in Ecclesiam & Concilia potestatem confirmandam recentiorum Pontificum testimoniis utitur, quibus tam rectè regerere possumus, quàm impiè fuit à Pharisæis objectum Christo Jo. 8. 13. *Tu testaris de te ipsô, testimonium tuum non est verum.*

XX. Licèt nolimus Conciliis dare autoritatem infallibilem ; non pertendimus tamen nullam esse, sed magni in Ecclesia ponderis, quatenus Judicium eorum, ut ut non sit αὐτόπιστον, est tamen publicum, & cum autoritate à Christo concessa profectum ; Quod de illis tantùm dictum volumus, quæ legitima sunt & libera in nomine Christi congregata ; Non de falsis & spuriis, quæ abjecto Christi mandato, quô vetat quicquam addi aut detrahi Verbo suo, proprio arbitrio quidvis statuunt, nec contenta Scripturæ Oraculis, quæ est unica perfectæ sapientiæ regula, de suo capite novum aliquid comminiscuntur.

XXI. Aliud est *forum externum*, & *internum conscientiæ*. Sententia in legitimo Concilio definita est judicialis & prætoria quoad forum externum, ita ut illi in externa societate standum sit & cadendum, & ex ea jus quæratur summo Magistratui dissentientibus injungendi silentium, vel interdicendi civitatem. Aliàs in Societate externa litibus & contentionibus, nec modus, nec finis imponi posset. Quoad forum internum conscientiæ, Concilium nobis non est mera consultatio & inquisitio, ut perperam nobis affingit Bellarminus, sed cum inquisitione veri & justi, est dictio sententiæ, non prætoria, ut vellent Pontificii, se ministerialis, sua-

QUÆST. XXXIII.

sionis, non coactionis, Interpretis qui jus declarat & exponit, non verò Judicis, qui Jus facit.

XXII. Sententia Episcoporum in Concilio non potest esse judicialis, decisiva, & obligativa, Nec *per se*, quia singuli ire in partes, imò & errare possunt; nec *propter consensum pluriums*, quia & illi, satentibus Adversariis, errare possunt; nec *propter confirmationem Papæ*, quia illa Concilio est extrinseca, & posterior sententiis Episcoporum, quorum proinde naturam mutare non potest; quia nec esse habet judicium αὐτοπεγγνωστικὸν fidei, & quia non convenit inter Pontificios, Conciliine, an Papæ judicio fides Christianorum nitatur.

XXIII. Non necesse est, ut sit in Ecclesia judicium aliquod infallibile externum, quô fidei controversiæ dirimantur. Sufficit fidelibus ad conscientiæ suæ tranquillitatem & salutem, judicium difinitivum interius seu divinum, Christi nimirum & Spiritus Sancti in Scripturis loquentis. Judicium externum humanum, infallibile & definitivum in Ecclesia, nec necessarium est, nec possibile. Quia controversiæ non pertinent ad ordinem externum, sed ad judicium mentis, ad quod necessarius est Judex, qui illustret mentem & voluntatem sanctificet, quod judex externus & humanus facere non potest, qui nullam potestatem habet in conscientiam.

Quid sentiendum sit de Concilio Tridentino, & quare à nobis rejiciatur?

XXIV. Ex iis verò quæ hactenus dicta sunt, non obscurè liquet, quid de autoritate *Concilii Tridentini*, quod nobis subinde obtruditur à Pontificiis, statuendum sit. An ea talis sit, ut à fidelibus recipi possit aut debeat? Cùm enim pluribus rationibus gravissimis constet, nihil minus fuisse quàm Concilium legitimum & liberum in nomine Christi congregatum, exinde invictè colligitur nullo loco à nobis habendum, sed ut adulterinum & Antichristianum rejiciendum. 1. Quia convocatum fuit à Papa, qui nec jus covocationis, nec præsidentiæ ullum habet, ut ante dictum. 2. Quia Concilii istius Judices Episcopi & alii, quibus hoc Priviligium Pontifex indulsit, competentes judices esse non poterant. Tum quia ex Verbo Dei hanc potestatem sibi competere nunquam probârunt. Tum quia prætoriam & decisivam in foro conscientiæ potestatem sibi arrogârunt, qualis nemini mortalium convenit. Tum quia in Concilio de illis potissimùm agendum fuit, ut potestas, quam illi sibi arrogabant, fides eorum & mores, atque adeò eorum reformatio in controversiam vocaretur; Unde non potuerunt in propria causa esse Judices. Tum quia jurata erant Papæ mancipia, quæ ab ejus præscripto ne latum quidem unguem discedere audebant. Tum quia erant Protestantium, quorum causa disceptatur, pars adversa, & hostes ἀκατονδοι, quos jam non semel anathemate percussérant, & qui proinde juxta Canonem Nicolai Papæ C. quod suspect. 3. q. 5. ut suspecti & inimici, judices esse non

non poterant. 3. Quia ejus norma sola non fuit Scriptura Sacra, & vox Spiritus Sancti supremi Judicis in Scriptura loquentis; Sed Traditio etiam ἀγραφος cum ea, cujus infallibilem se gessit interpretem Pontifex, quem *Scripturæ animam* impiè vocabant. 4. Quia non fuit liberum tum respectu loci, qui suspectus & insidiosus fuit, tum ratione personarum, quia Protestantes, quorum potissimùm intererat, legitimè invitati & auditi nunquam sunt, quod si concessi sunt ipsis salvi conductus, non ideo factum est, ut possent interesse Concilio, & liberè sententiam cum aliis, sed ut tanquam rei causam dicerent, & ut ab aliis ut Dictatoribus & Magistris leges acciperent. Deinde Synodi cautio Imperatoris precibus extorta ambigua fuit & dolosa; inserta quippe est clausula reservativa, *quantum ad ipsam Synodum spectat*, quæ Pontificis artibus apertam januam reliquit, ut liceret pro arbitrio in eos statuere. Rursus non potuit esse liberum, quia Pontifex, simul reus & Actor, per Legatos præfuit, qui sibi solis facultatem proponendi, callido & ambiguo decreto subnixi, per clausulam *proponentibus Legatis*, vindicabant, ut nemini integrum fuerit deliberationis cujuscunque materiam Concilio offerre. Quam insignem fraudem *Libertatis Concilii vitalio ferire* meritò Hispani & Cæsarei quærebantur. Sic licuit Legatis pro animi libidine controversias ingratas Papæ de Potestate Papæ, de Concilii superioritate, & alias similes removere, & articulos cudere & concipere, ut pro suo voto deciderentur. Quin & pleraque omnia, quæ alicujus erant momenti, antequam in Concilio definirentur, Romæ non modò expendebantur, sed & constituebantur. Hinc vulgatum illud ab ipsis Pontificiis jactatum, *Spiritum illum Sanctum, qui Tridentina consilia gubernat, in mantica clausum subinde Româ mitti.* Et Cardin. Lotaharingus graviter queritur apud Paulum Soavem lib. 7. *Concilium minimè liberum esse, cùm neque tractari, neque decerni quicquam liceat, nisi quod Legatis placeat, & Legati nihil nisi de voluntate Papæ faciunt.* Mitto callidas illas artes, quibus Ministri Pontificii Patres Concilii in partes suas pertrahere conabatur, & recusantes non modò objurgabant, sed & pellebant, & in id incumbebant, ut quovis modo libertas loquendi auferretur. Taceo innumera alia, quæ corruptissimam agendi rationem evincunt. Ex quibus luce meridianâ clarius est, nihil minus quàm liberum fuisse. Quæst. XXXIII.

XXV. 5. Tantùm abest ut in hoc Concilio ulla facta sit doctrinæ vel disciplinæ Reformatio, quæ à tanto tempore expetebatur, & expectabatur, tam in Capite quàm Membris; Ut contrà major inde tam errorum, quàm corruptelarum & tyrannidis papalis confirmatio accesserit. Si quæ reformatio suscepta est, tota ludicra & hypocritica fuit in Papæ, qui autor fuit corruptionis & abusuum arbitrio posita; ita ut omnium

QUÆST. XXXIII. pene malorum radicem in Papa & Curia Romana, & utriusque tyrannide, avaritia, luxu, ambitione fixam, non attingere, nedum tollere Patres ausi sunt. Unde si quæ decreta Pontificem & Curiam Romanam quocunque modo ferientia cudi visa sunt, statim iis nervos omnes succidit secutum decretum Sess. 25. cap. 21. quò cautum est, *ut in omnibus de morum Reformatione & Ecclesiastica disciplina decretis, salva semper sedis Apostolicæ autoritas, & sit & esse intelligatur.* Adde jus interpretandi singula Concilii Decreta, quod Synodo indulgente sibi Papa reservavit, quo posito omnia Papæ & Curiæ utcunque noxia decreta in nihilum recidant, & ita omnia in pristinum reducantur.

XXVI. 6. Quia Decreta Synodi multa ambigua sunt & flexiloqua ad conciliandas utcunque dissentientium opiniones, & talia, quæ Apollini Λοξίᾳ potius quàm Christiano Concilio conveniant. Unde Tridentina illa decreta *Herculis Cothurni* meritò dicta sunt, ut facilè ab utraque contendentium parte recipi possent, quasi sibi faventia. Ut factum à Domino Soto & Andrea Vega, qui sibi invicem è diametro oppositi in Capite de natura & gratia, tamen pro se Tridentinos Canones, afferunt in libris, quos uterque durante adhuc Concilio edidit de hoc argumento. Quod in aliis Capitibus facile est ostendere, ut non absre dictum sit, *Patres Tridentinos verborum unitatem, non rerum consensionem sectatos esse.* Hinc fit ut hodiernis Sophistis, tam ampla litigandi seges relicta sit, quodque subdoli Henotici, Fratres Walenburgii, Episcopos Condomiensis in Exposi. fidei Catho. & alii, ea Tridentinorum decretorum generalitate & ambiguitate innixi simplicibus persuadere conentur, Nos in plerisque convenire; Sed facile est ostendere, hoc esse lucem cum tenebris consociare velle.

XXVII. 7. Quia nec Imperator, nec Reges vel Principes huic Concilio subscripserunt. Et Gallia universa noluit unquam illud recipere, ut vim legis obtineret, graviterque exprobratum est Lotharingo, quod assensum præbuisset multis capitibus Galliæ damnosis. Patres quoque Curiæ Parisiensis in Decretis Reformationis multa arguebant Galliæ juri & libertatibus derogantia, qualia sunt, Quòd Episcopis potestas datur laïcos pœnis pecuniariis mulctandi, & in eorum bona manus injiciendi. Quòd in capite de duellis sibi potestatem sumunt contra Reges, Imperatorem, alios Superiores procedendi, eosque anathematis percutiendi, dominiis suis exuendi, alios Dominos feudis, & privatorum bona fisco adjudicandi. Quòd confirmando immunitates Ecclesiasticas, soli Papæ & Judicibus Ecclesiæ tribuat potestatem judicandi in causas Episcoporum accusatorum, quasi Principes jus amittant in subditos suos, statim atque fiunt Ecclesiastici. Et alia plura id genus, propter quæ constanter Concilium hoc tanquam minimà à Spiritu Sancto profectum repudiarunt, ut observatum

vatum est à *Thuano*, *Bochello*, *Pasquierio*, & aliis, & nominatim C. *Molinæo*, qui consultatione editâ demonstravit, *Concilium Tridentinum esse vitio inditum, nullum, habitum & terminatum contra antiqua Patrum decreta.* Quinimo *P. de Marca* Archiep. Parisi. de Concordio Sacerdo. & Imper. lib. 2. testatur frequenter Cleri Gallicani conventum Concilii Tridentini promulgationem à Regibus postulasse eâ lege, ut imperio suo ea capita exciperent, quæ moribus Regni & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversarentur. *Quorum desideriis*, inquit, *Principes, toto hoc negotio sæpe in consilium prudentissimorum virorum relato, se accommodare non potuerunt*, causamque addit, *quòd libertas Ecclesiæ Gallicana in quamplurimis Concilii hujus decretis pessundetur* &c. Vide & Thuan. Continua. lib. 7. Et ne quis dicat, Errata si quæ sunt, esse tantùm circa disciplinam, non circa res fidei. Facile est ostendere, talia non disciplinam tantùm respicere, sed etiam doctrinam ipsam. Qualis est v. g. articulus superioritatis Papæ supra Concilium, qui in hoc Concilio confirmatus est. Articulus de potestate Ecclesiæ supra temporale Regum, qui definitus est cap. 19. de Reform. ulti. Sessionis. Articulus de immunitatibus Clericorum & sim. Adde quod capi non potest, cur Ecclesia infallibilis sit in doctrina, sed non in disciplina; cùm non minus videatur esse de essentia Ecclesiæ gubernari juxta præscriptum Christi, quàm duci in omnem veritatem. Eoque magis quòd tanta sit inter disciplinam & doctrinam connexio, ut capita disciplinæ transeant etiam in capita doctrinæ, ut jam jam dictum. Quæst. XXXIII.

XXVIII. Porro si quis penitiùs Concilium istud, ejusque agendi rationem cognoscere voluerit, consulat integerrimum & consummatissimum Scriptorem *Paulum Soavem*, qui ejus historiam verè incomparabilem, ut vocat Conringius, ea accuratione & fide nobis tradidit, ut nihil ulterius desiderari queat. Nec si *Cardinalis Pallavicinus*, Curiæ Romæ supparasitaturus, aurei illius operis refutationem operosis voluminibus aggressus est, vel tanti Viri famam & fidem arrodere maligno dente annisus est, aliud obtinuit, quàm Virorum piorum & eruditorum contemptum, dum non vanitatis tantùm & arrogantiæ, sed & inscitiæ, prævaricationum, & putidarum adversus fidelissimum Historicum calumniarum ab ipsis Pontificiis Scriptoribus gravissimis, inprimis Comite Julio Clemente Scoto, & Cæsare Aquilino convictus est; Unde factum, ut post editam Pallavicini historiam apud cordatos in ipso Papatu Viros, utriusque historiam contendentes, Soavis majori quàm antehac unquam in pretio haberi cœperit. Cæsar Aquilinus de tribus historic. pag. 49. monet *totam vim & pondus responsionis ad Historiam Pali Soave, quæ in Pallavicini voluminibus invenitur, in diluendis argumentis, & vanis illis digressionibus consistere. Reliqua verò, quæ scribit, esse superflua, inutilia, & nonnunquam per-*

QUÆST. XXXIII. *pernicioſa. Et iſta duo volumina ſatis magna rectè aſſimilari poſſe buboni-bus, qui magne quidem aves apparent, non membrorum & carnis magnitudine, ſed inutilium pennarum ſuperfluitate.* Et Julius, Clemens, ut ut Pontificiis etiam partibus addictus, notas varias morales, cenſorias, & hiſtoricas, edidit ad Epiſtolam, tredecin capita Introductionis ejus hiſtoriæ, in quibus probat eum fidem ſibi in multis adimere in iis, quæ contra Soavem mero livore & malevolentia ſcripſit, calumniatorem eſſe, & malæ fidei in variis, quæ contra veritatem publicè notam arguit, & hiſtoriam ejus fabuloſam, ineptam & ſcandaloſam eſſe, & ipſi Papatui noxiam. Sed quis miretur, veram & ſinceram illius Concilii hiſtoriam, quæ peſſimas Curiæ R. artes, ad veritatis & libertatis oppreſſionem, ſincerè retigit, minus ſapere palato iſtius hominis, qui, ut juratum ejus mancipium in id unum incumbit, ut ejus errores & tyrannidem ſtabiliat, quique ideo novum Euangelium nobis producere non erubeſcit, & Eccleſiæ ideam fingit, non qualem Chriſtus & Apoſtoli nobis tradiderunt, ſed qualem Plato & Ariſtoles, & alii ſapientes & Principes ſeculi Rempublicam efformarent? Hactenus ex Euangelio Chriſti didiceramus Eccleſiam Cœtum eſſe hominum poſt Chriſtum crucem ferentium, mundo ejuſque vanitatibus, & politicæ mundanæ nuncium mittentium, divitias, gloriam, & delicias ſeculi pro nihilo habentium, & in paſſionibus, paupertate, & perſecutionibus gloriantium, & praxi pietatis, humilitatis, charitatis, & aliorum bonorum operum, tanquam viæ ad conſequendam ſalutem tutiſſimæ, ſedulò incumbentium. Sed alium Chriſtianiſmum longè commodiorem invenit Purpuratus noſter; qui carni ſit gratus, & poſſit cum mundo componi. Pertendit ſcilicet regimen Eccleſiæ inſtitui debere ad exemplum regnorum mundi, politicâ mundanâ & carnali, & hoc eſſe ex inſtituto Chriſti lib. 1. cap. 23. Fatetur Eccleſiam pro ſcopo proponere ſibi debere incrementum divitarum & gloriæ, & eò reſpicere, ut poſſideat perfectam felicitatem humanam, quam Chriſtus formavit, adeò ut ſi Plato & Ariſtoteles viverent, faterentur juxta regulas ſapientiæ ſuæ mundanæ, non poſſe præſtantiorem & nobiliorem Rempublicam formari Republicâ Chriſtianâ. Et quia juxta ideam ſapientum ſeculi, Reſpublica non poteſt eſſe felix, niſi ſit opibus & gloriâ potens, & abundet ſapientibus ſecundùm carnem; Eandem rationem vult eſſe in Eccleſia, & fatetur Eccleſiam Romanam juxta hanc ideam inſtitui, & uti omnibus mediis ad opes cumulandas, quæ ut ut ſimoniæ inſimulentur, poſſint ritè uſurpari, deridet eos, qui vellent Eccleſiam reformare juxta ideam Euangelii, quam vocat reformationem idealem, quæ non ab aliis petatur, quàm ab hominibus ſtolidis & zelo præpoſtero & ſine ſcientiâ impulſis, Introduct. cap. 10. Juxta ipſum Eccleſia nihil magis horrere debet quàm paupertatem, nec quicquam ſtudioſiùs quàm hoc malum fugere lib. 17. cap.

cap. 14. Ideo quotquot dicunt bona Ecclesiastica maxima ex parte distribuenda esse pauperibus, esse inimicos Ecclesiæ, & praxim istam directè adversari felicitati humanæ Ecclesiæ, & institutioni Dei & naturæ. Commodè ergo bona ista impendi censet ad sustinendum Curiæ Romanæ splendorem, per quem Infideles & Mahumetani ad fidem converti possunt lib. 8. cap. 17. Ita ambitionem & desiderium gloriæ esse duos stimulos, qui homines impellunt ad Ecclesiæ ministerium, lib. 1. cap. 25. Ideo cumulandas esse opes & beneficia ad pelliciendos homines istis vinculis humanitatis, lib. 12. c. 6. Felicitatem humanam & prosperitatem temporalem Romæ inveniri debere tanquam in fonte, & eò undique deportandas esse divitias ad majestatem Curiæ illius tuendam. Papam esse Monarcham Universi, cujus potentia sit illimitata & independes, cujus Reges omnes debeant esse tributarii, & qui possit de bonis omnium pro arbitrio disponere lib. 8. c. 17. & 6. cap. 3. Alia mitto idgenus innumera, quæ nec sine horrore legi, nec sine indignatione referri possunt. Sed nos non ita dicimus Christum. Quæst. XXXIII.

QUÆSTIO XXXIV.

De Politica Ecclesiæ Gubernatione.

Quodnam sit Ius Magistratus Christiani circa Sacra, Et An Cura & Cognitio de Religione ad eum ullatenus pertineat? Affir.

I. POstquam de Ecclesiastico *Regimine* Ecclesiæ dictum est, Aliquid addendum est de *Politico*. Circa quod gravis movetur Quæstio, in cujus Examine & Decisione diversimodè peccatum est tam in excessu, quàm in defectu. *Circa Politicum Ecclesiæ Regimen.*

II. In *Excessu* peccant, qui potestatem omnem Ecclesiasticam Magistratui vindicant, qui Ministerii libertate oppressâ, thuribulum in manus Uziæ tradunt, nullamque Pastoribus potestatem competere censent, nisi quæ derivatur à Magistratu. In *Defectu*, qui ab omni rerum Ecclesiasticarum curâ eum removerent, ut planè non curet quid quisque colat, liberamque permittat cuivis quidvis in Religionis causa faciendi, dicendique potestatem. Vel qui, licèt curam nutricationis & defensionis Ecclesiæ ipsi tribuant, ut eam benignè foveat, & potenter tueatur; Nihil tamen cognitionis, nihilque judicii circa Religionem, sed solam executionem, illi relinquunt; hoc fundamento nixi, quòd cognitio illa & judicium de re- *Alii peccant in Excessu.* *Alii in Defectu.*

QUÆST. XXXIV.

bus fidei proprium sit ordinis Ecclesiastici, cujus decretis stare teneatur Magistratus, & ea exequi; quæ sententiam est Pontificiorum, quam Bellarm. lib. 3. de Cleri. c. 17. exponit.

Orthodoxi medium tenent.

III. Orthodoxi inter duo extrema medium tenentes, statuunt Magistratum pium & fidelem non posse nec debere ab omni Religionis & Sacrorum cura excludi, quæ illi à Deo demandata est; Sed certis limitibus hoc Jus circunscribendum esse, ne Ecclesiastici, & Politici ordinis munia confundantur, sed utrique debitæ partes reliquantur. Quod duabus Propositionibus complectimur.

Prima Propositio. Quod competat Magistratui Jus circa sacra probatur 1 ex mandato divino.

IV. Prima Propositio. *Magistratui Christiano Jus multiplex competit circa Sacra.* Probatur 1. Ex *mandato divino.* Quia illi commissa est custodia Legis divinæ, Ideo non minus pietatem & cultum Dei, qui primâ, quàm justitiam & charitatem, quæ secundâ tabulâ imperatur, curare debet, Deut. 17. 18. *Postquam sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi volumen Legis hujus, accipens exemplar à Sacerdotibus & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodiat verba Legis istius*; quod repetitur Jos. 1. 8. & Joaso in solenni inauguratione liber Legis à Joiada illi datur, ut intelligat custodiam illius sibi esse commendatam 2. Reg. 11. 22. Confirmatur idem mandâtum ex aliis locis, ubi jubentur Reges & Principes erudiri, servire Domino in timore, & osculari Filium, Psalm. 2. 10. Ubi dicuntur venturi ad Christum, & se incurvaturi ipsi Psalm. 72. 10. 11. Ubi dicuntur in id constituti, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate. 1. Tim. 2. 2. quod absque speciali Religionis cura obtineri non potest.

Deut. 17. 18. Jos. 1. 8.

2. Reg. 11. 22.

Psalm 2. 10. Psal. 72. 10. 11.

1 Tim. 2. 2.

2. ex Titulis datis Magistratui Isa. 49. 23. & 60. 40.

V. 11. *Ex Titulis* & appellationibus Magistratui datis in Scriptura, ut quum vocantur *Nutritii* Ecclesiæ Isa. 49. 23. *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices*, & Isa. 60. 40. non tantùm ad procuranda illi bona temporalia, sed quod longè magis necessarium est, spiritualia & cœlestia, vocantur *Dii* Ps. 82. 1. quia characterem ejus potestatis gerunt, & qui ejus nomine & autoritate populis imperant, debent ergo ut Vicarios Dei se gerere, gloriam ejus ante omnia promovendo & curando ut subditi debitum tributum & censum in legitimo & puro cultu illi persolvant. 2. *Pastores* Isa. 44. 28. non quòd ventrem tantùm pascant, sed quòd de salute eorum debeant esse soliciti, curando, ut subditi deducantur ad pascua salutifera Verbi Dei. 3. *Patres* 1. Sam. 12. 15. qui curam populi sui habere debent, ut non solùm illi de victu & amictu prospiciatur, sed præcipuè de victu spirituali, & ut instituantur in timore Domini.

1. Ex rationibus.

VI. 111. Ex *rationibus*, 1. Quia illi commendata est Reipublicæ salus, & ea omnia, quæ ad eam pertinent, inter quæ eminet Religionis & Sacrorum cura. Unde Philosophus lib. 7. politi. cap. 8. principem locum assignat

gnat inter ea, sine quibus civitas non potest subsistere, περὶ πάντων ἐπιμέλειαν. Et Plato lib. 2. de *Repub. Præcipuam curam in Republica de Religione suscipiendam esse* dicit. Et lib. 6. ait esse *vinculum omnis societatis, & sulcrum legum recte sanciendarum.* Cicero lib. 2. de Natu. Deo. Religionem vocat *Societatis humanæ fundamentum.* 2. Quia debet procurare omne bonum subditorum, quorum causâ est constitutus, & de eo rationem Deo reddere; At Religio, & quæ ad eam pertinent, præcipuum eorum bonum est sine controversia. 3. Politiæ sunt hospitia Ecclesiæ, curare ergo debet Magistratus, ut illi bene sit. Quæst. XXXIV.

VII. iv. Ex *probatis Regum & Magistratuum exemplis*, tam in Veteri quàm Novo Testamento. Moses officium Regis in populo administrans Deut. 33. 5. Religionem divina autoritate constituit, Legem promulgat, Aaronem inaugurat, & leges toti populo, & Sacerdotum ordini præscribit. Josua Levitis imperat, Arcam circunferri jubet, populum circumcidi curat, & fœdus renovat. David Arcam è Domo Obededom in suam reduci curat, Cantores instituit, & officia Levitarum per certas vices distribuit 1. Chron. 15. 16. & 23. 4. & omnia ad Templi structuram necessaria parat 1. Chron. 22. 2. Salomon ab officio removet Abiatharem, Sadocum subrogat 1. Reg. 2. 27. Templum extruit 1. Reg. 6. Arcam solenni pompa in illud deducit, & precibus ac sacrificiis illud sanctificat 1. Reg. 8. Asa evertit altaria peregrini cultus, statuas, lucosque succidit 1. Reg. 15. 12. 15. 2. Chron. 14. 4. Josaphat Reformationem procurat, Senatum Ecclesiasticum & Politicum ordinat, 2. Chron. 19. Joas Templum restaurat 2. Reg. 12. 4. Ezechias dissipat excelsa, conterit statuas, confringit serpentem æneum, cui Israëlitæ adolebant 2. Reg. 18. aperit valvas domus Dei & eas instaurat, instituit reformationem cultus, & repurgationem Templi, init fœdus cum Domino 2. Paralip. 29. & populum ad verum Dei cultum reducit cap. 30. Josias librum Legis ab Hilkia Sacerdote repertum publicat, & universo populo prælegi curat 2. Reg. 23. 2. Chron. 34. Pascha celebrat, & Sacerdotes ad officium suum hortatur cap. 35. His addi possunt exempla piorum Imperatorum Constantini M. Theodosii utriusque, Arcadii & Honorii, Valentiniani, Martiani, Justiniani, & aliorum, qui pietatem suam in cura Religionis passim testatam fecerunt, ut Histor. Ecclesiastic. & Novellis constat. Hinc voces istæ cedro dignæ Constantini in Epistola Ecclesiis scriptâ post Synodum Nicænam apud Eusеb. 3. de ejus vita, *Putavi mihi ante omnia, in id enitendum esse, ut in Ecclesia fides una felicissimi populi, sincera charitas & religio erga autorem omnium Deum nusquam discrepans observetur.* Honorii, *Inter Imperi maximas curas Catholicæ Legis reverentia aut prima aut sola est: neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conciliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri* 4 Ex Regum exemplis.

QUÆST. XXXIV. *plebs devota custodiat.* Et Arcadii ad Flavianum, *Nulla res aquè nos habet sollicitos ac sanctarum Ecclesiarum cura, & fidei in Christo firmissima basis per quam salvamur, & subjicimur, nobis Barbaræ nationes. Nam neque viribus nostris hæc agimus, nec robore equorum & curruum bellicorum, sed virtute Dei roboratis omnia nobis prosperè cedunt.* Theodosium hoc nomine commendat Ambrosius, quòd *morti vicinius potiorem Ecclesiæ, quàm Imperii curam egerit.* Justinianus Novell. 3. *Non minor*, inquit, *nobis cura est horum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quàm ipsius animæ.*

Fontes Solutionum.

VIII. Aliud est temerè usurpare alienam vocationem. Aliud partes officii sibi demandati legitimè administrare. Uza & Ozias temerè alienam vocationem invaserunt. Sed quando Principes curam habent Religionis, officii sibi demandati parte administrant.

IX. Licèt Magistratui cura Religionis competat, non ideo potestas politica & Ecclesiastica confunduntur; quia diverso modò circa illàm versantur, aliæ istius partes; Illa versatur tantùm circa extrinseca, quoad externam dispositionem & ordinem eorum, quæ pertinent ad Dei cultum; Ista verò circa interna, administrationem scilicet eorum quæ ad cultum Dei pertinent. Non exercet Ministerium Verbi, qui Ministrum in doctrina errantem, vel in vita delinquentem monet, corripit, & pertinacem aut scandalosum removet. Non baptizat, qui prohibet ne profanetur baptismus, qui sancta sanctè fieri curat.

X. Ut Episcopis non licet gladium tractare; Ita nec Principibus & politicis manum Thuribulo admovere, quoad Verbi prædicationem, Sacramentorum administrationem, & alia quæ formaliter competunt Pastoribus, & de ratione essentiali muneris eorum sunt. Sed non inde sequitur Magistratui fideli alias partes non competere circa regimen Ecclesiæ. Ut quamvis Episcopis non liceat politica tractare, vel jus in foro dicere, licet tamen & incumbit ipsis Magistratus officii sui monere, hortari, & si cubi ab eo deficiunt arguere & judicium Dei denunciare. Sic vicissim licèt Magistratibus non competat Verbi prædicatio, licet tamen Episcopos & Pastores officium suum negligentes, vel aberrantes monere & arguere; imò & exorbitantes in ordinem redigere, & cavere ne Ministerium corrumpatur, & Religio aliquid patiatur detrimenti.

XI. Quamvis Ecclesiam suam non commiserit Tiberio, sed Petro Christus, non tamen excludit Principes à cura Religionis, qui nutritios eos vocavit, nec repulit Reges quà tales, qui dixit *Osculamini Filium.* Ministerium Verbi Pastoribus commissum est; Sed Reipublicæ cura non minus Magistratui, quia in Republica si commoratur Ecclesia; Cur non & Magistratus pius quà talis hospitium Ecclesiæ præbet, & lupos arceat, qui Pastorum nomine gregem vastant? alàs eodem argumento negavero dc-

defensionem Religionis ad Magistratum pertinere, quia Tiberio nihil in mandatis dedit circa Religionem. Quæst. XXXIV.

XII. Secunda Propositio. *Licèt Magistratui competat Jus circa sacra, non est absolutum, sed limitatum, & certis terminis circumscriptum, & quod longè differt a Jure Pastorum.* Quod ostendi potest 1. κατ' ἄρνησιν & negativè in quo non consistat. 2. κ) θέσιν & positivè in quo versetur. Quoad prius 1. non potest novos fidei articulos condere, aut novos cultus instituere & imperare, quia est ἐθελοθρησκία Verbo Dei damnata Isa. 29. 13. Matth. 15. 19. Coloss. 2. ℣. ulti. & anathemati subjecta Gal. 1. 8. 9. Et variis judicii divini exemplis vindicata in Jeroboamo, Achabo, Nebucadnezare. 2. Ad eum non pertinet Verbum prædicare, Sacramenta administrare, quia sunt actus Ministerii formales proprii & essentiales Matth. 28. 19. 20. quos nemo exercere debet circa vocationem Heb. 5. 4. 1. Cor. 7. 10. *Secunda Propositio. Magistratui non competit jus absolutum in sacra, sed limitatum. In quo non consistat κατ' ἄρνησιν.*

XIII. III. Non potest disciplinam Ecclesiasticam exercere, clavium Ecclesiasticarum autoritate, claudendo vel aperiendo regnum cœlorum, quia claves illæ datæ sunt Ecclesiæ seu Presbyterio Matth. 16. & 18. 18. non verò Magistratui, cujus arma non sunt spiritualia, sed carnalia. IV. Non potest præscribere Ministris formam prædicationis vel administrationis Sacramentorum, quia eam immediatè autoritatem Pastor habet à Christo, non à Magistratu, vel ipsis præcipere, ut aliqui contra Regulas & instituta Ministerii faciant, non magis, quàm huic & illi, ut contra vocationem suam agat, non magis quàm Medico, ut helleborum pro rhabarbaro præbeat febricitanti; quia talia sunt de officio Ministerii, quod est juris divino. V. In dijudicandis & custituendis rebus Ecclesiasticis, nec potest, nec debet quicquam inconsultis & auditis Pastoribus præcipere, non magis quam si de Medicorum Collegio & Pharmacopolarum officinis quiddam ad artem illam spectans præscriberet illis inauditis. Idem de Controversiis religionis statuendum, quas ad suum solius Judicium revocare, ac de iis pro autoritate statuere non debet. Licèt pro ratione vocationis suæ possit & debeat religionem cognoscere, & veram à falsa discernere.

XIV. κατὰ θέσιν multa sunt quæ Magistratui circa sacra competunt. 1. Sacram doctrinam & purum Dei cultum ex Verbi divini præscripto in Republica constituere, constitutum fideliter conservare, vel etiam collapsum restaurare ac reformare debet, ut ex locis ante allatis patet de Asa, Josaphato, Josia, Joaso, Ezechia. Unde non potest non laudari pium Principum & Magistratuum Christianorum propositum, juxta quod manum admoverunt Reformationi, quæ frustra expectabatur à Curia Romana, & ei fovendæ & sustentandæ omnes conatus suos adhibuerunt. II. Ecclesiam pro virili debet protegere, hæreticos, & pacis Ecclesiasticæ *In quo consistat κ) θέσιν.*

Quæst. XXXIV. turbatores coercere, gloriam Dei promovere, veram religionem tueri & propagare, & confessionem religionum impedire. III. Ministerium Verbi & Sacramentorum rite juxta Verbum Dei, ubi non est procurare, ubi est reverenter habere, & honestè alere & tueri; Scholas quoque tanquam Reipublicæ & Ecclesiæ seminaria aperire & fovere, in quibus juventus instituatur & formetur. IV. Omni diligentia providere, ut quisque Ministrorum officium suum faciat, confirmare diligentes, excitare torpentes, & in eo delinquentes secundùm Canones Ecclesiasticos, aut leges civiles animadvertere. V. Efficere ut solennes formulæ & Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ doctrinam & Regimen Ecclesiæ definiunt secundùm Scripturæ normam legitimo ordine sanciatur, & semel sancitæ illibatæ conserventur. VI. Conventus ordinarios Ecclesiæ, in quibus negotia Ecclesiastica de doctrina, disciplina, & ordine Ecclesiæ, ex Dei Verbo transiguntur, cum autoritate constituere. Et ad retinendam puritatem doctrinæ & sanctitatem disciplinæ, & dijudicandas controversias Religionis præter ordinarios Conventus cogere Synodos Provinciales & Nationales ubi opus est, earum actiones, & judicia consilio moderari, & autoritate insuper confirmari & tueri.

Fontes Solutionum. XV. *Potestas* Ecclesiastica, alia est *interna*, directa & formalis, quæ versatur circa *administrationem* & *exercitium* rerum sacrarum, qualis est Verbi prædicatio, Sacramentorum administratio, & clavium dispensatio: Alia est *extrinseca*, indirecta, & objectivè tantùm talis, quæ occupatur circa sacra, quoad *procurationem & disquisitionem*, ut omnia fiant decenter & ordine in domo Dei. Prima Pastoribus solis competit, quibus commisit Ecclesiam suam, & dedit claves regni cœlorum. Posterior Magistratibus & Principibus Christianis, quatenus debent esse custodes utriusque Tabulæ. Ut in familia bene constituta Pater omnia disponit & ordinat, quorum executio & administratio ad domesticos pertinet. Atque eò pertinet distinctio *Episcopi ad extra, & ad intra*, quam Constantinus Imperator adhibet inter se & Pastores Ecclesiæ, ὑμεῖς μὲν τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος, *Vos Episcopi in Ecclesia, Ego extra Ecclesiam, Episcopus à Deo constitutus sum*, apud Euseb. lib. 4. de Vit. Constan. c. 24.

XVI. Quamvis olim iidem fuerint Reges & Sacerdotes, non modò apud Ethnicos, sed etiam in populo Dei nonnunquam, omnesque adeò primogeniti, Regni & Sacerdotii quandam speciem inter suos gesserint; tamen cum reliquis cæremoniis, hic Christi, quem solum Ecclesia Regem simul & Pontificem suum agnoscit, typus abrogatus est, ac proinde duas illas administrationes in eodem homine conjungere non licet. Exemplum Mosis quod affertur extraordinarium est; nec ille inaugurato & constituto Pontifice Aarone fratre, Sacerdotis partes attigit; Consensus

&

& coordinatio istarum administrationum non efficit, ut utraque eidem homini sit demandanda, qui vix ad alterutrum satis est idoneus, nec etiam publico expedit eas misceri, & res sacras humano more curari. Quæst. XXXIV.

XVII. Licèt Potestas Politica externa & objectiva circa sacra, præsupponat formalem, propriam, & intrinsecam Ecclesiasticam, ejusque exercitium, tamen in suo genere est semper prima & antecedens, imò & sola, si accuratè loqui volumus, quia non præcedit, aut comitatur, aut sequitur eam alia potestas publica, suprema, & architectonica, sed tantùm sequitur & comitatur eam omnium civium subjectio & obedientia, & potestas subordinata ac ministerialis Præfectorum Politicorum. Nec si Magistratus subjicitur Christo Capiti Ecclesiæ, & Verbo ejus, continuò subjicitur propriè ejus Ministro, qui Verbum ejus annunciat. Ut Princeps subordinatur Regi, sed non Præconi vel Nuncio, per quem mandata Regis ad eum deferuntur. Aliud est parere & subjici alicui tanquam Domino, Aliud audire aliquem & monitis ejus parere. Pater Idiota paret filio Juris, Medicinæ, aut Thologiæ perito, inprimis si facultate doctorali sit instructus, Princeps paret Consiliario, & Collegio Judicum, quando civi alicui contra ipsum causa adjudicatur; Nihilominus manet semper supremus Dominus.

XVIII. Potestas politica versatur circa aliquid, vel directè, & immediatè, vel indirectè, mediatè, & consequenter. Priori modo versatur absolutè circa externum hominem & τὸ βιωτικὸν, absque ullo discrimine fidei aut infidelitatis, & circa omnia negotia civilia. Posteriori circa sacra & spiritualia, non respectu rationis spiritualis & Ecclesiasticæ quà talis, quæ non est objectum immediatum Potestatis politicæ quà talis; Sed respectu adjuncti extrinseci, vel loci, vel temporis, vel personarum, vel aliarum circumstantiarum, quæ per se sunt objectum Potestatis politicæ.

XIX. Licet Magistratus secundùm nos non habeat supremam & illimitatam autoritatem circa sacra; Non sequitur sententiam nostram non differre à sententiâ Pontificiorum. 1. Quia Magistratus ut Dominus, potestate scilicet dominante instructus à Deo tuetur Ecclesiam, secundùm nos. At secundùm Pontificios, ut Papæ Minister tantùm. Secundum nos Magistratus Christianus jus habet cognoscendi & judicandi de rebus fidei, judicio saltem discretivo & approbativo, An debeat judicia Ecclesiæ suâ autoritate confirmare, & executioni mandare? Sed secundùm Pontificios, Ecclesia sola judicat judicio supremo, definitivo & infallibili, quod simpliciter & fide implicitâ Magistratus, æquè ac privati, tenetur, amplecti, executioni mandare absque ullo præcedente judicio discretionis super judicio Ecclesiæ. Gladium debet stringere ad nutum Sacerdotis, & esse cœcus decretorum Ecclesiæ executor, quotiescunque Ecclesia ita judicaverit expedire, sive res & rationes Reip. id ferant, sive non.

QUÆST. XXXIV. non. 3. Secundùm nos si Magistratus in judicio suo circa res Ecclesiasticas potestate sua abutatur, non desinit titulo Potestatis illius gaudere jure humano & divino, nec potest Ecclesia quà talis resistere, autoritatem ejus declinare, nedum illi titulum & Potestatem abrogare. Arma ejus sunt preces & lacrymæ, & tantùm patiendo se opponit. At secundùm Pontificios Ecclesia potestatem habet Magistratum, judicio ipsius potestate suâ abutentem, in ordinem redigere, sive per proprios subditos, quos à juramento fidelitatis absolvit, sive per Principes vicinos, prædæ aut extirpationi Ditionibus ipsius expositis.

XX. Nomen *Capitis Ecclesiæ*, quod datur Regi Angliæ, non intelligitur de Potestate Ecclesiasticâ intrinsecâ, formali & spirituali, sed de extrinseca, objectiva, sive defensiva circa Ecclesiastica. Patet ex Articulis Religionis à Synodo primùm Londinensi anno 1562. tum publico Reginæ Ordinumque regni consensu approbatis, quorum 37. sic habet. *Quum Regiæ Majestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus Regibus nostris, aut Verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem, quod etiam injunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editæ apertissimè testantur, sed eam tantùm prærogativam, quam in Sacris Scripturis à Deo ipso omnibus piis Principibus, videmus semper fuisse attributam, hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos, sive illi Ecclesiastici sint, sive civiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes civili gladio coerceant.* Confirmatur ex *Lancelo. Andrevus* Episco. Wintoni. in Tortura Torti pag. 379. ubi exponens Primatum Regium, Adversario Calvinum objicienti respondet. *Calvinus ut Papam Regem, ita Regem Papam non probavit; Neque nos quod in Papa detestamur, in Rege approbamus, At & ille nobiscum, & nos cum illo sentimus, easdem esse in Ecclesia Christiana Regis Jacobi partes, quæ Josiæ fuerunt in Ecclesiâ Judaicâ, nec nos ultra quicquam fieri ambimus* &c. Et p. 382. *Si de Christianis exemplum malitis, id Rex postulat, ut Episcopus sit τῶ ἐκτὸς, quod Constantinus, ut Rector Religionis, quod non modo Carolus Magnus, sed & Ludovicus Pius.* Eodem modo *Jacobus Usserius* Archiep. Armach. in oratione habitâ in Camera Dublinensi 22. Novemb. 1622. editâ cum opere elenctico adversus Jesuïtam Hybernum defendit juramentum fidelitatis, quod dictabat Regem esse unicum supremum Gubernatorem in Regno &c. Ut distinguat *Duas Potestates distinctas in his terris à Deo stabilitas, quarum una sit clavium demandata Ecclesiæ, altera gladii demandata civili Magistratui, Illa ordinata ut operetur circa hominem externum, habens immediatam relationem ad remissionem & retentionem peccatorum; Ista ordinata ut operetur circa hominem externum, protectionem præstans obedientibus, & externas pœnas infligens rebellibus*, quod ibidem explicat & probat. Et postea.

Quam-

Quamvis hac ratione Principem & Sacerdotem faciamus custodes utriusque Tabulæ, & licèt materia, circa quam munus suum exercent, possit esse eadem, est tamen forma, & modus gubernandi in ea, omni modo distinctus. Unum se extendit tantùm ad externum hominem; Alterum ad internum, unum solvit aut ligat animam, alterum attendit ad corpus & res eò pertinentes; Unum specialem respectum habet ad judicium futuri seculi, alterum respicit præsentem retentionem, aut privationem aliquot hujus vitæ commoditatum &c. Concludit tandem post multa alia, *juxta communem sententiam & publicam autoritatem Ecclesiæ Anglicanæ, per Regis gubernationem supremam, intelligi civilem, & potestatem gladii, nec posse ullo modo extendi ad gubernationem, quæ merè sit alterius generis.* Qui plùra voluerit de hoc argumento consulat Celeber. Voetium Poli. Eccles. p. 1. lib. 1. Tr. 2. c. 3.

Quæst. XXXIV.

XXI. Non omittenda hîc Quæstio, quæ hîc moveri solet; An cura Magistratus circa Sacra eò usque extendenda sit, ut possit vel debeat subditos ad Religionem & fidem cogere? Ea quidem est Pontificiorum sententia, quam nimis factis hactenus comprobârunt, & quotidie comprobant, tum ex crudeli Inquisitionis Hispanicæ praxi, tum ex diris & feralibus persecutionibus, quas exercent adversus eos, qui fidem Romanam nolunt amplecti, & Pontificio jugo colla subdere. Imò hoc consilium inter media conversionis solent reponere. Ut enim à dextris spe præmiorum, & commodorum mundanorum ad se allicere homines conantur. Ita à sinistris metu suppliciorum & malorum à fide semel traditâ eos avertere satagunt.

An Magistratus ad fidem possit cogere Subditos.

XXII. Sed longè alia est Spiritus Sancti doctrina, qui ut nullâ aliâ spe, quàm bonorum cœlestium, & vitæ æternæ, homines ad fidem attrahi docet; Ita nullo alio metu, quàm judiciorum Dei, & inferorum, ad pietatem excitari vult. *Scientes terrorem Domini, inducimus homines ad fidem* 2. Cor. 5. 10. Alia omnis via meritò suspecta nobis esse debet, ut quæ non à Christo Principe vitæ, sed à Satana Principe mortis proficiscitur, qui ut Christo ostentavit, regna mundi, & eorum gloriam, ad spem ejus commovendam; Ita ut Leo rugiens & homicida metu suppliciorum & mortis grassari solet inter homines ad eos à fide avocandos. Sed discipuli Christi Magistrum & Doctorem secuti ad fidem & Religionem neminem cogi debere censent; Sed arma, quæ hîc adhibenda sunt, esse debere spiritualia, non carnalia, quæ mentem fortiter persuadeant evidentiâ & demonstratione veritatis, non quæ hominem violenter cogant verberibus & tormentis, non gladio carnis, sed gladio Spiritus, non vinculis & compedibus ferreis, sed vinculis suavibus amoris & charitatis.

Negativa probatur.

XXIII. Rationes sunt. 1. *Mandatum & exemplum Christi*, Qui nihil unquam tale vel præceptum est à Christo, vel exemplo suo comprobatum.

1 Ex Mandato & exemplo Christi.

QUÆST. XXXIV.

batum. Christus quidem jubet Apostolos docere & baptizare, sed nusquam mandat, ut eos qui audire nollent, interficerent, aut ad credendum brachii secularis autoritate impellerent. Nec contrarium evincit locus Luc. 14. 23. Lucæ 14. 23. ubi servus jubetur compellere hospites ad cœnam cœlestis Patrisfamilias invitatos. *Coge eos ingredi.* Quia coactio ista secundùm subjectam materiam est intelligenda, non de *coactione physica*, quæ cogat hominem invitum; sed de *morali* quæ flectat & persuadeat voluntatem. Sic optimè designatur vis flexanima & potentissima Verbi & Spiritus, quâ utitur Deus in conversione hominum ad operandum velle & perficere Phil. 2. 14. & pertrahendos homines ad Christum, suaviter quidem, sed potenter, gratâ invitatione, sed efficacissimâ persuasione, quæ hominem ex invito volentem reddit, & invictâ virtute à mundo avulsum ad Christum trahit, & in communionem ejus introducit; de qua dulci coactione & ἑλκυσμῷ agitur Jer. 20. 7. Joan. 6. 44. Act. 9. 5.

2. ex 2. Cor. 10. 4. 5.

XXIV. 11. Ex verbis Apostoli 2. Cor. 10. 4. 5. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, destruentes ratiocinia, & omnem sublimitatem, & captivantes omnem intellectum ad obedientiam Christi.* Sic notat Apostolus media seu instrumenta, quibus utimur, & Christo militamus, in Euangelio propagando, non esse carnalia, qualia solent adhiberi à Regibus & Principibus mundi ad extendendos Imperii sui fines, ferrum scilicet & violentia. Sed *potentia Dei*, id est, spiritualia, quæ sunt potentissima ad destructionem munitionum, id est, cupiditatum, quibus homines se in peccatis tutantur, ut ad sonum buccinæ dejecta sunt munimenta Jerichuntis, & ad eversionem ratiociniorum sapientiæ humanæ, & omnis sublimitatis carnis, & ad captivationem omnis cogitationis in obsequium Christi; quod sanè armis corporeis obtineri nequit, quæ corpus quidem in ordinem cogere possunt, sed in animum nihil possunt; verùm solâ Verbi Dei omnipotentis, & Spiritus S. efficacia, quæ ita afficit & commovet hominum corda, ut veritate victi in obedientiam Christi traducantur, & jugum ejus libenter suscipiant.

3. Quia nemo dominium habet in conscientias.

XXV. 111. Quia Religio & fides ad conscientiam hominis pertinet. At nemo dominum in conscientiam sibi potest assumere præter Deum, *Non dominamur*, inquit Paulus, *fidei vestræ* 2. Cor. 1. 24. Et bene Maximilianus II. *Nullam esse tyrannidem intolerabiliorem* dicere solebat, *quam conscientiis dominari velle*, quia dominium illud Deus sibi soli servavit. Seneca non ignoravit conscientiam nulli mortalium subjici posse, lib. 3. de benefi. cap. 20. *Corpora obnoxia sunt & ascripta Dominis, mens verò sui juris, quæ adeò libera & vaga, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quominus impetu suo utatur, & in infinitum comes cœlestibus exeat.*

XXVI.

XXVI. iv. Quia irritus est hujus conatus successus. Nec unquam obtineri potest ille effectus, quia fides est in anima, quæ cogi non potest; *Quis imponet mihi necessitatem*, inquit Lactant. lib. 5. Instit. cap. 9. *vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi, nihil tam voluntarium quàm religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est.* Non potest esse sincerum quod coactum, nec Christo quicquam gratum nisi voluntarium. Violentis istis mediis, nihil proficitur, vel animi magis abalienantur & irritantur, vel hypocritæ fiunt, qui aliud corde premunt, aliud ore promunt, & dum profitentur externè hanc vel illam fidem, intus animo aversantur. Huc inprimis facit, quod Philo in libro, quòd omnis probus liber, refert de Calano Philosopho Indorum antiquissimo, qui dicitur ad Alexandrum Magnum scripsisse in hanc sententiam. *Amici tibi suadent, ut cogas Indorum Philosophos, ne per somnium quidem conspicati res nostras & nostra negotia. Corpora de loco in locum transferes, animis invitis nullam vim inferes, nihilo magis quàm si lateres, & ligna cogas vocem emittere &c. Nullus Rex, nullus Princeps potest efficere, ut quicquam agamus præter animi sententiam.*

Quæst. XXXIV. 4. Quia hoc frustrà fit

XXVII. v. Ex Veterum, & recentiorum testimoniis. Tertul. ad Scapul. cap. 2. *Religionis non est cogere ad Religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi.* Hilar. ad Constant. Imperat. *Non decet, non oportet cogi atque compelli invitos & repugnantes.* Lactant. lib. 5. Instit. cap. 19. *Non est opus vi & injuriâ, quia religio cogi non potest, verbis potius quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas &c. Longè diversa sunt carnificina, & pietas. Non potest pietas vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Defendenda est religio, non occidendo, sed moriendo, non sævitiâ, sed patientiâ, non scelere, sed fide.* Athana. in Epist. ad solit. vitam agentes, testatur hæreticorum esse occidendo religionem suam propagare, de Arianis sic loquens, *Invitos ad mutationem sententiæ coegerunt. quòd hominum minimè est causæ suæ confidentium; Non enim gladiis aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, aut consulendi ratio, ubi qui contradicit pro mercede aut exilium aut mortem reportat? Ibidem nova ista & execrabilis hæresis, cum rationibus obruitur, cùm ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere nititur, atque ita seipsam, quam non sit pia & cultrix Dei, manifestat. Pia enim religionis, ut dixi, proprium est, non cogere, sed suadere &c.* Hilarius Orat. ad Constant. *Deus*, inquit, *cognitionem sui docuit potius, quàm exegit, & operationem cœlestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem.* Ibid contra Aria. & Auxent. *Terret exilius & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita; pendet ad dignationem communican-*

5. Ex Veterum sufragiis.

QUÆST. XXXIV. *tium, quæ persequentium est consecrata terrore; fugat Sacerdotes, quæ fugatis est Sacerdotibus propagata* &c. Gregorius ad Joan. Constantini. *Pastores facti sumus, non percussores, Et egregius prædicator dicit, Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina; nova vero & inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Quod relatum est in Jus Cano. c. Quid autem Dist. 45. Bern. Serm. 66. in Cantic. *Suadenda fides, non imponenda.* Saniores ex Adversariis hoc non possunt diffiteri. Cùm Galliæ Rex anno 1553. severum de extirpandis Reformatis decretum promulgâsset, Senatus Parisiensis ab instituto eum dehortaturus, inter alia gravissimè scribit; *Æquum videri, ut potius Veteris Ecclesiæ vestigiis insistatur, quæ non ferro & flammis in religione constituenda & propaganda, sed purioris doctrinæ, & honestæ vitæ Antistitum exemplo rem confecit.* Thuan. lib. 16. Quò pertinent aurea ejusdem verba in Præf. *Experientiâ*, inquit, *satis edocti sumus, ferrum, flammas, exilia, proscriptiones, irritasse potius quàm sanasse morbum menti inhærentem; ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantùm penetrant, sed doctrinâ & sedulâ institutione, quæ in animum leniter instillata descendit, opus esse; Alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magistratus sanciuntur: religio sola non imperatur, sed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratiâ, bene præparatis mentibus infunditur; ad eam cruciatus nihil valent, quia obfirmant potius animos, quam frangunt & persuadent.*

c. *Ex praxi Veteris Ecclesiæ.*

XXVIII. VI. Ex praxi veteris Ecclesiæ. Quia Ecclesia persecutionem passa est, sed non excitavit; vicit Paganismum, ut Paganismus illam vicerat; sed nunquam illi par pari reddidit. Non usi est autoritate Constantinorum, & Theodosiorum ad cogendos ad fidem infideles, vel ad delubra falsorum Deorum sanguine cultorum suorum cruentanda; ut Pagani usi erant gladiis Neronum, Maximinorum, Deciorum, Diocletianorum ad terram sanguine Christianorum tingendam. Et peregrinum & hospitem in historia Ecclesiastica planè esse necesse est, qui ignorat, in certaminibus, quæ habuit Ecclesia Catholica & Orthodoxa cum Arianis, Eutychianis, & aliis hæreticis, non aliis vulgò armis adversus eos usam esse, quàm hortationibus, rationibus, & Conciliis. Sed contrà Hæreticos ferrum & in ignem intulisse in Templa viva Spiritus Sancti, & terrore mortis & tormentorum, quæ exercebant in fideles, exitiales errores suos potius, quàm aliis mediis disseminâsse.

XXIX. Quamvis Magistratus debeat esse de suorum subditorum salute sollicitus. & nihil omittere ex iis quæ penes ipsum sunt ad eam procurandam. Non sequitur hoc fieri debere mediis violentis & injustis, quæ repugnant Juri divino & naturali, Exemplo Christi & Spiritui Christianismi, qui meram charitatem & mansuetudinem spirat. Et praxi Apostolorum, & veteris Ecclesiæ. Doctores hic non tortores ad-

hi-

hibendi, plus proficitur monendo quàm minando, & docendo quàm cædendo. Quæst. XXXIV.

XXX. Licèt verò fides non sit imperanda, sed suadenda, nec quisquam ad ejerandam hæresim cogi debeat. Non sequitur ideo confusionem Religionum & Samaritanismum introducendum in Rempublicam, vel tolerantiam quarumvis sectarum, & earum inprimis, quæ primaria Christianismi capita convellunt, qualis est Sociniana, & similes, quod apertè gloriæ Dei esset injurium, & saluti Reipublicæ summè noxium. Vel quosvis hæreticos circa fidem errantes simpliciter ferendos esse, nec ullis pœnis coercendos: quod urgent Sociniani, & alii ejusdem furfuris Sectarii, ut rebus suis consulant. Quia verò Pontificii in aliud extremum vergunt, & ferro ac igni persequendos & capitalibus suppliciis plectendos censent, quotquot in hæresim cecidisse judicantur, quam ex dissensu à fide sua metiuntur. ut ita Principes ad Protestantium & Reformatorum lanienas eò acrius excitent; paucis videndum, quomodo inter duo ista extrema medium ritè teneri possit.

XXXI. Atque hîc ante omnia censemus Magistratum pium & Christianum, officium suum facere debere circa hæreticos, tum ad sanandos illos, quibuscunque poterit lenibus modis, si sanabiles sunt, tum ad eos compescendos & coercendos, si sint incorrigibiles, ad serpentum tabem ab Ecclesiis arcendam. Sed multiplex cautio adhibenda est, ne vel præposterâ severitate, vel nimiâ lenitate peccetur. Distingui enim accuratè oportet inter *seductos*, & *seductores*, qui sunt πλανῶντες & πλανώμενοι *errantes & alios in errorem inducentes*, 2. Tim. 3. 13. Inter eos qui levius, & qui graviùs & obstinatiùs errant. Illi leniter erudiendi; Isti acriùs coercendi. Inter eos, qui unum vel alterum fidei articulum impetunt & eos qui præcipua Christianismi fundamenta evertunt. Inter eos qui ex ignorantia peccant, & errores privatim & penes se servant, & eos qui ἑτεροδιδασκαλεῖν 1. Tim, 6. 3. & quoscunque possunt errorum suorum contagiis inficiunt. Et inprimis hæresiarchas, blasphemos, & factiosos, pacis publicæ perturbatores, qui errores capitales, quos fovent, non modò pertinaciter defendunt, sed & quavis datâ occasione contra monita & interdicta sæpius repetita spargere pergunt, infandis blasphemiis cœlum & terram polluendo, & qui eo prætextu turbas & seditiones in Republica movent. Contra istos enim severiùs agendum esse nemo dubitare potest. Rursus distinguenda est multitudo gentis, quæ errore aliquo inficitur, à singularibus individuis, quæ familiam ducere & sectam sibi superstitem moliuntur. Distinguendi sunt illi, cum quibus nullum adhuc pactum Magistratus iniit, & in cujus arbitrio proinde positum est eos tolerare, vel expellere, ab iis, qui sub fide publica Pactorum & Edictorum ipsis prius concessorum, & sæpius confirmatorum vivunt. Illis enim nihil debetur.

An hæretici sint puniendi? Status Quæstionis.

QUÆST. XXXIV. Sed istis pacta semel sancita observanda sunt, ut quæ non minus Magistratum, quàm populum obligant, nisi se subditi tali beneficio, aliquo crimine indignos reddiderint. Denique magnum discrimen adhiberi debet inter hæreticos, qui omnium Christianorum consensu tales judicantur, & ex Dei Verbo legitimè sunt convicti, quales sunt Athei, Deistæ, Epicurei, Sociniani, & similes Excetræ. Et eos qui à nonnullis ex præjudicatis opinionibus suis tales habentur, propter dissensum à fide sua; Licèt nec unquam de erroribus suis ligitimè convicti fuerint, nec quicquam doceant, quoad articulos positivos, quod ab aliis non recipiatur.

1. *Propositio Hæretici possunt coerceri*

XXXII. His positis tribus Propositionibus sententiam nostram exponimus. Prima est, *Licet Magistratibus hæreticos contumaces & præfractos, qui sanari non possunt, & qui pacem Ecclesiæ factionibus suis lacerant, coercere, & aliqua etiam pœnâ plectere.* Cùm enim ut antea dictum, Custodes sint utriusque Tabulæ, & cura Religionis ad ipsos pertineat, prospicere debent, ne quid ipsa detrimenti patiatur, & malo grassanti prudenter occurrere, ne gangræna ista latiùs serpat, & in totum corpus diffundatur. Conservare autem non possunt religionem, nisi pertinaces & factiosos ipsius contemptores coërceant. Hoc & gloria Dei, cujus sunt Vindices, & salus Reipublicæ, cujus sunt Tutores, postulat. Si minora mala gravibus pœnis coercentur, hoc quod maximum est, quod Dei veritatem lædit, quod Nomen ejus blasphemat, quod Ecclesiam lacerat, quod fidem corrumpit, & salutem fidelium in discrimen adducit, sine remedio non debet relinqui. Imò eo promptiore & fortiori remedio nonnunquam opus est, quò majus inde toti corpori exitium imminet, nisi maturè illi prospiciatur.

XXXIII. Eò spectant Leges à Mose in Apostatas, blasphemos, Pseudoprophetas, Ariolos, & idololatras latæ, de quibus Deut. 13. 1. & 17. 12. Lev. 24. 16. Et Exempla Mosis, & piorum Regum, in Veteri Testamento, qui Religionem repurgare, & falsos Prophetas & hæreticos ac idololatras coercere, & pœnis variis afficere non dubitárunt. Et Principum Christianorum sub novo Testamento, qui leges varias in hæreticos tulerunt, quibus non solùm carcere & exilio multati sunt, sed & aliis pœnis gravioribus coerciti, Vid. Leg. 3. 1. C. de Summa Trini. & fide Cathol. L. Manichæos, de hæret. & Manich. L. quicunque 8. de hæret.

XXXIV. Neque huic sententiæ obstat, Vel *parabola zizaniorum.* Quia ut ante dictum Qu. 32. Th. 23. hoc non spectat ad Magistratum civilem, vel ad ministerium Ecclesiasticum, ut negetur ullos nocentes vel judiciis politicis plectendos, vel Ecclesiasticâ diciplinâ coercendos, quod longè absurdissimum esset. Sed ut sciamus offendicula usque ad seculi consummationem in Ecclesia nunquam defutura, & toleranda esse mala, quæ sine pernicie corrigi nequeunt. Vel *Christi exemplum*, qui non rixa-

tur & contendit Is. 42. 21. nec arundinem quassatam confringit &c. sed suaviter homines ad se vocat. Quia suavitas illi tribuitur, quæ infirmos sustineat, non quæ robustam malitiam magis obduret. Mansuetus est ut calamum quassatum non confringat, sed non ut eorum obstinationem foveat, qui debiles confringunt, quin potius sceptro ferreo armatur, quò inimicorum capita conterat. Vel *mansuetudo Christiana*, quia hæc non infert jus Magistratui gladium ferendi, & non facere debet, ut gladium ultorem in facinorosos non stringat. Facit quidem, ut mitibus remediis locus esse debeat, & ut omnia prius tentanda sint, quàm ad extrema deveniatur. Sed lenis ista & humana medendi ratio, multùm differt à dissoluta mollitie, quæ nihil aliud est quàm mali fomentum. Crudelis est misericordiâ, quæ oves exponit in prædam, ut lupis parcatur, & quæ patitur lacerari Corpus Christi, & animos veneno pravorum dogmatum interfici, ut putridi unius membri intactus maneat fœtor. Vel quòd *Magistratus civilis non habeat potestatem in animam, in qua hæresis latet.* Quia licèt non habeat jus in animam, habet in linguam, ut in manus, & non minus potest plectere hæreticum ἱεροσυλίας quàm furem, qui bonum alienum furatur, vel latronem qui hominem occidit, quia Societatem inficit, cujus curam habere debet Magistratus. Vis ergo coercitiva non respicit fidem internam, sed versatur circa actus externos, in quos Magistratus jus habet; Nam ut non sit punienda animi opinio, neutiquam tamen ferenda est pestilens & impia professio.

Quæst. XXXIV.

XXXV. 11. *Non licet in quosvis errantes & hæreticos supplicio capitali animadvertere.* Contra Pontificios, qui ferro & igne persequendos esse hæreticos omnes censent, sive seducti sint, sive seducentes, sive simplici errore, & ex infirmitate peccent, sive malitiosè & præfractè, sive vere errent circa fidem, ex communi Christianorum consensu, sive tales judicio suo habeantur propter dissensum ab Ecclesiâ Romanâ. Quod praxi ipsa nimis confirmat sacerrimum Inquisitionis Tribunal, & conscientiarum carnificina, & horrendæ, lanienæ adversus pios Dei cultores odioso hæreticorum nomine falsissimè infamatos, & superioribus seculis, & nostro etiam exercitæ, non tantùm in hæc vel illa individua, sed in populos & gentes integras, in hominum myriadas omnis generis, omnis sexus, ætatis & conditionis, ut ex Martyrologiis constat.

2. Propositio. *Non licet quosvis hæreticos capitali supplicio plectere.*

XXXVI. Rationes sententiæ nostræ sunt. 1. Quia barbaries illa & crudelitas repugnat spiritui Christianismi, & scopo Euangelii, qui est servare, & non perdere, homines ad fidem Verbo allicere; sed non ferro cogere, errores & vitia perimere, sed quantum licet personis parcere. Mahumetis est cæde & sanguine grassari, & Imperium suum sævitiâ & tormentis stabilire. Sed Christus spiritu gratiæ & amoris in nobis regnat, salutem hominum, non eorum sanguinem sitit; hinc Christus Apostolis

Probatur 1. *Quia hæc repugnat spiritui Christianismi.*

pe-

QUÆST. XXXIV. petentibus, ut ignis è cœlo eliceretur ad perdendos Samaritanos, *Nescitis*, inquit Luc. 9. 54. *quo spiritu ducamini, Filius enim hominis non venit ad perdendas animas, sed ad eas servandas*, Innuentes talem vindictam Spiritui Euangelico, & fini adventus ejus non convenire. Nec diffiteri potest *Maimburg.* in hist. Calvin. lib. 1. Dum pertendit *Calvinissimum satis ostendere se falsum esse, nec unquam à Christo, qui Deus est pacis, profectum, per modum violentum & Euangelio adversum, quò vult stabiliri.*

Luc. 9. 54.

XXXVI. 11. Quia hoc viam præcludit conversioni & saluti hominum, qui præcipuus debet esse Religionis & Ministerii finis; Dum enim errantes vitæ usura fruuntur, datur semper locus pœnitentiæ, quæ per mortem præripitur; quia post eam frustra quæritur. 111. Quia hic est character Antichristi, qui persecutionibus, & sanguine debuit illustris esse Apoc. 11. 7. *Bestia quæ ex abysso ascendit*, dicitur *bellum illatura sanctis, & eos superatura*, & cap. 13. 14. *Faciet eos occidi, quicunque non adoraverint imaginem bestiæ.* Et eodem spectat quod de meretrice Babylonica dicitur, *Eam esse ebriam ex sanguine Martyrum Jesu*, cap. 17. 6. *Et quòd in ea inventus sit sanguis Prophetarum, & Sanctorum, & omnium qui in ea mactati fuerunt.*

XXXVII. 1v. Patres hoc agnoscunt, ut patuit ex locis ante citatis, August. adstipulatur lib. 3. cont. Cresco. c. 50. *Nullis bonis in Catholica hoc placet, si usque ad mortem in quemquam, licet hæreticum sæviatur.* Et Epist. 127. ad Donatum Proncos. de Donatistis. *Corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa illos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur peccata eorum compesce, ut peccasse eos pœniteat.* Et lib. 1. cont. lite. Petili. cap. 29. *Diligite homines, interficite errores, sine sævitate pro veritate certate.* Vid. Chrysost. hom. 47. in Matth. 13. &. hom. 67. ad popu. Antio. *Non prohibet Dominus Conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum prohibet interficere ac trucidare.* Arnobi. lib. 1. cont. Gentes. *Christi magisterio & legibus accepimus, nostrum potius fundere, quàm alieno polluere manus & conscientiam cruore.* Nec alia legitur fuisse praxis Veteris Ecclesiæ, ut jam dictum. Et si, postquam Imperatores Christiani facti sunt, pœnæ quædam decretæ sunt in hæreticos, ut iis compescerentur, sanguini tamen parcitum est; Vel si rigidiores leges de pœnis capitalibus adversus quosdam latæ sunt, ut contra Manichæos, Donastas Circumcelliones, & alios, non tam respiciebant eos ut hæreticos, quàm ut factiosos, Ecclesiæ perturbatores, seditiosos, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerant, à se dissentientes interficiebant, & exquisitis tormentis exponebant, & furoribus, incendiis, latrociniis omnia replebant; ut variis in locis observat August. ep. 68. ad Janu. & lib. 1. cont. Epist. Parmeni. c. 7. & epist. 166. adversus Donat.

XXXVIII.

XXXVIII. Licèt hæretici jurè possint excommunicari, Non ideo possunt jure interfici aliàs scortatores, gulosi, contentiosi & sim. possent jure interfici, quia possunt excommunicari. Quia alia est ratio pœnæ politicæ & Ecclesiasticæ. Qui meretur majorem pœnam in eodem genere, meretur etiam minorem, sed non valet ab una specie ad aliam, à civili ad Ecclesiasticam. Adde quod excommunicatio non potest dici hoc respectu major pœna occasione, quia locum relinquit semper conversioni & saluti, quod non facit pœna capitalis. Quæst. XXXIV.

XXXIX. Licèt Magistratus jus habeat gladii in facinorosos, & impios; Non sequitur debere stringi promiscuè in quosvis hæreticos; Ut nec in omnes peccatores, hoc tantùm inde ritè colligitur, Magistratum posse coercere hæreticos, & punire, & pro ratione delicti, si nimir. blasphemi sint, factiosi & rebelles, capitali etiam pœnâ eos afficere, ut postea dicetur. Sed non hæreticos simplices & seductos, qui ignorantiâ & infirmitate peccant, qui commiseratione potius quàm pœnâ digni, & qui ideo erudiendi sunt & sanandi, si fieri potest, non plectendi.

XL. Ab Exemplis extraordinariis singularibus & heroïcis non potest duci regula communis. Hinc non huc pertinet factum Eliæ quadringentos Bahalis Prophetas occidi curantis, Petri Ananiam & Sapphiram morti addicentis Act. 5. Pauli Elymam magnum excæcantis, quia fuerunt planè extraordinaria, ad conciliandam Prophetæ Domini, & Apostolis autoritaem; Sed non ut ulla Magistratui regula præscriberetur.

XLI. Alia ratio est homicidarum, veneficorum, falsariorum. Alia simplicium hæreticorum. Illi in Societatem & Rempublicam peccant; Ideo justè cæduntur tam in pœnam delicti, quàm in exemplum. Sed hæretici sibi solis nocent, dum privatim sibi errores servant.

XLII. Qui ex Nostris in Quæstione, An hæretici capitali supplicio sint puniendi? stant pro affirmativa, non loquuntur de quibuslibet hæreticis, simplicibus, & seductis, qui ex infirmitate & ignorantiâ peccant, & sibi solis nocent; Sed de factiosis, contumacibus, seditiosis, & blasphemis, pacis publicæ perturbatoribus. Quod Beza non semel monet pag. 95. *Absit à nobis, ut inter eos, qui vel simplicitate potius, quam improbitate peccant, sine aliorum pernicie & insigni blasphemia, Magistratum armemus. Non ita desipimus, nec omnem humanitatis sensum exuimus, imò in ipsis quoque contagiosis & capitalibus morbis tentari primùm omnia mitiora remedia, & ad Dei gloriam ac proximi charitatem dirigi volumus.* Et pag. 118. *Hoc dico, de iis non differi à nobis, qui infirmi sunt in fide, hoc enim docendos, non puniendos esse reipsa ostendimus; Ita tamen ut ipsorum infirmitas non foveatur. Sed de hæreticis αὐτοκατακρίτοις, id est, domesticis Ecclesiæ hostibus, præfractis & factiosis.* Et pag. 143. *Hæreticos eos demum ostendimus vocari, qui quum fidelium nomen ambiant, & ex Verbo Dei le-*

QUEST. XXXIV.

gitimè sint convicti, tamèn suum judicium securi ita pertinaciter & prafractè adversus Ecclesiam falsa quædam in Religione dogmata defendunt, ut ejus pacem & consensum factionibus suis non dubitent lacerare &c. Quod jam monuerat Calvinus in refutat. Error. Serveti. pag. 823. *Nec enim quum Magistratus tuendæ religioni custodes præficimus, eorum acuimus gladios, ut de quolibet errore pœnas sumpturi, mox ad sanguinem prosiliant. scimus enim tres esse errorum gradus, & quibusdam fatemur dandam esse veniam, aliis modicam castigationem sufficere, ut tantum manifesta impietas supplicio plectatur.* Nimirum, ut postea explicat, *Ubi a fundamentis suis convellitur Religio, detestandæ in Deum blasphemiæ proferuntur, impius & pestiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animæ, denique ubi palam defectio ab unico Deo, puraque doctrina tentatur, ad extremum illud remedium descendere necesse, ne tale venenum longius serpat &c.* Et pag. 821. *Nobis quam servanda sit tum mansuetudo, nulla dubitatio est, quin judicio præire debeat placida & religiosa doctrinæ cognitio. Sed hoc minimè obstaculo est, quin Magistratus officium sit, gladio & pœnis coercere, qui quum ipsi sint apostatæ à recta fide, alios ad defectionem sollicitant, & in Deum contumelioso miseras animas illaqueant suis fallaciis, pacem conturbant Ecclesiæ, & pietatis consensum scindunt & lacerant.* Bullingerus Decad. 2. Serm. 8. *In personis*, inquit, *magna est diversitas. Sunt enim antesignani, & duces pervicaces in erroribus, qui audaces, sunt, hypocritæ, & loquaces, & ideireo ad seducendum appositissimi, ipsi quidem citra emendationem in propriam ruentes perniciem, & alios secum pertrahentes. Et hi modis omnibus sunt coercendi, veluti Ecclesiæ pestes, ne contagio ipsorum ceu cancer serpat latius. Sunt deinde seducti quidam ac dementati ab aliis, qui errant, sed non malitiâ, neque pertinaciter. Hos non oportet damnare protinus, sed orare Dominum, & errantes spiritu lenitatis & mansuetudinis erudire, donec redeant ad meliorem mentem.* Et postea, *Jam & in supplicijs & pœnis insigne est discrimen. Pertinaciter errantes, & alios secum in errorem abducere, & in erroribus retinere contendentes, blasphemi, & perturbatores, imò subversores Ecclesiarum, jure cædi possunt; ideo tamen capitis supplicio non protinus afficiendus omnis qui errat. Et qui minis & increpationibus curari possunt, non debent acerbioribus elui & puniri: modus in re quilibet est optimus &c.*

3. Propositio Hæresiarchas blasphemos licet occidere.

XLIII. III. *Hæresiarchas factiosos & blasphemos evitavus, venenum suum contra interdicta sæpius iterata, & fidem datam spargere non desinentes, & Rempublicam & Ecclesiam turbantes morte plecti posse censemus.* Sed ita ut non eò deveniatur, nisi tentatis inutiliter omnibus aliis mediis lenibus, ad eos sanandos & ad meliorem mentem revocandos; ubi enim constat talia remedia non modò malum non curare, sed exasperare potius & augere, tum demum licèt ægrè, officij sui necessitate compulsus Magistratus de eo cogitabit, Medicorum instar qui extremis & desperatis malis extrema

trema adhibere solent remedia; ut quod corrigi & sanari non potest, ense & cauterio recidatur, ne trahatur pars sincera. Interim, ut ritè officio suo Magistratus hac in parte fungantur, debent observare ut intra Magistratus hac in parte fungantur, debent observare ut intra potestatis suæ fines se contineant, nec soli de hæresi judicare præsumant, cùm non tam sint Magistratus, quàm Ecclesiæ partes. Deinde ut errorem judicia sanctè & incorruptè curent exercenda, non ex ulla hominum autoritate, quicunque tandem illi sint, aut ullius temporis aut consuetudinis ullo præjudicio, sed ex pura & sincera Verbi Dei declaratione, ne se per errorem, non veritatis Dei vindices, sed alienæ crudelitatis administros præbeant. Denique ut post accuratum examen, & diligentem omnium circumstantiarum considerationem eam pœnam decernant, per quam Majestati Dei suus honor asseratur, & Ecclesiæ paci ac tranquillitati caveatur. Quæst. XXXIV.

XLIV. Rationes cur ita statuamus variæ sunt, à nobis jam supra indicatæ Th. 32. & seq. quibus addimus *Atrocitatem criminis*. Non si pœna crescere debet pro gravitate criminis, nemo dubitare potest blasphemiam & impietatem, quibus Dei majestas directè impetitur, criminum omnium maximum esse, quodque ideo maximo sit plectendum supplicio; Inprimis si ad eam accedat obstinatus & pertinax contemptus ordinis politici & Ecclesiastici, perjurium, & vesanus furor alios eodem veneno inficiendi. Talia scilicet hominum monstra tanquam publicæ pestes, & carcinomata debent spectari, ut Ecclesiæ & Reipublicæ perturbatores, quos plurimum interest de medio tolli, sive ad gloriam summi Nummis læsi vindicandam, sive ad Societatem humanam conservandam. *Probatur 1. ab Atrocitate criminis.*

XLV. 2^a. Est *Dei autoritas*, qui leges varias capitales tulit, in Apostatas, Pseudoprophetas, Idololatras, Blasphemos, & similes, Deut. 13. 1. 2. & 17. Exod. 22. 10. Levit. 24. 15. de quibus antea, non alia de causa, quàm ut magnitudinem istorum criminum ostenderet, & justitiam ultionis, quæ de illis sumenda erat quamvis verò non negemus eas habuisse aliquid peculiare pro politiæ Mosaïcæ rigidioris ratione, quod ad nos sub œconomiâ suaviori viventes non pertinet. Certum est tamen usum etiam suum in genere apud nos habere, & duo inde posse ritè colligi. Primò quum defectio à Religione, quæ Verbo Dei constituta est, & sollicitatio ad defectionem per civilem Magistratum puniatur, eadem scelera inulta manere non debere, sed nunc etiam esse punienda. Deinde cùm nulla afferri possit ratio, Cur Dei Majestas & Ecclesiæ ac Reipublicæ salus, minoris apud nos ponderis esse debet, quàm olim apud Judæos fuerit, Imò verò eò majoris, quò clariùs Pater per Filium, quàm per Prophetas se patefecit, minus excusari posse Christianos, si veram religionem aspernantur, aut minori studio eam ruentur quàm Judæi. Possunt huc etiam afferri varia exempla severitatis in impios, idololatras, & blasphemos exer- *2. à Dei autoritate.*

QUÆST. XXXIV. citæ, Mosis adversus Idololatras Exod. 32. Joliæ Sacerdotes Excelsorum mactantis super Altaribus, 1. Reg. 23. 20. Jehu Sacerdotes Bahaliticos interficientis 2. Reg. 10. & simi. Licèt enim non diffitendum sit aliquid ibi esse extraordinarii, exinde tamen colligitur talia crimina hanc pœnam mereri & justè à Deo decerni potuisse.

XLVI. Eò etiam respexerunt Leges illæ variæ, de quibus supra; quæ ab Imperatoribus latæ sunt adversus Manichæos, Donatistas, Apollinaristas, Eutychianos, quarum aliæ ad pœnam exilii & deportationis, infamiæ, & privationis bonorum, aliæ ad pœnam capitalem eos addicebant. Martianus L. *Quicunque* Codi. de hære. & Manichæ, vult *ut ultimo supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint.* L. Arian. 5. loquens de iis, qui ad Manichæismum revertuntur, vult *ultimo supplicio tradi*; Et L. quisquis *Capitali pœna vult affici Encratitas.*

XLVII. Ne verò quorundam tantùm inter Nostros hæc sententia esse dicatur, monet *Zanchius* Tom. 2. Miscela. C. de Magistr. *Omnes fere ex nostratibus hujus esse sententiæ, quod hæretici sint gladio puniendi. Bucan.* in Instit. Theol. l. 49. quæstionem proponit, An Magistratui liceat in hæreticos gladio civili animadvertere? Respondet affir. Idem asserunt præter *Calvinum & Bezam, Bullingerus, Aretius* in histo. Valentini Genti. *Junius* in defens. 2. de Trinit. *Danæus* Ethi. Christ. l. 2. c. 13. & alii. *Gherardus* ipse, licèt acriter oppugnet pœnam capitalem omnium hæreticorum, fatetur in alquos justè animadverti posse pag. 1047. *Non est quæstio de seditiosis, blasphemis, hæreticis, qui præter falsæ doctrinæ propagationem, seditiones insuper excitant, subditos adversus Magistrum instigant, ac directas & apertas blasphemias adversus Deum evomunt, illos enim capitali supplicio ob seditiones & manifestas blasphemias affici posse non admodum refragabimur* &c. Et pag. 1004. *Nemo nostrûm. negat pertinaces hæreticos posse excommunicari, nemo impedit seditiosos hæreticos pacis publicæ perturbatores gladio punire.* Sic *Anto. de Dominis* lib. 7. c. 8. qui variis rationibus solidè probat neminem ad fidem adigendum esse, agnoscit tamen Principes Christianos, & Magistratus posse & debere legibus & pœnis etiam interdum capitalibus in hæreticos veros & schismaticos insurgere. 1. Ut peccatum habeant, Rempublicam, quæ hæresibus & controversiis religionis plurimùm solet turbari. 2. Ex debito & officio proprio, quò Christiani Principes tenentur puram & intactam conservare religionem. 3. Ut blasphemias in Christum & Deum avertant. 4. Ut legum incommodis & pœnarum flagellis territi, si non cogantur, inclinentur saltem ad veritatem amplectendam.

XLVIII. Nec dici hic debet, Sic arma porrigi Pontificiis, & gladios acui ad nos ferro ac igne persequendos. Quia nemo non videre potest, quantùm ab illis hac in parte dissideamus, nec nisi iniquissimè sententiam no-

stram obtendi excusandæ eorum crudelitati. Quis non agnoscit, Aliud esse hæresiarchas blasphemos & factiosos Ecclesiæ perturbatores velle puniri; Aliud in omnes errantes promiscuè gladium stringi posse, sive sint seductores, sive seducti, sive infirmi, sive contumaces, sive ignorantes, sive ex malitia peccent? Aliud justè animadverti posse, sed rarissimè, in unum vel alterum hæreticum apertè impium & blasphemum. Aliud in Gentes integras & myriadas hominum errantem, sed de cætero proborum & quietorum, omnis sexus, ætatis, conditionis, lanienas horrendas posse exercere, ut ad internecionem deleantur, & suppliciis capitalibus jure posse plectere. Aliud pœnam mortis decernere in eos, qui legitimè erroris sui exitialis convicti, incorrigibiles se præbent, omnibus mediis leniioribus incassum adhibitis, nec desinunt venenum suum quoad licet spargere contra monita & interdicta. Aliud verò immisericorditer sævire in pios Dei cultores, qui hæresis suæ nunquam convicti fuere, nec ullius erroris rei possunt peragi, nisi quòd jugo Pontificio nolunt se subjicere, quòd aliud Verbum Dei, quàm scriptum non agnoscunt, alios Redemptores, & aliud Caput Ecclesiæ, quàm Christum, aliud Sacrificium, quàm ejus Mortem, alium cultum religiosum, quàm qui soli Deo debetur. Judicet quivis pius, An tales odioso hæreticorum nomine traduci debeant? Certè per Edicta Regia in Gallia non licet, quæ non semel hoc prohibuerunt. Et tamen istri sunt innocui homines, quos ferro & flammis & omni crudelitatum genere, ad quarum vel solam cogitationem horret animus, persecuti sunt Pontificii, & quotidie persequuntur. Ut tristis experintia nimis docuit, & fusè referuntur Martyrologia, & quotquot historiam persecutionum & lanienarum immanium variis temporibus in Hispania, Gallia, Hibernia, Bohemia, Belgio, Pedemontio, & alibi factarum scripserunt, & novissimè Celeberr. Autor Resp. ad histor. Calvi. P. 3. In. 2. Crimin. c. 1. 2. 3. 4. ubi etiam horrendas Hispanorum crudelitates in Indos sub prætextu conversionis exercitas ex *Bartholo à Caza* describit c. 3. ex quibus omnibus, ut & ex execrando Inquisitionis Tribunali, certissimè probat nullum ex omnibus sectis Papismo esse crudeliorem. Quæst. XXXIV.

XLIX. Qui supplicium impurissimo *Serveto* inflictum, quasi injustum & crudele traducunt, ut invidiam inde conflent Amplissimo Magistratui Genevensi, & inprimis magno Dei Viro Calvino, nunquam satis criminis ejus atrocitatem perpenderent. 1. Non fuit simplex hæresis in corde latens, circa unum vel alterum fidei caput, sed hæresis complicata omnium teterrima foris erumpens circa præcipua Christianismi Capita, & adorandum inprimis Trinitatis mysterium, quam scelestus ille ore blasphemo *Cerberum tricipitem*, horresco referens, appellitare non erubuit, cum pluribus aliis nefandis blasphemiis. 2. Non semel & in transcursu, sed sæpius & diu per 30. sci. annos exitiale hoc virus suum disseminare non

QUÆST. XXXIV. destitit, non uno demum loco, sed in pluribus Europæ partibus, non orè tantùm maledico, sed scriptis etiam virulentissimis, contra monita & interdicta sæpius iterata. 3. Non eò deventum est nisi ægrè, & omnibus aliis mediis frustra tentatis ad ejus pertinaciam frangendam, & ad eum ad pœnitentiam revocandum, & potuit, si voluisset, pœnam declinare, *nullum instabat*, inquit Calvinus in refutat. Errorum Serveti, *pœne gravioris periculum, si quo modo fuisset sanabilis. Licitum fuisset vel sola modestia pœnam redimere.* 4. Nihil hìc temerè & præcipitanter factum à Magistratu, sed maturè omnibus circunstantiis in timore Dei expensis, non inconsultus etiam Amplissimis Helvetiæ Reformatæ Proceribus, qui æquitatem Judicii agnoverunt, & calculo suo comprobârunt. 5. Bucerus *dignum* esse judicavit, *qui avulsis visceribus discerperetur.* Melancton *Magistratus Genevenses rectè fecisse* affirmat, *quod hominem blasphemum re ordine judicatâ interfecerint.* Quod verò *Grotius* supplicii istius invidiam totam in *Calvinum* derivare conatur, *Serveti exustorem* eum, facto ad contumeliam nomine, maledicè vocandò, strenuè calumniatur contra totius historiæ fidem & omnium Scriptorum testimonium, qui Calvinum quod sui erat muneris egisse asserunt, ut convinceretur prodigialis & immanis hæreseos, & ab errore pestifero ad meliorem frugem rediret. Sed ut Magistratui autor fuerit ut exeretur; nec uspiam dicunt, nec ullo argumento liquet. Imò constat dissuasisse hoc supplicii genus cum Pastorum Collegio. Sed Magistratum ad tot blasphemias exhorruisse, nec voluisse cùm eo mitiùs agere. Sed quis miretur homini Sociniano supplicium displicuisse devoti illius Capitis, quod inter impiæ sectæ Antesignandos meritò refertur?

L. Concludimus Magistratum Christianum posse pœnâ capitali in similes pestes & hominum monstra animadvertere, sed ita ut extremis tantùm malis extrema remedia adhibeantur, & in his etiam tanta moderatio servetur, ut charitas & clementia Christiano homine digna nunquam violetur.

LOCUS

LOCUS DECIMUS NONUS
DE
SACRAMENTIS.
QUÆSTIO PRIMA.

DE VOCE & DEFINITIONE SACRAMENTI.

Quid sit Sacramentum quoad nomen, & quoad rem?

Necessitas Tractationis de Sacramentis.

I. UT Deus cum Ecclesia, de qua hactenus, Fœdus inire voluit ad applicandam illi salutem per Christum acquisitam. Ita, quæ ejus est bonitas, ad majorem fidei confirmationem, fœdus hoc Sacramentis tanquam sigillis obsignare non dedignatus est. Ut istis velut tesseris populum suum insigniret, & à reliquo mundo distingueret. De quibus ideo tractandi necessitas nobis incumbit. Non modò ad eorum naturam & usum distinctiùs cognoscendùm; Sed etiam ad varias, quæ circa ea moveri solent à variis Adversariis, gravissimas controversias faciliùs enodandas. Cùm non sine dolore cernamus, ea quæ à Deo instituta erant, ut essent unionis & concordiæ vincula, & symbola inter Christianos, facta esse hominum vitio, Contentionum seminarium, & μῆλον ἔριδος, quod Christianos, funesto divortio, à se invicem divulsit.

II. Ut verò plura Capita continet hic Locus. Primò in genere de Sacramentis nobis erit disputandum. Secundò in specie de Baptismo & S. Cœna, quæ duo sunt Novi Testamenti Sacramenta à Christo instituta. Tertiò de quinque falsis & spuriis à Pontificiis adjectis. Sed primò de voce & definitione Sacramenti quædam dicenda sunt.

Vocis Sacramenti usus.

III. De *Voce Sacramenti* litigandum non censemus. Quamvis enim Libris Veteris & Novi Testamenti sit incognita, utpote latina. Ita tamen usus ejus invaluit in Ecclesia, & diutino usu recepta est, ut si quis

ab

QUÆST. I. ab illa, superstitione aliquâ ductus, abstineret, ut fit Socinianis, qui hâc ratione non tam vocem, quàm ipsam Sacramentorum naturam petunt; Eum importunè & præposterè religiosum esse putemus. Unde Pontificii Luthero, & Lutherani nobis injuriam faciunt, quum nobis impingunt, quòd ab hac voce abhorreamus, cùm constet ordinarium ejus apud nos usum esse. Sed non minus ridiculi sunt Pontificii, qui ex eo quòd nomen hoc in Scriptura non extet, ejus insufficientiam volunt colligere. Cui enim mirum videatur si vox Latina non occurrat in Scriptura, quæ Hebraïcè & Græcè exarata est?

Et origo. IV. *Sacramenta* deduci à *sacrando*, id est, consecrando & initiando, ut à jurando Juramentum, à testando Testamentum, notum est. Priscis linguæ Latinæ autoribus duo significat. 1. *Pecuniam*, sive pignus à litigantibus apud Pontifices in loco sacro depositum, quô multabatur is qui causâ ceciderat in pœnam injustæ litigationis, ut observat Varro de Ling. Lat. lib. 4. 2. *Juramentum*, quod nonnisi invocato sacro quodam Numine concipiebatur. Unde *Sacramento contendere* ad Ciceronem pro eo, quod est jurejurando affimare, *Sacramento interrogari*, *Sacramento teneri* &c. Peculiariter verò adhibetur ad notandum Juramentum militare, quô milites certo ritu & præscriptis verbis adstringebantur Reipublicæ & Magistratui, se omnia, quæ Imperator præceperat, strenuè facturos, nec signa militaria deserturos. Hinc phrasis *obligare Sacramento* Cicer. 1. offic. Isid. lib. 9. orig. cap. Hic Glossis Veteribus Sacramentum est ὅρκος στρατιωτικός. Tertull. ad Martyr. c. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei, jam tunc cùm in Sacramenti verba respondeamus.*

V. A re militari ad sacros usus translatum vocabulum & Scriptoribus Ecclesiasticis usurpatum est ad quodlibet mysterium significandum, seu doctrinam sacram & non obviam. Unde passim apud Patres Sacramentum Trinitatis, Incarnationis, & fidei invenias, & in genere tota Religio Christiana hoc nomine venit. Hoc sensu vox hæc in Vulgata usurpant, ubi vox mysterii occurrit 1. Tim. 3. 16. Ephes. 1. 9. & 5. 32. Et Apoc. 1. & 17. 7. *Sacramentum septem stellarum* & cap. 17. *Sacramentum bestiæ.* Strictiùs pro sacro signo vel symbolo externo sumitur, quod aliud sensui, aliud menti exhibet, quo sensu Aug. Epist. 5. ad marcelli. *Signa cùm ad res divinas pertinent Sacramenta appellantur.* Tandem & per varios gradus in eo novissimè constitit, ut significaret signum & sigillum fœderis in Christo à Deo in Ecclesia institutum. Rursus Sacramentum hoc sensu sumitur, vel pro signis sive ritibus externis simpliciter, vel pro re significata interna; vel pro utriusque rei externæ & internæ, signi & signati, complexu, quo sensu hîc à nobis consideratur.

Cui respondet vox μυεῖσθαι. VI. Huic voci apud Græcos respondet vox μυεῖσθαι, à profanis etiam Scriptoribus derivata, vel ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est *sacris initiare*, unde sa-

cro-

Quæst. I.

crorum Antistites dicti sunt μύσται *mystæ*, vel ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, os occludere, quia approbat, ut ait Eusta. τὸς μύστας μύειν στόμα, καὶ μὴ ἐκφέειν ἀμεμύλωτα; Vel ab Hebr. סתר quod est occludere, unde סתר *Arcanum*. Hoc vocabulum postea Sacri Scriptores ab usu superstitioso traduxerunt ad meliorem usum, ad designanda quælibet Religionis Christianæ Capita, quæ carni & sanguini sunt abscondita. Sed in Scriptura nunquam usurpatur pro Sacramento, prout vox hæc strictè sumitur pro signis fœderis Gratiæ; Quamvis de cætero vocem illam non repudiemus, quia Sacramenta revera sunt rei arcanæ seu gratiæ invisibilis signa, quæ arcanam significationem habent, & latente mysterio sese potissimùm commendant.

VII. Scriptura rectiùs vocat *signa fœderis* Gen. 9. 12. 13. & 17. 11. *Signa & sigilla* justitiæ fidei Rom. 4. 11. & *signa* simpliciter Exod. 12. 13. ὑποδείγματα Heb. 8. 5. & 9. 23. & ἀντίτυπα 1. Pet. 3. 21. in Vet. Test. nomen אות occurrit Genes. 17. Exod. 31. Ezech. 20. quod signum notat, & Sacramentis veteribus applicatur.

Variæ definitiones Sacramenti.

VIII. Licèt autem perfectè definiri non possit, quia est aliquid concreti & extraordinarii, quod constat ex iis quæ non sunt in eodem genere; potest tamen commodè describi. Multis dicitur *signum rei sacræ*, ex Aug. qui dicit epist. 5. *Signa quum ad res sacras pertinent Sacramenta vocari.* Scholastici definiunt, *Sacramentum invisibilis gratiæ visibilem formam.* Sed neutra placet Pontificiis hodiernis, Bellarminus lib. 1. de Sacra. in genere cap. 11. dicit has definitionis esse imperfectas, si accipiantur prout verba sonant; si verò accipiantur secundùm sensum Ecclesiæ Romanæ esse legitimas. Quia per signa intelligunt signa sensibilia, instituta & practica. Nominatim ergo videtur duo reprehendere in definitionibus allatis. 1. Quòd Sacramenta dicantur forma visibilis nimis specificè, contendit enim ad naturam Sacramenti satis esse, si signum sit sensibile, id est, aliquo sensu percipiatur, etiamsi non visu. Alterum quòd Sacramenta non dicantur signa practica, id est, gratiam efficientia, quæ duo expressè ponit in definitione Sacramenti, quam profert ex Cath. Concilii Tridentini his verbis, *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ vim habet gratiæ non tantùm significandæ, sed & efficiendæ.* Quod à Bellarmino callidè proponitur, ut faveat commentitiis Sacramentis Pœnitentiæ, Matrimonii & simi, quæ carent signo visibili. Deinde ut sternat fundamenta falsæ illius hypothesis, quòd nempe Sacramenta N. T. gratiam conferant ex opere operato, ut loquuntur, de quibus in sequentibus.

Verè proponitur.

IX. Nos in definiendo Sacramento Paulum sequimur, qui de Circumcisione loquens dicit esse *signum & sigillum justitiæ fidei*, Rom. 4. 11. quæ definitio est generica, & rectè speciei tribuitur. Prælucente ergo hac face, dicimus, *Sacramenta esse signa & sigilla gratiæ Dei in Christo.* Vel Pau-

QUÆST. I. lò explicatiùs, *Signa & sigilla sacra visibilia divinitus instituta ad significandas & obsignandas conscientiis nostris promissiones gratiæ salutaris in Christo, & nostram vicissim fidem & pietatem ac obsequium erga Deum contestandam.* In qua definitione natura Sacramentorum ex eorum causis clarè innotescit, de quibus didacticè aliquid dicendum, antequam Elencticè de illis disputemus.

Materia Sacramenti duplex, Signum.

X. *Materia* Sacramenti duplex est, alia externa & sensibilis, alia interna & intelligibilis, illa signum, hæc signatum dicitur. Illa percipitur sensibus corporis & inprimis visu; Ista verò mente præditâ idoneo ad id instrumento scilicet fide. Illa est elementum à Deo institutum ad significandam & obsignandam gratiam. Ista est gratia Dei in Christo, seu Christus cum omnibus suis beneficiis. Per signum autem intelligimus quicquid in Sacramentis habet significandi rationem, quod est duplicis generis. Primò huc spectant symbola externa. Secundò ritus seu actiones cæremoniales, tum Ministri vices Dei gerentis, tum fidelium percipientium. Cujusmodi actiones in baptismo sunt aspersio aquæ, aut immersio, In Cœna fractio, distributio, perceptio panis & vini, quæ omnia habent suam significationem: Tamen κατ' ἐξοχὴν ipsa Elementa externa peculiari ratione signa dicuntur, quia sunt res & substantia terrena, circa quam tales cæremoniæ & actiones exercentur.

& Res significata

XI. Altera pars materiæ sacramentalis est *Res significata*, quâ nomenclaturâ intelligitur ipse Christus cum omnibus, quæ fides ad salutem sibi applicat, applicat autem sibi Christum cum omnibus suis beneficiis, quæ ipsius passione & morte fluunt, quæ complectitur Paulus, quum ait, *Factum nobis a Patre sapientiam, justitiam, sanctificationem, & redemptionem* 1. Cor. 1. 30. Ita Christus crucifixus, qui Sacramentorum est veluti nucleus, significatur, cum salutaribus omnibus beneficiis, quæ morte sua nobis acquisivit, ad cujus ideo commemorationem ista signa sunt instituta, ejusque tum veritatem, tum utilitatem confirmandam, veritatem significando, utilitatem autem præbendo & obsignando. Ut verò Christus heri & hodie & in secula est idem Heb. 13. 1. Ita eandem semper gratiam Ecclesiæ suæ declaravit & obsignavit per Sacramenta. Quæ causa est, ut materiæ internæ respectu Paulus fidelibus Vet. Testamenti, tribuat Sacramenta Novi 1. Cor. 10. 1. 2. 3. & vicissim fidelibus N. Sacramenta Veteris Col. 2. 11. 1. Cor. 5. 7. Porro res significata differt à signo in tribus. 1. *Naturâ* & proprietatibus, signum enim est res terrena & visibilis, res signi est cœlestis & invisibilis. 2. *Objecto*, signum enim in Corpus tendit, signatum in animam. 3. *Modo Communicationis*, Signi enim modus est corporalis, signati spiritualis.

Forma.

XII. *Forma Sacramenti* posita est in analogia seu σχέσει materiæ externæ ad internam, signi ad rem significatam, qua res promissa animis nostris

ita repræsentatur, ut etiam verè communicanda præbeatur. In hac analogia consistit *unio* signi cum signato, quæ proinde nec est *naturalis* per contactum corporeum, nec *localis* per indistantiam, nec etiam *spiritualis* per spiritualem ἐνέργειαν, quâ signa immediatè vivificentur, aut ipsis præbeatur vis regenerandi, aut justificandi; Sed est *relativa* & *sacramentalis* in tribus maximè posita, significatione, obsignatione, & exhibitione. *Significatio* pendet ex similitudine, quæ inter signum & signatum intercedit. *Obsignatio* ex Dei instituto, quô symbola ista externa non tantùm habent rationem signi, sed etiam sigilli, promissionibus quippe adduntur Sacramenta ad majorem rei promissæ fidem faciendam, ita tamen ut illis sulciatur fides nostra, non autem Verbum Dei, quod est αὐτόπιστον. *Exhibitio* ex Dei veritate, quia non ludit Deus nuda & vacua signa instituendo; sed ut verbo vocali reipsa præstat quod promittit; Ita in Sacramento, quod est verbum palpabile & visibile, id reipsa exhibet, quod signa repræsentant, ut cum signis, in usu legitimo Sacramenti, conjungatur vera possessio & fruitio rei significatæ, ut doceretur Confess. Galli. art. 38. Non tamen agnoscimus in signis vim ullam insitam aut inhærentem, quâ vel in gratiam agant, vel in qualitatem ullam animæ, sive characterem dixerimus, sive quidpiam simile, sicut enim verbi vocalis sonus aures & auras demum feriens, non concutit corda vi ullâ sibi inditâ: Ita nec signum externum ullam vim habet, quæ animam afficiat, sed sensus tantùm ferit. Quæst. I.

XIII. Ex hac autem analogia & convenientia, quæ est inter signum & signatum oritur *Phraseologia Sacramentalis*, seu Enunciationes illæ in Scriptura usitatissimæ, quæ à Theologis prædicationes sacramentales dicuntur, in quibus signorum & signatorum nomina inter se permutantur, signum de re significata prædicatur, Christus dicitur Pascha 1. Cor. 5. 7. aut contrà res signata de signo, ut Circumcisio dicitur fœdus, Corpus Christi panis. Harum prædicationum fundamentum est unio sacramentalis, quæ κατ' ἀναλογίαν signum & signatum copulat, ac proinde istas prædicationes veras efficit propter veritatem significationis, obsignationis, & exhibitionis in usu legitimo. Quomodo in Persona Christi naturarum unio hypostatica veras efficit illas prædicationes, in quibus proprietates unius naturæ enunciatur, vel de tota Persona, vel etiam de altera natura per terminum concretum expressa, sine ulla tamen naturarum confusione, quia uniuntur ἀσυγχύτως & ἀτρέπτως.

XIV. *Efficiens* Sacramentorum est solus Deus. 1. Quia solus est ille autor promissionis & fœderis gratiæ. Cujus est autem promittere & dare gratiam, ejus etiam est eam obsignare. 2. Deus solus est autor Verbi, Ergo & Sacramentorum, quæ sunt Verbum visibile. 3. Quia sunt pars cultus divini, quia solo Deo instituí potest. Efficit autem Sacramentum *Efficiens.*

QUÆST. I. Deus *Verbo institutionis*, accedente enim verbo ad elementum, fit sacramentum, non infusione novæ qualitatis, sed usûs mutatione. Verbi autem, quod sacramentale dicitur, duæ sunt partes, mandatum, & promissio. *Mandatum* explicat sacramenti dignitatem, & rationem legitimæ administrationis usus. *Promissio* demonstrat rem significatam, significationis perspicuitatem, & veritatem, atque adeò totam Sacramenti efficaciam; Ut non sit plus quærendum in Sacramento externo, quàm continetur in promissione, ne in idolum degeneret. *Verbum mandati*, est, quò jubet Deus Sacramenta ritè administrari, & percipi, formulam ipsorum præscribendo, & usum legitimum præcipiendo. *Verbum promissionis* est Sacramenti veluti vis & anima, in illo enim proponitur & offertur gratia, cujus fides in nobis fulcitur per Sacramenti usum legitimum. Unde existimari debet Sacramenti dignitas & integritas, quæ nec Ministri vitiis, nec participantis infidelitate minuitur, licèt infidelis solum signum percipiat sine re. Essentia Sacramenti est ab institutione divinâ; Si igitur Sacramentum secundùm eam administratur, sive recipiens credat, sive non, perinde est. Promissionum veritas non pendet à fide credentium, aliàs increduli infirmarent veritatem Dei, & ex hominum infidelitate Deus mendax efficeretur, quod est absurdum. Licèt ergo fides sit necessaria ad percipiendam rem signatam, non tamen ad constituendam essentiam & integritatem Sacramenti.

Finis. XV. *Finis* Sacramentorum, vel proprius est, vel accidentalis. *Proprius* est, vel *principalis* & primarius, vel *secundarius* & minus principalis. Principalis est confirmatio fœderis gratiæ, & obsignatio à parte Dei nostræ cum Christo unionis in fœdere promissæ, & omnium ejus beneficiorum, & à parte nostri solennis gratitudinis in Deum, & charitatis in proximum testificatio. *Minus principalis* est, ut sint publicæ professionis & divini cultus tesseræ, quibus, qui pertinent ad Ecclesiam visibilem à reliquis Cœtibus distinguntur. Unde patet quanta sit Dei φιλανθρωπία, qui ad nos humi repentes quodammodo sese demittens, non tantùm animos nostros, sed & sensus externos in gratiæ suæ gustum & admirationem vult rapere, quatenus eam sensibus corporeis subjicit, auditui in verbo vocali, tactui & visui in Sacramentis. Solent autem signa adhiberi in rebus gravioribus, leviculæ enim signis non confirmantur; sed cùm sunt magni momenti, ut quum Principes inaugurantur, quum matrimonia ineuntur, quum donationes contrahuntur, aut alia pacta fiunt, signa solent adhiberi ad ea confirmanda, quæ volumus esse testatissima, ut non modò ratione, sed & sensu cognoscantur. *Finis accidentarius* est justa impiorum & hypocritarum Sacramentis abutentium condemnatio, qui finis accidentalis ex vitio hominum, non evertit proprium. Christus enim non desinit esse per se vitæ autor & largitor ratione fidelium, quamuis per accidens

pro-

propter incredulitatem hominum, sit odor mortis ad mortem, & lapis offensionis & ruinæ ratione hypocritarum & incredulorum. Quæst. I.

XVI. Ex his verò facilè colligitur, *Quænam sint requisita Sacramenti propriè dicti?* quæ ad illud intrinsecè & extrinsecè constituendum requiruntur & concurrunt, sive ut partes essentiales, sive ut conditiones necessariæ. Quatuór scilicet hæc præcipua. 1. *Elementum* externum & visibile cum ritu, seu materia terrena & corporea, quæ habet rationem signi. 2. *Res cœlestis* & spiritualis, quæ in promissione gratiæ continetur, quæ habet rationem signati, quod cohæret cum signo in usu legitimo, non substantialiter per compositionem, sed sacramentaliter per mysticam relationem. 3. *Institutio divina*, eaque immediata, ut fit Sacramentum. 4. *Status & ordinarius ejus usus* in Ecclesia. Ex istis enim quatuor intrinsecè & extrinsecè constituitur Sacramentum propriè dictum, & ex iis constat & cognoscitur ejus veritas. Intrinsecè quidem ex elemento cum ritu, & verbo promissionis gratiæ tanquam partibus essentialibus. Extrinsecè verò ab institutione divina tanquam causa efficiente & immediata, & à testificationis & obligationis usu stato & ordinario in Ecclesia tanquam proximo fine.

XVII. Quod inductione Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti clare probatur; Omnibus enim communis fuit institutio divina, ut patet respectu Circumcisionis Gen. 17. Paschatis Exo. 12. Baptismi Matth. 28. Cœnæ cap. 26. Commune signum externum cum aliquo ritu annexo. In circumcisione amputatio Præputii. In Paschate agnus mactatus & manducatus. In Baptismo lavacrum aquæ. In Cœna panis fractus & vinum effusum. Commune fuit verbum promissionis gratiæ de Dei fœdere, & Circumcisione cordis Deuter. 30. 6. de Christo agno mactato 1. Corint. 5. 7. de ablutione à peccatis per sanguinem & Spiritum Christi Act. 2. 16. 1. Cor. 6. 11. Et de Corpore Christi pro nobis fracto & sanguine effuso. Denique usus utriusque generis Sacramentorum status & ordinarius fuit, & Ecclesiæ communis.

QUÆST. II.

QUÆSTIO II.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

An necesse fuerit Sacramenta in Ecclesia institui, & An usus eorum sit necessarius? D.

Necessitas Sacramentorum duplex, alia institutionis.

I. DUplex Quæstio hîc movetur circa necessitatem Sacramentorum, Alia circa *necessitatem institutionis*, quare Deus voluerit addere Verbo Sacramenta? Alia circa *necessitatem usus*, An necesse sit uti Sacramentis? De utraque distinctè dicendum.

non absoluta, sed hypothetica.

II. Quoad primam, Dicemus necessitatem Sacramentorum non esse absolutam & simplicem à parte Dei, sed hypotheticam à parte nostri; Non quòd Verbum per se opus habeat ulla confirmatione, quod est divinum & infallibile, sed ad sublevandam infirmitatem nostram, & confirmandam fidem. Ut per Verbum veritatem suam auribus insinuat, ita per sacramenta oculis quodammodo videndam exhibet, ut Verbum ipsum quodammodo fiat visibile. Unde non per unum sensum nimirum auditum, sed per plures, visum puta, tactum, & olfactum, certitudinem gratiæ suæ vult in animis nostris obsignare, ut per sensibilia & terrena evehamur ad intelligibilia & cœlestia. Ut enim sensus sunt animæ fenestræ, per quas peccatum & mors illam occupârunt, Ita per easdem conveniebat transmitti gratiæ salutaris remedium. Quod pluribus sensibus simul offertur, & apprehenditur, certius est nobis, quàm quod solo auditu percipitur. Sic traditione clavis possessio domus, apprehensione glebæ ager vindicatur, præbitione annuli uxor despondetur.

1. *Ad juvandam ruditatem.*

III. Sic. 1. Deus *ruditatem nostram & tarditatem juvare voluit, & imbecillitati consulere*; *Si tu esses ἀσώματος*, inquit Chrysost. hom. 60. ad populum Antioch. *dona sua nuda & incorporea tradidisset. Sed quia anima tua corpori conjuncta est, in sensibilibus intelligibilia tradidit*; Vestiendo scilicet illa rerum terrenarum & sensibilium integumento. 2. *Obviam ire diffidentiæ & incredulitati nostræ*, ut magis magisque in nobis fides firmaretur. Ea enim est humanæ mentis imbecillitas, & ad diffidentiam proclivitas, ut nisi omni genere adminiculorum sustentetur, labascat, & tandem rerum futurarum spem abjiciat, inprimis cùm ea incidunt tempora, in quibus aliqua dubitandi occasio occurrit; tunc enim præcipuè

2. *Ad occurrendum incredulitati.*

opus

opus est aliquo divinæ voluntatis pignore, cujus ope securi esse possimus amoto metu. Quid enim dubii superesse potest, post tot veritatis argumenta quæ nobis suppeditat? QUÆST. II.

IV. 3. Voluit ut *virtus & efficacia gratiæ fortiùs insinuaretur animis nostris*; Verbum enim indifferenter & promiscuè omnes alloquitur, sed Sacramenta sigillatim unicuique applicantur, & longè potentiùs & efficaciùs corda movent, non modò quia 3. ad efficaciam gratiæ clariùs insinuandam.

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Sed etiam quia specialis Sacramentorum applicatio ostendit beneficium gratiæ ad quemque bene utentem pertinere.

V. Si verò ulteriùs in originem Sacramentorum inquirere volumus, repetenda est ab origine fœderum, quorum sunt sigilla. Ut enim in fœderibus, quæ contrahuntur inter homines, mos fuit usitatus fœderum tabulas sigillis utrinque communire, sive ea publica sint, sive privata. Ita Deus fœdus cum homine contrahens, Sacramenta quædam velut totidem sigilla addere voluit ad ejus confirmationem, non quidem à parte sui, sed à parte nostri. Ut verò fœdus illud, vel absolutum est & μονόπλευρον, quod in sola Dei promissione consistit, quale fuit fœdus initum cum Noacho, de non perpendo, ampliùs mundo per diluvium: Ita fœderi isti additum est signum, quod à solo Deo pendet, ad cujus institutionem vel usum nulla hominis actio intercessit, nimirum Iris seu arcus in nube. Vel διπλόπλευρον & conditionatum, quod promissione Dei & restipulatione hominis constat; Sacramenta etiam addidit, quæ mutuam Dei & hominis actionem postulant, Dei gratiam Verbo promissam obsignantis, hominis gratiam oblatam fide recipientis, & cultum & obsequium suum Deo vicissim addicentis. Origo Sacramentorum.

VI. Hinc multiplex relatio Verbi & Sacramentorum oritur, quâ tum inter se conveniunt, tum à se invicem discrepant. Conveniunt in autore Deo, In fundamento Christo, in fine scil. salute, in modo receptionis, fide, In objecto, gratiâ Dei salutari. Sed in aliis differunt, 1. ratione *necessitatis*, Verbum absolutè est necessarium, Sacramenta tantùm ex hypothesi; 2. ratione *modi*, Verbum est audibile, Sacramenta sunt visibilia, Verbum generat fidem, Sacramenta eam confirmant. 3. ratione *objecti* ad quod diriguntur. Verbum promiscuè ad omnes extenditur tam fideles quàm infideles; Sacramenta ad solos fœderatos pertinent, Verbum indiscriminatim & in communi promissiones Dei offert, Sacramenta sigillatim unicuique illa ritè recipienti eas obsignant. 4. Ratione *effectus*, Adultis Verbum prodest sine Sacramento; Sacramenta non juvant sine Verbo, sed cum eo potentiùs movent propter imagines sensibiles, & analogiam quam habent cum rebus spiritualibus. Discrimen eorum à Verbo.

VII.

QUÆST. II. *Necessitas usus.*

VII. Quoad *necessitatem usus*, dicimus non esse *medii*, sed *præcepti*, non ex natura rei, quasi sine illis salus omnino non posset haberi; sed ex Dei mandato, quia usum eorum nobis præscribere voluit, ut utilem ad fidei nostræ confirmationem. Confirmatur ex eo quòd, ut postea probabitur, gratiam non largiantur, nec producant, sed tantùm obsignent ex Dei institutione & præcepto: Unde gratia Dei non est alligata signis, sed potest & cum illis & sine illis operari; ut sine illis non pauci servati sint, atque adeò eorum non privatio, sed contemptus damnet, ut fusiùs probabitur, quum de Baptismi necessitate agetur.

VIII. Hinc patet duo extrema hîc sedulò declinanda. 1. *Pontificiorum*, qui absolutam necessitatem Sacramentorum urgent, quasi sine illis, vel eorum saltem voto salus non possit obtineri. 2. *Socinianorum*, qui eorum necessitatem hypotheticam etiam tollunt, quasi possimus tutò & sine salutis præjudicio iis carere, quum licet iis uti. Sed ut non sunt contemnenda ista gratiæ Dei pignora, quæ de manu Dei accipere, & illis fidem nostram confirmare tenemur: Ita nec nimis signis illis salus nostra est alliganda & obstringenda, quasi actum esset de salute eorum, qui quovis modo iis privantur.

IX. Quamvis verò Sacramenta sint media ad salutem, à Deo instituta; non ideo habent necessitatem medii, sine quo salus non possit obtineri. Quia Deus gratiam suam non alligavit Sacramentis, & licèt varia media adhibeat attemperata & accomodata nostro captui, quibus salutem nostram promovet, potest tamen etiam sine illis mediis externis opus suum in Electis peragere. Media ergo omnia non statim habent necessitatem medii, ut sine illis salus nequeat obtineri. Sed tantùm illa, quæ per se salutem ipsam attingunt, & operantur, qualia sunt Verbum & Spiritus.

X. Licèt Deus in Novo Test. colendus sit in spiritu & veritate, Joan. 4. Non sequitur non posse coli in usu Sacramentorum. Quia hoc dicitur comparatè ad Vetus Test. in quo maxima pars cultus in externis ritibus cæremoniarum consistebat; Ubi nunc sub Novocultus Euangelicus totus spiritualis est & moralis, paucissimis constans cæremoniis externis, hoc sensu *spiritus* opponitur *litera*, & *veritas* figuræ.

QUÆ-

Quæstio III.

De Signi Sacramentali.

Quænam sit natura signi, quod requiritur in Sacramento?

I. CUm apud omnes constet Sacramenta signa quædam esse, & respectu eorum signum habere rationem generis, meritò quæritur, Qualia sint signa? quia de eo non convenit inter Theologos. *Quid si: signum.*

II. *Signum* in genere, ut bene observat Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. est *res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud in cogitationem ex se venire facit.* In signo ergo non tam spectatur quid sit, quàm quid significet, & quid ostendat, ut ibidem addit Augustinus. Et lib. 3. ad Maxi. cap. 22. *Sacramenta sunt in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur, cùm signa sint rerum aliud existentia, aliud significantia.* Licèt enim non sint sine aliquo materiali subjecto, ejus non habetur hîc ratio, sed ratio significationis tantùm attenditur, ut in matrimonio, non annuli pretium, vel materiæ dignitas respicitur, sed obsignationis usus.

III. Quia verò signa sunt multiplicia; Videndum ex quo signorum genere sint signa sacramentalia. Atque hîc primò dicimus, 1. Non esse *signa naturalia*, quæ talia sunt φύσει, quæ à seipsis vim habent significandi, ut fumus ignis, aurora Solis orientis, pallor morbi. Nam quæ naturaliter significant, ea & omnia, & semper significant, quod de Sacramentis dici nequit. Sed *voluntaria*, quæ talia sunt θέσει, ex Dei vel ex hominum instituto, quæ Augustinus vocat *data*. *Et quale in Sacramentis. non naturale. sed voluntarium.*

IV. 11. Non esse signa ex instituto humano, sed divino: quia ejusdem est significare & obsignare gratiam, cujus est promittere & dare. 111. Non signa tantàm θέσει, quæ pendent ex solo institutionis placito, ut Iris, funiculus purpureus. Sed quæ talia sint etiam κατ' ἀναλογίαν, quum vel à proprietate oritur ratio significandi, vel propter similitudinem; habent θέσιν ex Dei institutione, ἀναλογίαν verò ex similitudine, Augustin. epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem non haberent, Sacramenta non essent.* 1v. Non signa merè *theoretica*, quæ nihil aliud faciunt, quàm rem repræsentare & significare, cujus signa sunt. Sed *practica*, quæ non tantùm significant, sed & obsignant, & reipsa exhibent. *Non ex instituto humano, sed divino cum analogia. Non theoretica tantùm, sed & practica.*

QUÆST. III. Nam etsi signa sint theoreticè significantia, tum professionem mysticam, tum efficaciam gratiæ Christi in nobis, & ipsius passionem pro nobis, ad cujus ἀνάμνησιν sunt instituta, in hac tamen significatione theoretica non subsistunt, sed habent præterea significationem practicam, tum obsignativam, tum exhibitivam suo modo & sensu rei significatæ, ut clavis traditio habet significationem practicam immissionis in possessionem, eamque obsignat & exhibet.

V. Fateor rem externam non posse gratiam exhibere physicè, substantialiter, & immediatè; sed nihil obstat quominus id possit instrumentaliter, & mediatè, Spiritu Sancto principaliter hoc operante. Nec si Spiritui Sancto soli competit gratiam nobis conferre efficaciter, sequitur Sacramenta non posse illam obsignare & exhibere moraliter, subordinata enim non pugnant. Quamvis verò Sacramenta in plurimis sint sine effectu ex accidenti vitii ipsorum; non desinunt esse signa practica per se & ex institutione Dei, non oppositè ad fidem, sed compositè cum illa. Ut postea fusiùs videbitur, quum agetur de eorum efficacia.

VI. v. Non *significationes*, ut imagines in mente, signum Jonæ, & sim. sed αἰσθητὰ, quæ sensus afficiunt, quod tum ipsa inductione Sacramentorum constat; quæ omnia in re sensibili sunt constituta, tum ex natura hominis colligitur, quia ita comparati sumus, ut nihil in mentes nostras transeat, nisi ope & ministerio sensuum. IV. Non signa *audibilia*, sed *visibilia*, quod contra Pontificios statuimus, qui volunt sufficere, ut Sacramentum aliquo sensu percipiatur, & inprimis auditu, ut fictitiis suis Sacramentis faveat. Rationes sunt 1. quia omne Sacramentum debet constare rebus tanquam materiâ, & verbo tanquam formâ, accedat verbum ad elementum, & fiet sacramentum. At nullum objectum audibile constat rebus & verbis. 2. Quia sic nullum esset discrimen inter Verbum & Sacramentum, quod absurdum. 3. Si verba essent signa Sacramentalia. Ergo vel quà sonant, vel quà signant; Non quà sonant, quia sic nullam similitudinem haberent; Non quà signant, quia significatio mentem afficit, non sensum. 4. Patres passim vocant ea ἱερὰ, ὁρατὰ σύμβολα τῶν κρυφίων, & ut Augustinus loquitur *verbum visibile*. Cæterùm signum illud visibile debet esse substantia quædam, & res, non accidens rei, quia analogia sumitur ab ipsa rei natura, & ab ejus proprietatibus, quod patet in omnibus Sacramentis, quò spectat regula August. ante allata, *Accedat Verbum ad elementum & fiet Sacramentum.*

VII. VIII. Non signa tantùm μνημονευτικὰ præteritorum, quale signum fuit acervus lapidum in Jordane, Virga Aaronis in Tabernaculo. Sed σημαντικὰ futurorum, ut Iris, vellus Gedeonis, rubus ardens, & σφραγιστικὰ, seu παρουσιτικὰ præsentium, obsignativa & exhibitiva, quæ rem quam indicant, reipsa dari, quantum id fieri potest, demonstrant & ob-

obsignant. Sic Cœna fit in commemorationem mortis Christi præteritæ, in obsignationem gratiæ præsentis, seu communionis Carnis & sanguinis ejus, & in significationem gloriæ futuræ, & convivii nuptialis, quod in cœlo celebrari debet. Quæst. III.

VIII. VIII. Non *signa formalia*, quæ notant speciem ipsam à facultate cognoscente, cui signum proponitur, receptam. Sed *instrumentalia*, quæ seipsa sensibus, & rem à se diversam intellectui repræsentant, & suo modo præsentem faciunt, quia Deus iis utitur, ut organis & instrumentis ad gratiam nobis suo modo offerendam & conferendam. Non debet verò confundi *formale signi*, cum *signo formali*. Illud enim opponitur signo materialiter considerato, ut in Cœna panis est materiale signi Sacramentalis. Sed si consideretur ut signum est Corporis Christi, hoc pertinet ad illius formale, quod consideratur reduplicativè, quà signum Corporis Christi. Sed signum formale, distinctè, non à materiali, sed ab instrumentali, est ipsa species intelligibilis per signum in suo formale in mente excitata. *Non formalia, sed instrumentalia.*

IX. Huc pertinet Quæstio quæ hîc movetur à Lutheranis, qui pertendunt genus Sacramenti esse potius Actionem, quàm signum, quia Sacramenta extra usum non sunt Sacramenta, quia effectus Sacramentorum, sunt effectus actionum, non signorum. Sed longè veriùs dicitur Sacramentum esse signum, quàm actionem. Quia sic Scriptura passim loquitur Gen. 17. Rom. 4. 11. 1. Pet. 3. 21. & tota Antiquitas suffragitur, apud quam Sacramenta passim signa, symbola, Typi, Antypi, Imagines dicuntur.

X. Quamvis verò Sacramenta non sint signa extra usum & non signent, nisi mediante actione; Non sequitur esse potius actionem quàm signum; quia hoc est commune omnibus signis ex instituto, quæ per id signa esse non desinunt, ut voces non desinunt esse signa rerum primò & per se, eo quod non significant, nisi sit qui agit & loquatur.

XI. Sacramenta possunt considerari, vel in actu signato, & præcisè in se, vel in actu exercito, & prout conferuntur à Ministro, & recipiuntur à fideli. Elementa priori modo spectata in suo esse mystico & significativo habent rationem signorum sacramentalium, citra ullius actionis circumstantiam, ut panis & vinum in Eucharista, aqua in Baptismo, sed posteriori modo actiones quædam interveniunt, ut fractio panis distribuendi, & illius distributio in communionem Corporis, Christi. Nec hoc præstant per esse suum naturale & physicum, sed mysticum & significarium.

XII. Hinc Quæstio facilè potest componi, si dicamus, Sacramenta esse signa, sed certis ritibus, cæremoniis, & actionibus vestita, & administrata. Sed signum materialiter consideratum, seu in esse suo materiali

QUÆST. III. non est Sacramentum, sed formaliter & reduplicativè quà signum, quod non potest esse in actu exercitio, nisi cum actionibus quibusdam, nam ipsa substantia simpliciter non est fundamentum relationis, sed substantia certis ritibus dispensata.

XIII. Cæterùm observandum de hoc signo, quod materiale est Sacramenti, & fundamentum relationis, primò quòd sit commune omnibus communicantibus. Secundò quòd sit aliquid vulgare & ex communi usu petitum, ut ritus etiam sint simplicissimi & facillimi, ut ea ratione tota Sacramentorum dignitas & efficacia sit à Deo.

QUÆSTIO IV.

DE UNIONE SACRAMENTALI.

An forma Sacramentorum essentialis & interna sita sit in relatione signi ad signatum, & in eorum unione merè σχετικῇ? Affirm. cont. Pontifi.

I. UT materia Sacramentorum duplex est, alia externa, quæ habet rationem signi, alia interna, quæ est res significata. Ita forma eorum consistit in relatione & habitudine unius ad alteram. De qua Quæstio instituitur, ut vera ejus natura adversus errores Pontificiorum cognoscatur.

Formà Sacramentorum posita est.

II. Observandum verò ante omnia *formam*, de qua hîc quæritur, non esse externam, quæ competit Sacramentis in actu exercito, seu in ipso usu, quæ consistit in legitima tum administratione, tum participatione eorum juxta Dei mandatum; Sed *internam*, quæ illis competit in actu signato, & quæ sita est in analogia, seu *σχέσει*, & relatione signi ad rem significatam, quæ relatio uno verbo est significatio, utpote cùm tota signi ratio in significando consistat. Sed *significatio* ista non est tantùm *theoretica*, quæ nihil aliud est, quà repræsentatio, vel declaratio promissionis gratiæ, & beneficiorum Christi, quæ fundatur in analogia & similitudine, quæ intercedit inter signum & signatum, sed etiam *practica*, quà res externa certis ritibus dispensata se habet tanquam sigillum promissionum divinarum, adeoque collationis & exhibitionis rerum promissarum; Uno verbo est obsignatio fœderis Gratiæ & promissionum Euangelicarum, rerumque illis contentarum, à quo usu Sacramenta dicuntur *σφραγῖδες* Rom. 4. 11.

In significatione practica.

III. Ex

III. Ex hac verò obsignatione oritur *Unio sacramentalis* signi cum signato, quæ nec est *physica*, qualis est materiæ & formæ, subjecti accidentis, nec *localis* per contactum, & indistantiam, nec *spiritualis*, ut ipsis signis vis justificandi & regenerandi immediatè instilletur. Sed tota est *σχετική*, & *relativa*, seu *moralis*, qualis est inter ritus investituræ & feudum, quò aliquis investitur, vel inter arrham & rem, quæ arrha significatur, quemadmodum res significatæ, vocibus illis, per quas significantur, non conjuguntur situ naturali, & ipsa substantia, sed relatione solùm & *σχέσει*, quatenus voces illæ tanquam rerum notæ, eorum, qui eas percipiunt, intelligentiæ, res ipsas veluti præsentes sistunt. Ita & Sacramentum, quod propterea visibile quoddam verbum dicitur, oculis ingerens id quod verba auribus inculcant, nullam localem signi cum signato præsentiam aut inexistentiam postulat; sed meram relationem & habitudinem unius ad aliud importat. Quæst. IV. *Ex qua oritur unio sacramentalis. quæ est relativa & moralis.*

IV. Unio tamen illa ita est moralis & relativa, ut sit etiam suo sensu *realis* in usu legitimo, non quidem signi & signati per indistantiam, sed respectu communicantis, qui utriusque simul sit particeps; quò pertinent phrases *complantari Christo, in baptismo* Rom. 6. *cum induere*, Gal. 3. 27. *manducare Christum, & bibere ejus sanguinem.* Et aliæ Theologorum, qui unionem illam & participationem Christi in Cœna dicunt fieri substantialiter, & corporaliter, ubi illi termini partim opponuntur *τῷ φανταστικῷ* & *imaginario*, partim declarant fideles ipsius substantiæ Christi fieri participes, quatenus cum ipso debent verè & realiter uniri. *Sed & realis.*

V. Ex hac porro unionis realitate fluit *præsentia*, per quam legitimè utentibus unà cum signis etiam fiunt præsentes res significatæ; non corporaliter & localiter, quasi res signatæ cum signis indistanter cohæreant, quia talis est fictitia, & nullum fundamentum habet Scriptura; Sed *relativa & moralis*, quatenus res significatæ præsentes sunt per sua signa, quorum natura est, ut aliud faciant in mentem venire, adeoque rem præsensibus seu mente sistant. Et *realis*, per quam res signatæ legitimè utentibus fiunt præsentes, nimirum Christus se totum amplectendum dat fidelibus, quæ est præsentia fidei. *Unde pendet præsentia.*

VI. Licèt verò præsentia ista spiritualis, non fiat nisi mediante fide; non sequitur, ut falsò Adversarii nobis objiciunt, esse tantùm imaginariam & *φανταστικὴν* per quam non tam Christus, quàm ipsius *φάντασμα*, seu imago ejus nobis sit præsens. Quia res spirituales non minus reales sunt & veræ corporeis; imò quò perfectiores sunt, eò perfectiorem debent habere præsentiæ modum. Fateor apud illos, quibus est tantùm historica, quæque in nuda objecti cognitione consistit, posse præsentiam illam minus realem dici; quamvis ne sic quidem præsentia negetur à Philosophis,

QUÆST. IV. quibus quicquid ab intellectu percipitur verè præsens illi dici potest. Sed Scriptura longè aliter describit fidem & præsentiam, quam operatur, dum per visum, auditum, & tactum, per accessum, receptionem, & manducationem eam designat, quæ omnia non præsentiam phantasticam, quæ fiat tantùm per phantasmata, seu notiones & ideas imaginarias, sed veram & realem arguunt. Aliàs unio nostri cum Christo, quæ per fidem fit. Eph. 3. 17. merè esset phantastica, quod vel cogitare impium.

Unionem esse mere relativam probatur.

VII. Circa unionem istam quæritur. An sit purè & merè χεπκὴ & relativa; An verò etiam physica & localis; Pontificii & Lutherani posterius affirmant, Nos prius asserimus. 1. Quia quale est Sacramentum, talis debet esse unio sacramentalis, quæ est ejus forma. At Sacramentum est merè relativum, utpote cujus formalis ratio in significatione consistit. 2. Quia unio ista talis debet esse, quæ conveniat omnibus Sacramentis. At Sacramentis Veteris Testamenti non potest convenire alia unio, quàm relativa. Ergo nec Sacramentis Novi Testamenti alia convenit. 3. Si alia foret unio quàm χεπκὴ, Ministri ipsam quoque rem significatam exhiberent, & recipientes signum, etiam rem significatam reciperent, quod absurdum. Quia unio physica non potest hic locum habere, tum quia impossibilis, tum quia inutilis.

Fontes Solutionum.

VIII. Aliud est res significatas tantùm significare & repræsentare theoreticè. Aliud significare practicè. Priori sensu non possunt dici res significatas obsignare & exhibere. Sed posteriori, qui hîc attendendus est; reipsa obsignant & exhibent, non per coexistentiam & inclusionem in loco, sed per institutionem Dei.

IX. Unio χεπκὴ & relativa sufficit ad fundendam phraseologiam sacramentalem de commutatione nominum inter signum & signatum. Quia relatio illa non est tantùm significativa, sed etiam obsignativa & applicativa; quod locum non habet tantùm in Sacramentis Novi Test. sed etiam Veteris, ut Circumcisio est fœdus, Petra est Christus.

X. Si Unio sacramentalis est merè χεπκὴ; Non sequitur talem esse debere Unionem hypostaticam, quia longè inter se differunt. Nec si Patres aliquando eas inter se conferunt, propter aliquam analogiam; Ideo eas æquare volunt.

XI. Licèt unio ista non sit physica; Non ideo erit tantùm verbalis, sed maximè realis; tum quia fundamentum habet reale, nim. divinam institutionem; tum quia reale & physicum non identificantur. Multæ sunt unionis realis species, quarum extrema non sunt simul per contactum physicum, qualis est unio fidelium cum Christo & inter se.

XII. Licèt forma sacramentalis posita sit in analogia χεπκῆ. Non sequitur quamlibet aquam, & quemlibet panem posse dici Sacramentum. Quia distinguendum est inter aptitudinem ad significandum, & actualem

si-

significationem; Illam habet omnis panis ad Corpus Christi, Sed non hanc, nisi panis consecratus ex Dei institutione. Quæst. IV.

QUÆSTIO V.

An Sacramenta sint tantùm notæ & tesseræ Professionis nostræ, An verò etiam signa & sigilla gratiæ Dei, de remissione peccatorum, & regeneratione Spiritus? Affir. contr. Socin. & Pontif.

I. Quæstio nobis intercedit cum Socinianis, & Pontificiis, *Socinian*i fatentur quidem Sacramenta esse signa distinctiva, seu tesseras & notas professionis, quibus distinguamur ab infidelibus, sed negant posse dici sigilla gratiæ Dei de remissione peccatorum, & regeneratione. Catech. Racovi. cap. 4. de Baptismo q. 1. *Baptismum aquæ*, dicit esse, *ritum exteriorem, quò homines vel à Judaismo, vel è Gentilismo ad Religionem Christianam accedentes, manifestè profitebantur se Christum pro Domino suo agnoscere.* Quod ante asseruerat Socinus Disp. de Baptismo. Volkel. lib. 4. cap. 22. negat *S. Cœnam Sacramenti nomine bene designari, quippe qui*, ut loquitur, *nec ullam Dei gratiam donet nec obsignet, sed jam donatæ obsignationem adumbret, & ideo sit instituta, ut ipsa Dei benignitas, solenni commemoratione, & gratiarum actione celebretur.* *Sententia Socinianorum.*

II. *Pontificii* negant etiam Sacramenta habere vim obsignativam, & esse sigilla promissionum divinarum, quod operosè conatur probare Bellarm. lib. 1. de Sacra. cap. 14. *Octava particula, quod Sacramentum obsignet instar sigilli promissionem, ad excitandam & alendam fidem, falsa est & diligenter refutanda*; quod præstare conatur in cap. sequ. ad quem accedit *Becanus* cap. 1. de Sacra. q. 4. & 5. A quibus tamen discedit Gregor. de Valentia Tom. 4. Disp. 3. q. 3. pag. 1. *Fatemur Sacramenta nova Legis esse signa seu sigilla quodammodo promissionis divinæ.* Cum quo facit Trinus contro. 18. de Sacramentis, qui vult *Sacramentum non tantum esse signum distinctivum populi Christiani, significativum justitiæ, obsignativum promissionum divinarum, sed etiam causativum & effectivum justitiæ* &c. *Pontificiorum.*

III. Orthodoxi non negant esse signa distinctiva Christianorum, & tesseras professionis. Sed negant contra Socinianos ad id restringenda esse; sed præter hunc usum minus principalem, censent primarium esse, non qui- *& Orthodoxorum.*

QUÆST. V. quidem ut sint signa causativa & effectiva justitiæ, de quo postea agemus cum Pontificiis, sed ut sint signa obsignativa & practica, quæ pignora sint gratiæ Dei, & rei significatæ suo sensu exhibitiva. Quem in finem sigilla dicantur, mutuato vocabulo ab humano more & commercio, in quo ad conciliandam fidem multus est sigillorum usus, ut adhiberi solent in pactis ad eorum confirmationem, in diplomatis Principum ad eorum certiorationem, ut constet ea vera esse & authentica. Sic Deus Sacramenta adhibere voluit verbo promissionis gratiæ instar sigillorum Diplomati isti cœlesti, ne quis de ejus veritate & certitudine dubitet.

Probatur Sacramenta esse sigilla 1. ex Rom. 4. 11.

IV. Primùm Argumentum ducitur ex verbis expressis Pauli Roman. 4. 11. quibus vocat Circumcisionem σημεῖον καὶ σφραγῖδα, *signum & sigillum justitiæ fidei*, non tantùm dicit esse *signum*, quod simplicem habet vim significativam, sed etiam *sigillum*, quod habet ulteriùs vim obsignativam, & quidem fœderis, cujus erat signum Gen. 17. 11. & promissionis gratiæ de justitia fidei; quæ includebatur in benedictione, quâ benedicendæ erant omnes Gentes terræ in semine benedicto, quod ut Jehova justitia nostra, debuit afferre justitiam seculorum, ut exponit Paulus Gal. 3. 9. & 2. Corinth. 5. 21. Cùm verò eadem sit ratio Circumcisionis, & cæterorum Sacramentorum rectè ab illa ad alia argumentatur. Quod enim uni Sacramento est essentiale, aliis convenire necesse est. Nam licèt non sint essentialia toti generi, quæ sunt unius speciei; tamen quod est essentiale uni individuo, cujusmodi est Circumcisio sub ratione specifica Sacramentorum, toti speciei debet tribui.

V. Nec excipi potest hoc de Abrahamo quidem dici, sed ad alios non pari ratione posse transferri. Quia ita tribuitur Abrahamo, ut ad alios etiam pertineat, tum quia Abraham consideratur hîc ut pater Credentium, qui in exemplum nobis proponitur, ut quod in ipso impletum est, idem & in aliis impleatur. Tum quia justitia fidei & promissiones gratiæ, quarum est sigillum, sunt communes omnibus, non propriæ Abrahamo Rom. 4. 12. Gal. 3. 9. 16. Fateor promissionem hîc etiam includi de paternitate Abrahami, quòd futurus esset pater multarum gentium. Sed Circumcisio non fuit sigillum istius promissionis simpli. & propriè, sed justitiæ fidei, quæ communis est omnibus credentibus. Nec addi debet Paulum distinguere sigillum à signo, & circumcisionem quidem omnibus esse signum, sed soli Abrahamo sigillum. Nam sigillum non distinguitur à signo, nisi ut explicatio, à explicato, id. tale signum, quod etiam sit sigillum, ut distinguatur ab aliis signis, quæ sunt quidem signa, sed non sigilla.

2. ex paritate alterum signum.

VI. 11. Quia eodem modo se habent Sacramenta ad promissiones gratiæ, quomodo alia signa & sigilla addita promissioni, quæ eam obsignarunt, & magis testatam reddiderunt; Ut Iris se habuit ad promissionem

nem de deluvio non amplius immittendo, non ad memoriam tantùm juvandam de diluvio præterito. ut vellet Bellarminus, sed ad fidem confirmandam de diluvio non amplius futuro Gen. 9. 11. 12. Vellus Gedeonis ad liberationem futurum Israëlis Jud. 6. 37. Pruna, quæ tetigit labia Isaiæ ad promissionem gratiæ Dei in vocationis suæ exercitio Isa. 6. lotio pedum Joan. 13. ad purgationem Apostolorum. At ista signa omnia, & alia id genus se habuerunt non tantùm significativè, sed & confirmativè & obsignativè ad promissiones Dei. Quæst. V.

VII. 111. Quia signis dantur nomina, proprietates, & effecta signati, cujus prædicationis causa alia dari nequit, nisi obsignationis ratio, ut Circumcisioni datur nomen fœderis Gen. 17. 11. Agno nomen Paschatis Exod. 12. Mannæ & aquæ ex Petra nomen cibi & potus spiritualis, & Christi 1. Cor. 10. 4. Baptismo nomen lavacri regenerationis, & remissionis peccatorum Tit. 3. 5. Act. 22. 16. pani nomen Corporis Christi Matt. 26. 26. 1. Cor. 10. 16. *3. ex permutatione nominum.*

VIII. 1v. Quia Sacramenta sunt signa fœderis, non possunt verò esse signa fœderis, nisi ad ejus confirmationem, & ratificationem promissionum, quæ utrinque fiunt tam à parte Dei, quàm à parte hominum. Confirmatur ex eo, quòd habent rationem juramenti, quô Deus se obstringit ad promissionum complementum. Sed juramentum est obsignativum promissionum suarum Heb. 6. 16. 17. *4. Ex eo quod Sacramenta sunt signa fœderis.*

IX. Quamvis Verbum & Spiritus Sanctus testentur de gratia Dei, & eam suo modo etiam obsignent. Non sequitur Sacramentis hoc etiam non competere. Quia ista sunt subordinata, non opposita. Effectus communis est utrique causæ, sed modus efficiendi diversus, illic verbalis, hîc symbolicus. Illic per auditum, hîc per visum & alios sensus. Spiritus est sigillum internum, quod ex natura sua obsignat, sed Sacramenta sunt sigilla externa, quæ obsignant tantùm ex instituto. Spiritus ut causa principalis, & efficax, quæ utitur Verbo & Sacramentis tanquam instrumentis. *Fontes Solutionum.*

X. Quamvis nihil sit majus & efficacius Verbo Dei in se; Non sequitur non posse confirmari respectu nostri per Sacramenta. Nihil propterea decedit certitudini objectivæ promissionum; Cùm contrà Sacramenta ipsa vim & efficaciam suam omnem à Dei Verbo hauriant. Sed multùm accedit ea ratione certitudini subjectivæ, quatenus hoc quasi fulcimento fides nostra nititur & sustentatur. Verbum in se non confirmatur per Sacramenta, sed nos usu Sacramentorum confirmamur de promissionibus, quæ licèt in se sint certissimæ, sæpe tamen à nobis in dubium vocantur. Dicuntur ergo sigilla, non quòd certitudo Verbi ex eis pendeat, sed quia Deus per ea promissiones per se non dubias fortiùs imprimens, sensu acriori animum afficit.

XI. Quamvis Sacramenta sint sigilla; Non sequitur falsam sæpe esse co-

QUÆST. V. eorum obsignationem, respectu scilicet hypocriticarum & incredulorum. Non magis quàm falsa est Verbi prædicatio, quæ ad ipsos etiam dirigitur; quia hoc non fit absolutè, sed conditionatè & suppositâ fide recipientis; & in usu legitimo. Aliàs nulla est obsignatio non positâ conditione. Aliud est ergo Sacramenta obsignare gratiam in actu signato ex institutione Dei. Aliud in actu exercito & respectu hominis recipientis; hypocritis & incredulis Sacramenta nihil obsignant, propter defectum conditionis requisitæ; Sed non desiinunt ex ordine Dei in actu signato talem vim habere. Quod ergo hypocritæ & impii nullam nec promissionem, nec promissionis obsignationem, in usu, vel potius abusu Sacramentorum reportant, sed graviorem inde contrahunt reatum; Id non evertit proprium & primarium Sacramentorum finem. Aliàs nec Euangelium salutaris gratiæ esset testimonium, nec ipse Christus vitæ autor habendus esset, cùm illud, multis sit odor mortis ad mortem, & iste multis sit lapis offensionis & petra scandali.

XII. Quum Sacramenta dicuntur obsignare promissiones Dei, non necesse est ut sint notiora & certiora ipsis promissionibus in se, sed tantùm respectu nostri, & quatenus considerantur, non oppositè ad Verbum promissionis, sed compositè cum eo, ut sensus sit Verbum sigillis obsignatum notius & certius esse respectu nostri, quàm solum Verbum; Quemadmodum diploma cui sigillum appositum est, notius est & certius illo, quod eo caret.

XIII. Aliud est obsignare nobis à parte nostri justificationem & vocationem nostram. Aliud eam confirmare à parte Dei. Bona opera possunt esse sigilla & testimonia à parte nostra justificationis nostræ; Sed Sacramenta sunt sigilla à parte Dei, Illa sunt fidei nostræ fructus, Ista promissionum divinarum signacula. Hìc verò non agitur de testimoniis fidei nostræ, sive erga nos, sive erga proximum. Sed de testimonio gratiæ Dei erga nos. Nec sunt ista opponenda, sed componenda.

XIV. Si Sacramenta dicuntur confirmare promissiones, non ideo fit, vel quia docent esse promissiones divinas, vel quia magis credimus Sacramentis, quàm promissionibus. Sed ut magis credamus utrisque, nimirum promissionibus & Sacramentis simul. Ut duo vincula dicuntur uno fortiora, & duo testes certiores solitario: sic longè plus valent ad confirmationem fidei, promissionis obligatio, & Sacramentorum oppignoratio, quàm alterutra seorsim, nimirum quia intellectus per se movetur in verbis, & per sensus in Sacramentis.

XV. Aliud est Sacramenta esse notas & tesseras professionis nostræ, quod concedimus. Aliud esse tantùm vel principaliter & primariò, quod negamus, cùm alii plures possint esse eorum fines, ut antea dictum.

XVI. Licèt fides prærequiratur ad usum Sacramenti, non obstat quo-

mi-

minus confirmetur per Sacramentum. Ut visus requiritur ad usum conspicillorum, & tamen per illa confirmatur. Ita fides quæ percipit Sacramenta, potest per illa crescere & augeri. Quæst. V.

Quæstio VI.

De Verbo Sacramentali.

An Verbum Sacramentale sit Verbum prædicatum & concionale, An verò consecratorium, quod sit operativum? Prius Affir. Poster. Neg. cont. Pontif.

I. Diximus antea Sacramenti ad constitutionem necessarium esse *Verbum institutionis*, quod constat mandato, & promissione. Hoc vocamus *Verbum Sacramentale*, seu *Concionale* & *prædicatum*, non tam quia pro concione docetur & prædicatur ad decentem administrationis modum docendum, quam quia clarâ & altâ voce proponitur in Sacramenti institutione ad fidelium adstantium informationem. *Quid sit Verbum Sacramentale.*

II. Pontificii verò Verbum Sacramentale nolunt esse concionale seu prædicatum, sed consecratorium & operativum, quod arcanam quandam vim inspiret & infundat elementis, ut fiant Sacramenta, & quod mortuo potius Elemento sit destinatum, quàm hominibus; quodque non altâ voce ad circunstantes instituendos proferri debeat, sed clam sit insusurrandum. Quo sanè sensu meritò rejicimus tale verbum consecratorium, utpote nec dictum à Christo, nec scriptum ab Apostolis, sed humanâ superstitione excogitatum: Licèt alio sensu facilè admittamus Verbum Sacramentale institutionis prædicatum, esse etiam consecratorium respectu signorum, quatenus per illud ab usu communi & profano transferuntur ad usum sacrum.

III. Hinc patet Status Quæstionis; Non An detur aliquod Verbum Sacramentale consecratorium? quod non negamus. Sed An ita sit consecratorium, ut sit etiam operativum? quod negamus. Non, An Verbum aliquod proferendum sit super signa? Sed An sit Verbum, quòd altâ & intelligibili, voce sit prædicandum, ut ab iis intelligatur, quibus Sacramentum est administrandum, vel ea ratione concionatorium dici possit? An verò positum sit in certa quadam formula, quæ Communicaturos non ædificat, sed Elementa consecret vi quadam inditâ ipsis verbis, quæ verba *Status Quæstionis.*

QUÆST. VI. sint super elementis submissâ voce demurmuranda? Pontificii prius negant. Posterius affirmant, Nos contà.

Probatur verbum sacramentale non esse operatorium.

IV. Rationes sunt. 1. Quia Verbi sacramentalis usus est in significando, Ergo altâ voce est prædicandum. Anteced. probatur, primò ex eo quòd verba sunt signa, rerum, at verborum significantium nullus est usus. Deinde, cùm Verbum sacramentale fit Verbum institutionis ipsius Sacramenti, quod constat mandato & promissione, patet ejus usum positum esse in significando, mandatum enim Sacramenti administrationem præcipit, & promissio ejusdem declarat dignitatem & efficaciam. Declarare autem nemo potest per verba non significantia, qualia sunt, quæ insusurrantur sine sensu & intelligentia. Consequentia clara est, quia prædicatio Verbi, seu prolatio ejusdem voce intelligibili, & ejusdem significatio, ita sunt juncta, ut unum non sit sine altero, quod enim Verbum non est prædicatum, est incognitum, quod est incognitum, non potest significare, siquidem quod significat est nota rei significatæ, non autem non potest esse ignota.

1. Quia ejus usus est in significando.

2. Quia ad omnes fideles pertinet.

V. II. Quia Verbum Sacramentale ad omnes fideles pertinet, & omnibus fidelibus proponitur. Ergo non est insusurrandum clam super elementa, sed prædicandum ad omnium ædificationem. Deus enim ideo scriptis hoc mandari voluit, ut ad omnes pertineret, & omnibus proponeretur, non verò ut sine sensu demurmuraretur.

3. Quia demurmurare debent signa.

VI. III. Quia nullum signum institutum, qualia sunt Sacramenta, potest esse absque Verbo prædicato. Quia signa instituta ex se sunt indeterminata ad significandum, determinantur autem per verba quibus instituuntur. At verba non intellecta nihil determinant. Cùm ergo verba sacramentalia determinent, & verba nihil significantia, nihil determinent. Non possunt verba Sacramentalia esse non intellecta, atque adeò non prædicata. Confirmatur ex inductione; Quia nulla Sacramenta olim habuerunt verba sine sensu demurmurata, sed clarâ & intelligibili voce prolata, patet ex Circumcisione, & Paschate, & aliis, quæ non caruerunt Verbo prædicato, quod finem, propter quem instituebantur, declarabat.

4. Quia Christus Verbum prædicavit.

VII. IV. Quia Verbum Sacramentale à Christo palam est prædicatum, cùm ad Apostolos sermonem dirigeret. Ergo ab iisdem omnibus fidelibus est prædicandum; Non quod Christus fecit discipulis, idem vult fieri à Pastoribus erga fideles. Unde Paulus testatur 1. Cor. 11. 23. se tradidisse Corinthiis, quod acceperat à Domino.

5. Quia est Verbum fidei.

VIII. V. Quia Verbum sacramentale est Verbum fidei, quod prædicandum est, siquidem fides est ex auditu; Verbum Sacramentale continet promissionem, quæ est Verbum fidei, ad quod fides se habet ut relatum ad correlatum suum.

IX. Ver-

IX. Verbum Sacramentale est necessarium propter susci-pientem, quia sine illo non susciperet Sacramentum, & propter adstantes, alioqui Sacramento illi non participarent. 2. Licèt aliquando susci-piens non sit capax eruditionis per prædicationem actu præsenti, ut infans, tamen capax est facultate futurâ, sine qua non esset procul dubio ad Sacramentum admittendus. Et hoc postremum capacitatis genus inducit prædicationis necessitatem, nam si non prædicaretur, nemo unquam esset capax, siquidem quod non prædicatur nihil significat. 3. Quamvis susci-piens sit eruditissimus, Verbo tamen eget, prædicato, quod non est necessarium tantùm ad susci-pientis eruditionem, sed etiam ad Sacramenti institutionem. Quæst. VI. *Fontes Solutionum.*

X. Licèt in infantibus non detur intelligentia ratione actus, sufficit ut sit ratione habitus, ut Verbum Sacramentale adhibeatur in Baptismo Prædicatio ergo fit in Pædobaptismo in instructionem tum præsentem totius Ecclesiæ, quæ actu audit, & intelligit, tum futuram ipsius infantis, qui baptizatur. Nec absurdum, ut aliquid hoc vel illo tempore dicatur, quod nonnisi aliquanto post tempore intelligitur, ut Apostoli multa audiverunt à Christo utiliter, quæ aliquanto post tempore intellexerunt.

XI. Quamvis Verbum Sacramentale Baptismi à Domino præscriptum habeat formam invocationis & benedictionis; Non sequitur non habere vim Institutionis, quia non opponuntur Invocatio, & Institutio, siquidem unum idemque Verbum, utramque vim habet. Adde quod Invocatio solo murmure non constat; ideo Paulus 1. Cor. 14. vult preces concipi cum intelligentia, id est cum ædificatione, ac proinde institutione, sine qua nulla est ædificatio. Rursus gratis supponunt Adversarii verba baptismi, actum baptizandi respicere, non actum docendi. Utrumque enim respiciunt, nimir. actum baptizandi docendo, & actum docendi baptizando, scilicet ut simul constet & adhiberi lavacrum aquæ, & in quem finem.

XIII. Pleraque Adversariorum argumenta peccant Ignoratione Elenchi; Quasi per Verbum Concionale intelligeremus concionem publicam Ministri explicantis locum aliquem Sripturæ in Cœtu Ecclesiastico, quæ solet vulgò præmitti celebrationi Sacramentorum; Cùm ex supra dictis pateat, nos enim aliud intelligere, quàm Verbum institutionis, quod à Ministro altâ voce debet proferri ad confecrationem signorum. Ita Verbum concionale non opponimus confecratorio, ut faciunt Pontificii, sed potius illi subordinamus, quia omne verbum confecratorium ritè dictum est concionale, sed non vice versâ omne concionale confecratorium.

XIII. Non eadem est ratio Verbi & Sacramenti, seu signi in Baptismi administratione. Quia elementum aquæ extra præsentem tactum corporis nullius potest esse usus in reliquam ætatem, unde necesse est, ut infantem attingat. Alia verò est ratio Verbi, quod usum suum habet, non in

QUÆST. VI. eo tantùm à quo auditur in præsenti, sed & in futurum, per instructionem baptizati.

XIV. Quæ pro Verbo Consecratio sensu Pontificio, id est operativo, afferri solent, discutientur in sequentibus, quum agetur de efficacia Sacramentorum.

QUÆSTIO VII.

DE INTENTIONE MINISTRI.

An ad essentiam & efficaciam Sacramenti, necessaria sit intentio Ministri, saltem faciendi id quod facit Ecclesia? Neg. cont. Pontif.

Sententia Pontificiorum de Intentione Ministri.

I. GRavis hæc Quæstio mota fuit in Concilio Tridentino, & magnâ animorum contentione agitata, Cujus Decisio proponitur Sess. 7. Cano. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.* Quod desumptum est ex Decretis Eugenii IV. ad Armenos in Concilio florentino, in quibus hæc habentur; *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficietur Sacramentum.*

II. Quia verò ambiguus est sensus istorum verborum, nimir. *Requiri intentionem faciendi id quod facit Ecclesia*, nam possunt intelligi, vel *ex debito ministrantis*, vel *ex necessitate Sacramenti*. Pontificii non priori sensu hoc intelligunt, quem facilè admittimus, debet enim quilibet Minister Sacramentum administrans intentionem habere, faciendi id quod facit Ecclesia ex instituto Christi, quâ intentione si destituatur graviter peccat. Sed posteriori, quô intentio statuitur necessaria ad integritatem, efficaciam & validitatem Sacramenti. Quod patet 1. quia Synodus sequitur decisionem præcedentem Eugenii IV. quæ hoc importat. 2. Quia anathema oppositum est Euangelicis, qui posteriorem, non priorem sensum impugnant. 3. Quia hæc recepta est apud Pontificios sententia.

III. Pontificii verò circa naturam istius intentionis mirè sunt perplexi, & sibi invicem etiam oppositi. Alii *actualem* requirunt, alii *habitualem* tantum, alii primam non necessariam, & secundam insufficientem statuentes, tertiam urgent, quam *virtualem* vocant; *quâ quis intentionem*

nemo quidem baptizandi non habet actu in præsenti, ob evagationem mentis, sed ante habuit, & aptus est haberi, ut loquitur Bellarminus lib. 1. de Sacra. cap. 27. Rursus operosè disputant de intentione materiali, & formali. An videlicet restringatur ad voluntatem efficiendi illam actionem quasi materialem? An etiam requiratur voluntas faciendi Sacramentum? apud Beca. cap. 5. de Sacra. q. 3. Distingunt præterea intentionem particularem & generalem, *Melius quidem esse, ut quis habeat intentionem particularem, id. conficiendi Sacramentum Baptismi, interim sufficere intentionem generalem faciendi quod facit Ecclesia* Bellarm. libro citato, *non opus esse intendere quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quacunque illa sit, vel quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt.* Imò eò usque progreditur Bellarminus, ut statuat, *sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia aliqua particularis & falsa, quam ipse putat veram, ut Genevensem; Nam*, inquit, *qui intendit facere quod facit Ecclesia Genevensis, intendit facere quod facit Ecclesia universalis.* Sic scilicet nihil certi habens, apertè vincta sua cædit, dum statuit tum fieri transubstantiationem à Sacrificulo, quum non intendit eam facere, prout eam nec fieri, nec intendi ab Ecclesia nostra in confesso est. QUÆST. VII.

IV. Hic colligitur Status Quæstionis. 1. Non quæritur de iis, quæ necessaria sunt Ministro, ut ritè fungatur officio suo, An debeat intentus esse ad ea, quæ ipsi agenda sunt, ne per oscitantiam vel profanitatem aliud agat, vel intendat agere, quam quod debet? hoc enim nemo negat. Sed An requiratur ista intentio ad integritatem & validitatem Sacramenti? quod volunt Pontificii. 2. Non quæritur, An Pastor qui legitimâ intentione caret, gravis criminis sit reus, cujus Deo rationem reddere tenetur? quod fatemur. Sed An propterea Sacramentum quod administrat, desinat esse Sacramentum verum & legitimum? quod negamus. 3. Non quæritur, An requiratur intentio externa, id. quæ respicit ipsum actum conferendi Sacramentum juxta formam institutionis, & notat voluntatem faciendi omnes actus Sacramentales, juxta ordinem Christi? Sed an requiratur *intentio interna*, quæ respicit finem Sacramenti, ut Pastor habeat animum & voluntatem faciendi in eum finem, quem Christus vult respici? An in Sacramenti administratione, posito quòd nihil desit præter intentionem internam Ministri, ex illius intentionis defectu Sacramentum sit irritium? Pontificii affirmant, Nos negamus, his nixi argumentis. *Status Quæstionis.*

Probatur intentionem Ministri non requiri ad essentiam Sacramenti.

V. Primò. Quia Peccatum personale unius non obest alteri, qui illi non communicat At defectus intentionibus Ministri est peccatum personale ipsius Ministrs. Ergo non obèst alteri non communicanti, illi scilicet, qui Sacramenti ritè celebrati est particeps; Obesset autem, *1. Quia cujus defectus est peccatum personale.*

si

QUÆST. VII. si ex defectu illius intentionis, Sacramentum esset irritum.

2. Quia eadem ratio Sacramenti quæ Verbi.

VI. 2. Eadem est ratio Sacramenti, quæ Verbi prædicati, cùm utrumque sit organum Dei, & illud quidem Verbum visibile, hoc verò audibile. At Verbi prædicati efficacia non pendet ab intentione Ministri; sed à virtute ipsa Verbum comitante. Unde Philip. 1. 16. 17. Paulus ostendit nihil interesse, sive ex animo, sive ex contentione prædicetur Euangelium, dummodo prædicetur, innuens peccata ista prædicantium non obesse auditoribus illud cum fidei obedientia amplectentibus. Perperam Bellarminus vult differre Verbum & Sacramentum, quòd illud tantùm significet gratiam, atque adeò quacunque intentione possit excitare fidem, Sacramentum verò gratiam efficiat, quod non fit, si non profertur cum intentione efficiendi. Quia supponitur gratis Sacramentum esse tale signum practicum, quod rem ipsam efficiat, ut postea probabitur. Verbum Dei est efficax non minus quàm Sacramentum, sed efficacia tam Verbi quàm Sacramenti pendet à Spiritu Sancto, non autem à causa instrumentali, quæ dispensat tantùm media externa.

3. Quia actio Sacramentalis penderet ab homine.

VII. 3. Quia actio Sacramentalis non secundùm intentionem principalis agentis, nimirum Dei proficeret, sed secundùm intentionem causæ inferioris, Et sic potiores essent partes Ministri, quàm Dei, Et hominis incredulitas veritatem & fidem Dei redderet irritam contra Paulum Rom. 3. 3.

4. Quia defectus probitatis non impedit Sacramentum.

VIII. 4. Defectus probitatis, & peccatum mortale, ut loquuntur, in Ministo non impedit, quò minus verum Sacramentorum conficiatur, juxta Cano. 12. ubi anathema dicitur iis, qui negant, *Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent servaverit, conficere aut conferre Sacramentum.* Ergo nec defectus intentionis, quæ improbitas maxima est & peccatum mortale, id impediet. Nam quod de genere dicitur, id etiam de specie affirmari potest.

5. Quia nulla esset certitudo de Sacramentorum effectu.

IX. 5. Si veritas & efficacia Sacramentorum pendet ab intentione Ministri, nulla dabitur certitudo de Sacramentorum effectu salutari, Et sic tollitur omnis vera consolatio, quæ ex usu eorum expectatur. Quia cognitio illa est imperveſtigabilis, & nemo mortalium potest infallibiliter certus esse de veritate istius intentionis. Ita nemini potest constare, An sit verè baptizatus citra extraordinariam revelationem. Frustra hic regeritur, non posse quidem haberi certitudinem metaphysicam, quæ est revelatione divina, sed moralem, quæ nititur argumentis humanis, & hanc sufficere, & posse haberi facillimè, quia cùm intentionem habere sit facillimum, nulla sit dubitandi causa de eo, nisi Minister aliquo signo id prodat; Et nos illi acquiescere cogi; qui quum babtizamur in infantia, non possumus aliter scire nos esse baptizatos, quàm ex relatione parentum

tum & amicorum, quæ est certitudo moralis. Nam cùm certitudo ista moralis merè sit conjecturalis, & quæ potius est præsumptio quàm certitudo; nullo modo sufficit ad tranquillandam conscientiam. Dispar verò ratio est certitudinis, quam habere possumus de Baptismo nostro, quia est actus externus in sensus incurrens, cujus potest haberi certitudo indubitata, quia sensu nititur, & certissimis humanis testimoniis. Sed intentio Ministri est interna, & abscondita, de qua nulli possunt, tanquam de re sibi certò compertâ testari. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso* 1. Cor. 2. 11. QUÆST. VII.

X. 6. Eadem intentionis necessitas totum Papatum dubium reddit, & Christianos periculo idololatriæ semper exponit. Nam posito quòd in Sacerdote defuerit intentio baptizandi, vel consecrandi, vel unica vice, nullum erit Sacramentum, atque adeò non erit baptizatus verè, qui aquâ tinctus fuit, & si in posterum evadat ille Sacerdos vel Episcopus, qui quotide Sacramenta administret, & Sacerdotes instituat, nulla erunt ista Sacramenta, quia talis non ritè baptizatus, non potuit ordinari, nec alios consecrare. Unde infinitæ Sacramentorum nullitates eveniunt, quæ totum Papatum incertum & dubium meritò reddunt, ut Ambrosius Catarinus hoc urgebat in Concilio. Sed non minus incommodum oritur ex periculo præsentissimo idololatriæ, in adoratione scilicet hostiæ; cùm propter intentionis defectum, non modò in Presbytero consecrante, sed in Episcopo qui ipsum ordinavit, nec à Presbytero, nec ab ullo alio sciri potest, vel panem transubstantiatum esse in Corpus Christi, vel transubstantiari potuisse. Jam si nullum est Sacramentum, manifestissima idololatria futura est, quia adorabitur id quod nec Deus erit, nec habebit quicquam divini. 6. *Quia totum Papatum dubium reddit.*

XI. 7. Patres non semel hoc confirmant, qui identidem asserunt, *Sacramentorum veritatem non niti moribus, fide & qualitate Ministri, sed Dei institutione, qualiscunque sit Minister exterior, Deum tamen esse interiorem operatorem. Non nocere Ministrum malum, ubi bonus est Dominus. Sacramenta confici non fide utentis, vel administrantis, sed verbis autoris.* Augustin. lib. 7. de Bapt. cap. 53. quærit, Utrum Baptismus mimicè collatus sit baptismus, nec audet definire; ignorabat ergo intentionem Ministri requiri ad essentiam. Lib. 1. cont. literas Petilia. cap. 7. opponit errori Donatistarum de attendenda conscientia dantis, hanc regulam, *Sæpe mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia.* Et epist. 166. circa medium adversus Donat. *Si in eis, qui primò initiati sunt, idcirco religio Baptismatis judicatur infirma, quòd ii à quibus accipitur, peccatores putentur, toties renovari necesse erit traditum Sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptismatis administrator, & fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, nec ex* 7. *Quia Patres nobis favent.*

QUÆST. VII. *divini muneris gratia, sed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendebit*, Et poſtea, *Semper eſt Dei illa gratia & Dei Sacramentum, hominis autem ſolum miniſterium, qui ſi bonus eſt, adhæret Deo, ſi autem malus eſt, operatur per illum Deus viſibilem Sacramenti formam, ipſe autem donat inviſibilem gratiam.* Quod dicit de probitate Miniſtri, idem & de intentione intelligendum. Adeò autem abfuit Antiquitas à Pontificio dogmate, ut Alexander Epiſcopus Alexandrinus ratum voluerit haberi baptiſmum ab Athanaſio puero, aliis pueris per ludicram imitationem illius, quod fieri quotidie videbat in Eccleſia, adminiſtratum, ea tantùm de Cauſa, quòd externus ritus juxta ordinem Eccleſiæ adminiſtratus fuiſſet, ut referunt Sozomenus li. 2. c. 16. Niceph. lib. 8. cap. 40. Non jam dico, quàm rectè hoc dictum ſit, ſiquidem jocularis Baptiſmi adminiſtratio non poteſt cenſeri legitima, nec facta à legitimo Miniſtro; Sed inde tantùm colligo, non credidiſſe intentionem fuiſſe neceſſariam.

Fontes Solutionum.

XII. Licèt Miniſtri Sacramenta adminiſtrantes ſint inſtrumenta ratione utentia; Non ſequitur requiri in iis intentionem relatam ad effectum de quo agitur. 1. Quia eadem ratione evinceretur, Miniſtri prædicationem ſine ejus intentione auditori eſſe inutilem, quia non minus ſunt inſtrumenta ratione utentia in prædicando Evangelio, quàm in adminiſtrandis Sacramentis, quod tamen nolunt Adverſarii. 2. Servi ſunt Dominorum ſuorum rationalia inſtrumenta; nec tamen herus attendit quo animo, & quâ intentione exequantur mandata ſua, dum conſtat mandata ſua verè impleri. 3. Simile quod petitur à Judicibus Politicis à Rege conſtitutis eſt diſſimile. Rex enim dominium aliquod confert circa actiones ab ipſis exercendas, At Miniſtri ſunt tantùm diſpenſatores earum rerum, quarum dominium penes ſolum Chriſtum eſt, qui perpetuò gratiâ & Spiritu ſuo cum Eccleſia conjunctiſſimus eſt. Deficiente ergo Miniſtri intentione, non deeſt intentio Chriſti Domini, qui per Miniſtrum ipſe præſens baptizat & Euchariſtiam confert. Ut ergo negligentia, vel odium ſervi non præjudicat liberalitati Domini; Ita nec prava intentio Miniſtri juxta inſtitutionem adminiſtrantis, promiſſionem Chriſti irritam reddit.

XIII. Verba Sacramentorum non ſunt practica ut rem ipſam efficiant, ſed tantùm ut ſignificent, & obſignent in uſu legitimo, quod efficitur, etſi proferuntur ſine Miniſtri intentione. 2. Diſtinguendæ ſunt perſonæ agentes; aliæ ſunt principales, quæ agunt & loquuntur à ſe, & tunc requiritur intentio relata ad executionem ejus quod mandatur, vel ſunt minus principales, quæ loquantur ab alio, ut quum Præco aut Interpres mandata Principis denunciat, verba ſuam vim habent à Principe etiam ſine intentione cauſæ inſtrumentalis. Intentio requiritur in cauſa primaria, non in inſtrumentis. Ita vis practica Sacramentorum non pendet ex intentione dicentis, ſed ex intentione inſtituentis.

XIV.

XIV. Intentio facit Ministrum, ut velit exercere ministerium, sed non semper ut illud exerceat ex animo, & in eum finem quem debet respicere. Sic requiritur in Ministro volitio exercendi actus externos sacramentales juxta præscriptum Christi; Sed ut Sacramentum sit validum, non requiritur præterea intentio faciendi quod facit Ecclesia vel universalis vel particularis. Quæst. VII.

XV. Licèt intentio Ministri non sit necessaria ad integritatem Sacramenti. Non sequitur patrem in balneo lavantem filium, additis his verbis, *Ego te lavo in Nomine Dei Patris* &c. Vel Sacerdotem in mensa legentem Evangelium recitando ista verba, *Hoc est Corpus meum*, verum Sacramentum efficere. Quia Baptismus talis & Eucharistia verum Sacramentum non est, non quia deficit intentio operativa administrantium, sed quia non observatur institutio Christi, juxta quam Sacramenta à Ministro ritè vocato, in Cœtu publico solenniter & debitâ reverentiâ administrari debent.

QUÆSTIO VIII.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM.

An Sacramenta Novi Testamenti ita physicè operentur gratiam, ut eam ex opere operato, sive adsit fides & devotio, sive non, efficiant & contineant? An potius sint signa & sigilla efficacia gratiæ? Prius Neg. Poster. Affir. cont. Pontif.

I. CIrca Quæstionem de *Efficacia Sacramentorum*, peccatur in Defectu, & in Excessu. In *Defectu* peccant *Sociniani*, qui statuunt Sacramenta esse tantùm notas externas professionis, quibus ab aliis discernimur, contra quos antea disputavimus. Ad quos accedunt illi, qui Sacramenta nuda esse signa volunt, & meras figuras, quæ fidem tantùm excitent & alant, per repræsentationem objecti, non verò per efficacem obsignationem & exhibitionem in usu legitimo. Quæ sententia perperam nobis affingitur à Pontificiis & Lutheranis, quia, ut ante observatum est, volumus esse signa efficacia & practica, quæ rem significatam revera nobis obsignent, & suo modo exhibeant. *In hac Quæstione peccant in defectu Sociniani.*

II. In *Excessu* peccant illi omnes, qui Sacramentis tribuunt quòd sint *In Excessu.*

QUÆST. VIII. *Lutherani* vehicula, & vascula gratiam continentia, vel qui illa faciunt causas gratiæ reales & minus principales. Quales sunt illi ex *Lutheranis*, qui Sacramenta volunt esse ὀχήματα, seu Canales gratiæ, & media physica seu causas reales & instrumentales, per quas exhibeantur & conferantur beneficia morte Christi parta, qui ideo nos arguunt, quòd dicamus Sacramenta esse tantùm sigilla gratiam significantia & obsignantia, ut facit *& Pontificii.* Gerhard. p. 500. de Sacramentis. Sed præcipuè *Pontificii*, qui pertendunt Sacramenta Novi Testamenti esse causas physicas, veras & proprias, quæ gratiam efficiant & conferant ex opere operato; ut definitum fuit in Concilio Tridentino Sess. 7. Cano. 6. 7. 8. ubi tria sanciuntur. Primò ea continere gratiam, quam significant. Secundò dare gratiam semper, & omnibus non ponentibus obicem. 3. dare ex opere operato, id est, ex vi externæ actionis, sine ullo motu, devotione, pietate, fide, aut quavis alia præparatione recipientis. Cano. 6. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem non conferre* &c. *anathema sit.* Et Canon. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.*

III. Licèt autem magnum sit inter Pontificios sententiarum divortium circa istam efficaciam, dum alii volunt Sacramenta continere gratiam, ut effectum in causa sua instrumentali & effectiva, quæ in anima operatur dispositionem ad eam recipiendam: Alii per inhærentem creatam qualitatem, ut medicina continetur in vase, juxta quos sunt causæ physicæ gratiæ: alii per vim assistentem, quia ipsis adhibitis Deus ex pacto gratiam producit & confert, & ita sunt conditiones & causæ sine quibus non: Alii aliis modis explicant, de quibus vid. Chami. de Sacra. lib. 2. cap 1. & Forbes. Instruct. Historic-Theol. lib. 9. c. 2. Omnes tamen in eo conveniunt, Sacramenta gratiam continere, ejusque vehicula esse, eamque, ubi legitimè administrata sunt, actu operari, & proximè & immediatè, atque ex opere operato conferre asserunt. Et ea de causa Concilium in generalioribus subsistere voluit, asserendo quidem Sacramenta continere & conficere gratiam, sed de modo nihil definiendo, ut diversas Scholasticorum opiniones occultaret, & ita libraret verba, ut nulla pars sibi præjudicatum conqueri posset, pro more cothurnis ludendo.

IV. Per *opus operatum* autem Patres Concilii externam Sacramentorum celebrationem intelligunt, quæ non ponentibus obicem peccati mortalis, licèt alioqui fide & pietate vacuis, gratiæ causa & instrumentum sit. Et distinguunt inter eas actiones, quibus pietas excitatur, & quæ gratiam pariunt *ex opere operantis*, id est, non ex ipsius operis, sed ex operantis vi-

viribus & devotione, & eas, quæ gratiam procurent, *ex opere operato*, id est, non ex operantis vel opus recipientis devotione, sed operis ipsius virtute, cujusmodi volunt esse Sacramenta. In quo sequuntur sententiam veterum Scholasticorum, qui excludunt bonum motum suscipientis, ut *Biel*, *Paludanus*, *Scotus*, *Albertus*, & alii. *Biel* in cap. 6. Joh. *Opus operatum est perfectio externi operis sine motu interno.* Biel. q. 3. *Sacramentum dicitur conferre gratiam ex opere operato, sic quod præter exhibitionem signi foris, non requiritur bonus motus in suscipiente.* Recentiores ut *Bellarm. Coninck*, *Valentia*, hac voce nolunt excludi bonos motus, fidei dispositionem, obicis exclusionem, sed tantùm meritum, ita ut idem sit conferre gratiam ex opere operato, ac conferre ex vi ipsius actionis sacramentalis à Deo institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Sed fucum hîc faciunt Adversarii, nec alieni sunt à mente Scholasticorum, qualecunque discrimen quærant. 1. Quia Bellarminiana definitio statuit activè & proximè effici gratiam à sacramentali actione externa, imò id immediate fieri disputat adversus eos, qui fidei actum interserunt, & fidem ac motum internum excludit ab efficacia gratiæ sacramentalis. Deinde quod à veteribus Sacramentis nova hoc pacto distinguit, quòd illa non propriè operabantur gratiam, sed vel fides & devotio suscipientis, vel totius Synagogæ; probat fidei motum non requiri, quia in parvulis administratum Sacramentum valet, etsi fide careant. Denique velint nolint, in istis idem quod illi Veteres, quorum sententiam meritò exagitant nostri, docent, quia cùm omne meritum excludunt, eo ipso bonum motum omnem, & bonam cogitationem, quam volunt esse meritoriam, excludunt. QUÆST. VIII.

V. Sententia nostra est, Sacramenta non operari gratiam physicè & ex opere operato, quasi vim inditam & inhærentem sibi haberent gratiam conferendi & efficiendi, sed tantùm moraliter & hyperphysicè, quatenus sunt signa & sigilla, quæ in usu legitimo gratiam obsignant & exhibent fidelibus, Deo per Spiritus Sancti virtutem, verè præstante & implente in fidelibus, quicquid signis promittit & figurat. Duplex ergo Sacramentis juxta nos tribuitur efficacia. Alia *moralis & objectiva*, per quam Sacramenta nostræ menti illud objectum cui significando & obsignando sunt destinata, sistunt præsens, per quam rationem fides vel excitatur vel confirmatur, & illà mediante spes & sanctificatio augentur. Alia verò *pactionalis*, quâ Deus obsignando per Sacramenta promissionem seu fœdus suum, res ipsas promissas animæ fideli exhibet, vel etiam istarum jam exhibitarum majorem sensum & perceptionem, & per utrumque majores operationes producit. Unde Sacramenta rectè dicuntur exhibitiva, modò exhibitio non intelligatur physicè per realem aliquam continentiam, seu per conjunctionem realem, seu per virtutem aliquam realiter insitam elemento; Sed moralis, quâ ni- *Orthodoxorum sententia.*

QUÆST. VIII.

IX. Tertiò, Quia Verbum non confert gratiam per ullam vim insitam sono, vel literis, sed per solam virtutem Spiritus, qui ipsum comitatur. Eadem autem hîc est ratio Verbi & Sacramentorum, & eodem modo gratiam conferunt, quatenus ambo sunt media externa, quibus Deus utitur ad conferendam nobis gratiam. Deinde eadem est ratio soni in Verbo, quæ actionis externæ in Sacramento; Jam nulla est vis in sono, quia Verbum non juvat, nisi fide temperatum, absque qua sonus aures afficit, non corda. Frustra dicitur differre Verbum & Sacramenta, quòd Verbum sit manus porrigens, & Sacramenta manus applicans. Quia tam manus porrigens, quàm manus applicans, requirunt manum recipientem, id est fidem nostram. Ideo quemadmodum Verbum vocale non justificat, nisi mediante fide, non verò per vim soni externi; Ita Sacramenta, quæ sunt Verbum visibile, non justificant nisi mediante fide, ac proinde non ex ôpere operato, seu vi solius actionis externæ. 2. Omnis manus applicans est etiam porrigens, quia manus illa dicitur applicans, quæ specialiter porrigit.

3. Quia Verbum non est causa physica.

X. Quartò, Quia si Sacramenta physicè gratiam in se continerent, & insitâ virtute conferrent, gratia esset alligata Sacramentis. Quod sine absurditate dici non potest. 1. Quia Deus est agens liberrimum. 2. Quia conferre gratiam insitâ virtute solius est Dei. 3. Quia sine Sacramentis multi salvantur, ut latro in cruce, & cum iis multi damnantur, ut Judas, Simon Magus.

4. Quia gratia non est alligata Sacramentis.

XI. Quintò, Quia nullum Corporale vi suâ potest efficere aliquid spirituale, vel agere in animam. At Sacramenti opus operatum, seu actio externa est quid Corporeum, quod vi suâ non potest efficere gratiam, quæ spiritualis est. Nec dicendum rem corpoream non posse agere ex se in rem spiritualem, sed ex virtute Dei, qui elevet causam instrumentalem, quando Deus illâ utitur in hunc finem. Quia virtus illa deberet constituere aliquam qualitatem in re corporea, quæ sit proportionata ad objectum in quod agit; At nullam virtutem aut qualitatem infundit Deus ipsis signis, aut externæ Sacramentorum actioni, quæ sit proportionata ad objectum in quod Sacramenta agere debent, nimirum in animam: aliàs dicendum erit, sicut anima est spiritualis, ita signis sacramentalibus aut operi operato ex virtute Dei infundi qualitatem spiritualem, quod est absurdum. E. Sacramenta sunt tantùm causæ instrumentales, non physicæ, sed objectivæ & morales, ad quarum præsentiam Deus operetur gratiam istam spiritualem.

5. Quia corporeum non potest agere in animam.

XII. Sextò, Quia ad efficaciam Sacramenti requiritur fides, devotio, & internus animi motus, tum quia id expressè asserit Scriptura, Marc. 16. 16. 1. Cor. 11. 27. Act. 11. 38. tum quia sine fide nihil Deo placere potest Heb. 11. 6. tum quia promissio, quæ in Sacramentis continetur, & fides sunt correlata, tum quia ipsimet Pontificii fatentur ad efficaciam

6. Quia ad efficaciam Sacramenti requiritur fides.

QUÆST. VIII. efficaciam Sacramenti in adultis requiri ſtatum gratiæ, & conſcientiam à peccato mortali defæcatam, quæ ſine fide & devotione dari non poteſt. Imò illud ipſum *non ponere obicem*, quod requirunt, effectum eſt gratiæ & fidei, cùm homo gratiâ & fide deſtitutus, non poſſit non obicem ponere. Quamvis verò fides non ſit de eſſentiâ Sacramenti, ſicut non eſt de eſſentia prædicationis Verbi; tamen ut hæc nihil prodeſt abſque fide Heb. 4. 2. Sic Sacramentorum efficacia nulla eſt ſalutaris in incredulis: aquâ illi corpore lavantur, ſed non corde gratiâ; comedunt panem Domini, ſed non panem qui eſt Dominus. Ideo olim ſolenne fuit fidem & ejus confeſſionem ſtipulari ab iis qui ad Sacramentum initiale admittebantur Act. 8. 36. 37. Et eò Symbolum fidei potiſſimùm inſerviebat.

XIII. Septimò, Cùm Sacramenta non poſſint eſſe efficacia niſi ſub ratione ſignorum & ſigillorum, omnis efficacia eorum pendere debet ex duobus. Primo ex eo quod ſignum illud objectivè menti offert, & ex diſpoſitione facultatis, cui ſignum offertur; ſignum enim nihil efficit, nec objectivè movere aptum natum eſt, niſi facultatem bene conſtitutam nanciſcatur. Et hoc eſt diſcrimen inter cauſas phyſicas & morales, quòd illarum vis ſit talis, ut neque ipſæ ſe noverint, nec egeant interventu notitiæ in eo in quo agunt, ut ſeſe explicent & exerant. At ſigna, ut aliæ omnes cauſæ objectivæ, etſi ſui ipſorum ignara ſint, nihil tamen agunt, niſi ubi cognoſcuntur, & ideo quia cognoſcuntur. Sacramenta autem poſſunt dici agere in nos objectivè trifariam. 1. Quia nos admonent autoris ſui, quod movet ad pietatem & reverentiam. 2. Revocant in animum cauſas, quibus Deus impulſus Sacramenta inſtituit, quod indit animo vehementem gratitudinis ſenſum. 3. Rem ipſam, cui obſignandæ deſtinata ſunt, præſentem animo faciunt, quantum ſigno fieri poteſt, quod fidem confirmat, ſpem auget, & ſanctificationem promovet.

8. *Quia nulla effecta poſſunt oriri à ſignis.*

XIV. Octavò, Quia Sacramenta nulla effecta habere poſſunt, quæ ſint ab ipſis ſignis per inhærentem efficaciam, nec quæ fiant in nobis ſine nobis, nec quæ in nobis per nos fiant. Non illa qualia ſunt adopotio, amor, reconciliatio & ſim. Tum quia Baptiſmus aquæ eſt poſterior hoc genere effectorum; Tum quia eorum præter Deum nulla cauſa dari poteſt; aliàs gratia ejus non eſſet prima & ſola ſalutis noſtræ cauſa. Non iſta, qualia ſunt juſtificationis ſenſus, & ſanctificatio, quia ſi v. g. ſenſus juſtificationis phyſicè per Sacramenta produceretur, homo fide non juſtificaretur contra Paulum. Siquidem ex Pontificiorum mente operatio Sacramentorum per fidem opponitur eorundem operationi phyſicæ; non etiam ſanctificatio, quia à Spiritu S. & fide producitur. At nullum inſtrumentum phyſicè agens adhibetur ad effectum jam productum.

XV. Nonò,

XV. Nonò, Quia si Sacramentorum signa efficerent id quod significant vi aliquâ sibi inhærente, in baptismo ablutio sordium carnis salvaret baptizatum, contra Petrum cap. 3. 1. ℣. 21. *Cui rei nunc respondens exemplar baptismi nos quoque servat, non quò carnis sordes abjiciuntur, sed stipulatio bonæ conscientiæ* &c. ubi duplex ratio affertur. 1. quum negatur salus esse ab ablutione sordium. 2. quum adscribitur interrogationi bonæ conscientiæ, oppositæ externæ ablutioni. Quomodocunque verò intelligatur ἐπερώτημα bonæ conscientiæ, vel pro stipulatione fidei, quæ fiebat conceptis verbis ante baptismum, quum interrogabatur Catechumenus de iis, quæ pertinebant ad internum fidei sensum, *credis*, *credo* &c. Vel de pignore vitæ æternæ, vel de emundatione animi explicatâ per effectum; Certum est sic designari internam animi purgationem, quæ non fiat externâ illâ elementi visibilis applicatione. *Quæst. VIII. 9. ex 1. Pet. 3. 21.*

XVI. Decimò, Patres non semel hoc inculcant distinguendo efficientiam Spiritus & Elementi. Cypria. vel quisquis autor est sermonis de Baptismo Christi, *Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus Sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet* &c. Grego. Nyssen. orat. in Bapt. Christi: *Hoc beneficium non aqua largitur, est enim omni creaturâ sublimius, sed Dei præceptum, & Spiritus, qui mysticè ad nostram libertatem venit, accessus. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem.* Augusti. in epist. Joh. tr. 6. *Aliud est aqua Sacramenti, aliud aqua, quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est, Aqua Spiritus invisibilis. Illa abluit corpus, & significat quod fit in anima. Per Spiritum ipsa anima mundatur & sanctificatur.* Vide eundem in Levi. q. 84. Epist. 23. Et in Joh. tr. 80. Bernard. in Sermo. de Cœna Domini. Nazian. orat. 40. & alios apud Chamier. c. 10. & 11. *10. à Patribus*

XVII. Si Sacramenta dicuntur remittere peccata, salvare, & regenerare Act. 2. 38. & 22 16. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 21. Hoc non præstant *propriâ*, *immediatâ & internâ* vi; ut patet ex 1. Pet. 3. 21. Sed *sacramentaliter* & *improprie*, quia sunt signa efficacia, quibus ea beneficia significantur & obsignantur, & in legitimo usu exhibentur. *Fontes Solutionum. Act. 2. 38. & 22. 16. Eph. 5. 26. Tit. 3. 5.*

XVIII. Sacramenta conferunt quod promittitur, *objectivè* & *moraliter*, fidem excitando ad amplectendam gratiam, & eandem obsignando, non *effectivè*, qualitatem aliquam de novo producendo, educendo, vel imprimendo. Rectè dicuntur *signa practica*, non quòd verè & propriè ac immediatè attingant effectum inditâ aliquâ virtute, sed quia ad eorum præsentiam in usu legitimo Deus certò operatur ad rem ipsam exhibendam, ut percussio petræ baculo facta Exod. 17. fuit signum practicum quod sequebatur, etsi immediatè & suâ virtute illam non exeruerit.

QUÆST. VIII. XIX. Quum tribuitur baptismo remissio peccatorum Act. 22. 16. non tribuitur illi, nisi sub ratione signi & sigilli, non autem sub ratione causæ physicæ veræ, propriæ, & immediatæ, quia remissio in sententia Dei offensi consistit, quæ ideo non potest tribui externæ rei & corporeæ, nisi sub ratione signi & sigilli sententiam illam significantis & obsignantis. Deinde licèt baptismo tribuatur ista remissio, non convenit illi ratione actionis externæ propriè; Sed ratione gratiæ internæ & fidei recipientis; sine qua frustra est omnis ablutio externa.

Act. 22. 16.

XX. Aliud est loqui de baptismo, Aliud de baptismi externa actione. Nec sequitur, baptismo tribuitur vis salvifica Marc. 16. 16. Ergo externæ illius actioni inest illa vis, quæcunque enim vis salvifica tribuitur baptismo, illa non potest illi competere, nisi mediante fide, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, quod patet ex opposito. Nam non dicitur, qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, damnabitur, sed simpli. *qui non crediderit*, ut innuatur defectum fidei solius, non verò baptismi damnare, atque adeò vim vivificam, non baptismo externo, sed gratiæ internæ, quæ operatur fidem, tribuendam esse.

Marc. 16. 16.

XXI. Quum Johannes Baptista ait de se Matth. 3. 11. *Baptizo vos aquâ*, & de Christo, *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto*, non confert baptismum cum baptismo, sed personam cum persona, ut excellentiam Christi supra se demonstret, ad quem solum pertinet baptismum internum administrare, seu rem significatam conferre, ubi Johannes erat tantùm administrator signi externi. Idem de omnibus Ministris dici potest, qui aquam quidem dare possunt, sed non Spiritum. Sed nihil inde colligi potest pro efficientia Sacramenti seu signi externi. Imò baptismus aquæ externus opponitur baptismo interno Spiritus, ut innuatur ad illum non posse spectare collationem Spiritus, sed tantùm ad istum. Ut in sequ. quum de baptismo Johannis agetur, dicemus.

Matth. 3. 11.

XXII. Joan. 3. 5. Aqua, ex qua renasci debemus, non significat baptismum externum, quia sine eo potest obtineri salus; sed virtutem Spiritus Sancti operantem ad modum aquæ in purgatione & renovatione animi; Ideo additur post aquam vox Spiritus ἐξηγητικῶς, ut vox tropica aquæ per propriam declaretur, per endyadin, id est, per aquam spiritualem, seu Spiritum agentem ad modum aquæ.

Joan. 3. 5.

XXIII. Quum Paulus ait 1. Cor. 10. 17. *Unum Corpus multi sumus omnes, quia de uno pane participamus.* Non vult participationem unius panis esse causam, cur simus unum corpus; quia non dicit, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus, sed *qui de uno pane participamus.* Participatio ergo unius panis, probat quidem nos esse unum corpus, sed non argumento desumpto à causa illius unionis, sed tantùm à signo & testimonio

1. *Cor.* 10. 17.

nio illius, quod confirmatur ex comparatione; nam in rebus corporeis re- Quæst. VIII.
ctè probamus membra esse ejusdem corporis, quia eodem cibo aluntur; Sed falsum est eundem cibum efficere unitatem membrorum in corpore, oportet enim prius esse unius corporis membra, quàm eodem cibo ali.

XXIV. Licèt Petrus cap. 3. 1 ℣. 21. conferat arcam, in qua salvatus est Noachus cum familia sua cum baptismo. Non sequitur similitudinem esse in omnibus, sed in quibusdam tantùm, nimirum ut arca efficaciter servavit Noachum è diluvio; Ita etiam baptismus. Sed non quemadmodum arca salvavit physicè, & sine institutione divina; Ita & Baptismus. 2. ἐπανόρθωσις à Petro addita disertè docet se non loqui de baptismo externo, sed de interno, ideoque illi non adscribendam esse salutem, sed isti, quum ait baptismum qui nos salvat, non esse *depositionem sordium carnis*, id est, baptismum externum aquæ; Sed *interrogationem bonæ conscientiæ*, id est, baptismum internum, seu purgationem spiritualem, quam ab effectu vocat *interrogationem bonæ conscientiæ apud Deum*, qui enim internè purus est, & sanguine Christi mundatus, ille bonâ conscientiâ & filiali παῤῥησίᾳ respondet Spiritui interroganti, & vicissim Deum interrogat, & ab eo petit necessaria cum certissima fiducia exauditionis. Perperam verò dicitur Petrum non conferre inter se baptismum internum & externum, sed baptismata Judaïca, & baptismum Christianorum. Nam scopus Apostoli non fuit docere Christianos non salvari baptismis Judaïcis, quia nulla erat ratio cur id inculcaret; Cùm nullus vel affirmaret vel suspicaretur Christianos Judaïcis lotionibus salvari. Et cùm Bellarminus nullo argumento probet quod asserit per depositionem sordium carnis intelligi lotiones Judaïcas, eadem facilitate rejicitur, quâ proponitur. 1. Pet. 3. 21.

XXV. Quamvis Sacramenta adhibeantur non intelligentibus, ut infantibus, & amentibus; Non sequitur non esse signa & sigilla; sed causas veras & proprias, quæ sanctitatem efficiant. Quod patet ex Circumcisione, quæ administrabatur infantibus, quæ tamen ex sententia ipsorum Pontificiorum non poterat gratiam conferre ex opere operato, quia hæc est juxta ipsos prærogativa Sacramentorum N. Test. 2. Intelligentes duplicis sunt generis, alii in actu primo & secundo simul, puta qui rem propositam actu præsenti concipiunt; Alii sunt intelligentes actu primo tantùm, puta qui potentiâ naturali capaces sunt intelligendi. Stultum est adhibere Sacramenta iis, qui non sunt intelligentes actu primo, sed affirmamus posse applicari iis, qui etsi capaces sunt intelligendi, actu tamen secundo non intelligunt. Quoad amentes & dormientes nullum extat exemplum de iis baptizatis. Quoad surdos dicimus posse uti oculis & tactu, & non carere mente, ideo posse iis adhiberi Sacramenta, quæ movent intellectum per visum & tactum.

QUÆST. VIII.

XXVI. Quamvis Verbum prædicatum melius excitaret fidem, quàm Sacramenta; Non sequeretur negligendam esse eorum institutionem. Ratione quidem notitiæ Verbum vocale melius excitat fidem, quàm Sacramenta; Sed non ratione fiduciæ, seu certitudinis, arrhis enim & sigillis major inest certitudo, quàm nudæ promissioni.

XXVII. Absurdum est dicere picturam baptismi in tabella depicti, idem posse quod baptismum, & facere visibilem promissionem. Quia tabula baptismi non respondet institutioni, quæ aquam & lotionem aquæ imperat; Nulla quippe pictura lotionis est lotio, nec lavat quemquam.

XXVIII. Alia est *Certitudo* de natura & *veritate Sacramenti*. Alia *de ejus fructu*, quoad istam dubium non est, quin pendeat à fide recipientis, non minus quàm ab institutione Christi. Sed illa oritur tantùm ab institutione Christi, secundùm quam si administratur Sacramentum, certum est rem ipsam in usu legitimo obsignari & exhiberi.

QUÆSTIO IX.

DE DISCRIMINE SACRAMENTORUM Vet. & Novi TEST.

An differentia Sacramentorum Vet. & Novi Test. in eo consistat, quòd illa adumbrârint gratiam, hæc contineant, illa figuram, hæc ipsum corpus habeant? Neg.

I. QUæstio ista pendet à Præcedenti; Nam ut Pontificii eò magis extollant efficaciam Sacramentorum Novi Testamenti, & sic autoritatem majorem Ministris sacris concilient; deprimunt Sacramenta Veteris. Ut ista fuerint tantùm umbræ & figuræ gratiæ, quam Sacramenta Novi conferant & efficiant. Hinc Bellarminus pertendit aboleri differentiam Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti, nisi ista efficiant, quod illa significabant.

Status Quæstionis.

II. Ut verò Status Quæstionis teneatur, Observ. 1. Non quæri, An aliquod sit discrimen inter Sacramenta Vet. & Novi Testamenti, sed quale & quantum. Agnoscimus enim variam & multiplicem esse convenientiam & differentiam. Utrobique eadem est causa efficiens & autor, nimirum Deus. Eadem res significata, Christus cum suis beneficiis. Idem instrumentum applicationis, nimirum fides. Idem Verbum mandati & promissionis,

sionis, quamvis non eædem utrobique voces. Idem finis, & effectus & modus operandi, significatio, nimir. & obsignatio. Differunt verò in variis 1. *signis & ritibus* externis. 2. *numero*. Vetera fuerunt plura ordinaria, & extraordinaria. Nova pauciora, augustiora & præstantiora. 3. *Facilitate utendi*, quâ nova superant vetera, quod patet, vel ex collatione Baptismi cum Circumcisione. 4. *Significationis modo*, Illa Christum venturum respiciebant & adumbrabant: Ista Christum exhibitum spectant. 5. *Amplitudine objecti*, Illa solos Abrahami posteros obstringebant, Ista ad omnes Gentes pertinent. 6. *Duratione*, Illa ad tempus διορθώσεως, seu adventus Christi durare debuerunt, Ista ad finem seculorum. 7. *Claritate & perspicuitate*, non tam ex signorum materia, quàm ex Verbi adjuncti institutione, quod longè clarius est in Novo Test. quàm fuerat in Veteri. 8. *Efficacia mensurâ & gradu*, qui longè major in Sacramentis novis, quàm veteribus, non in collatione, & efficientiâ rei significatæ, sed in ejus certiori obsignatione. Quæst. IX.

III. Pontificii ulteriùs discrimen istud extendunt, ut non tantùm sit graduale, respectu modi significandi; sed etiam essentiale resp. rei significatæ; Ut Sacramenta Vetera fuerint tantùm umbræ, quæ gratiam significarent. Nova verò causæ veræ & reales, quæ eam efficiant; ut illa gratiam contulerint tantùm ex opere operantis, id est, pro fide, obedientiâ & devotione suscipientium. Ista verò ex opere operato. Concilium Tridentinum Canon. 11. *Anathema dicit iis, qui docent novæ Legis Sacramenta a veteris Legis Sacramentis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi.* Sed hoc breviùs & obscuriùs dictum agnoscit Bellarminus, quia non ignoravit alia discrimina poni à nobis inter Sacramenta Vetera & Nova. Sed callidè Patres, neglectâ veræ differentiæ determinatione, propter apertas Scholasticorum circa hoc caput pugnas, in generalioribus subsistunt, quæ cardinem quæstionis non attingunt. Sed Eugenius in Concilio Florentino in instructione ad Armenos clariùs sententiam communem expressérat, *Antiquæ Legis Sacramenta non causabant gratiam, sed solùm eam per passionem Christi dandam esse figurabant; sed nostra & continent gratiam, & dignè suscipientibus conferunt.* Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 13. agnoscit Scholasticos circa circumcisionem non inter se convenire: *Scotum* scilicet cum discipulis velle circumcisionem ex opere operato contulisse justificationem. *Thomam* verò cum familia sua hoc negare, & asserere justificâsse non vi suâ, sed quatenus fidei protestatio erat; ad quem ipse accedit: quæ sententia communior est inter ipsos.

IV. Quæstio ergo eò redit. An differentia Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti in eo propriè posita sit, quòd illa adumbrârint gratiam, hæc verò contineant? An eadem efficacia quoad rem Sacramentorum veterum & novorum fuerit, licèt diversa quoad modum & gradum. An verò differant

QUÆST. IX. inter se re significatâ & effectu? Pontificii posteriùs affirmant. Nos prius.

Probatur Sacramenta V. & N. T. non differre essentialiter. Ex 1. Cor. 10. 1. 2. 3. 4.

V. Rationes sunt. 1. Quia Paulus 1. Cor. 10. 1. 2. 3. 4. Veteribus Baptismum & Cœnam nostram suo modo tribuit, non utique ratione signorum, quæ diversa fuêre, sed ratione rei significatæ, quia id Veteribus nubes & transitus per mare significabant & obsignabant, quod nobis baptismus, & manna, & aqua ex Petra, quod nobis Eucharistia. Unde dicuntur *comedisse eandem escam spiritualem, & bibisse ex eodem potu spirituali, bibisse enim ex petra, quæ eos sequebatur, Petram autem fuisse Christum.* Ita re signatâ & effectu cum nostris convenire constat, nec ullam nostra præ illis prærogativam habere. Licèt autem Sacramenta ista non fuerint ordinaria, sed extraordinaria, quæ ad breve tempus durare debuerunt, non minus valet argumentum; imò firmius est. Nam si eadem efficacia tribuitur illis, quæ ad tempus fuerunt instituta, quæ novis; multò magis tribuenda erit ordinariis tamdiu duraturis, quamdiu Veteris Ecclesiæ œconomia. Nec dici potest, non fuisse Sacramenta, quia fuerunt communia brutis. Quia sic baptismus Christi, & baptismus Eunuchi non fuisset Sacramentum, quia bruta etiam ex aquis Jordanis bibere poterant. Sed distingue usum communem signorum, secundùm quem sunt res purè naturales, quibus bestiæ uti possunt, & peculiarem seu sacrum, secundùm quem hæc sunt Sacramenta. Ita manna & aqua secundùm usum communem potuerunt communia esse brutis, sed non quoad sacrum, de quo hîc agitur. Hinc Paulus non vocat manna spirituale & aquam spiritualem, sed *cibum & potum spiritualem*, quia manna, quatenus manna, & aqua, quatenus aqua, res erant corporales omnibus etiam bestiis obviæ; sed spirituales tantùm dictæ, quatenus talis cibus & potus, id est, spiritualiter, quomodo sunt Sacramenta nostra spiritualia.

VI. Perperam additur à Bellarmino *cibum & potum istum spiritualem* dici, non propter *effectum*, sed propter *causam*, quia utrumque miraculosè operâ Angelorum productum fuit. Unde Manna vocatur panis Angelorum. Quasi verò, qui de usu vel abusu Sacramentorum disserit, satis habuerit efficientem causam, de quo nulla erat controversia, indicare, prætermisso fine & effectu, de quo præcipua erat quæstio. Deinde gratis supponitur cibum dici spiritualem à causa, cùm constet ex verbis sequentibus, ita vocari effectu seu Christi significatione, dum addit, *Petram fuisse Christum*, non Christum ex petra rivos eduxisse, sed ipsam Petram fuisse Christum, quod aliter dici nequit, quàm *spiritualiter*, nec aliter intelligi, quàm *significativè*, qui est effectus omnium Sacramentorum: aliàs non potuisset dicere Paulus Israëlitas ex illa petra, quæ Christus erat, potâsse, si Christus in ea symbolicè bibendus non proponebatur. Spiritualis ergo cibus & potus dicitur, quia non solùm corporaliter ore, sed

etiam

etiam spiritualiter fide erat percipiendus, quem finem tantò præstantiorem propinquo & infimo de alendo corpore, quantò divina terrenis sunt præstantiora, quia Israëlitarum plerique, non magis quàm bruta respexerunt; ideo severissimè hunc contemptum ultus est Deus. Nec reponendum, si cibus spiritualis dicitur, quia est spiritualiter intellectus, tum justos tantùm eum manducaturos fuisse, contra Paulum, qui Patres omnes, etiam eos, qui Deo non sunt probati, eundem cibum manducâsse asserit. Quia aliud est cibum esse *spiritualiter intellectum*, aliud *spiritualiter intelligendum*. Cibus quidem spiritualis dicitur, quia fuit spiritualiter intelligendus ex Dei institutione, sed non statim quasi spiritualiter ab omnibus intellectus fuerit, ideo potuit à bonis & malis promiscuè manducari, sed ab illis quidem secundùm institutum Dei intellectum, sed ab his per abusum, non intellectum. Quæst. IX.

VII. Non solidiùs Bellarminus excipit, *Paulum*, non dicere *Israëlitas nobiscum eandem escam spiritualem manducâsse, sed secum & inter se.* Quia scopus Apostoli repugnat, qui est ostendere, Corinthios non debere contemnere judicia Dei fiduciâ externorum symbolorum, exemplo Israëlitarum, qui, quamvis nobis fuerint pares quoad salutis tesseras, eademque quoad rem significatam nobiscum Sacramenta habuerint, non effugere potuerunt Dei judicia, quod argumentum planè nullum esset, nisi collatio institueretur inter Sacramenta vetera & nova. 2. Verba hanc glossam non possunt pati, tum quia baptismi nomen datur transitui per mare, quod sine ratione fieret, nisi quoad rem signatam & effectum convenirent, & mannæ & aquæ ex Petra nomen Christi, qui est res significata Eucharistiæ. Denique nulla fuit data occasio Paulo tam seriò monendi Patres eandem mannam, eandemque aquam inter se comedisse, siquidem nemo unquam vel somniando cogitavit varium & multiplex mannæ & aquæ genus fuisse Israëlitis exhibitum. Locus Joan. 6. 58. quem Bellarminus stabiliendæ sententiæ suæ adduxit, non evertit nostram, sed symbolum externum, sive Sacramentum à re Sacramenti distinguit. Hoc enim vult Christus, Patres, qui in externo illo cortice hæserunt, neque aliud quàm cibum corporeum in manna respexerunt, spiritualem vitam inde non hausisse, sed mortuos fuisse; quemadmodum, qui inter Corinthios non discernebant Corpus Domini, nec majore reverentiâ ad sacram, quàm ad profanam mensam accedebant, à Deo puniti, morbisque ac morte affecti sunt 1. Cor. 11. 30. Nec ita loquens Christus errorem Judæorum foviisse dici potest, sed ipsos à signis ad rem significatam, id est, ad seipsum, in quo est vita, revocavit, docens nihil esse Sacramentum, cùm secluså escâ spirituali, sola symbola percipiuntur. *Joan. 6. 58.*

VIII. Secundò. Quia Circumcisio non figuravit tantùm gratiam, sed in legitimo usu contulit, Gen. 17. 7. Rom. 4. 11. ubi vocatur sigillum justitiæ 2. *A Circumcisione, quæ fuit sigillum justitiæ fidei.* *Gen. 17. 7. Rom. 4. 11.*

QUÆST. IX. justitiæ fidei. Sigillum autem non nudè figurat, sed in rei possessionem mittit. Adde quod Circumcisio dicitur fœdus Dei, in quo Deus pollicetur se fore Deum Abrahami, & seminis ejus, quod utique infert communicationem gratiæ salutaris, & complectitur specialem Dei amorem, quô Electos prosequitur. Jam quæ ratio fuit Circumcisionis, eadem est cæterorum Veteris Testamenti Sacramentorum. Nec regeri potest promissionem, quâ Deus Abrahamo pollicetur se fore Deum ipsius, fuisse tantùm protectionem temporalem, nec ultra terminos hujus vitæ extendi. Nam fœderis natura, & ratiocinatio Christi invictè ostendit promissionem hanc extendi usque ad immortalitatem animæ, & resurrectionem corporis, id est, ad plenam felicitatem, ad quam ideo dicuntur Patriarchæ aspirâsse tanquam ad patriam cœlestem, Heb. 11. 16. Eò pertinet quod Deus pollicetur se fore mercedem amplissimam Abrahami Genes. 15. 1. Quis verò dixerit eum, cujus est merces Deus, nihil nisi terrenam mercedem habere? Denique justitia fidei, cujus fuit sigillum circumcisio, includit remissionem peccatorum, & salutem, quæ Abrahamo obsignata dicitur per Circumcisionem tanquam patri Credentium, quibus eadem gratia promittitur & obsignatur in Sacramentis N. Testamenti, iis scil. omnibus, qui sequuntur vestigia fidei Abrahæ.

3. Ex permutatione nominum.

IX. Tertiò. Quia datur permutatio nominum inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti, quæ promiscuè tribuuntur fidelibus utriusque Testamenti; Nam ut Circumcisio & Pascha nobis tribuitur 1. Cor. 5. 7. Col. 2. 11. Ita & Baptismus & Eucharistia Veteribus 1. Cor. 10. 2. 3. 4. quæ permutatio non haberet locum, nisi paritas esset & identitas essentialis inter Sacramenta utriusque Testamenti, quæ cùm non detur inter signa, dari debet respectu rei significatæ & effectus.

4. Ex Verbo promissionis.

X. Quartò. Quia utraque Sacramenta Verbo promissionis conveniunt Gen. 3. 15. & 17. 7. Act. 2. 38. 39. Rom. 4. 10. 11. Galat. 3. 29. Ergo & re signatâ, quæ in Verbo illo includitur.

5. Ex regno cœlorum promisso Patribus.

XI. Quintò. Quia non aliud regnum cœlorum Christus promittit fidelibus Novi Testamenti, quàm illud in quo cum Abrahamo & reliquis Patriarchis accumbunt Matt. 8. 11. Non aliam etiam, sed eandem omnino gratiam, in utriusque populi Sacramentis exhibet & obsignat; quia Christus idem est heri, hodie, & in secula Heb. 13. 8. cujus diem Abrahamus vidit & gavisus est, & qui ad Corporis & Sanguinis sui communionem in Cœna nos invitat.

Fontes Solutionum.

Heb. 10. 1. Coloss. 2. 17.

XII. Sacramenta Veteris Testamenti ita fuerunt umbræ & typi rerum futurarum Heb. 10. 1. & Coloss. 2. 17. in χάρτῃ sua Legali, ut Corpus etiam ipsum, nimirum Christum cum suis beneficiis, suo modo exhibuerint & applicaverint in χάρτῃ Evangelicâ. Deinde dicuntur umbræ, non respectu Sacramentorum nostrorum, sed respectu Christi, qui est veritas omnium

omnium typorum Joan. 1. 17. & Corpus umbrarum Col. 2. 17. Si vocantur à Petro ἀντιτυπα cap. 3. 21. 1ª, non ideo fit quòd sint typi nostrorum Sacramentorum, sed quia sunt typi similes & correspondentes nostris, qui illis sunt subrogati. Quæst. IX.

XIII. Si expiatio peccatorum tribuitur Sacramentis N. Test. Act. 2. 38. Act. 22. 16. non est propria & realis, quæ soli sanguini Christi competit, sed moralis & sacramentalis, quæ non minus tribuitur Sacramentis V. T. Levit. 1. 4. & 4. 26. licèt propria & realis expiatio illis detrahatur Heb. 9. 10.

XIV. Sacramenta Veteris Testamenti dicuntur nihil esse 1. Corint. 7. 19. nihil valere Gal. 6. 15. esse infirma & egena mundi elementa, partim quando spectantur in se simpliciter ratione signorum oppositè ad rem signatam, quo pacto eadem est ratio nostrorum, quum in solo ritu externo spectantur; Vel respectu abrogationis post ortum Solis justitiæ, qui umbras illas dispulit; Vel respectu abusus hominum, qui contra divinam institutionem & legitimum earum usum errore exitiali, iis per se gratiam, quæ morti Christi & Spiritui S. adscribenda erat, alligabant. 1. Cor. 7. 19. Gal. 6. 15. Gal. 4. 3.

XV. Promissio gratiæ annexæ Sacramentis Veteris Testamenti æquè fuit absoluta, ac ea quæ Sacramentis Novi additur, quia fuerunt signa ejusdem fœderis Gen. 17. Quod verò N. Test. dicitur sancitum præstantioribus promissis non intelligitur ratione rei promissæ, quæ utrobique eadem fuit, sed ratione modi promittendi, qui & clarior & amplior, & efficacior fuit. Loca Jerem. 31. & Heb. 8. 22. non substantiale aliquod discrimen inter vetera & nova Sacramenta constituunt, sed collationem inter Legem & Evangelium, inter justitiam fidei & operum instituunt. At quemadmodum Evangelicæ gratiæ per fidem participes fuerunt pii Israëlitæ: Ita & ejusdem gratiæ pignus & sigillum in Sacramentis acceperunt. Jerem. 31. Heb. 8. 22.

XVI. In Sacramentis distinguendum est materiale à formali. materiale est signum cum ritibus externis, qui non justificant. Sed formale est res ipsa significata, Christus cum suis beneficiis, à quo solo est justificatio. Sacramenta Vetera eadem fuerunt cum nostris, non quoad materiale, sed quoad formale.

XVII. Licèt Caro Christi nondum existeret sub Veteri Testamento; tamen justitia per Carnem parta priscis Patribus, in ipsorum Sacramentis, non minus verè fuit obsignata, quàm veræ ac certæ sunt promissiones Dei, cui futura omnia sunt præsentia, quique ea fidei eorum, qui Sacramentis utuntur, etiam quodammodo præsentia & existentia efficit. Ita semper præsens, non solùm Deo, sed & fidei oculis, pro eorum captu & modulo, fuit Christus totus, totumque Salutis nostræ mysterium: quod tum in Verbo, tum in Sacramentis ac Sacrificiis firmiter & efficaciter am-

QUÆST. IX. amplexi sunt omnes omnium temporum fideles, eadem quippe est fides, sive nasciturum Christum respiciat, qualis erat illa Veterum, sive jam natum, qualis est nostra.

*. XVIII. Si Scriptura quibusdam in locis dignitatem Veterum Sacramentorum extenuat, non ideo facit, ut Sacramenta nova præ Veteribus extollat; Sed ut efficacia mortis Christi supra ritus Legis & sacrificia extollatur. Nec adimitur sacrificiis efficacia expiandi peccata, aut regenerandi, ut Baptismo aut Eucharistiæ vindicetur; Sed ut morti Christi & Spiritui Sancto attribuatur Colos. 2. 11. Heb. 9. 12. 14. & 10. 4. 5.

QUÆSTIO X.

DE CHARACTERE.

An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, imprimatur Character in anima, id est, Signum Spirituale & indelebile? Neg. cont. Pontif.

Status Quæstionis.

I. POntificii docent characterem esse signum impressum, sive in animæ substantia, sive in ejus potentiis, vi & efficaciâ trium Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis; Et hanc volunt esse causam, propter quam hæc tria Sacramenta non sunt iteranda, quòd nempe imprimant characterem indelebilem.

II. Sic habet Canon. 9. Sess. 7. Concil. Triden. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, Anathema sit.* Ubi callidè celant, & nolunt definire quæstiones de hoc charactere magno numero à Scholasticis agitatas, dissimulantes scilicet morbos domesticos, & propugnantes suorum sententias. Disputant enim acriter inter se, An iste character pertineat ad gratiam? An sit ens absolutum, An verò relatum? Quoad subjectum, An sit in animæ substantia, An in ejusdem potentiis, Et si in potentiis, An in intellectu, An in voluntate? Ad quam etiam qualitatis speciem referri possit.

III. Nos missis vanis Scholasticorum pugnis, illud quicquid est commenti ex Ecclesia & Schola sanioris Theologiæ eliminandum profitemur, cùm talis character, neque in Scriptura tradatur, nec idonea ulla ratione fulciri possit. Dicimus fideles duplex habere sigillum, internum unum, nimirum Spiritum Sanctum, quô obsignantur in diem redemptionis

Ephes.

Ephes. 4. 29. alterum externum, nimirum baptismum, quò distinguimur à Turcis, Judæis & aliis infidelibus, sed nullum alium characterem agnoscimus. Quæst. X.

IV. Primò. Quia omnis Sacramentorum efficacia est ab eorum institutione. At character ille indelebilis non est ab institutione ullius Sacramenti. Cùm enim institutio complectatur tantùm signum externum, & rem significatam. Character verò iste ad neutrum pertineat, sequitur non pendere ab institutione. Jam autem constat characterem, neque ad signum externum pertinere, nec ad rem significatam. Non ad signum, quia signum sacramentale est externum incurrens in sensus: Character verò ille est invisibilis, & fingitur imprimi in anima; Non ad rem significatam, quia res significata est gratia, & ad gratiam pertinere characterem istum negant Pontificii, quia manet in damnatis, cùm sit indelebilis. In damnatis autem non est gratia. *Probatur non dari characterem indelebilem in Sacramentis.*

V. Secundò. Quia non potest character iste nos discernere, nec apud Deum, nec apud homines. Non apud Deum, quia is utpote καρδιογνώστης tali charactere non indiget: Non apud homines, quia id non facit, nec in hac vita, quia dicitur esse spiritualis, qui in sensus non incurrit, nec in futura, quia in ea, nec damnati, nec glorificati hac discretione indigebunt.

VI. Tertiò. Quia supponitur falsò Confirmationem & Ordinem esse Sacramentum, ut postea probabitur. Et si Baptismus est Sacramentum, non est determinatus à Deo ad eam, quam adversarii illi affingunt, operationem.

VII. Quartò. Quia Sacramentorum eadem est operatio, eadem efficacia, saltem quoad speciem. At Eucharistia secundùm illos nullum characterem imprimit aut relinquit; ut nec Sacramenta Veteris Testamenti. Adde quod nulla ratio est, cur gratia sanctificans dicatur effici ab omnibus Sacramentis, non verò character; qui effectus est secundarius, qui cadit etiam in impios.

VIII. Quintò. Quia nulla est talis characteris utilitas, nam quicquid ipsi tribuitur, vel ad gratiam sanctificantem pertinet, ut aptos nos redderet ad cultum Dei, & configuraret Christo, vel ad ipsum Sacramentum externum, ut discerneret nos ab aliis Sacramentum non suscipientibus. Adde quod hoc non minus aliis competit Sacramentis. Denique cùm character ille inveniatur in impiis, non potest dici nos configurare Christo, nisi velimus impios esse conformes Christo.

IX. Sextò. Non alium in finem character iste sequioribus temporibus post Gratianum & Lombardum invectus est, quàm ut Sacramenti certitudo fluxæ arenæ inædificaretur, & vera consolatio, quæ ex Sacramentis hauriri debet, tolleretur.

X. Septimò. In Concilio non pauci talem characterem in dubium vocabant, tum quia nec Gratianus, nec Lombardus ejus meminissent, imò

QUÆST. X. Scotus diceret, *Neque Scripturæ, neque Patrum verbis necessariò esse pœnendum.* Et Biel post longam disputationem subjicit. *Omnia quæ de charactere dicuntur pro magna parte esse voluntaria, & modica ratione suffulta; Neque auctoritatem Scripturæ, nec S. Patrum cogere, ut ponamus characterem hoc modo intellectum.*

Fontes Solutionum.

XI. Unctio & obsignatio per Spiritum Sanctum, de qua Paulus loquitur 2. Cor. 1. 21. 22. Eph. 4. 30. nihil habet commune cum Sacramentali charactere, nec quoad nomen, nec quoad rem. Non quoad nomen, quia nomen characteris ibi non occurrit, nec de Sacramentis ibi sermo est; Non quoad rem, quia per unctionem & obsignationem illam metaphoricè declaratur communicatio gratiæ spiritualis, & confirmatio cordium de adoptione nostra filiali, ac salute æterna. Utraque est propria fidelium, nec minus ad Vetus quam ad Novum Testamentum pertinet, quod dici nequit de commentitio Pontificiorum charactere. Nec abnuunt varii ex Adversariis, ut Cajetanus, Dionysius Carthusianus, & Thomas, qui alia omnia, quàm istum characterem intelligunt.

2. Cor. 1. 21. 22. Eph. 4. 30.

XII. Licèt Circumcisio relinqueret aliquod resecti præputii cauterium; Non sequitur in baptismo imprimi aliquem characterem in anima. Quia non necesse est ut iste respondeat illi per omnia. Sufficit ut aliqualis detur similitudo. Nec Baptismus Circumcisioni respondet ut res significata signo, sed ut novus typus respondens veteri. Deinde Scriptura non docet illam cicatricem habuisse ullam significationem, & si quid significavit, significavit non characterem Pontificiorum, sed potius signaculum Spiritus, quô fideles distinguuntur ab infidelibus. Vel simpliciter ritum externum baptismi, quô distinguuntur Christiani à non Christianis.

Apoc. 7. 3.

XIII. *Sigillum* quô signandi dicuntur servi Dei in frontibus Apoc. 7. 3. non potest esse character sacramentalis, qui communis est tam piis quàm impiis, sed est partim sigillum internum, nempe Spiritus adoptionis, qui solis fidelibus Christi servis datur ad eos obsignandos in diem redemptionis, ut salus eorum extra omne ponatur periculum, vel externum nimirum professio nominis Dei, quâ ab infidelibus discernuntur. Nihil aliud vult Spiritus Sanctus quàm certam ipsorum per Dei sui providentiam custodiam designare, alludendo ad morem hominum, qui notam aliquam imprimunt conspicuam rebus illis quas custodire, & à communibus secernere cupiunt.

Isa. 66. 19.

XIV. Quum Isaïas c. 66. 19. dicit, *Gentes venturas & visuras gloriam suam, & Deum positurum in iis signum.* Non potest intelligi character animi intus latens; Sed fidei Christianæ professio & prædicatio intelligitur, quæ est instar vexilli ad quod homines debent concurrere, ut congregentur sub Christo. Non huc pertinet etiam, vel ex ipsius Bellarm. judicio, si-

signum in fronte appositum fidelibus, de quo Ezech. 9. 3. ut eximantur à judicio imminenti Jerosolymæ, quia nota ista est propria fidelibus, non communis impiis. Quæst. X. Ezech. 9. 3.

XV. Causa cur Baptismus non iteretur, sacra verò Cœna sæpe repetatur; non est quòd Baptismus characterem imprimat, Eucharistia verò non: Sed quia baptismus est introitus in Ecclesiam, & signum admissionis in fœdus, quod non iterandum est; Eucharistia verò Sacramentum est nutritionis spiritualis, ad quam sæpe recurrendum. Nec si secundus baptismus non datur iis, qui postquam defecerunt à fide Christiana ad eam redeunt, ideo fit quòd baptismus characterem indelebilem imprimat, sed quia vis baptismi semel collati, & promissio Dei in eo manet, quem Deus decrevit ad pœnitentiam revocare.

QUÆSTIO XI.

DE BAPTISMO.

Quid sit Baptismus, & Quotuplex?

I. EXplicatâ naturâ Sacramentorum in genere, In specie agendum est pro ratione instituti nostri de Sacramentis Novi Testamenti, quæ duo tantùm esse supponimus, Baptismum & S. Cœnam, rejectis quinque falsis à Pontificiis additis, de quibus postea disputandum erit.

II. Fundamenta Numeri binarii sunt. 1. *Christi institutio*, Quia nulla alia leguntur à Christo instituta, præter Baptismum & Cœnam. 2. *Natura Sacramentorum*; Quia solis iis competunt attributa essentialia ad Sacramenti constitutionem, ut quòd sint instituta à Christo, ad significandam & obsignandam gratiam salutarem; quòd in iis sint signa materialia & visibilia, apta ad rem significatam analogicè significandam. Quòd sint perpetui & communis usus in Ecclesia. 3. *Pauli testimonium*, qui duorum istorum tantùm meminit, sive comparatè ad Sacramenta extraordinaria Israëlitarum in deserto 1. Cor. 10. 1. 2. 3. sive relatè ad rem significatam 1. Cor. 12. 13. 4. *Analogia Sacramentorum ordinariorum Veteris Testamenti*, qualia duo tantùm fuerunt, Circumcisio, & Pascha, Illa baptismo, Ista verò Cœnæ respondet. 5. *Necessitas gratiæ*, quæ requiritur ad vitam spiritualem in fidelibus producendam & perficiendam; & quam Deus vult per Sacramenta nobis obsignare. Duo enim imprimis necessaria esse constat, primò

Fundamenta numeri binarii Sacramentorum.
1. *Christi institutio.*
2. *Natura Sacramentorum.*
3. *Pauli testimonium.*
4. *Analogia Sacramentorum V. T.*
5. *Necessitas gratiæ.*

QUÆST. XI. primò ut vita nobis detur; deinde ut data conservetur & alatur; Nativitas Baptismo, nutritio verò Cœnâ adumbratur. Hinc ille *Sacramentum initiationis*, & lavacrum regenerationis dicitur. Ista verò *Sacramentum confirmationis, & nutritionis.* Per Baptismum regeneramur, per Cœnam nutrimur ad vitam æternam. Per illum recipimur in fœdus, Per istam in eo conservamur.

III. Ut verò prius est nasci, quàm pasci, & recipi in fœdus, quàm in eo conservari; Baptismus prior est ordine tanquam προπύλαιον & πρόθυρον, seu porta gratiæ, de quo proinde prius est disputandum. Ut videamus primò vocis originem, deinde ejus homonymiam, & multiplicem usum, sive apud sacros, sive apud Ecclesiasticos Scriptores.

Baptismi Etymon. IV. *Baptismus* vox est origine Græca, quæ à verbo βάπτω deducitur, quod est *tingere* & *imbuere*, βαπτίζειν, *intingere* & *immergere.* Plut. de Superst. Βαπτίζον σε εἰς θάλασσαν, *merge te in mare*, Et in vita Thesei recitat versiculum Sybillæ de Athenis, qui aptiùs competit Ecclesiæ.

Ἀσπὶς βαπτίζῃ δῦναι δὲ τι οὐ θεμιστόν,
Mergeris uter aquis, sed non submergeris unquam.

Hinc plus est quàm ὑποπλάζειν, quod est *leviter innatare*, & minus quàm δύνειν, quod est *pessum ire*, id est, ad exitium fundum petere. Quia verò ferè aliquid mergi & tingi solet, ut lavetur, & qui immerguntur solent ablui; hinc factum, ut quemadmodum apud Hebræos שכל quod LXX. vertunt βαπτίζω 2. Reg. 5. 14. etiam accipiatur pro רחץ, quod est lavare. Ibid. Ita apud Græcos τὸ βαπτίζειν per metalepsim pro eodem usurpetur Marc. 7. 4. *Judæi non edunt ex foro reduces, nisi laverint se*, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται. Nec aliter intelligenda sunt baptismata calicum, urceorum, & lectorum apud Judæos usitata. Et διάφοροι βαπτισμοὶ Judæis præscripti, de quibus Heb. 9. 10. & superstitiosæ lotiones à Traditione Veterum acceptæ, de quibus Marc. 7. 4. Unde Pharisæi propterea dicti sunt βαπτισταὶ Justino. Et secta τῶν ἡμεροβαπτισῶν, de qua Epiph. hær. 17. qui quotidianum baptismum urgebant, & contendebant, sic ablutum ἀπολύεσθαι καὶ ἁγνίζεσθαι ἀπὸ πάσης αἰτίας.

Homonymia. V. Ex hac verò duplici significatione mergendi & abluendi, duæ aliæ metaphoricæ deductæ sunt. Prior ut baptismus ponatur pro *afflictione* & calamitate, juxta stylum Scripturæ, quò afflictiones gurgitibus aquarum conferuntur Psal. 69. 1. 15. 16. & Psal. 18. 17. & 32. 6. Eo sensu sumitur Matth. 20. 22. Luc. 12. 50. Et non pauci intelligi volunt *baptismum ὑπὲρ νεκρῶν*, *pro mortuis*, de quo Paulus 1. Cor. 15. 29. relatè ad violentas Martyrum aut Confessorum perpessiones, *pro mortuis*, seu pro fide Resurrectionis mortuorum, vel *propter mortuos*, seu propter spem de mortuis, vel propter mortuum,

tuum, nimirum Jesum per enallagen numeri. Licèt alii malint baptismi vocem propriè sumere, & referre, vel ad baptismum vicarium, vel ad baptismum clinicorum, qui obtinebat inter Veteres, ut totum hoc argumentum celeberrimus *Spanhemius* accuratissimè & doctissimè more suo exequitur, in eximia, quam in hunc Pauli locum *δυσέρμηνον* exaravit dissertatione. Posterior ut transferatur ad miraculosam donorum Spiritus Sancti effusionem, quia in animam effundi solent, ut eam imbuant & abluant Matth. 3. 11. Act. 1. 5. Tit. 3. 5. ex Veteri Testamento, ubi Spiritus communicatio per aquarum effusionem solet adumbrari. Isa. 44. 3. Joël 2. 28. Quæst. XI.

VI. Ex ista homonymia oritur distinctio triplicis baptismi apud Veteres, *fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis*. Baptismus *fluminis* Sacramentum aquæ designat. *Flaminis*, Spiritus Sancti effusionem, vel ordinariam ad conversionem, vel extraordinariam ad dona miraculosa. *Sanguinis*, martyrium eorum, qui baptismo nondum percepto pro fide Christi decertantes ad sanguinis usque profusionem resistebant, de quibus Basil. hom. de 40. martyribus dicit, quòd *ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι ἐβαπτίσθησαν*, *In proprio sanguine sunt baptizati*. Distinctio ferenda si æquivocationem solvat, non toleranda, si baptismum in species dividat, quia non est divisio rei in suas species; sed tantùm distinctio nominis æquivoci in sua æquivocata. Addunt nonnulli quartam speciem, nimirum *baptismum luminis*, quô notari volunt doctrinam ab aliquo prædicatam, quo sensu intelligi volunt locum Matth. 21. 25. & Act. 18. 25. ubi agitur de baptismo Johannis. Sed minùs commodè si sumatur exclusivè ad baptismum fluminis, qui Veteribus dictus est *φωτισμὸς*, seu *illuminatio*; Nec loca allata hoc probant, quia utrobique intelligitur baptismus fluminis, sub quo per synecdochen partis, vel adjuncti doctrina Johannis, vel totum ejus ministerium comprehenditur.

VII. Melius verò baptismus distinguitur in *externum* aquæ, visibilem qui fit ab homine, & *internum* ac invisibilem Spiritus, qui fit à Deo, quicquid opponant hic Lutherani. Expressè enim hæc distinctio traditur à Johanne Baptista Matth. 3. 11. *Ego quidem vos baptizo aquâ, sed ille vos baptizabit Spiritu Sancto & igne*, & confirmatur à Christo Act. 1. 5. Ita Petrus apertè distinguit baptismum, quô sordes corporis abluuntur externè, ab eo qui consistit internè in stipulatione bonæ conscientiæ 1. cap. 3. 21. Eodem modo, quô Paulus duplicem circumcisionem distinguit, Rom. 2. 28. Col. 2. 11. Unam carnis & literæ; aliam Spiritus in corde. Hoc pacto verò non facimus duplex Sacramentum, sed distinguimus rem terrenam & cœlestem Sacramenti, signum & rem significatam, quæ synecdochicè nomine totius designentur. Vel duplicem operationem in eodem baptismo designamus, unam Christi, alteram Ministri. Matth. 3. 11. 1. Pet. 3. 21.

VIII.

QUÆST. XI. VIII. Veteres varia baptismatis genera recensent. Alii tria, alii sex, ut Damascenus li. 4. Fid. Orthod. c. 10. Primum est *universalis diluvii* delentis peccatores, quod Baptismi antitypum Petrus ait 1. cap. 3. 21. Tertull. li. de Baptis. vocat *baptismum mundi.* Secundum est *baptisma per mare & nubem*, de quo Ap. 1. Cor. 10. 1. 2. quando Moses pertransivit mare rubrum, ubi mare quidem aquæ baptismatis, columna verò nubis, quæ noctu prælucebat, Spiritus Sancti fuit antitypus, Cypria. li. 4. ep. 6. Chrysost. in 1. Cor. 10. Tertium est *baptismus legalis* quò immundi se vestesque suas lavabant juxta Legem Mosaïcam. Quartum est *baptismus Joannis* βαπτισμικὸν baptizantis ad resipiscentiam solùm, ὕπω δε ὅλον πνευματικὸν. Quintum Domini nostri Jesu Christi ὅλον πνευματικὸν, quò vel ipse non indigus baptismi, à Johanne, nostri causâ baptizatus fuit, vel quò nos aquâ baptizat & Spiritu. Sextum *pœnitentiæ & lacrymarum* ὄντως ἐπίπονον. Septimum *sanguinis & martyrii.* Octavum non salutare, sed lethale pœnarum æternarum, quibus peccatores flammantibus tartarei diluvii ignis immerguntur ad æternum exitium.

IX. Nobis hìc Baptismus sumitur propriè & antonomasticè pro *primo Novi Testamenti Sacramento, quò per externam aqua aspersionem & ablutionem, declaratur & obsignatur fidelibus interna ipsorum absolutio, tam quoad remissionem peccatorum, quàm quoad sanctificationem per Sanguinem & Spiritum Christi.* Vel paulò plenius dicitur *Primum Ecclesia Christiana Sacramentum, quò fœderatis in Dei familiam eo ipso receptis externâ aqua aspersione in Nomine S. S. Trinitatis, peccatorum remissio & regeneratio per Sanguinem Christi & Spiritum Sanctum offertur & obsignatur*; Ut colligitur ex locis Matt. 28. 19. Rom. 6. 3. 4. Tit. 3. 5. 6. Act. 2. 38.

Autor Baptismi. X. Efficiens & Autor Baptismi est Deus, quia *è cœlo*, id est, à Deo esse dicitur, non ab hominibus Matth. 21. 25. Et qui primus baptizavit, eum ad baptizandum Deus misit Joan. 1. 33. Sed cùm initio institutus esset pro solis Judæis, dum per Johannis Baptistæ ministerium administratus est, Christus iteratâ institutione usum ejus ad omnes Gentes, prædicatione Evangelii convertendas, extendit Matt. 28. 19. Qui tamen baptizâsse non legitur Joann. 4. 2. ut qui baptizaturus erat Spiritu & igne Matt. 3. 11. Administri baptismi sunt Pastores & Præcones Evangelii, sive ordinarii, sive extraordinarii; Et ii quidem soli, quia ad quem pertinet prædicare Verbum, ad eum etiam pertinet Sacramenta administrare; Nec ullius necessitatis obtentu à Christi mandato & ordine discedere licet; qui prædicationem publicam Evangelii cum Baptismi administratione nexu insolubili conjunxit.

Materia externa. XI. *Materia* baptismi duplex est, *externa* & sensibilis, quæ signi habet rationem; sub quo id omne intelligimus, quod sensibus externis in legitima

legitima baptismi administratione percipitur, ad quod pertinent. 1. Elementum. 2. Ceremoniæ externæ, quæ juxta institutionem divinam adhiberi solent. Unde signum potest distingui in elementare & cæremoniale; Illud est aqua vera & naturalis, non oleum, non sal, non sputum, non mel, aut alia istiusmodi materia, aliena à Christi præcepto & veteris Ecclesiæ usu. Cæremoniale est quod in ritu consistit, nimi. ablutio, quæ fit per aquam, 1. Petr. 3. 21. sive per aspersionem, sive per immersionem, quæ olim in locis calidioribus usurpabatur, ut docet praxis Johan. Baptistæ Matth. 3. 6. 16. Joan. 3. 23. Apostolorum Christi Joan. 3. 22. & 4. 1. 2. & Philippi Act. 8. 38. Nunc verò in locis præsertim frigidioribus, quum Ecclesia cœpit se extendere versùs Septentrionem, mutatus est καταπασμὸς in ῥαντισμὸν, & adhibita est tantùm aspersio; Quod ut institutioni Christi minimè repugnat; Ita exemplis Ecclesiæ Apostolicæ, & Primitivæ eam secutæ confirmari potest. Licèt enim *immersio* locum habuerit ordinariè, tamen non ita universaliter adhibitam fuisse, quin *aspersio* etiam usurpata sit aliquando, variis colligi potest argumentis, tam respectu Ecclesiæ Apostolicæ, quàm primitivæ. Ita ubi magna fuit Credentium multitudo, ut quum uno die ter mille baptizati sunt Act. 2. 41. aspersionem potius quàm immersionem, quæ vix ac ne vix quidem tam exiguo temporis spatio commodè peragi potuit, adhibitam fuisse vix dubitari potest. Item quum domatim administrabatur baptismus, ubi probabile non est semper adfuisse aquæ copiam sufficientem ad immersionem, maximè si inopinatò res ageretur Act. 16. 27. & seq. In primitiva Ecclesia baptismus Clinicorum & ægrotorum dabatur, qui sine dubio per mersionem fieri non potuit. Rationes etiam pro aspersione non desunt variæ. 1. Quia vox βαπτισμὸς & verbum βαπτίζεσθαι non tantùm de immersione dicitur, sed & de aspersione Marc. 7. 4. Luc. 11. 38. 2. Quia res significata baptismi nomine aspersionis designatur 1. Pet. 1. 1. Hebr. 10. 22. 3. Quia aspersio sufficit ad analogiam, nec à quantitate, sed à qualitate aquæ pendet vis baptismi. 4. Quia sub Vet. T. dabantur variæ lotiones & ῥαντισμοὶ tam aquæ, quàm sanguinis, ad quas Christus respicit in institutione baptismi; unde sanguis Christi, qui est res significata, vocatur sanguis ῥαντισμὸς Hebr. 12. 24. 5. Quia aspersio longè commodior est tum ad prospiciendum sanitati baptizatorum, quæ detrimentum poterat pati ex immersione in locis istis frigidioribus, maximè in tenellis infantibus, tum ut parcatur pudori, qui in adultis ex totius corporis nudatione oriri poterat, cujus causâ legimus olim adhibitas fuisse Diaconissas mulieribus nudandis.

Quæst. XI.

Aspersio in baptismo rite adhibetur.

XII. Porro ablutio sive per aspersionem, sive per immersionem est vel unica, vel trina. Trinam fuisse olim usurpatam ad repræsentandam Personarum Trinitatem constat. Tertull. adversus Praxeam cap. 16.

QUÆST. XI. *Non semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas Patris, Filii, & Spiritus Sancti tinximus.* Et li. de Corona mili. *Ter mergimur.* Cum quo faciunt Cyrill. Catech. 2. Basil. de Sp. S. cap. 27. Ambrosi. 2. de Sacra. cap. 27. & alii. Isido. Hispal. de Vir. Illust. cap. 27. alterutrum ritum posse usurpari absque præjudicio fidei asserit, *Nec tamen in una fide*, inquit, *officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa, quia enim in tribus Subsistentiis una Substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo ter vel semel immergere, quia & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.* Nos hodie unicam aspersionem retinemus, nec de eo contentiosè cum quoquam litigandum censemus; cùm nullo præcepto expressè sancitus sit numerus. Peregrinos alios ritus, qui addi solent à Pontificiis, quales sunt Exorcismus, aquæ consecratio, signum Crucis in fronte & pectore baptizati, Cerei accensi in manus ipsius traditio, tanquam alienos à Christi institutione, & superstitiosos rejicimus.

Materia interna. XIII. *Materia interna*, seu res significata est Christus cum suis beneficiis, *quotquot enim in Christum baptizati sumus, Christum induimus* Galat. 3. 27. Et ex arctissima illa nostri cum Christo unione, fluunt beneficia justificationis & regenerationis, quæ per ablutionem mysticam per sanguinem Christi & Spiritum Sanctum designantur, de qua duplici ablutione agitur 1. Cor. 6. 11. Prior est ablutio à peccatis quoad reatum per sanguinem Christi, de qua Act. 22. 16. 1. Joan. 1. 7. Act. 2. 38. & Matth. 26. 28. Altera est regeneratio per Spiritum Sanctum Tit. 3. 5. ad vitæ novitatem Rom. 6. 4. quo sensu 1. Joan. 5. 6. dicitur Christus venisse cum aqua & sanguine.

Forma. XIV. *Forma Baptismi* consistit in σχέσει & analogia signi & signati, quæ relatio in tribus posita est, scilicet significatione, obsignatione, & exhibitione materiæ internæ per externam, signati per signum. Primò in *significatione*, quia ut aqua abluit sordes corporis 1. Pet. 3. 21. Ita sanguis & Spiritus Christi abluunt sordes animæ: 1. Cor. 6. 11. 1. Joan. 1. 7. Ut olim baptizandi immergebantur in aquam, morabantur sub aqua, & emergebant ex ea Matth. 3. 16. Act. 8. 38. Ita moriebatur & sepeliebatur in ipsis vetus homo, & resurgebat novus Rom. 6. 4. Col. 2. 12. Ut nunc baptizandi asperguntur aquâ; Ita asperguntur sanguine & Spiritu Christi ad ablutionem peccatorum Act. 22. 16. Ephes. 5. 25. 26. Hebr. 9. 14. Secundò in *obsignatione*, quia baptismus non est minus sigillum justitiæ fidei, quàm Circumcisio. Tertiò in *exhibitione*, quia Deus reipsa præbet in usu legitimo quod repræsentatur per baptismum, non ex opere operato, sed ex firmissima promissionis veritate, quâ fimus certi intus fieri in anima spiritualiter fidelibus, per sanguinem & Spi-

Spiritum Christi, quod fit in corpore per aspersionem aquæ. Atque hujus significationis evidentia, & obsignationis & applicationis certitudo, quæ est in legitimo usu, causa est Phraseologiæ Sacramentalis de baptismo, quum dicitur ablutio peccatorum Act. 22. 16. & lavacrum regenerationis Tit. 3. 5. & causa salutis 1. Pet. 3. 21. quas locutiones proprias non esse, sed figuratas, Petrus additâ limitatione clarè docet ibidem, cùm ait, *baptismum, qui nos servat, non esse depositionem sordium carnis, sed stipulationem bonæ conscientiæ*, quæ proinde in proprias resolvendæ sunt pro natura Sacramentorum, ut dicatur baptismus signum & sigillum ablutionis peccatorum & regenerationis, & nos servare, quatenus per eum efficax est Spiritus Sanctus ad fidem in nobis confirmandam. Quæst. XI.

XV. *Subjectum Baptismi* sunt omnes fœderati, sive verè sint tales, sive tales probabiliter censeantur ob externam vocationem & fidei professionem, & cum fidelibus communionem, absque omni sexus, gentis, & ætatis distinctione. *Gentis*, quia cùm initio solis Judæis administraretur Matt. 3. Christi mandato cœptus est administrari omnibus Gentibus Matt. 28. 19. quibus Evangelium prædicari debuit. *Sexus*, quia utrique sexui est communis, non proprius tantùm maribus, ut Circumcisio, hinc Philippus baptizâsse dicitur viros & fœminas Act. 8. 12. Paulus Lydiam cap. 16. 15. & alias. *Ætatis*, quia infantes pariter & adulti baptizandi sunt, eâ tamen conditione, ut adulti Catechumeni confiteantur antè peccata, fidemque in Christum profiteantur Matth. 3. 6. Act. 2. 41. & 8. 12. 37. Infantes verò parentibus fidelibus vel saltem alterutro nati sint, Act. 2. 38. 39. 1. Cor. 7. 14. quia Scriptura testatur eos esse Regni cœlorum hæredes Matt. 19. 14. participes promissionis gratiæ Act. 2. 39. & sanctos 1. Cor. 7. 14. qui non magis excludendi sint à baptismo, quàm olim exclusi fuerunt à Circumcisione; Imò tantò minus excludendi, quantò major est gratia posterior Novi Testam. gratiâ priori Veteris, ut suo loco contra Anabaptistas probaturi sumus. Subjectum.

XVI. *Finis Baptismi* duplex est. 1. Ut inserviat fidei nostræ apud Deum. 2. Confessioni nostræ apud homines. Primarius est à parte Dei, *obsignatio fœderis* gratiæ & beneficiorum ejus, unionis nostræ cum Christo, & quæ ex ea fluit, remissionis peccatorum seu justificationis, & regenerationis per Spiritum Sanctum. A parte nostri verò obligatio ad colendum verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, in cujus communionem recipimur tanquam Filii Patris, Membra Christi, & Templa Spiritus Sancti, & ad diligendum proximum, cùm omnes uno baptismo, per unum Spiritum in unum Corpus baptizati simus Ephes. 4. 4. 5. 1. Cor. 12. 13. Secundarius est testificatio externa obedientiæ Deo à nobis præstan- Finis.

QUÆST. XI. dæ, 2. discretio Ecclesiæ à profanis Gentibus per tesseram istam, quâ profitemur nos Christo Imperatori nomen dare, 3. symbolum communionis Sanctorum inter se, quâ officiis reciprocæ charitatis se debent complecti, ut ejusdem Corporis membra.

XVII. Si porro quæratur, Quare Christus Sacramentum istud initiationis baptismo voluerit constare potius, quàm alio aliquo signo? Et unde ritus ille originem duxerit? Responsio est in promptu; petitum fuisse ex usu communi Judæorum, apud quos usitatos fuisse varios baptismos notum est, præsertim verò respectu eorum, qui ab Ethnicismo transibant ad Judaïsmum, vel qui Doctoribus in disciplinam se dabant. Hinc mos Proselytos consecrandi, *Circumcisione*, *sacrificio*, *& baptismo*. Rambam *Quando quis Ethnicus ad fœdus Israëliticum se vult recipere, & sociari, & sub alis divinæ Majestatis se recipere, jugumque Legis in se suscipere, Circumcisio, baptismus, & oblatio requiruntur.* Unde tritum apud eos axioma, גד עה שימול ויטול אין *Non est proselytus usquedum circumcidatur & baptizetur.* Quæ causa fuit, ut hæc baptizandi cæremonia, à Johanne & Christo instituta, nemini mira visa fuerit, quia nihil notius & usitatius erat inter ipsos.

QUÆSTIO XII.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

An Baptismus fuerit tantùm ritus temporarius, discriminans fideles ab infidelibus, qui ad tempus solùm durare debuerit? Neg. cont. Socin.

I. CIrca Baptismi necessitatem gemina movetur Quæstio; Prima *Socinianorum*, qui in *defectu* peccando, non modò negant necessitatem medii, sed ne quidem necessitatem præcepti volunt agnoscere. Altera *Pontificiorum*, qui in *excessu* errantes, absolutam ejus necessitatem asserunt. De illa nunc agimus, postea de ista.

Status Quæstionis.

II. Ut Sociniani Sacramenta negant esse signa & sigilla fœderis, sed tantùm tesseras professionis; Ita nolunt baptismum esse mandatum à Christo, ut esset usus perpetui in Ecclesia, sed tantùm ritum temporarium, discriminantem fideles ab infidelibus, qui ad tempus solùm durârit, vel durare debuerit, non mandatum à Christo, sed ab Apostolis absque mandato usurpatum, ut Soci. disp. de Bapt. & Catech. Raco. loquuntur.

Nos

Nos contrà Baptismum censemus esse Sacramentum divinitus institutum, & ab Apostolis ex mandato Christi administratum, ut esset perpetui usus in Ecclesia ad obsignationem remissionis peccatorum & regenerationis. Quæst. XII.

III. Rationes sunt. 1. Quia de eo Christi expressum mandatum extat, qui disertè instituit & servandum præcepit Matt. 28. 19. *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eas* &c. Nec reponi potest, *hoc mandatum respexisse Ecclesiam tantùm constituendam, non constitutam.* Hoc enim falsum esse patet. 1. Ex promissione, quam Christus addit ibidem de præsentia sua usque ad consummationem seculi, cum iis qui docere & baptizare debuerunt. 2. Quia munus docendi omnes Gentes non includitur in persona Apostolorum, sed extenditur ad omnes Pastores, qui usque ad finem debuerunt Ministerio Evangelii fungi. 3. Necessitas baptismi non est temporalis, sed perpetua, tam in Ecclesiâ constitutâ quàm constituendâ, nimi. ingressus in Ecclesiam, & obsignatio fœderis, quod ad omnes omnium seculorum fideles pertinet Act. 2. 38. Rom. 6. 4. Tit. 3. 5. Col 2. 1. Cùm ergo *mandatum* hoc sit *universale*, tam respectu *personarum*, quia omnes Gentes docendæ & baptizandæ, quàm *locorum*, quia faciendum fuit utrumque per Orbem universum, & *Temporum* quia continuandum fuit usque ad consummationem seculi, perperam restringeretur ad solos fideles, sive Judæos, sive Gentiles, ex quibus Ecclesiam primitivam præcipuè collegerunt Apostoli. *Probatur Baptismum esse usus perpetui 1. ex Matt. 28. 19.*

IV. 2. Quia est ordinatus in usum Ecclesiæ omnium seculorum. 1. Ut medium ordinarium Ecclesiæ colligendæ & conservandæ. 2. Præceptus est Ecclesiæ, non ex una, sed ex omnibus Gentibus collectæ. 3. Unitas Ecclesiæ non minus ponitur in unitate baptismi, quàm in unitate fidei Ephes. 4. 4. Baptismus successit Circumcisioni, Ergo ut ista semper locum habere debuit in populo usque ad adventum primum Christi; Ita & iste usque ad secundum durare debet. *1. 2. Ex fine præcepti.*

V. 3. Quia eadem debet esse ratio utriusque Sacramenti. At Cœna durare debet usque ad adventum Christi 1. Cor. 11. 23. Ergo & Baptismus. Nec discriminis ulla dari potest causa; quia par est utrobique mysticæ gratiæ testificatio & obsignatio 1. Cor. 12. 13. *3. Ex paritate Cœnæ & Baptismi.*

VI. 4. Quia finis & effecta Baptismi ex doctrina Apostolorum pertinent, non modò ad conversos ex infidelibus, sed etiam natos ex fidelibus, & eandem Christi fidem semper professos; ut sunt communio cum Christo baptizato Rom. 6. 3. 4. Galat. 3. 27. remissio peccatorum Act. 22. 16. regeneratio Spiritus Tit. 3. 5. & vita æterna Marc. 16. 16. *4. Ex fine & effectis baptismi.*

VII. Paulus non negat absolutè se missum esse ad baptizandum, sed ad Evangelizandum 1. Cor. 1. ut patet ex ℣. 14. 16. sed comparatè, id est, primò & præcipuè ad Evangelizandum, quia hoc necessarium erat præ aliis ad fundandam Ecclesiam. *Fontes Solutionum. 1. Cor. 1. 14 16.*

Quæst. XII. VIII. Licèt disciplina Christi sit spiritualis & directa ad hominem internum Rom. 12. 1. Non sequitur eam non admittere ritus externos. 1. Quia est cultus λογικὸς, non exclusivè ad omnem ritum externum, sed secundùm quid, oppositè ad cultum Leviticum constantem victimis brutis & ἀλόγοις. 2. Disciplina Christi directa est ad hominem internum perficiendum, sed ita ut ad hoc opus promovendum adhibeat etiam media externa. 3. Est spiritualis secundùm internam virtutem & efficaciam, sed secundùm externam dispensationem captui humano accommodatam Joan. 3. 12. Rom. 6. 19. nec verba, aut similia humana symbola visibilia & adminicula respuit.

Rom. 12. 1.

IX. Figuræ & typi adumbrantes Christum venturum sunt abrogati per Christum; Sed non ritus & cæremoniæ, quæ significant Christum mortuum, & quæ obsignant ejus beneficia.

X. Quamvis baptismo aquæ derogetur effectus salutis 1. Petr. 3. 21. Non sequitur non esse necessarium necessitate præcepti; Quia non omnia à Christo mandata sunt mox salutis effectiva; multa enim præcipiuntur, quæ faciunt tantùm ad melius esse, non simpliciter ad esse. Deinde non simpliciter derogatur aquæ effectum salutis, sed secundùm quid, quia eam non operatur principaliter, sed instrumentaliter, non oppositè, sed compositè cum re significata, non realiter, sed moraliter.

XI. Non potest eadem esse ratio baptismi institutionis, & prohibitionis, suffocati & sanguinis; Quia de illo datur expressum mandatum Christi, non de isto. Deinde ratio prohibitionis fuit temporalis, nim. Judæorum infirmorum scandalum, sed baptismi perpetua, non tantùm ad distinctionem fidelis ab infideli, sed ut sit lavacrum regenerationis respectu fidelium in omnibus seculis; Ideo Apostoli decretum de suffocato & sanguine interpretati sunt in Epistolis, & plenè confirmatâ libertate Christianâ ceu inutile sustulerunt 1. Cor. 10. Col. 2. quod de baptismo dici non potest.

XII. Non potest dici Christum Matt. 28. 19. instituisse baptismum doctrinæ, non aquæ, quia expressè distinguit doctrinam à Baptismo, *docete*, *& baptizate*, ut ostendat se illam sub hoc non complecti. Adde quod repetit, declarat & confirmat institutionem baptismi Johannis divinitus traditam, & eo usque circa solos Judæos usurpatam; At Baptismus Johannis fuit baptismus aquæ Joan. 1. 26. Ideo aquæ baptismum hîc etiam mandavit Christus.

XIII. Aliud est baptizare quoad verba in Nomine Trinitatis; Aliud quoad rem. Apostoli baptizantes in Nomine Christi tanquam causæ meritoriæ & proximæ salutis, quoad rem in Nomine Trinitatis baptizârunt, quia synecdo. Trinitas sub Nomine unius Christi continetur, cùm

Pater

Pater sit ungens, Spiritus Sanctus ipsa unctio Act. 10. 38. & Filius unctus. Quæst. XII.

XIV. Duo fuerunt genera Discipulorum Christi, unum eorum, qui ex schola Johannis transierunt ad Christum, ab illo jam antè baptizati Joan. 1. & 3. alterum eorum, quos ipse Christus allegit in suorum Cœtum, quos ab Apostolis ipsius baptizatos fuisse Johannes saltem in genere testatur cap. 4. 1. 2.

XV. Quamvis baptismus ex institutione Christi sit eorum qui docendi sunt; Non sequitur administrandum fuisse solis infidelibus. Quia Christus conjungit institutionem cum baptismo, pro conditione illius temporis, quô collectio Ecclesiæ maxima parte fiebat ex Judæis & Gentibus infidelibus. Deinde non docentur solùm infideles ut fideles fiant, sed etiam fideles tam adulti, quàm juniores, ut in fide proficiant; & perseverent, & se Christi discipulos ipso opere magis magisque declarent.

XVI. Licèt major pars eorum, qui baptizati leguntur ab Apostolis, fuerint infideles, quia Ecclesia Christiana erat adhuc constituenda, nondum verò constituta; Non sequitur, vel nulla esse exempla fidelium baptizatorum, quia omnes pii Judæi fœderati, qui baptizabantur, non debebant haberi pro infidelibus, sed pro fidelibus, vel non posse administrari continuò filiis Christianorum, qui sunt in fœdere.

QUÆSTIO XIII.

An Baptismus sit absolutè necessarius ad Salutem?
Neg. cont. Pontif.

I. UT Sociniani in defectu, circa necessitatem Baptismi peccant, Ita Pontificii in excessu pro necessitate absoluta Baptismi pugnant, quam talem tantamque esse volunt, ut excludant è Regno cœlorum, quotquot baptismo privati sint, etsi nulla suâ culpâ, nec præcepti divini contemptu id contigerit.

II. Concilium Tridentinum Sess. VII. Cano. 5. mentem suam explicat his verbis. *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, Anathema sit:* Quod generalius dictum, ne quis existimet intelligi tantùm de præcepti divini necessitate contra Socinianos, Catechismus Tridentinus sensum anathematis per se ambigui aperit: *Nihil magis*, inquit, *necessarium videri potest, quàm ut doceamur, omnibus hominibus baptismi legem à Domino præscriptam esse, ita ut nisi per gratiam baptismi Deo renascantur, in sempiternam miseriam & interitum à parentibus,* *Sententia Pontificiorum.*

Quæst. XII. *bus, sive fideles, sive infideles sint, procreentur.* Unde Scholastici, ut Suarez & alii, pertendunt esse conclusionem de fide, Baptismum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, & ad gratiam & gloriam consequendam. Et ut error unus ex altero nascitur, dogma de necessitate Baptismi, peperit figmentum de Limbo infantum, in quem infantes mortuos sine baptismo descendere pertendunt. Fatendum tamen alios non ita rigidos esse, sed exceptiones quasdam admittere. Primò necessitatem istam post mortem Christi & à die Pentecostes tantùm locum habuisse. Deinde aquæ baptismum per votum aut per martyrium posse suppleri. Hinc Concilium Cano. 4. de Sacramentis, anathema dicit iis, *qui dicunt sine Sacramentis, aut eorum voto, per solam fidem homines gratiam justificationis accipere.* Thom. in 3. Johan. dicit, *Baptismum necessarium esse, vel in se, vel in voto, vel in figura.* Cum quò facit Lombar. li. 4. Sentent. dist. 4. lit. D. *Constat*, inquit, *sine baptismo aliquos justificari & salvari.* Sed communior sententia juxta mentem Catechismi Tridentini, est pro necessitate absoluta.

Et Orthodoxorum. III. Nostra verò sententia est, Baptismum quidem necessarium esse ex divina institutione in medium externum Salutis, per quod Deus sit efficax in usu legitimo, ita ut qui eum contemnit gravis criminis reus sit, & in pœnam æternam incurrat; Sed non ita necessarium absolutè credimus, ut qui eo privatus sit, nullâ propriâ culpâ, à Regno cœlorum excludendus sit statim, nec sine eo salus obtineri possit.

IV. Atque hîc duplex distinguenda est *necessitas*, alia *absoluta* & simplex ex natura rei, quæ *medii* dicitur, sine quo finis non potest obtineri. Altera *secundùm quid*, ex Dei ordine, quæ *præcepti* dicitur, quia tota fundatur in Dei mandato, non verò in ipsa re. Rursus, media alia sunt interna, quæ necessariam ex se habent cum fine connexionem, ut finis sine illis obtineri non possit, qualis est fides, pœnitentia, justificatio, & regeneratio respectu salutis. Alia verò media externa, quæ non per se connectuntur cum fine, sed quæ illi subserviunt tantùm ex ordine Dei, non tamen tantâ necessitate, quin aliquando sine ipsis finis possit obtineri. Talia sunt Sacramenta, quæ ideo rectè dicuntur non absolutè necessaria, quæ habeant necessitatem medii interni & strictè ita dicti, sed tantùm secundùm quid ex vi præcepti divini, & institutionis ejus.

Status Quæstionis. V. Hinc patet Quæstionem non esse de qualicunque necessitate præcepti, quam nos etiam non negamus, sed contra Socinianos propugnamus. Sed de necessitate absoluta medii. Non, An contemptus baptismi damnet, quod non diffitemur. Sed An simplex privatio reatum pœnæ æternæ & exclusionem à Regno cœlorum inducat? Quod Adversarii vellent, Nos negamus.

VI.

Quæst. XIII.

VI. Primò. Quia sine baptismo non pauci servantur, & cum baptismo plures pereunt; Ergo non est absolutè necessarius ad salutem. Patet ex latrone converso, qui sine baptismo servatus est, & ex Martyribus variis in ipso persecutionis ardore ad Christum conversis, qui solius Christi virtute illuminati, ne quidem cognitionem ullam Sacramentorum habuerunt. Dicere baptismum voto vel martyrio suppletum fuisse, est hypothesim suam deserere, & absolutam baptismi necessitatem non agnoscere. Sic nemo negare potest etiam multos baptizatos perire, ut Simonem Magum, & omnes hypocritas, & reprobos, qui sunt in Ecclesia visibili.

Probatur, baptismum non esse absolutè necessarium.

1. Quia multi sine eo servantur, & cum eo pereunt.

VII. Secundò. Si daretur absoluta baptismi necessitas, Dei gratia alligata esset Sacramentis, & Deus non esset Agens liberrimum, quod falsum esse & Dei natura, Scriptura non semel testatur, & nos supra probavimus.

2. Quia gratia Dei non est alligata signis.

VIII. Tertiò. Quia non est æqualis necessitas baptismi ad salutem, ac fidei; sine fide quidem absolutè nemo servari potest, sed non pariter sine baptismo. Patet ex Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; Sed qui non crediderit, damnabitur.* Cur non dicit, *Qui non crediderit, & baptizatus non fuerit*, sed tantùm, *qui non crediderit*, nisi quia diversa est Baptismi & Fidei ratio in negotio salutis. Sine illa nulla est salus, sed certissimum exitium, sed non pariter sine baptismo, sine quo, ut jam dictum, modò contemptus non adsit, servari possunt, quotquot fide prædíti sunt, ut adulti, vel saltem sunt in fœdere, ut infantes.

3. Quia dispar est necessitas fidei & baptismi. Marc. 16. 16.

IX. Quartò. Circumcisio non fuit absolutè necessaria, Ergo nec Baptismus. Quia non debet esse durior conditio Christianorum, quàm Judæorum, cùm vivant sub suaviori œconomia. Non fuisse autem Circumsionem absolutè necessariam patet, quia per quadraginta annos, quibus Israëlitæ fuerunt in deserto, caruerunt Circumcisione, nec tamen qui mortui sunt sine ea, periisse censendi sunt; Sic non debuit circumcisio fieri ante octavum diem, ante quem dubitari non potest, quin multi obierint. Nec regeri debet, incircumcisos exscindendos fuisse ex Dei præscripto Genes. 17. 14. Quia hoc dicitur de contemptu, non de involuntaria privatione, agitur ibi de adulto circumcisionem suam contemnente, quia agitur de eo, qui violat fœdus; non de infante, qui nullâ suâ culpâ baptismo privatur.

4. Quia Circumcisio non fuit absolutè necessaria.

X. Quintò. Quia illi, ad quos pertinet res significata baptismi, nimi. promissiones Dei ante baptismum, non possunt excludi à Regno cœlorum propter privationem signi. At ad infantes fidelium pertinent promissiones ex Act. 2. 38. Ergo.

5. Quia ad infantes pertinet res significata.

XI. Sextò. Si filius damnaretur propter privationem baptismi, quæ absque ulla propria sua culpa contigit, portaret iniquitatem personalem

6. Quia aliàs filius portaret iniquitatem Patris.

QUÆST XIII. Parentis sui, vel illius, cujus culpâ baptismo privatus est, contra Ezech. 18. 20.

7. *Quia necessitas est tantùm à præcepto.*

XII. Septimò. Necessitas omnis Sacramenti baptismi, est à præcepto divino positivo, non naturali; Ideo ejus carentia non est exitialis, nisi illis qui præceptum illud transgrediuntur. At pueri, quibus divina institutio non innotescit, & qui per naturam capaces non sunt obedientiæ vel transgressionis actualis, utpote quæ rationis & liberæ voluntatis usum requirit, præceptum positivum transgredi dici non possunt.

XIII. Octivò. Si baptismus aquæ necessarius esset ad salutem, Electionis & salutis certitudo à voluntate obstetricis, aut Judæi, aut Pagani, aut Sacerdotis suspenderetur; Nam si placet obstetrici puerulo morienti conferre baptismum, servabitur; sin minus, puer peribit in æternum.

XIV. Nonò. Si nemo habet gratiam ante baptismum, Ante baptismum nemo amatur. At amor Dei non modò præcedit nativitatem ex Rom. 9. 12. sed etiam omne tempus, quia est ab æterno. At si nemo, quem Deus diligit, potest perire, non possunt damnari infantes, quos Deus ab æterno & ab utero dilexit, licèt sine baptismo moriantur. Rursus si absolutè baptismus est necessarius ad salutem, nemo sanctificari poterit ante baptismum, quia sanctitas necessariò connexa est cum salute. At multi sanctificati leguntur ab utero, & de liberis Christianorum dicit Paulus eos esse sanctos 1. Cor. 7. 14. Jam si ab ortu sancti sunt, quis dixerit eos morte sanctitatem amittere? Vel quis credat eos dici sanctos ab ortu, qui sunt æterno exitio destinati?

XV. Decimò. Pontificii non pauci ad noshîc accedunt. *Gerson.* Sermo. de nati. Virgi. Mariæ, considerat. 2. negat, *Deum gratiam ita alligâsse Sacramentis, quin absque præjudicio Legis suæ possit pueros nondum extra uterum natos intus sanctificare.* Quæ fuit etiam sententia *Bielis, Cajetani, Soto, Cassandri,* & aliorum, quos propterea *Vega* de Justific. lib. 5. cap. 16. *tanquam nimium erga infantes misericordes traducit.* Lombardus lib. 4. Sentent. Dist. 4. lit. D. sententiam suam tuetur testimonio Augustini dicentis, *Gratiam Dei invisibiliter impleri, quo modo mysterium, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excluſit;* Et concludit. *Constat ergo sine baptismo aliquos justificari & salvari.*

XVI. Plura possent ex Patribus huc afferri. Tertull. li. de Bapt. cap. 12. *Fides tua te salvum fecit, & remittuntur tibi peccata, credenti utique, nec tamen tincto.* Cypria. Epist. ad Jubaianum idem docet. Insigne præ cæteris est exemplum Valentiniani Imperatoris, cui cùm adessent multi Presbyteri, à quibus poterat baptizari, quoties ei libuisset, mortuus est tamen sine baptismo, quem nihilominus Ambrosius Orat. de obitu ejus, dicit esse servatum. Huc pertinent duæ consuetudines in Ecclesia antiqua receptæ,

quæ

quæ fidem faciunt, Veteres non credidisse absolutam baptismi necessitatem. Quæst. XIII.
Prima est non baptizandi solenniter aliis diebus, quàm Sabbathis proximis ante Paschа & Pentecostem, de quo varia habemus Decreta Conciliorum, quæ referuntur Dist. 4. de Consecrat. Quæ lex crudelis fuisset & impia, si absque baptismo aquæ nemo potuisset servari. Altera est differendi baptismum usque ad senectutem, vel mortis articulum, ad vitandum rigorem Canonum pœnitentialium, quibus baptizati erant obnoxii, vel aliis de causis, quod apertè indicat, eos non credidisse neminem sine baptismo servari; aliàs maturassent baptismum metu mortis subitaneæ.

XVII. Fatendum tamen non paucos Ecclesiæ Doctores istam necessitatem plus æquo strinxisse, inter quos primus videtur esse *Ambrosius*, qui absque salutari lavacro vitam æternam patere negavit, solos Martyres, ac cum baptismi desiderio morientes excipiens, quos scilicet *fides sua*, & fusus pro Christo cruor, *lavat*, *& petitio consecrat*, ut ille loquitur. Quem secutus est *Augustinus*, qui infantes non baptizatos à salute excludit; Unde durus infantium Pater dictus; Quò ex occasione Pelagiani certaminis delatus est. Unde, ut fieri consuevit, tanti nominis autoritate error ille facilè proserpsit, maximè in Latina Ecclesia, quæ Augustinum Doctorem potissimùm recepit, & sequi profitetur, quanquam ab eo non semel recedat, ut patet vel in negotio parvulorum, quibus Augustinus voluit Eucharistiam administrari, quod rejicitur à Pontificiis.

XVIII. Id habet necessitatem medii, quod habet necessitatem obedientiæ, quoad præcepta juris naturalis, datur; Sed quoad præcepta juris positivi, quale est baptisma, negatur. Deinde quod præcipitur, ut medium absolute necessarium, sine quo non pervenitur ad finem seu salutem, habet necessitatem medii, conceditur; Sed quod præcipitur ut medium externum, & secundùm quid necessarium, non habet necessitatem medii strictè dicti. Nec si finis baptismi, nimi. remissio peccatorum est absolutè necessarius ad salutem; Sequitur statim Baptismum etiam absolutè esse necessarium, quia valet tantùm de medio interno, sine quo non datur finis; Non verò de medio externo & latè sumpto, sine quo potest haberi. *Fontes Solutionum.*

XIX. Locus Joan. 3. 5. ubi Christus dicit, *neminem ingredi posse in Regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, non favet absolutæ necessitati baptismi. Quia aqua non potest designare baptismum aquæ, sed renovationem spiritualem, quæ fit per Spiritum Sanctum, ut per *aquam & Spiritum* intelligatur *lavacrum spirituale*, seu *aqua spiritualis*, vel Spiritus lavans & mundans corda, ut notetur *causa* istius regenerationis, nimi. Spiritus, *& modus* effectus, nimi. per renovationem aut lavacrum spirituale, per figuram profanis & S. Scriptoribus usitatissimam; quæ Græcis dicitur ἐν διὰ δυοῖν, quum de duobus substantivis alterum adje- *Joan. 3. 5.*

QUÆST. XIII. ctivè exponendum est, ut Matth. 4. 6. *In regione & umbra mortis*, id est, in regione umbræ mortis. Act. 14. 13. Sacerdos Jovis adduxit *tauros & coronas*, id est, *tauros coronatos*, & Apoc. 20. 10. *stagnum ignis & sulphuris* ponitur pro stagno ignis sulphurei. Et Matth. 3. 11. quod ad rem præsentem maximè facit, Johannes Baptista dicit, *Christum baptizaturum Spiritu & igne*, id est, Spiritu igneo seu inflammante corda, quod observarunt Tolet. in h. lo. & Stella, in Luc. 3. Vel ut particula καὶ non sumatur discretivè, sed declarativè, ut sensus sit, aquâ, quæ est Spiritus, prout Scriptura obscurum solet explicare per clarius, & tropicum & figuratum per proprium. Hujus fundamentum est, quòd Spiritus Sanctus per aquam passim designatur, maximè prout erat dispensandus sub Novo Testamento. Is. 43. 18. Ezech. 36. 21. 27. Zachar. 12. 1. Joan. 4. Nec potest dici propterea tautologica locutio, in qua unum & idem bis dicatur. Quia licèt sit unum & idem quoad rem, non tamen quoad modum rei; quia vel Spiritus ibi designatur per operationem suam, vel vox obscurior explicatur per clariorem, ut Matth. 3. 11. Augusti. lib. de Unit. Eccles. cont. Petili. cap. 10. *Non semper ubi aquam nominat Scriptura, hoc visibile baptismo Sacramentum vult intelligi, sed aliquando ipsum, aliquando aliud.* Cæterùm non posse hic intelligi baptismum aquæ multa probant. 1. Scopus Christi, qui fuit Nicodemo, qui tanquam Pharisæus propriæ justitiæ opinione turgebat, & cultum Dei carnalibus cæremoniis & lotionibus metiebatur, demere fastum & superstitionem, quâ fascinabatur, docendo eum non posse servari nisi totus innovetur, & declarando verum medium salutis obtinendæ non aliud esse, quàm gratiam spiritualem seu supernaturalem, quæ non est elementi externi, à quo potius Nicodemum voluit avocare, sed solius Spiritus Sancti, quod patet ex ℣. 3. ubi solius nativitatis ἄνωθεν fit mentio, & ex ℣. 6. 7. ubi solius Spiritus Sancti itidem meminit Christus, & τὸ ἄνωθεν explicatur per *nasci ex Spiritu*. Confirmatur ex ℣. 8. ubi collatio fit nativitatis istius novæ cum flatu venti; quod simile non est aptum ad designandam ablutionem corporalem, quia agit de operatione occultâ, & non alligatâ ad elementum externum, sed est aptissimum ad exprimendam vim arcanam Spiritus Sancti afflantis corda. II. Non est verisimile Christum, qui Nicodemum in rudimentis Religionis instituit, initium voluisse facere à baptismi Sacramento, quod nondum instituerat. III. Non accusâsset Nicodemum ignorantiæ, quæ non fuisset culpabilis, si de baptismo Christus fuisset loquutus, utpote nondum instituto. IV. Ageret Christus de baptismo in præsenti, qui tamen non cœpit esse necessarius, nisi post mortem Christi, juxta Adversarios. V. Sequeretur Spiritum & aquam ejusdem esse necessitatis, adeoque neminem absque

bapti-

baptismo posse salvari, quod ipsi Pontificii negant, qui volunt baptismum vel voto, vel martyrio posse suppleri. Quæst. XIII.

XX. Pontificii ipsi, qui pro absoluta necessitate pugnant, coguntur varias huic Christi dicto exceptiones apponere, & mire se fatigant in hoc loco explicando. Lombard. lib. 4. Dist. 4. cap. 2. *Illud intelligendum est de illis, qui possunt & contemnunt baptizari.* Bonavent. in eandem Distinct. *Intelligitur in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur necessitate.* Barralius in h. lo. ita exponit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, reipsa si potest, si verò non potest, in voto.* Villagudus in h. l. *Non per se necessarium esse, adeo ut si aqua defuerit, oporteat eum, qui baptizari cupit, interire.* Salmero Tr. 4. to. 8. legem manifestè restringit, *Solum*, inquit, *ad baptismum suscipiendum hac lex sub peccato eos adigit, qui prædicatione noverunt ejus necessitatem, nec temporis angustiis ab eo suscipiendo excluſi sunt, sed vel negligentiâ, vel contemptu illum non receperunt.* Unde patet, ipsis etiam fatentibus, diversos esse necessitatis gradus pro duplici re Sacramenti; Qualis enim est rei efficacia & concursus ad finem, talis etiam est necessitas, & licèt communiter prædicetur idem attributum de duplici subjecto, diversimodè tamen pro natura & modo utriusque exponendum. Spiritus quidem necessitas absoluta & simplex, quæ omnium temporum est, & omnium hominum, sive adulti sint, sive infantes, sine ulla exceptione. Aquæ verò tantùm secundùm quid, & certis personis, quæ illam suscipere possunt, & quæ possit suppleri vel voto, vel martyrio. Jam verò si fatentur in adultis suppleri posse in variis casibus, atque adeò eos excipi ex ista necessitate; Cur durior lex poneretur infantibus, quàm adultis, ut quia baptismum nec vovere, nec desiderare, nec petere possunt, pereant absolutè ex ejus defectu, quem supplere potest adultus suo desiderio & voto? Cur non potius teneræ illius ætatis respectu limitabitur dictum Christi, quàm provectiorum, eò indigniorum ullâ indulgentiâ, quòd ad labem originalem multa actualia addiderint peccata, quæ in infantibus non reperiuntur?

XXI. Si Augustinum contra Pelagianos disputantem pro veritate peccati originalis, & necessitate regenerationis & baptismi, ipsis etiam infantibus in remissionem peccati originalis conferendi, fervor disputationis, & bonæ causæ fiducia eò abripuit, ut variis in locis de necessitate baptismi æquo loqueretur incautiùs, adjudicando morti æternæ infantes non baptizatos, nec martyrio de hac vita sublatos: alibi tamen idem contra Denat. de Bapt. li. 4. cap. 22. mitiùs loquens ait, *Sufficere fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest, cum mysterium baptismi, non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludat.* addit cap. 25. *Conversio enim*

QUÆST. XIII. *cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest.*

XXII. Non est absolutè verum, omne medium, quô Deus utitur ad nos justificandos & servandos, esse necessarium simpliciter ad salutem. Eucharistia medium est, quô Deus utitur ad nos sanctificandos & servandos, sine qua tamen multi servantur. Idem dici potest de miraculis & persecutionibus Ecclesiæ, quibus ut adminiculis ad salutem Deus sæpe utitur. Idem & de Baptismo aquæ. Valet ergo tantùm de medio interno, quod tale est ex natura rei, non externo & Sacramentali, quod est ex præcepto, ut dictum.

Eph. 5. 26. *Tit.* 3. 5. Loca quæ afferuntur ex Ephes. 5. 26. & Tit. 3. 5. non tam lavacrum externum aquæ respiciunt, quàm internum Spiritus, quod vel ex eo colligitur, quòd Paulus illud collocat in Verbo, non in aquæ elemento.

XXIII. Quamvis absolutam baptismi necessitatem negemus, nec gratiam Dei liberrimam signis ullis externis alligari credamus, vel à Regno cœlorum excludere simplicem Sacramenti istius privationem arbitremur, quum necessitate quadam ineluctabili, & legitimo intercedente impedimento, baptismo aliquis privatur, sive propter absentiam legitimi Ministri, sive propter morbum infantis, sive aliâ quapiam de causa, quod solatio debet iis esse, qui vel ipsi pro se, vel pro liberis obtinere non possunt hoc gratiæ Dei signaculum, & Christianismi tesseram. Cavendum tamen sedulò censemus, ne in aliud extremum labentes, negligamus hoc Sacramentum, quod Deus voluit esse gratiæ suæ efficax symbolum, & medium, quando licet eo uti. Ut gravis criminis reos esse statuamus, qui sine ulla necessitate differunt tam salutaris Sacramenti administrationem & susceptionem, vel in se, vel in aliis, quorum cura ipsis commissa est, quoties facultas illud obtinendi suppetit, hoc enim non potest fieri sine præcepti divini violatione, & gratiæ, quam per tale symbolum solet dispensare Deus, contemptu, quem grandem in contemptores pœnam accersere indubium est.

QUÆSTIO XIV.

DE LEGITIMO BAPTISMI MINISTRO.

An Baptismus Laïcorum, aut Mulierum ullo in casu licitus sit? Neg. cont. Pontif.

Status Quæstionis.

I. QUæstio necessaria est propter Pontificios, qui *Laïcorum*, imò & *Mulierum baptismum* tuentur. Docent quidem non licere Laïcis publicè & solenniter baptizare, nec etiam privatim præsente Sacerdote,

dote, aut iis etiam absentibus extra casum necessitatis. Sed in periculo mortis cuilibet Laïco sive baptizato, sive non baptizato, pertendunt licere baptizare, si modò ritum nôrit; Imò & fœminis hanc potestatem concedunt, qui error fluit ex alio de absoluta baptismi necessitate. Quæst. XIV.

II. Nos verò Baptismum Laïcorum, cujuscunque sint sexus, nullum esse pertendimus; Nec à quoquam rite administrari posse censemus, nisi à Pastore legitimè vocato, sive in casu necessitatis, sive extra eam.

III. Rationes sunt. 1. Quia iis solis competit jus baptizandi, quibus datum est à Christo jus Evangelium prædicandi, siquidem hæc duo tanquam partes Ministerii publici sese comitantur, & indivulso nexu conjuncta sunt. At Christus solis Apostolis & legitimis eorum Successoribus hoc jus dedit Matth. 28. 19. 20. Nec ad alios pertinere constat ex ℣. 16. ubi dicuntur undecim Apostoli profecti in Galilæam. Licèt verò adfuissent plures alii præter Apostolos, cùm à Christo hæc dicta sunt, non sequitur, hæc verba, *Ite, docete omnes Gentes & baptizate*, ad Apostolos solos non pertinere. Quia nihil obstat Christi mandatum datum esse solis Apostolis, multis præsentibus testibus; Certùm enim est Christum alloqui Ministros sacros, quos ad præconium Evangelii vocabat. Ut ergo nemo prædicare debuit publicâ autoritate, nisi missus & ad id peculiariter vocatus; Ita nec baptizare, Ideo mulier non debet in Ecclesia docere, 1. Tim. 2. 12. *Baptismum laïcorum & mulierum esse illicitum probatur 1. ex ordine Christi. Matth. 28. 19. 20.*

IV. Secundò. Quia nemo tractare sigilla Principis potest, nisi qui speciali ratione hoc muneris obtinet, & Cancellarii vices obit. At Sacramenta sunt sigilla Regis Regum, quorum ideo custodia & dispensatio, nullis nisi Ministris sacris competit. *2. Quia sunt sigilla Dei.*

V. Tertiò. Quia non magis licet privato aut fœminæ baptizare, quàm Eucharistiam dare. Nec dici debet disparem esse rationem; quòd Baptismus sit Sacramentum initiationis, per quod Ecclesiæ inferimur, ideoque magis necessarius, quàm Sacramentum Confirmationis. Adultos quidem, quando S. Cœnâ uti non possunt, ejus desiderio, & promissione Evangelii, quod sit potentia Dei ad salutem omni credenti, renovari. Sed infantibus nullum aliud regenerationis & salutis medium præter baptismum esse relictum. Quia eadem utrobique ratio; Nam si debemus intrare in Ecclesiam, debemus etiam in ea nutriri. Et si possumus solo Verbo nutriri in casu necessitatis, quidni poterimus recipi in communionem internam Ecclesiæ invisibilis sine baptismo per Dei gratiam? *3. Quia laïcis non licet dare Eucharistiam.*

VI. Quartò. Quia baptismus laïcorum & mulierum nititur erroneo fundamento de absoluta necessitate baptismi, quo semel diruto; illum etiam everti necesse est. *4. Quia nititur necessitate absolutâ baptismi.*

VII. Quintò. Consentiunt Veteres quoad γυναικοβαπτισιὸν eum esse illicitum, Epipha. hære. 42. eum refert inter Marcionitarum errores. *5. Quia Veteres hoc improbant.*

Ter-

QUÆST. XIV. Tertull. li. de velan. Virgi. cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec tingere, nec offerre.* Constit. Clement. li. 3. cap. 9. Titulus capitis est, *Quod non oportet mulieres baptizare: impium enim est, & à doctrina Christi alienum.* Canon centesimus Concilii Carthagi. 4. hic est. *Mulier baptizare non præsumat.* Perperam additur à Lombardo li. 4. Dist. 7. & Gratiano Canone *mulier* Dist. 4. *Nisi cogente necessitate*, quia nihil de hac clausula habetur, vel in Canonibus Ecclesiæ Africanæ, vel in Balsamone.

Fontes Solutionum.

VIII. *Docendi munus* aliud *est publicum & ex autoritate*, aliud *privatum ex charitate.* Istud potest à privatis fieri, sed non illud; Jam Sacramenta utpote sigilla Principis sunt actus autoritatis, qui non possunt tractari à privatis, non charitatis tantùm. Ita latiùs patet institutio & doctrina, quam baptismus. Nam quamvis nemo, nisi baptizatus, doceat, non tamen omnis docens baptizat. Adde quod alia est necessitas doctrinæ, quæ est absoluta & medii ad salutem, alia Sacramentorum, quæ est hypothetica & præcepti.

IX. Exemplum Sipphoræ filium suum circumcidentis, non potest licitum reddere γυναικοβαπτισμὸν Exod. 4. Quia 1. legibus, non exemplis vivendum; Nec exemplum istud potest vel debet in imitationem trahi, non modò quia extraordinarium & singulare, cui nullum aliud par occurrit, sed etiam quia petitum à fœmina invita & indignabunda, & præ iracundia vix animi compote, ℣. 12. 2. Quia alia ratio est Circumcisionis, alia Baptismi; illa potuit à privatis administrari, & nihil peculiare illi tribuitur. Sed jus baptizandi iis tantùm tribuitur, qui jus habent docendi. 3. Non valet consequentia ab eo quod factum est ante constitutionem politiæ Judaïcæ, ad id quod factum est postea; aliàs dicendum esset intermissionem Circumcisionis in deserto debuisse tolerari in Canaan, quod absurdum. 4. Præsente marito Prophetâ hoc fecit. At Pontificii non concedunt mulieribus, præsentibus Sacerdotibus, baptizare. 5. Nec si Deus propterea placatus est Mosi, sequitur statim per omnia factum hoc Deo placuisse, vel nullum in eo fuisse peccatum, quia Deus placatur ex sua misericordia, non ex operum nostrorum dignitate & merito, potuit probari Deo res, sed non modus rei, quale quid Scriptura narrat de Achabi humilitate, 1. Reg. 21. 29. & quomodo per cultum, quem Gentes ex Assyria in Samariam traductæ exercebant, colendo Deum verum cum falsis, liberati sunt à leonibus. 2. Reg. 17.

Exod. 4.

X. Privati non fuerunt, nec merè laïci, qui dicuntur baptizâsse in Actis. Philippus non tantùm fuit Diaconus, sed & Evangelista Act. 21. 8. Ananias fuit ex 70. Discipulis, Pastor Ecclesiæ Damascenæ, qui fecit hoc jussu Domini, ad quem propterea ablegatur Paulus. Non dicitur Corne-

Cornelium & ejus familiares jussos fuisse baptizari à fratribus, qui Petro aderant Act. 10. 48. sed tantùm jussos baptizari, seu Petrum eis præcepisse, ut baptizarentur, unde non magis sequitur eos baptizatos fuisse à sociis Petri, quàm ab ipso Petro; aliàs sequeretur laïcos posse præsentibus Ministris baptizare, quod negant Pontificii. Quæst. XIV.

XI. Tria millia hominum, qui baptizati dicuntur ab Apostolis, potuerunt baptizari commodè ab ipsis per aspersionem, si non per immersionem; adde quod potuerunt varii esse ex septuaginta Discipulis, quibus hæc potestas competebat.

XII. Qui Apostolorum jussu & autoritate baptismum administrârunt, pro privatis habendi non sunt; Nec enim deesse potuit vocatio ei, qui autoribus Apostolis aliquid fecit, præsertim, cùm non tam ipsi, quàm Apostoli per ipsos baptizare videantur, ut Christus non nisi per Apostolos baptizabat Joan. 4. 2.

XIII. Quoad baptismum laïcorum nihil certi ex Veteribus colligi potest; Licet enim non diffitendum sit non paucos illum admisisse, Tertull. lib. de Bapt. cap. 17. Hiero. Dialo. in Luciferi. Augusti. lib. 1. cont. Epistol. Parmeni. cap. 13. Concil. Elibert. ca. 38. Certum est alios eum non probâsse, Basili. Epist. ad Amphilochium cap. 1. censet, *nefas esse laïcis baptizare*. Ignatius, Epist. ad Heronem, & Epiph. hær. 79. adeò sunt alieni à baptismo, qui à laïcis confertur, ut ne quidem Diaconis baptizare permittant.

XIV. Cùm Sacramentum sit actio publica, à publicis Ministris in Ecclesia publicè est observanda, nullaque necessitas, vel idonea causa afferri potest, cur actio sacra & publica transeat in privatam, quia Dei ordinatio nobis summa lex, suprema necessitas, cui potius parendum, quàm populari ignorantiæ & infirmitati indulgendum.

QUÆSTIO XV.

An Baptismus ab Hæreticis administratus sit legitimus? Dist.

I. QUæstio jam olim agitata fuit tempore Cypriani & Stephani Episcopi Rom. magnâ animorum contentione, aliis Baptismum licitum & validum esse pertendentibus, qui ab hæretico Ministro administratus esset; aliis verò negantibus, & tales rebaptizandos esse contendentibus. Cyprianus enim cum Coëpiscopis suis Afris censuit, non esse verum Baptismum, qui ab hæreticis & schismaticis adminis- *Origo controversiæ apud Veteres.*

QUÆST. XV. straretur, ideoque rebaptizandos eos esse, qui ad fidem catholicam accederent, ut patet ex Cypriani Epistolis variis ad Januarium, ad Quintum, ad Stephanum, ad Julianam & alios, & ex Actis Concilii Carthagi. præside Cypriano celebrati. Ita tamen hæc affirmabant, ut contentiosè & pertinaciter cum quoquam in eo defendendo non se gererent, sed pacem cum Fratribus & Collegis dissentientibus foverent, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum sentiret, amoventes, ut ipsi in exordio Concilii loquuntur. In quo multum differebant à Donatistis, qui hunc errorem ab ipsis hausérunt, qui summâ contentione eum defendebant, communionem fidelium deserentes, qui diversum statuerent, unde error in hæresim evasit, & ex dissidio factum est schisma, de quo legendus August. in libris de Bapt. contra Dona. & de hæres. ad Quod vult Deum hære. 69.

II. Stephanus verò Rom. Episcopus, ex antiqua Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, affirmabat recipiendos esse baptizatos ab hæreticis sine nova tinctione, ut patet ex disceptatione Epistolari Stephani & Cypriani, ubi sententiam suam exponit, cujus summa est, *Si quis à quacunque hæresi ad nos venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Sequente seculo in Concilio Nicæno primo decisa est hæc quæstio Cano. 8. ubi dicitur de his, qui se Catharos nominant, *Si venerint aliquando ad Catholicam Ecclesiam, placuit sancto & magno Concilio,* ὥστε χειροθετηθέντας αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ, *ut impositionem manuum accipientes, sic in Clero permaneant.* Unde patet non modò baptismum, sed etiam Ordinem clericalem ministerio hæreticorum acceptum, ratum habuisse magnam illam Synodum. Excipiuntur tamen Can. 19. Paulianistæ seu Samosateniani, quos Synodus vult ἀναβαπτίζεσθαι ἐξ ἅπαντος *denuo baptizari*, quia Trinitatem non agnoscebant. Hinc patet per ἀμετρίαν τῶν ἀνθρώπων, Cyprianum & Stephanum errâsse. Illum dum baptizatos à quibusvis hæreticis rebaptizari voluit, Istum verò dum nullum ex ipsis rebaptizandum censuit, sed omnes sine novo baptismo recipiendos, ad extrema utrique deflectentes, sed medium hic est tutissimum, appositâ distinctione hæreticorum.

Status Quæstionis.

III. Hic ergo distinctione *hæreticorum* Quæstionem solvi posse existimamus. Alii enim sunt; qui *substantiam baptismi* corrumpunt, & formam institutionis omittunt vel mutant, quales olim erant Ariani, qui Personarum Trinitatem in Essentiæ Unitate negabant, & hodie sunt Sociniani. Alii qui substantialia retinendo, & veram doctrinam de S. S. Trinitate, quæ in formulâ baptismi continetur, tuendo, *in aliis Doctrinæ capitibus errant*, ut olim Novatiani & Donatistæ, & hodie Pontificii, & Arminiani. Quoad priores censemus, baptismum ab iis administratum

nullum

nullum esse, adeoque non rebaptizandos propriè, sed baptizandos, qui ab ejusmodi hæreticis baptizati fuerint, quia formam essentialem baptismi, ad quem pertinet Trinitatis Invocatio, planè corrumpunt. Ea de causa rejectus fuit, ut dictum, olim in Concilio Nicæno Can. 19. Baptismus Arianorum, qui baptizabant, *in solo Patre vero Deo, in Jesu Christo Salvatore & Creaturâ, & in Spiritu Sancto utriusque Servo*, teste Hiero. contra Luciferi. Tom. 3. pag. 66. Athan. Serm. 3. adversus Arian. Aliqua tamen hic rursus distinctio adhiberi potest. Nam vel solus Minister illâ hæresi infectus est, vel cum eo tota Ecclesia. Si posterius, negamus verum esse baptismum. Si prius, nimi. Si Ecclesia rectè sentiat, non obstante errore Pastoris, si occultus sit hæreticus, modò retineatur formula Christi; baptismum ratum esse credimus, nec necesse esse rebaptizare semel baptizatos. Quia Sacramentum est peculium Ecclesiæ, quod Ecclesiæ nomine dispensatur, & in ejus fide. Ideo occultus error Ministri, baptismi integritati nihil detrahit, modò essentialia observentur; nec in Verbo aut Elemento quicquam mutetur. Hinc patet quid respondendum sit ad quæstionem, quæ fieri potest. An baptismus in Ecclesia Orthodoxa à Ministro Antitrinitariis vel Judaïcis erroribus imbuto, sed non detecto, collatus valeat? Nimirum consideranda hic est publica Ecclesiæ fides, in quam ille, qui baptizatur, imbuitur, factæque ei à Christo promissiones. Quæ cùm à Ministro non pendeant, ille, utut hæresi occultâ laboret, irrita ac vana illa reddere non potest. Quæst. XV.

IV. Si verò hæretici fundamentalia baptismi, quæ ejus essentiam constituunt, retinent, nec formam mutant aut corrumpunt, baptismum à talibus administratum ratum esse statuimus, licèt in variis capitibus circa fidem errent, & eorum baptismus in accidentalibus variis peregrinis ritibus sit coinquinatus.

V. Rationes sunt. 1. Quia ibi essentialia remanent tam quoad formam, quàm materiam, scilicet Verbum cum Elemento, & formula à Christo præscripta, ut in Nomine Trinitatis administretur. 2. Quia nec Prophetæ, nec Christus, nec Apostoli unquam reprehenderunt Circumcisionem tanquam irritam, quæ in Ecclesia Judaïca facta fuerat à Sacerdotibus idololatris & hæreticis, quales erant Pharisæi. 3. Exemplum Sipphoræ docet vitiosam circumcisionem quoad homines, valere tamen apud Deum. 4. Quia non legimus ullos ab hæreticis baptizatos, ab Apostolis rebaptizatos.

VI. Quamvis hæretici non sint vera Ecclesiæ invisibilis membra, illud non impedit, quominus verum baptismum administrent, modò substantialia ejus retineant, quia linguam & manum tantùm in hac actione Deo accommodam. Deus est qui baptizat, & qui per ministerium est efficax,

QUÆST. XV. cax. ut Deus per corruptum ministerium ex adultis; Ita per baptismum ab hæreticis administratum ex infantibus sibi potest colligere Ecclesiam. Licèt enim non pertineant ad Ecclesiam Orthodoxam, possunt tamen ad Ecclesiam externam, sed impuram, pertinere, & in iis hominum infidelitas fidem Dei non evacuat, quia non est hominum, sed Dei baptismus, quem in Ecclesia impura aliquando vult conservari, ut videmus Deum reliquias adhuc conservâsse sub Achabo tempore Eliæ 1. Reg. 19. utut Ecclesia diversimodè corrupta esset.

VII. Si verò quæratur, An ejusmodi baptismum petere vel suscipere liceat in aliquo casu? Responderi debet cum distinctione. Ab hæreticis primi ordinis, qui fundamenta Christianismi & baptismi convellunt, in nullo casu esse petendum, quia nullus baptismus verus inter eos esse potest. Sed quoad alios, qui essentiam baptismi retinent, sed in aliis errant exitialiter, sive quoad dogmata, sive quoad cultum, licèt baptismum eorum iterandum non censeamus; Non putamus tamen sine vitio peti vel suscipi posse; Quia receptio ejusmodi baptismi ostendit communionem nostri cum illis, & participationem eorum erroribus, à quibus Scriptura jubet nos fugere. Et quia scandalo sumus infirmioribus contra præceptum Apostoli. Quod in genere dictum de baptismo hæreticorum, in specie baptismo Pontificiorum applicari debet, quem licèt, in iis, qui ab ipsis ad nos accedunt, retinendum censeamus, quia essentialia baptismi apud eos remanent; negamus tamen ritè peti vel suscipi ab ipsis posse, ut fusiùs in sequentibus probabitur, quum de eo agemus.

QUÆSTIO XVI.

An Baptismus Johannis Idem fuerit essentialiter cum Baptismo Christi? Affir. cont. Pontif.

I. QUamvis minus necessaria hæc Quæstio videatur hodie, ubi nemo baptizatur, nisi eo baptismo, quem Apostoli administrârunt. Quia tamen acriter à Pontificiis agitari solet, paucis etiam de eo dicendum est, quo magis veritas Doctrinæ orthodoxæ de Baptismo illustretur.

II. Licèt verò Controversia *de Johannis baptismo* in plures partes dividi soleat. Prima est, An sit à Deo institutus? Secunda, An habuerit annexam promissionem gratiæ, & dispensatio gratiæ salutis per eum facta sit? Tertia, An baptizati à Johanne rebaptizandi fuerint? Commodè in unam ge-

generalem contrahi potest, *De Identitate essentiali utriusque Baptismi.* Quam statuimus, Pontificii negant. Quæst. XVI.

III. Concilium Tridentinum Sess. 7. Cano. I. de Baptismo sic mentem suam exponit. *Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, Anathema sit.* Quod Bellarm. tribus Propositionibus explicat lib. 1. de Bapt. cap. 19. 20. &c. 1. Johannis Baptismum non fuisse eundem cum Baptismo Christi. 2. Non eandem vim habuisse. 3. Post Johannis Baptismum necessariò adhibendum esse Baptismum Christi. In quo Scholasticorum sententiam sequitur. Lombar. 4. Senten. Dist. 2. li. 8. vult, *Johannis baptismum corpora mundâsse, at à peccatis non mundâsse.* Salmero ait discrepâsse baptismum Johannis à Baptismo Christi, *formâ, verbis, & fructu gratiæ.* Alii volunt fuisse tantùm *præludium gratiæ, & baptismum rudimentarium*, deducentem ad pœnitentiam. *Sententia Pontificiorum.*

IV. Nos fatemur aliquod discrimen statuendum esse inter baptismum Johannis, & Christi, sed accidentale respectu circumstantiarum & graduum, non substantiale & specificum ratione essentiæ; Ratione modi patefactionis, & mensuræ donorum; Non verò ratione rei ipsius. Primò quoad *modum patefactionis*, quia Johannis baptismus, nec procul absentem Christum significavit, quomodo Cæremoniæ legales Vet. Test. nec jam mortuum & suscitatum, ut baptismus noster, sed venientem & moriturum. Quoad *mensuram donorum*, quia Johannis baptismus non administratus fuit in tanta ubertate lucis & donorum spiritualium, Spiritu S. quamdiu Christus nondum manifestatus erat, parciùs communicato, nec tantâ donorum copiâ aquas ejus, (si fas ita loqui, fœcundante; Quæ uberiores in Apostolorum baptismo fuerunt, ubi major & aspectabilis sæpe Spiritus Sancti præsentia, & major donorum copia, nec Judæis tantùm, quorum finibus Johannis baptismus claudebatur, sed Gentibus etiam communis fuit. Qualiscunque verò fuerit hæc differentia, censemus tamen utrinque æqualiter obsignatam fuisse gratiam remissionis peccatorum & regenerationis, adeoque quoad essentiam eandem utriusque vim extitisse. *Et Orthodoxorum.*

V. Rationes sunt. 1. Quia uterque baptismus convenit in essentialibus, & in omnibus causis. *Efficiente* Deo, qui baptismum eum instituit Joan. 1. 33. Luc. 3. 34. Matt. 21. 25. *Materiâ* tum *externâ* videli. Elemento aquæ Matt. 3. 11. Joan. 1. 33. tum internâ nimi. promissione gratiæ de remissione peccatorum & regeneratione Matt. 3. 7. 8. Luc. 3. 3. Act. 19. 5. *Formâ*, quæ est tum testificatio & obsignatio promissionis per aquam, & ablutionis ritum, tum promissionis ipsius cum elemento hocejusque ritu copulatio Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. *Fine*, qui est confirmatio baptizatorum de gratia Dei, & eorum segregatio ab infidelibus, & in Cœtum Ecclesiæ receptio Act. 2. 38. Hinc *Probatur Identitas Baptismi Johannis & Christi.* 1. *Ex causis.*

QUÆST. XVI. 1. recte Tertull. *Nec quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

2. Ex effectis. VI. II. Quia identitas effecti arguit identitatem causæ. At baptismi Johannis eadem fuerunt effecta, ac baptismi Christi, puta resipiscentia Marc. 1. 4. Act. 2. 38. remissio peccatorum Luc. 3. 3. Act. 22. 16. fides in Christum Act. 19. 4. Marc. 16. 15. 16. Spiritus Sanctus quoad dona ordinaria Act. 18. 24. & 2. 38. 39. segregatio ab infidelibus Matt. 3. 6. 7. Luc. 3. 7. Act. 2. 38. 39.

3. Ex identitate baptismi Christi & nostri. VII. III. Quia baptismus Christi non alius debet esse à baptismo fidelium. Tum quia Christus est Caput, & fideles membra, Tum quia usum & Sacramentum baptismi nostri in suo sanctificare debuit, Tum quia baptismus est symbolum unitatis fidelium in uno Corpore mystico Ephes. 4. 5. non modo inter se, sed etiam cum Christo Capite 1. Cor. 12. 13. Gal. 3. 27. Tum quia circumcisio ejus eadem fuit cum populi Judaïci circumcisione. Nec hic audiendi Adversarii, qui pertendunt non posse dici Christum baptizatum suo baptismo. Primò quia baptizatus esset in Nomine suo. Quia nihil obstat Christum hominem respectu naturæ humanæ baptizatum esse in Nomine suo quà Deum. 2. Christo sine injuria non posse tribui remissionem peccatorum, & lavacrum regenerationis, quod confertur in baptismo suo. Quia licèt non susceperit baptismum ad obsignandam remissionem peccatorum & regenerationem pro se, suscipere debuit, ut Sponsor noster ad baptismum in se consecrandum, ut eam nobis obsignaret. Eadem difficultas urget Johannis baptismum, in quo utrumque beneficium obsignatur. Licèt regeneratione Christus opus non habuerit, aliæ tamen causæ fuerunt, Cur baptismum post circumcisionem susceperit nimi. ut tam Veterum quàm N. Sacramentorum vim, & sanctificationem à se uno, tanquam utriusque fœderis fundamento, & utriusque populi tam circumcisi, quàm baptizati, Servatore, pendere doceret. Absurdè verò Bellarm. affirmat contumeliosum fore Christo, si eundem nobiscum baptismum accepisse statuatur, quòd non deceat Imperatorem militiæ suæ characterem accipere, sed aliis imprimere. Quasi turpe sit Duci, non solùm præcepto, sed etiam exemplo aliis præire. Quasi honorificentius sit, Imperatorem servi, quàm suum ipsius characterem gestare, siquidem baptismus ille Johannis fuit, non Christi.

4. Ex paritate baptismi & Verbi a Johanne traditi. VIII. IV. Non minor debuit esse vis & efficacia Johannis baptismi, quàm Verbi ab ipso prædicati; Cùm inter Verbum & Sacramenta perpetua sit ἀρέτης. At Verbum à Johanne prædicatum fuit gratia spiritualis per Christum conferenda, & principium Evangelii Marc. 1. 1. Matt. 3. 2. Luc. 1. 77. Ergo & baptismus ejus. Nec dici potest. 1. *A doctrina ad Sacramenta non valere consequentiam, quia hæretici possunt habere vera Sacramenta,*

menta, qui non habent veram doctrinam. Quia Sacramenta hæreticorum non possunt esse vera, nisi quatenus veram doctrinam baptismi in essentialibus retinent. 2. *Johannem nihil docuisse de resurrectione Christi, Ergo non habuisse eandem doctrinam.* Quia licèt nihil expresè de ea docuerit, satis tamen ut obscuriùs eam innuit, quum vocat Christum Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, scilicet per oblationem sacrificalem, qui non potuit hoc obtinere nisi suscitatus fuisset. Adde quod quum agnoscat eum Filium Dei dilectum Matt. 3. 16. qui accepit Spiritum sine mensura, & cujus fides vitam æternam consequitur Joan. 3. 36. eo ipso credere debuit eum Principem vitæ, & Autorem salutis æternæ. Quæst. XVI.

IX. V. Quia baptismus Johannis est baptismus Evangelii seu Novi Test. nam principium Evangelii disertè ponitur in Ministerio Johannis Marc. 1. 1. & baptismus Johannis testabatur de Christo jam exhibito Act. 19. 4. 5. & omnes Prophetæ & Lex debuerunt durare usque ad Johannem Matt. 11. 12. & in ipso cessare. At baptismus N. Test. est unus ex Paulo Eph. 4. 5. *5. Quia est baptismus Evangelii.*

X. Baptismus Johannis vocatur, non quasi primarius ejus autor fuerit, cùm expresè dicatur missus à Deo ad hoc Joan. 1. 33. & baptismus ejus esse à Deo Matt. 21. 25. Sed quatenus fuit primus ejus administer, tum relatè ad baptismum Christi per Apostolos administratum, quatenus non iisdem, quibus illi visibilibus Spiritus Sancti donis abundavit. Sed hoc non obstat quominus institutio ejus divina fuerit. Unde Alex. Alensis pa. 4. q. 6. ait. Baptismum *à Johanne quidem ministerio, sed à Deo autoritate & præcepto institutum esse.* *Fontes Solutionum.*

XI. Dicta quibus Johannes baptismum suum à Christi baptismo distinguit, ut quum dicitur *baptizare aquâ*, & *Christus igne* Matt. 3. 11. non derogant ei efficaciam, nec distinguunt baptismos, sed baptizantes, discernendo personas in ordine causarum efficientium, & principalem statuunt Christum Autorem gratiæ, ministerialem verò Johannem, per cujus ministerium Christus in largitione Spiritus liberè fuit efficax, quomodo Paulus 1. Cor. 3. 6. ministerium externum Apostolorum distinguit à virtute internâ Dei agentis, *Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum.* Adde quod constat verbum baptizandi diversimodè usurpari, Johanni quidem propriè tribui, Christo verò metapho. de effusione visibili Spiritus Sancti factâ die Pentecostes, ut Christus ipse exponit Act. 1. 4. *baptizabimini Spiritu, non post multos dies*, & eventu ipso patuit Act. 2. & Petrus confirmat v. 16. *Matt. 3. 11*

XII. Johannis baptismus non tantùm disposuit ad pœnitentiam & remissionem peccatorum, sed etiam eam obsignavit. Ut in Ministerio suo Legem & Evangelium prædicavit; Ita Evangelicas quoque promissiones suo baptismo obsignavit. Nec si dicitur *parâsse viam Domino* ministerio suo, sequi-

QUÆST. XVI. sequitur fidem in Christum, & peccatorum remissionem non docuisse; quod expresse innuitur Act. 19. 4. ubi dicitur non tantùm jussisse ad se Act. 19. 4. accedentes, credere Christum venturum, ut vellent Sociniani, sed *credere in Christum* εἰς τὸ ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν, ἵνα πιστεύσωσι. Invitabat ad fidem, non in futuro, sed in præsenti, etsi objectum ejus esset futurum; Quomodo Patres fide præsenti credebant in Christum venturum.

XIII. Si Invocatio Trinitatis expressa non fuit in baptismo Johannis, fuit tamen implicita ex fide in Christum, quam præcipiebat, quæ involvit necessariò Trinitatem. Et si reseratis cœlis tota Trinitas sensibiliter se patefecit in baptismo Christi, juxta illud, *Voce, Pater, Natus, corpore, Flamen, ave*; Fides & cultus Trinitatis non potest dici abfuisse à Johannis baptismo. Adde quod si Baptismus Johannis fuit à Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto; Non dubium, quin etiam Johannes baptizârit in Nomine, id est, confessione & invocatione Trinitatis. Nec enim potuit in alius Nomine baptizare, quàm illius, qui misit eum ad baptizandum.

Act. 19 4. 5. XIV. Locus Act. 19. 4. 5. non evincit rebaptizatos fuisse à Paulo Discipulos Ephesios, qui baptizati fuerant baptismo Johannis. Verba enim v. 5. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν non sunt verba Lucæ narrantis, quid sit consecutum Pauli sermonem ad ipsos, sed potius confirmatio orationis Paulinæ ad illos Ephesios, quâ docet illos, qui baptismum acceperant à Johanne, fuisse baptizatos in Nomine Christi, atque adeò non opus habuisse novo baptismo. Ita inducitur Paulus loquens, *Johannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, ut in eum, qui veniebat post ipsum, crederent*, ἀκούσαντες δὲ, pro οἱ δὲ ἀκούσαντες; *Qui verò illum audiverunt*, (*Johannem scilicet*) *baptizati fuerunt in Nomine Jesu*, nempe ab ipso Johanne. Hæc ergo oratio Paulina instituit illos, ad quos dirigitur, de baptismo, quem acceperant, nullo autem modo docet illos fuisse rebaptizatos. Ita optimè exponi posse locum patet ex vi particularum μὲν & δὲ, quæ quamvis sæpe sint expletivæ, & solæ adhibeantur; tamen nunquam concurrunt in oratione, quin sint adversativæ. Nisi ergo velimus decerpere orationem Paulinam, debemus fateri, verba hæc ἀκούσαντες δὲ, non esse verba Lucæ, sed Pauli alloquentis ipsos Ephesios. Lucas verba Pauli continuat v. 6. & cum v. 3. & 4. per conjunctionem καὶ connectit, narrans videli. Paulum audito, quòd à Johanne baptizati sint, manus iis imposuisse ut Act. 8. 14. 17.

XV. Sed quamvis daremus, Ephesios discipulos denuo fuisse baptizatos; Non sequeretur inde differentia baptismi utriusque quoad speciem, sed tantùm quoad gradum, qui perfectior fuit tam ratione cognitionis, quàm

quàm efficaciæ post Christi institutionem, quàm tempore Johannis Baptistæ, quô cœpit administrari, ut qui à Johanne antea in Christum venientem baptizati erant, postea Jesu manifestato, & mortuo ac suscitato, *in expresso Nomine Domini Jesu*, qui jam venerat, tingi potuerint. Ita licèt non detur differentia specifica inter utrumque baptismum, tale tamen est discrimen, ut ratio commoda possit afferri, Cur rebaptizari potuerint, baptizati à Johanne, non verò baptizati ab Apostolis. Tum quòd Apostolicum baptisma comitabatur spiritualium charismatum copia. Tum quòd à Christo immediatè esset institutum, & expressè ac explicitè in Christi Nomine fieret. Tum quòd pro diversa fidelium ætate potuit Sacramentum initiationis variare. Fideles enim alii crediderunt in Christum venturum; alii in venientem, qui in via esset; alii in eum qui venisset. Primis instituta fuit Circumcisio. Aliis Johannis baptisma, Tertiis baptismus Christi. Quæst. XVI.

XVI. Gratis supponitur, multitudinem Judæorum ab Apostolis baptizatorum in die Pentecostes, fuisse antea à Johanne baptizatam; quia non omnes & singuli Judæi à Johanne fuerunt baptizati, sed plures tantùm; Nec aliud potest colligi ex locutionibus hyperbolicis apud Matthæum & Marcum. 2. Inter millia illa baptizatorum ab Apostolis Act. 2. multi confluxerunt ex omni Natione sub cœlo, Medi, Parthi, Arabes, &c. quos nemo dixerit à Johanne baptizatos. 3. Si valet ratio Adversariorum, posset probari baptismum Christi esse iterabilem. Constat enim ex Joan. 4. 2. discipulos Christi multò plures baptizâsse quàm Johannem; Si ergo est credibile, aliquos ex illis millibus hominum, quos Apostoli baptizârunt in die Penticostes, fuisse antea à Johanne baptizatos; multò magis credibile est, ex iisdem millibus aliquos fuisse baptizatos à discipulis Christi, quod tamen nolunt Pontificii.

XVII. Licèt Johannis Ministerium pertinuerit ad prima Ecclesiæ fundamenta, & Apostolorum Ministerium ad plenam Ecclesiæ constitutionem; Non sequitur Ministerium Johannis non fuisse efficax ad salutem, cùm secundùm Angeli testimonium Luc. 1. 17. corda filiorum Israël converterit ad Deum Dominum ipsorum; Nec aliter prædicare potuit doctrinam pœnitentiæ & remissionis peccatorum, quæ duo totum includunt Evangelium.

QUÆST. XVII.

QUÆSTIO XVII.

DE FORMULA BAPTISMI.

An Formula Baptismi à Christo præscripta in administratione ejus, observanda sit? & quid importet?

I. QUæstio necessaria est, tum propter Pontificios, qui negant formulam à Christo esse præscriptam, sed tantùm ex Traditione haberi, quòd certa verborum formula adhibeatur. Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 3. Tum propter Fanaticos, qui formulam ordinariam aversantur, quia videatur illi magica quædam vis adscribi.

Formula baptismi præscripta est à Christo.

II. Nos duo statuimus. 1. Præscriptam esse formulam à Christo, & traditam Ecclesiæ. Patet 1. ex Matth. 28. 19. ubi scopus Christi fuit tradere ritum servandum in hoc Sacramento, ut non tantùm doceret quid sit faciendum, sed etiam quomodo faciendum, quod in præscriptione ritus est necessarium. 2. Ecclesia, quæ tali formulâ usa fuit ab antiquo, non potuit eam ex se ipsa adhibere, quia nequit Sacramentum constituere, fatentibus Adversariis. Ergo ab ordine Christi & praxi Apostolorum illam recepit & adhibuit. 3. A pari, quia in institutione aliorum Sacramentorum tam Vet. quàm Novi Test. formulâ conceptâ usus est Deus, quæ baptismo proinde denegari nequit.

Et retineri debet.

III. Secundò formulam illam retinendam esse. 1. Quia continet Verbum promissionis baptismo proprium & essentiale, quod partem essentialem Sacramenti facit. 2. Quia formula S. Cœnæ à Christo tradita exactè est observanda; Unde ab Evangelistis & Paulo iisdem verbis repetitur. 3. Ab objecto, & fine; Illud est Trinitas in baptismo distinctè proposita, hic fides Trinitatis, ad quam per baptismum obligamur. 4. A praxi, quia constat formulam illam antiquitus semper observatam; Et sic obviam itum fuisse variis corruptelis Arianorum.

IV. Quamvis Apostoli non legantur expresse baptizâsse cum hac formula; Non sequitur ipsos eam omisisse; satis fuit, quòd ex mandato Christi baptizârint, quippe dubitari non debet, quin ad præscriptum Christi se composuerint, nec prohibile est in disertis Magistri verbis quicquam illos immutâsse. Loca quæ afferuntur in contrarium, quum dicuntur

Apo-

Apostoli baptizâsse *in nomine Christi* Act. 2. 38. & 8. 16. vel *in Christum* Rom. 6. 3. non docent quâ formâ baptizârint, sed optimè referuntur, vel ad *causam efficientem*, ut sit sensus, Christi jussu & authorite baptizâsse, ut in nomine Christi dicuntur miracula fecisse; Vel ad *finalem*, id est, in ejus fidem & doctrinam, ut Israëlitæ dicuntur baptizati in Mosem, id est, in ejus doctrinam 1. Cor. 10. 2. Adde quod *in Nomen Christi baptizare* synecdochicè dicitur, & totam Trinitatem includit, ut Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. observat post Basilium de Spiritu Sancto, ἡ δὲ χρῖσις τῆς πανὸς ἐστιν ὁμολογία, δηλοῖ γὰρ τὸν τὸ χρίσαντα θεὸν, καὶ τὸν χρισθέντα υἱὸν, καὶ τὸ χρίσμα τὸ πνεῦμα. Vel *in nomine* Christi, est ejus jussu & authoritate baptizare, adeoque in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ut Christus jussit. Quæst. XVII. Act. 2. 38. & 8. 16. Rom. 6. 3.

V. Si quæritur de formula Græcorum & Latinorum, quarum illa in tertia persona exprimitur, *Baptizetur servus Domini* &c. Ista verò in prima, *Baptizo te*, utra sit præferenda? Respondeo, licèt indifferens hoc videatur, quia utrobique essentia verborum retinetur; Commodiorem tamen videri posteriorem, tam quoad Ministrum baptizantem, quàm quoad baptizatos. Quoad illum, quia sic clariùs ostenditur autoritas, quæ illi à Christo est concessa, cujus actum exerit in Sacramenti administratione. Quoad istos, quia Sacramenta applicanda sunt unicuique in specie Act. 2. 38. 39. quod illustratur à pari Joan. 20. 23. ubi sigillatim applicatur unicuique remissio peccatorum. *Quenam formula Græcorum, aut Latinorum sit melior?*

VI. Porro formula ista paucis omnia complectitur, quæ hoc Sacramento nobis obsignantur, quæ ad tria ista referuntur. 1. ad *Institutionem Dei*. 2. *Promissionem gratiæ*. 3. *Stipulationem officii fidelis*. Ut *Nomen Dei* in Scriptura trifariam solet usurpari, vel pro autoritate Dei, vel pro ejus virtute, vel pro ejus jussu. Baptizari ergo *in Nomine* Patris, Filii, & Spiritus Sancti, est, 1. Ex ejus autoritate & ordine, ut sciamus hunc ritum non esse ab hominibus excogitatum, nec administrari privatâ hominis autoritate & arbitrio, sed ex Dei ipsius institutione, qui Unus est Essentiâ, & Trinus Personis. 2. *In Nomine*, id est, in virtute & efficacia Trinitatis, & illius quidem, per quam singulæ Personæ concurrunt ad salutem nostram procurandam, adeoque in dilectione Patris salutem ac media destinantis & procurantis; In dilectione Filii, illam nobis merito suo acquirentis; In dilectione Spiritus, illam conferentis & applicantis gratiâ suâ. 3. *In Nomine*, id est, ejus jussu in fidem & doctrinam Trinitatis, & in fiduciam, cultum, & obsequium ejus, ut hîc & Dei promittentis gratia, & hominis obsequium spondentis officium conjungantur. Cùm ergo Pastor dicit, *Ego te baptizo*, Idem est ac si diceret; Ego nomine Dei declaro, quòd hæc aqua, quâ te abluo, symbolum est tuæ in Dei fœdus & Eccle- *Quid imporet formula baptismi?*

QUÆST. XVII.

siam admissionis; Quòd Pater te acceptat in filium, Filius in membrum Corporis sui, & fratrem, quem sanguine suo redemit, Et Spiritus Sanctus in hospitem quem regeneret gratiâ suâ, & apud quem habitare velit in æternum. Et vicissim tuæ in Deum Triunum officii stipulationis, ut cultu & obsequio Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adores, & te totum adorandæ Trinitati in perpetuum consecres. Ita baptizari in Nomine, vel in Nomen Dei est initiari & consecrari in religionem & cultum Dei, ut ejus gratiâ fruamur, & ad ejus præscriptum vivamus. Porro non dicitur baptismus administrari In Nominibus, sed *In Nomine*, ut clariùs Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate designetur. Quia una est trium Personarum Essentia, Majestas & Potentia, quæ efficax est in baptismo, ut in Operibus ad extra, quæ terminantur ad Creaturas, quorum character est, ut sint communia toti Trinitati, quia oriuntur à proprietatibus essentialibus, non verò personalibus, quibus Personæ se invicem respiciunt.

QUÆSTIO XVIII.

DE VERITATE ET RITIBUS BAPTISMI ROMANI.

An in Ecclesia Romana retineatur vera doctrina de Baptismo? Dist.

I. VERITAS doctrinæ de *Baptismo* spectatur, vel quoad ejus *essentiam*, vel quoad ejus *accidentia*, seu ritus & cæremonias in illo adhibitas. Priori sensu agnoscimus singulari Dei providentiâ remanere in Ecclesia Rom. veram de baptismo doctrinam, quia in ea retinetur materia veri baptismi, scilicet aqua, & formula à Christo præscripta, juxta quam administratur in Nomine Trinitatis; qua de causa baptismus in illa Ecclesia administratus ratus censetur, nec iteratur. Sed posteriori sensu negamus.

Baptismus Romanus in variis corruptus est.

II. Rationes sunt. 1. Quia fovet errores graves, qui corrumpunt veram baptismi doctrinam, loco efficaciæ moralis & mysticæ, inducendo opinionem operis operati, & physicæ efficientiæ; Tum nimis extendendo vim baptismi, quasi peccatum omnino tollat, & nimis restringendo eam ad peccata antebaptismalia, cùm tamen fœdus baptismo obsignatum sit perpetuum. 2. Quia in praxi non uno modo peccat, tum per linguæ peregrinæ usum, tum per ritus varios partim superstitiosos, partim inutiles, & impios, quos induxit præter institutionem Christi, & quos partem

Sa-

Sacramenti facit, quibus primæva simplicitas institutionis Christi, & praxis Apostolorum fastidiosè rejicitur, & essentiales ritus baptismi mirum quantum obscurantur. De quibus inter Nos & Adversarios controvertitur. Quæst. XVIII.

III. Bellarminus plures ritus & cæremonias commemorat, tum antecedentes, tum comitantes, tum sequentes baptismum. Antecedentes sex recensentur. I. Signum Crucis in fronte, & pectore. II. Exorcismus. III. Exsufflatio. IV. Narium & aurium ex saliva contactus cum Eppha-ta. V. Salis gustatio. VI. Unctio ex oleo in pectore & scapulis. Concomitans unica est, scilicet consecratio aquæ baptismalis. Consequentes tres sunt. I. Unctio chrismatis in vertice. II. Cereus accensus, qui neophyto gestandus datur. III. Vestis candidæ indumentum. Mittimus alia multa, quæ recensentur etiam ab Adversariis, & pro ritibus baptismi obtenduntur, sed quæ, vel sunt præparationes ad baptismum adultorum, non verò ritus, quales sunt, nominis professio, scrutinium, fidei professio, abrenunciatio Satanæ & operibus ejus, nominis impositio, & simil. vel quæ in desuetudinem nunc abierunt, qualis est, lactis & mellis prægustatio, osculum, & pedum lotio & sim. quia de iis non quæritur inter nos. Agitur tantùm de decem supra memoratis, quos ut alienos ab institutione Christi, perperam adhiberi censemus à Pontificiis. *Sententia Pontificiorum de ritibus Baptismi.*

IV. Primò. *A silentio Scripturæ*; Quia istorum omnium nec vola nec vestigium occurrit in Scriptura, nec in Baptismo Johannis, nec in institutione Christi, nec in praxi Apostolorum. Aquam quidem utrobique adhibitam cernimus, sed nullam aliam speciem, non sal, non oleum, non balsamum, nihil cæterorum elementorum, quæ sub Mose in illius Gentis sacris erant familiaria. Baptizare quidem jubet Christus, sed oleo & balsamo immergere, vel salivâ aures & nares tangere, vel sal gustandum præbere, vel aliquid eorum, quæ superadduntur, facere, nec Christus præcepit, nec ab Apostolis unquam adhibitum legimus. Cùm ergo hæc omnia sint præter Christi institutionem, non possunt, nec debent recipi, quocunque vetustatis fuco commendetur ista consuetudo; Cùm ad veritatis, non ad consuetudinis normam res sacræ sint exigendæ, nec attendendum quid aliquis ante nos fecerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit ipse, & aliis faciendum præceperit. Nec dici potest, Christum hoc baptizandi vocabulo complexum esse, quomodo solenne est apud Pontificios sub nomine baptismi illa omnia significare. Quia alia longè ratio est nostri temporis, in quo inter Adversarios mos jam pridem obtinuit, baptismum cum talibus ritibus administrare; Alia verò temporis, quò vivebat Christus; quò βαπτιζειν de ritu sacro neque dicere, neque dictum intelligere quisquam Judæus aliter poterat, quàm de tinctionis, immersionis, aut affusionis *Tales ritus non esse admittendos probatur 1. a silentio Scripturæ.*

Quæst. XVIII. actu. De oleo, de balsamo, de saliva, de cæteris, quæ nunc usurpantur, omnia ad illum diem indicta & inaudita erant. Quæ cùm ita sint, absurdum est putare aliud, quàm tinctionem vel Christum significâsse, vel Apostolos intellexisse, quum baptizandi mandatum à Christo datum ab ipsis acceptum est. Nec fas est suspicari Christum, præsertim in gravissimo totius Christianismi negotio, ea verbis significare voluisse, quæ neque ab Apostolis quos alloquebatur, nec ab ullo mortalium ex ullo ejus sermone intelligi possent.

2. Ex Christianismi simplicitate.

V. Secundò. *Ex Christianismi simplicitate.* Cùm enim cultus Ecclesiæ Christianæ sit spiritualis, & ut Paulus loquitur λογικὴ λατρεία Rom. 12. 1. Et in eo potissimùm à Judaismo discrepet, quòd hic in totum signis, & figuris plurimùm occupabatur; Nemo non judicat absurdum esse, ut ipse Ecclesiæ aditus tot rerum corporearum & elementarium formis & similacris obseptus & obumbratus occurrat, ut in Mosaica disciplina vix ritum reperias, pluribus involutum figuris. Accedit multiplicitas rerum tam inter se dissitarum, quæ non parum videtur abhorrere à genio Evangelii, quod redundantes apud Mosem ritus resecuit & pietatem in pauca contraxit, mole quidem exigua, re verò & virtute immensa, & ut Augusti. loquitur Epist. 118. *Sacramentis numero pauciſſimis, observatione facillimis, significatione præstantissimus, societatem novi populi colligavit; sicuti est baptismus Trinitatis Nomine consecratus* &c. In quorum censu vix est ut illa cæremoniarum baptismo aggestarum moles locum habere possit, quæ operosum & difficilem facit baptismi usum.

3. à Veterum silentio.

VI. Tertiò. *A vetustissimorum Scriptorum silentio*; Quia in veris & indubitatis purioris Antiquitatis libris, nihil de istis occurrit, quibus Romani neophytos suos ante & post baptismum inungunt, & de aliis hujusmodi cæremoniis, quas in hoc Sacramento administrando usurpare solent. Unde nulla ratio est, cur suspicemur illas in primis illis temporibus jam in usu fuisse. Imò firmum inde ducitur argumentum, nihil tale adhuc obtinuisse; quia dubitari non potest, Patres aliquam illius mentionem facturos fuisse, quomodo in sequentibus seculis non tacuerunt, quæ subinde addita sunt legitimo & Apostolico baptismi ritui. Patet hoc imprimis ex illustri Justini Martyris loco in Apol. 2. quam a. 150. pro Religione Christiana conscripsit. Ne quid nostrorum mysteriorum dolo occultare existimaretur, accuratè enarrat totum Baptismi & Eucharistiæ solennem ritum. *Quo verò modo*, inquit, *Deo quoque nos dicaverimus per Christum renovati, jam exponemus, ne si hoc prætereamus, malignè quicquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quisunque persuasi fuerint & crediderint vera esse, quæ à nobis traduntur ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem,*

remissionem, docentur, nobis cum illis orantibus & jejunantibus. Deinde eò adducuntur à nobis, ubi aqua est, & eo regenerationis modo regenerantur, quò ipsi regenerati sumus. Nam in Nomine rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur. Et cætera, quæ ibidem addit fusiùs, ubi nullum alium baptismi ritum memorat, præter unam in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti lotionem diserté à Christo præceptam; De oleo, de saliva, de chrismate, & de cæteris, quæ nunc à Romanis adhibentur, verbum nullum facit. Unde certò colligitur, nihil horum in Ecclesia tunc temporis adhuc obtinuisse. Quæst. XVIII.

VII. Quartò. Quia non pauci ex Adversariis novitatem istorum rituum agnoverunt. *Erasmus* in Epist. ad Jodocum Gaverum. *Rigaltius* in Cyprianum, & alii. Hinc Catharina Medicæa Franciæ Regina Caroli IX. mater, & Regni tum tempore Regens a. 1561. literis ad Pium IV. datis, inter alia Reformationis Capita, petit, *ut in baptismo, exorcismi, & certæ precum formulæ, quæ extra ejus institutionem sunt, omittantur, ac sufficiat, ut aqua & Verbum juxta Dei præscriptum adhibeantur, sputi in infantuli os injectionem, non solum necessariam non videri, sed etiam periculo non carere*, referente Illust. Thuano, quam epistolam Indices Expurgatorii deleri jubent. 4. *Ex testimonio Adversariorum.*

VIII. Quo tempore verò vel seculo tales ritus & cæremonias paulatim introductæ sint, fusè & accuratè refert Celeberr. Dallæus Li. 1. de Cultibus Latinorum cap. 10. 11. 12. 13. 14. quem consule.

IX. Quamvis Scriptura aliquoties meminerit olei, & unctionis 2. Cor. 1. 21. & 1. Joan. 2. 20. Exsufflationis, Joan. 20. 22. Vestium candidarum Apoc. 3. 4. Cereorum Matt. 25. 1. 2. 3. ubi Virgines inducuntur cum cereis; Non sequitur inde confirmari ritus à Pontificiis additos in Baptismo. Quia ista memorantur, non ut pertinentia ad baptismum, vel baptismi celebrationem, sed alia de causa, & ut plurimùm ad miraculorum patrationem, quorum ratio alienissima à Sacramento. Unctio de qua agitur 2. Cor. 1. 21. & 1. Joan. 2. 20. non est externa & materialis, sed mystica & spiritualis de donis Spiritus Sancti, quibus fideles ornantur. Si Christus sputo usus est ad cæcum sanandum miraculosè. Si promittit vestes candidas vincenti. Si jubet ut sal habeamus in nobis, id est, ut prudenter cum omnibus versemur. Si Virgines cum cereis inducuntur, ad vigilantiam earum & fidem designandam; Non ideo necessarius potest dici in baptismo usus chrismatis, salivæ, sputi, cereorum, & vestium candidarum. *Fontes Solutionum.*

X. Ut Exorcismus, vigente miraculorum dono, Energumenis rectè fuit adhibitus; Ita non sine contumelia adhibetur infantibus fœderatorum, quasi

QUÆST. XVIII. quasi Diaboli sint mancipia, quos in fœdere suo censet Christus, & singulari benevolentiâ prosequitur Matth. 19. 14. Et cùm Exorcistæ illi dicti sint, non quicunque in Spiritus immundos potestatem habuerint, sed qui ex corporibus obsessis eos pepulerint. Quamvis concederemus penes Ecclesiam potestatem exorcisandi adhuc residere; Non sequeretur, eam exeri debere in baptismo, quasi infantes quivis baptizandi, corpore tenus à Dæmone obsessi essent. Hinc fit ut Chemnitius & post eum Gerhardus fateantur, *Non inutile forte fore hanc cæremoniam adiaphoram abrogare propter causas non contemnendas*, de Bapt. p. 1172.

XI. Tantùm abest ut ritus à Pontificiis additi lucem afferant iis, quæ in ipso Sacramento continentur, eaque nobis hoc modo velut ob oculos ponant, ut majori cum religione & sanctitate administrentur; Ut contrà Sacramentum obscurari & corrumpi credamus. Signorum hæc omnino vis ac ratio est, ut quò simpliciora sunt & ab omni exotico apparatu liberiora, eò sint aptiora ad significandum, & quæ præter institutionem adduntur, utut magnam speciem habere videantur, ad significandum ineptiora sint.

XII. Si in administratione baptismi quædam addimus, de quibus nec præceptum datur, nec exemplum; Non sunt Sacramenti partes, neque iis mysterium affingitur, vel significatio eorum effectuum, qui pertinent ad aquam baptismi, sed honestæ celebrationis circumstantiæ, Ecclesiasticæ prudentiæ & libertati relictæ, quæ pro re nata ad decorum servandum possunt vel institui, vel mutari, qualis est adductio infantis in Templum die Dominico, vel alio quò concio habetur, interrogatio & responsio Susceptorum de institutione infantis, nominis impositio, & similes. Sed longè alia est ratio rituum Pontificiorum, qui vel impietatis, vel superstitionis aliquid admixtum habent, qui sub opinione necessitatis & cultus obtruduntur, quibus aliqua vis & efficacia extra Dei Verbum affingitur, vel quia otiosos continent lusus, nec serviunt ædificationi, sed actionem hanc sanctam in spectaculum theatricum & histrionicum transformant.

XIII. Doctrina Pontificiorum de baptismo potest dici vera & falsa κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Vera quoad essentiam institutionis, Elementum visibile, & institutionis Verbum. *Falsa* quoad accidentarias opiniones & ritus. Nec ideo quòd verus censetur baptismus, veritas Religionis Pontificiæ rectè evincitur, æquè ac Pharisæorum & Sadducæorum doctrina non ideo vera fuit, quia externum Circumcisionis ritum legitimè administrabant. Dogmata fidei non semper respondent rectitudini externæ administrationis. Fieri enim potest per accidens, vitio administrantium, ut qui legitimè Sacramentum externum administrat, ipsum Sacramentum perversis opinionibus, & fidem erroribus exitialibus pervertat.

XIV.

XIV. Hinc bene colligimus, baptismum Pontificium non esse iterandum 1. Quia essentia baptismi in eo manet adhuc integra. 2. Quia vis & efficacia baptismi non pendet à Ministro errante, aut hæretico, sed à Christo Matth. 3. 11. 1. Cor. 3. 5. 3. Quia adhuc reliquiæ sunt Ecclesiæ in Papatu ex Apoc. 18. 4. & Deus nondum Ecclesiam illam plenè abdicavit, Baptismus autem est Ecclesiæ proprius, & ejus vice administratur, licèt per Ministros corruptissimos. Quæst. XVIII.

XV. Licèt verò semel factum baptismum istum iterandum non censeamus; Non putamus tamen posse Pædobaptismum peti vel suscipi à Sacerdotibus Papisticis sine peccato. 1. Quia sic approbari videntur errores Pontificiorum de absoluta necessitate Baptismi, ejusque efficaciâ ex opere operato, & superstitiosi ritus humanitus additi, quibus puritas istius Sacramenti fœdè conspurcatur. 2. Quia qui hoc faciunt, profitentur communionem se velle colere cum Ecclesia hæretica & idololatrica, siquidem non alius est finis baptismi, quàm ut inserat baptizatos Ecclesiæ, in qua suscipiunt baptismum. 3. Quia sic approbatur Ministerium Anti-Christianum.

XVI. Scio *Melanctonem & Bucerum* in certo casu putare, posse sine peccato talem baptismum suscipi, certis positis conditionibus. Si nimi. versentur parentes in loco, ubi Minister orthodoxus non possit haberi; deinde si addatur protestatio expressa contra errores & corruptelas Pontificias pugnantes cum institutione Christi. Sed quia id in Papatu absque vitæ discrimine fieri nequit, satius est ut dicamus simpliciter hoc non licere; Nec parentes pati debere, ut talis baptismus liberis administretur; Eoque magis, quando illis constat non alia de causa baptismum illis Pontificios administrare velle, quàm ut avellantur à Communione Reformata, & albo Pontificiorum inscribantur. Quod quid aliud esset, quàm in exitium infantium consultò consentire, permittendo eos in Communionem idololatricam transire, in qua non potest dari salus? quod nullus pater sine gravi peccato pati potest.

QUÆST. XIX.

QUÆSTIO XIX.

DE EFFICACIA BAPTISMI.

An Baptismus ita tollat peccata, ut non sint, An verò tantùm ut non regnent, & non imputentur? An tollat præterita & præsentia tantùm, & futura pœnitentiæ relinquat? An verò se extendat ad peccata, non solùm quæ ante, sed etiam quæ post baptismum committuntur? Prius neg. Post. aff. cont. Pontifi.

I. CIrca efficaciam Baptismi duo potissimùm quæruntur inter Nos & Pontificios, quæ à Bellarmino notantur lib. 1. de Bapt. cap. 12. & seq. Primum de *peccatis præteritis & præsentibus*; An ea sic tollantur in baptismo, ut non modò non imputentur, sed etiam amplius non sint? Alterum de *peccatis futuris*; An vis baptismi etiam ad peccata futura se extendat, An verò ea Sacramento Pœnitentiæ seorsim deleantur?

An peccata deleantur omnino per baptismum? Sententia Pontificiorum.

II. De Priori sic docent Pontificii. *Non tantùm remitti; sed etiam tolli in baptismo peccatum, & quicquid in baptizando peccati rationem habet.* De Posteriori sic sentiunt, *Vim baptismi non pertingere ad peccata futura, sed iis expiandis necessarium esse Pœnitentiæ Sacramentum.* Sic loquitur Concili. Tridenti. Cano. 10. de Baptismo. *Si quis dixerit peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri. Anathema sit*

& Orthodoxorum.

III. Orthodoxorum verò alia longè est sententia. Primò deletionem peccati in baptismo, quæ fiat ex opere operato, sive ex insita ei vi, nullam admittunt, ut antea probatum est, quum de efficacia Sacramentorum est actum. 11. Dicunt baptismi oppositè sumpti pro Elemento & ejus dispensatione, *efficaciam esse moralem*, ut antea expositum est. Sed spectati compositè pro signo & re significata, *efficaciam esse realem* respectu suscipientis baptismum, quamvis illa non sit alligata ad momentum baptismi. Tertiò agnoscunt in baptismo testificationem & obsignationem duplicis gratiæ in Evangelio promissæ; Tum Justificationis, quâ tollitur peccatum quoad reatum ut non imputetur, tum Sanctificationis, quâ imminuitur & corrigitur ejus macula, ne amplius in nobis dominetur in hac vita, non autem

ut

ut non sit absolutè, seu existat amplius in nobis. Gratia justificationis condonat nobis omnia peccata, originale, actuale, præterita, præsentia & futura. Sanctificatio verò inhærentem nobis pravitatem, non simul, sed successivè abolet. Utriusque Sacramentum cùm sit baptismus, effectus quoque utriusque ei conveniunt, & in Scriptura sacramentaliter ei tribuuntur. Unde colligitur Baptismi efficaciam rectè extendi ad omnia in universum peccata, tam futura, quàm præterita & præsentia; Nec aliter nobis declarare & obsignare abolitionem peccati, quàm eam genuina illa Dei gratia in nobis operatur. Sacramentum verò Pœnitentiæ peccatis post baptismum specialiter ordinatum esse negant, ut suo loco probabitur. Quæst. XIX.

IV. Ut verò distinctè de duplici Quæstione propositâ dicamus. Prima status est; Non, An baptismi efficacia extendatur tantùm ad id ut non imputetur peccatum, non autem verè tollatur, quod nobis per calumniam affingit Bellarminus; quasi statuamus per baptismum tantùm fieri ut peccatum non imputetur, nullo modo autem tollatur, quod falsum esse ex sententiæ nostræ declaratione jamjam allatâ patet. Sed An ita plenè & perfectè tollatur, ut non modò non imputetur, sed ut non sit amplius, quod illi vellent, Nos negamus, & dicimus baptismo tolli peccatum, ut non imputetur, aut dominetur, non etiam ut esse desinat, statuimusque ideo reatum quidem plenè tolli, sed maculam tantùm inchoatè & ex parte. *Status Quæstionis.*

V. Rationes sunt. 1. Quia baptismus non aliter peccatum tollit sacramentaliter & obsignativè, quàm gratia justificans, cujus est symbolum & sigillum. Sed gratia justificans tollit peccatum, ne imputetur nobis in pœnam quoad reatum, gratia verò sanctificans non ut absolutè non sit amplius, sed tantùm ut non dominetur, ut suo loco visum. Ergo baptismus non aliter tollere debet. *Peccatum non omnino tolli per baptismum probatur.*

VI. 2. Quia si baptismus tollit peccatum omnino, tam quoad reatum, quàm quoad maculam ut esse desinat; Omnis baptizatus erit purus & expers omnis peccati, tam originalis quàm actualis; Nam quod totaliter aboletur in subjecto, nulla parte manet reliquum, quod falsum esse constat, tum ex Scriptura describente nobis conditionem baptizatorum in hac vita Rom. 7. 14. tum ab experientia universali in omnibus baptizatis, quorum nullus in hac vita immunis fuit à labe peccati 1. Reg. 8. 46. 48. Jac. 3. 2. 1. Joan. 1. 8. quique non opus habeat continuo sanctificationis studio.

VII. 3. Quia concupiscentia semper remanet in baptizatis, quæ peccatum est, ut suo loco est probatum ex Rom. 7. 7. Ergo peccatum non tollitur omnino per baptismum, ut non sit, sed ut non imputetur, aut dominetur; Quo sensu peccatum dicitur non dominari amplius nobis Rom.

QUÆST. XIX. 6. 14. Et fideles non ambulant secundùm carnem, id est, ut ejus imperio subsint, sed secundùm Spiritum Rom. 8. 1.

Fontes Solutionum.

VIII. Quum Scriptura dicit peccata mundari, purgari, deleri & ablui in baptismo, ut Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. hoc intelligendum non physicè, sed sacramentaliter, non absolutè respectu omnium baptizatorum, sed tantùm eorum, qui credunt Marc. 16. 16. mundatio verò & deletio juxta naturam rei intelligenda est, respectu quidem reatus plena & perfecta, respectu verò maculæ inhærentis inchoata & successiva quoad existentiam.

Eph. 5. 2. 6. Tit. 3. 5.

IX. Eodem modo se habet baptismus ad peccatum, quomodo Circumcisio ad præputium cordis, non carnis, sic enim conferuntur inter se Col. 2. 11. 12. non tanquam signum & signatum, sed ut signa diversa vetera & nova, eandem rem signacam diversis figuris & ritibus significantia. Ut ergo circumcisio carnis non potuit tollere peccatum; Ita nec baptismus nisi significativè.

X. Licèt sit adhuc culpa seu macula in baptizato; Non sequitur non posse dici non imputari, quia judicium Dei est secundùm veritatem. Quia imputatio non tollit internum meritum pœnæ, sed tantùm externam obligationem ad illam. Et Deus non imputando non judicat culpam non esse, sed quod scit esse culpam, condonat.

XI. Gratia sanctificationis, quæ per baptismum nobis obsignatur, non potest consistere cum peccato regnante, concedo. Sed cum habitante manere nihil obstat, quomodo contraria in gradu remisso possunt in eodem subjecto subsistere; quo sensu Paulus ait, se mente servire Legi Dei, sed carne legi peccati Rom. 7. 23. & fideles dicuntur esse in luce, qui tamen non sunt sine peccato 1. Joan. 1. 7. 8.

An baptismus extendatur ad peccata futura?

XII. Altera Quæstio respicit vim baptismi quoad peccata post baptismum, ad quæ nolunt Pontificii extendi baptismum, sed ea Sacramento pœnitentiæ purganda relinqui. Nos verò per baptismum obsignari nobis statuimus remissionem, non præteritorum duntaxat & præsentium, sed & futurorum peccatorum, ita tamen ut pœnitentia non sacramentalis & illa quam fingunt, sed in Evangelio mandata, ac imprimis fides salvifica non excludatur, sed ut medium salutis nostræ divinitus constitutum baptismo coordinetur.

Probatur 1. ex fœdere.

XIII. Rationes sunt 1. Quia talis debet esse baptismus, quale est fœdus gratuitum, per cujus gratiam baptismus est efficax. Baptismus enim & fœdus ad se mutuò referuntur, ut signum & res significata. Sed fœdus gratuitum est perpetuum, extendens se ad remissionem peccatorum, non modò præteritorum & præsentium, sed etiam futurorum Gen. 17. 7. Levi. 26. 9. Il. 55. 3. Jer. 32. 39. Hos. 2. 19. Quòd si fœdus gra-

gratuitum non sufficeret ad remissionem peccatorum postbaptismalium, oporteret secundùm numerum peccatorum multiplicari fœdus ipsum. Quæst. XIX.

XIV. 2. Quia Scriptura nusquam restringit baptismum ad certam speciem peccatorum, sed citra restrictionem ad omnia universè & indefinitè refert Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 2. 38. & 22. 16. tam præterita Tit. 3. 5. Gal. 3. 27. præsentia 1. Pet. 3. 21. quàm futura Marc. 16. 16. Unde baptizari dicimur in mortem Christi Rom. 6. 3. mors autem Christi non præterita duntaxat, sed futura peccata expiat. 2. *Quia non restringitur ad certa peccata.*

XV. 3. Eadem debet esse efficacia gratiæ Dei, meriti Christi, & baptismi pro singulorum conditione. Sed gratia Dei, & meritum Christi efficacia sunt ad delenda omnia peccata, tam futura, quàm præterita & præsentia, patet ex locis Rom. 3. 24. 25. Act. 13. 38. 39. Matth. 1. 21. 1. Joan. 1. 3. 3. *ab efficacia gratiæ.*

XVI. 4. Non minor est virtus baptismi, quàm Circumcisionis. At Circumcisionem valuisse etiam in futurum, patet ex Gene. 17. 11. 13. Ergo & baptismus valere potest. 4. *à Circumcisione.*

XVII. Quum peccata post baptismum commissa, dicuntur remitti solâ memoriâ baptismi; Non intelligitur memoria nuda & theoretica baptismi semel suscepti, sed memoria practica partim pœnitentiæ, partim fidei; pœnitentiæ quidem de peccatis post baptismum admissis; renovatæ & redintegratæ, fidei verò de remissione peccatorum, Verbo promissionis, ejusque Sacramentis excitatæ & confirmatæ, quia baptismus perpetuò est & manet Sacramentum pœnitentiæ in remissionem peccatorum Act. 2. 38. 39. Luc. 3. 3. *Fontes Solutionum.*

XVIII. Quamvis baptismus transeat physicè, manet tamen moraliter, & ita moraliter potest operari, quatenus vis ejus obsignativa non est ad momentum, sed durat in perpetuum.

XIX. Confessio, quam Johannes exigit à fidelibus 1. Joan 1. 9. non est sacramentalis Pontificiorum, quæ demurmuratur in aures Sacerdotis; Sed Evangelica, quæ nec vel Christi merito, vel baptismo opposita est, sed subordinata utrique. Unde in adultis eam cum baptismo conjunctam esse constat Matt. 3. 6. 1. *Joan.* 1. 9.

XX. Remissio peccatorum baptismo obsignata, spectata definitè, determinatè & formaliter est tantùm peccatorum præteritorum & præsentium, sed nihil obstat quominus indefinitè & virtualiter sit etiam futurorum.

XXI. Paulus Heb. 6. 3. 4. negans, eos qui semel illuminati sunt, si prolabantur, posse renovari ad pœnitentiam. Nec de baptismo propriè loquitur, sed de φωτισμῷ, *illuminatione*, quæ ante & post baptismum contingere potest: Nec de quolibet peccato post illuminationem illam commisso, sed de peccato ad mortem in Spiritum Sanctum commisso, quod *Heb.* 6. 3 4.

Quæst. XIX. prorsus est irremissibile. Non possunt ergo tales renovari ad pœnitentiam; Non quòd baptismus sit inutilis contra futura peccata, sed quia peccantes in Spiritum Sanctum contumeliâ affecerunt & penitus exculserunt pœnitentiæ & renovationis Spiritum.

XXII. Cùm remissio peccatorum non alia sit, quàm quæ promittitur & obsignatur in baptismo, fundata scilicet in sanguine Christi, nec Spiritus Sanctus tam ante quàm post baptismum lapsos aliò, quàm ad Christi Satisfactionem in ara Crucis propositam revocet; Nec uspiam distinguat inter eos, qui vel ante, vel post baptismum peccant: Frustra fingitur alia via ad obtinendam remissionem iftam, præter eam, quæ in baptismo nobis obsignatur. Imò cùm pœnitentia requiratur etiam in adultis cum baptismo, ad remissionem peccatorum antebaptismalium, non potest dici facilior via reconciliationis pro illis, quàm pro iis quæ sequuntur baptismum.

XXIII. Quum Patres vocant pœnitentiam alteram post naufragium tabulam, non hoc intelligunt relatè ad baptismum, ut pœnitentiam tanquam Sacramentum illi succenturient; Sed sic docere voluerunt Jus Communionis Ecclesiasticæ, & Synaxis sicræ quod peccato enormi & publico post baptismum amissum fuerat, non aliter quàm pœnitentiâ publicâ seu Canonicâ recuperari respectu hominum in Ecclesia.

XXIV. Pertinet ad Dei beneficentiam abolere in homine peccatum funditus, ut & mortem, eumque vestire perfectâ justitiâ & immortalitate; Sed quo tempore & quibus gradibus id efficiat, debet ejus sapientiæ relinqui. Nec si quid beneficii Deus Electis suis largitur, id totum baptismo tribuendum est, aut illico post baptismum, aut in ipso baptismo fieri censendum est; cùm in adultis constet baptismum esse regeneratione posteriorem, & multi sine baptismo serventur. Nec propterea quicquam deteritur de dignitate Baptismi, quia eo gradu consistit, quò locatur in Scriptura. Sed longe verius dicitur eos derogare dignitati baptismi, qui ejus efficaciam suspendunt ab intentione Ministri, quæ si absit; baptismus est irritus; Et qui ejus vim restringunt ad peccata ante baptismum.

XXV. *Mors peccati* bifariam spectari potest; Vel in ordine ad Justificationem, & sic perfectè moritur peccatum, quia perfectè remittitur, & nullo modo imputatur. Vel in ordine ad Sanctificationem, & sic peccatum moritur, vel potius mortificatur per gradus; Juxta utramque illam ἀφίεσιν diversimodè dicimur mori cum Christo in baptismo Rom. 6. 3. & Col. 2. 11.

XXVI. Promissiones mundationis & deletionis peccatorum non evincunt baptismo vim competere plenè tollendi peccata. 1. Quia Scriptura iis utitur in Veteri Testamento, antequam baptismus esset institutus. 2. Possunt optimè referri ad remissionem peccatorum, quia per eam reatus aufertur coram Deo, & obligatio peccatoris deletur de libro Dei Coloss. 2. 14.

2. 14. 3. Si ad Sanctificationem referantur, complementum earum non debet fieri simul & semel, sed gradatim & successivè, aliàs sequeretur, piis ἀναμαρτησίαν prò mitti, quæ tamen nulli in hac vita competit. Quæst. XIX.

XXVII. Non debet in omnibus eadem esse ratio effectuum spiritualium baptismi, quæ ratio est corporalium effectorum antityporum præcedentium, quales sunt Circumcisio, mare rubrum, & sim. Signa enim similia possunt esse in quibusdam, non in omnibus, secundùm quid, non absolutè. Licèt ergo circumcisio verè amputârit præputium, & mare rubrum omnino præfocârit Ægyptios, non sequitur peccata per baptismum omnino tolli ut non sint, sufficit ut tollantur omnino quoad reatum, & paulatim quoad maculam.

QUÆSTIO XX.

DE PÆDOBAPTISMO.

An Infantes fidelium fœderatorum sint baptizandi?
Affir. cont. Anabapt.

I. COntroversia renovata est superiori seculo, occasione Anabaptistarum, qui Pædobaptismum oppugnare cœperunt. Unde nomen *Anabaptistarum* vel *Catabaptistarum* obtinuerunt, propter repudiatum baptismum in infantili ætate susceptum, eundemque ætate jam adultâ repetitum. *Anabaptistæ* quidem usitatè denominantur ab iteratione baptismi, in iis qui semel tincti sunt, sive respectu infantium jam baptizatorum, sive respectu adultorum, qui ab una gentis suæ secta ad aliam transeunt, quos de novo tingunt, ut in cœtus sui communionem recipiant. *Catabaptistæ* verò dicuntur à baptismi improbatione præcipuè in infantibus, quo nomine generaliùs veniunt omnes baptismi contemptores, qui usum ejus in Ecclesia Christi, qui nunc est, aut nullum, aut indifferentem statuunt. *Origo Controversiæ.*

II. Observ. 1. Non queri de quibusvis infantibus, etiam infidelium & Paganorum; Sed tantùm fœderatorum & Christianorum. Nam quoad illos, agnoscimus non posse nec debere baptizari, nisi prævià institutione, & in ætate adultâ; quum scilicet rationem fidei suæ reddere possunt. Secundò non agi de absoluta necessitate baptismi, qualem asserunt Pontificii, quam supra refutavimus. Sed de necessitate hypothetica præcepti. Ut Quæstio sit, An infantes Christianorum, qui ex uno vel ex utroque paren- *Status Quæstionis.*

QUÆST. XX

parente Christiano nati sunt, baptizandi sint, quia Christus ita jussit, & quia per baptismum gratiosè, sed liberè solet esse efficax Deus ad testificandam & obsignandam gratiam. Negant Anabaptistæ, Nos Affirmamus, his fulti argumentis.

probatur Pædobaptismus 1. ex mandato Christi Matt. 28. 19. 20.

III. Primò, Ex *mandato Christi.* Quia hoc à Christo præceptum, si non κατὰ τὸ ῥητὸν, & totidem verbis, at æquivalenter & quoad sensum Matt. 28. 19. 20. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Patet 1. quia qui præcipit omnes gentes baptizari, is etiam præcipit baptizari infantes, præceptum enim de genere includit omnes species. 2. Scopus Christi est docere modum colligendi & conservandi Ecclesiam in terris usque ad consummationem seculorum, & eum præscribere Apostolis & eorum successoribus. Ut verò Ecclesia constat tam ex infantibus, quàm ex adultis; Ita modus ille ad utrosque spectat, sed pro cujusque conditione; ut adulti prius doceantur quàm baptizentur; Infantes verò primò baptizentur, ut fœderati & Christiani, exinde verò suo tempore doceantur. 3. Ab antithesi, nam *omnes gentes* opponuntur omnibus & solis Judæis, ut postulat discrimen Veteris & Novi Testamenti, ubi tam infantes quàm adulti circumcidebantur. Ergo à pari eadem debet esse ratio baptismi. 4. Ex facto Apostolorum, quò præcepti sensum declarârunt, & praxi comprobârunt, dum familias integras, id est, parentes cum liberis baptizârunt Act. 16. 15. 33. & 18. 8. 1. Corint. 1. 16.

IV. Nec excipi debet Christum præmittere institutionem baptismo, atque adeò loqui de adultis qui doceri possunt, non de infantibus, μαθητεύσατε, inquit. Quia quamvis Christus præmitteret institutionem baptismo, hoc referendum esset ad baptismum adultorum, de quo primò & præcipuè agebatur pro statu primævæ Ecclesiæ ex adultis constituendæ. Hic ergo distinguenda est *Ecclesia constituenda*, & *constituta.* In illa adulti prius sunt docendi quàm baptizandi. Sed in constituta infantes prius baptizandi sunt quàm docendi; talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis, infantes non sunt capaces doctrinæ, Ergo ea ad ipsos non pertinet. Interim mandatum Christi analogicè de infantibus intelligendum est ex natura fœderis, & perpetuo usu Ecclesiæ inde ab Abrahamo Genes. 17. 2. vox μαθητεύειν, quâ Christus utitur, propriè non tam est docere per prædicationem, quàm *discipulos facere*, quod fit etiam administratione baptismi, qui est Sacramentum initiationis, & primus in Ecclesiam & familiam Christi introitus. Sic Joan. 4. 1. μαθητὰς ποιεῖν non est simpliciter docere, sed discipulos facere, & in disciplinæ professionem recipere; ut inter Judæos discipuli fiebant sæpe, non qui jam docti erant, sed ut docerentur. Unde ethnicus ad Hillelem, *Fac me Proselytum ut me doceas*: hoc autem ita intelligendum esse probatur ex

verbo

verbo διδάσκειν, quod additur, quod videtur esse tautologicum, nisi τὸ μαθητεύειν ad aliud quid, quàm ad simplicem institutionem & doctrinam referendum esset. Quæst. XX.

V. 11. *Ex Fœdere.* Quia ad quos pertinet fœdus Dei, ad eos etiam pertinent sigilla fœderis. At ad infantes pertinere fœdus patet ex clausula fœderis, *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, Genes. 17. 7. *Vobis & liberis vestris facta est promissio* Act. 2. 38. Fateor quidem fœdus Dei primariò & præcipuè adultos respicere, quia omne tale pactum reciprocâ conventione constat, quæ utrobique voluntaria esse debet, & sapientiam Dei decet fœdus pacisci cum hominibus perfectis, qui possunt exercere operationes facultatum moralium. Sed hoc non obstat, quominus pertineat quoque ad infantes. 1. Ex Dei ordine, quia ita voluit gratiam suam protendere à parentibus ad liberos. 2. Ex rei natura, quia liberi sunt pars parentum, & ejusdem cum iis conditionis. 3. Inter homines pacta liberos contrahentium complectuntur, Ergo & in fœdere Dei. 4. Quia ad infantes pertinet res significata, puta remissio peccatorum, regeneratio, regnum cœlorum. Ergo etiam signum, nam si quod majus est illis communicatur, quâ ratione posset illis denegari quod minus est, sic argumentatur Petrus Act. 10. 47. *An prohibendi sunt ab aqua, quibus datus est Spiritus?* 2. Ex Fœdere.

VI. Frustra reger tur 1. *Hinc sequi infantibus quoque Cœnam esse administrandam; Quia res significata ad eos pertinet.* Quia licèt sit eadem utrobique res significata, tamen in modo significandi diversa est. In Cœna obsignatur Christi gratia per modum cibi solidi, cujus infantes non sunt capaces, sed in baptismo per modum lavacri regenerationis, cujus infantes sunt capaces Joan. 3. 5. Deinde Cœna duplicem conditionem exigit, præcedentem in examine, concomitantem in commemoratione mortis Christi, quarum utraque præsupponit usum rationis. Neutra exigitur in baptismo, sic olim Pascha distinguebatur à Circumcisione, quòd ista infantibus, illud verò solis adultis præberetur. 11. Additur, *Infantes non esse capaces gratiæ regenerantis, nec aliorum beneficiorum fœderis, quæ conferri solent à Spiritu per Verbum.* Sed gratis supponitur non esse capaces beneficiorum fœderis. Quis enim neget capaces esse remissionis peccatorum, & redemptionis Christi, & cæterorum beneficiorum, quæ pendent ex fœdere, in quod recipiuntur infantes? Quis dubitet baptismum, eorum respectu posse esse signum distinctivum, introductorium in Ecclesiam visibilem, & sigillum tum veritatis divinæ in promissionibus fœderalibus, tum obligationis nostræ ad officium mutuum, quòd si non sunt capaces obligationis in præsenti, possunt esse in futurum. Quoad regenerationem verò, quidni infantes possint esse capaces regenerationis, ut sunt peccati; nisi dicamus plus

QUÆST. XX. posse culpam quàm gratiam? Et ut sunt rationales, quamvis rationis actum non exerant, quid obstat quominus dicantur sancti & fideles à Spiritu Sancto ipsis dato, licèt actum fidei nondum exerere possint?

3. *à Circumcisione.* VII. III. Quia A pari eadem est necessitas baptismi, quæ Circumcisionis; At Circumcisio debuit administrari infantibus ex præcepto Dei. Ergo & Pædobaptismus. Majoris veritas probatur 1. Quia baptismus subrogatus est Circumcisioni, & illi successit in Novo Test. ex Col. 2. 11. 12. ubi Circumcisionem in baptismo reperit Paulus. 2. A fine utriusque, Circumcisio erat Sacramentum initiationis, ut reciperentur in fœdus. Idem est baptismus. 3. A re significata utriusque, quod est Circumcisio interna cordis, & gratia regenerationis. 4. Gratia Dei non imminuta est & restricta in Novo Testam. sed potius ampliata. Si quid ergo obstat puerilis ætas in baptismo propter defectum rationis, Idem in Circumcisione fuit impedimentum. Quòd si non frustra Dei beneficia jam tum per Circumcisionem oblata fuerunt, Cur non idem de baptismo censebitur? Nec dicendum, Vel *Circumcisionem infantium expresse esse mandatum, non verò Pædobaptismum.* Quia aliud est expressè contineri, aliud implicitè in mandato generali, ut antea dictum. Vel *non rectè procedere argumentum, quia varia sunt differentia inter Circumcisionem & baptismum.* Quia analogia utriusque Sacramenti attendi debet non in omnibus, sed in conditionibus principalibus ad confirmationem fœderis gratuiti relatis, & in Novo Testam. declaratis, nim. quòd utrumque Sacramentum fuerit signum fœderis, symbolum initiationis, ac tessera professionis, quâ olim Judæi à Gentilibus, & hodie Christiani ab infidelibus distinguantur. Discrimina quæ afferri solent sunt alterius generis, quæ essentiam ipsam Sacramenti, & finem ejus non attingunt.

4. *Quia infantes pertinent ad Regnum cœlorum. Matth. 19. 13.* VIII. IV. Quia ad infantes pertinet Regnum cœlorum ex declaratione Christi Matth. 19. 13. *Oblati sunt Christo pueruli, ut manus eis imponeret, & oraret.* Cùm verò repellerent eos discipuli, Christus dixit, *Sinite parvulos ad me venire, & nolite eos prohibere, quia talium est Regnum cœlorum.* Confirmatur ex eo quòd dicitur ἐναγκαλίσασθαι in ulnas recepisse benedictione sua & precibus eos Deo commendâsse. Si verò adduci ad Christum infantes æquum est, Cur non & ad baptismum recipi, symbolum nostræ cum Christo communionis? Cur non in gremium reciperet Ecclesia, quos Christus in sinum suum excipit? Quàm iniqui essemus, si abigeremus, quos ipse ultro admittit? Nec audiendi sunt, qui volunt, *parvulos dici humilitate, non ætate.* Nam illi intelliguntur, qui ad Christum afferebantur, & quos ulnis complectebatur, quales non erant infantes mysticè quoad humilitatem, sed propriè quoad ætatem ita dicti. Verum est Matth. 18. 2. quum puerum advocat, & sistit in medio ipsorum dicens, *Nisi fitis sicut*

puer

puer iste, non intrabitis in Regnum Dei, Christum agere de infantia spirituali, seu humilitate & innocentia. Sed alia est historia, quæ refertur Matth. 19. ubi agitur de oblatione puerorum, ut & Luc. 18. 15. ibi enim non possunt intelligi infantes grandiusculi, quia vocantur βρέφη Luc. 18. βρέφος autem est infans adhuc in cunis, & tenellus, plerumque lactens Luc. 1. 41. 44. Luc. 2. 26. 1. Pet. 2. 1. quia dicuntur allati ad Christum, προσέφερον αὐτῷ, quia Christus dicitur eos ulnis excepisse. Nec obstat, quòd dicuntur *venire*, quia hoc sumitur latè pro accedere. Nec si dicitur tantùm Christus pro iis orâsse, & manus illis imposuisse, non verò formaliter eos baptizâsse, sequitur non valere pro eorum baptismo. Quia à pari, Si manus potuerunt illis à Christo imponi, quidni poterunt etiam baptizari? Quæst. XX.

IX. v. Quia fidelium liberi sunt sancti, Ergo baptizandi. Cùm enim habent rem significatam, non possunt nec debent privari signo Act. 10. 47. *Mulier infidelis*, inquit Apostolus 1. Cor. 7. 14. *sanctificatur in viro fideli, aliàs liberi vestri immundi essent, nunc verò sancti sunt.* Sancti verò dicuntur, non quòd sint legitimi, ut quibusdam videtur, quia de eo non agebatur, & nihil sic tribueretur illis præ liberis infidelium, qui possunt etiam esse legitimi. Sed sancti dicuntur *sanctitate fœderali*, id est, Christiani, & ad Ecclesiam pertinentes ἀκάθαρτον ergo & ἅγιον hîc designant Ethnicum & Christianum, quo sensu vox קדושה sæpe sumitur apud Thalmudicos, *proles genita* dicitur *in sanctitate* vel *extra sanctitatem*, id est, cùm parentes facti sunt proselyti, vel dum adhuc sunt Ethnici. πίκτα Ethnicorum ipsis erant ἀκάθαρτα, ex Act. 10. 28. & Judæorum ἅγια, ad quem sensum genti notissimum alluditur. 5. *Quia fidelium liberi sunt sancti* 1. Cor. 7. 14.

X. vi. Quia nullum impedimentum dari potest, cur baptismus non conferatur infantibus; Nec à *parte Dei*, qui non vult excludere infantes, sed eos ad se vocat, & talium esse Regnum cœlorum pronunciat. Non à *parte Sacramenti*, quia omnia essentialia baptismi possunt illis dari. Non à *parte Ministri*, quia non minus potest tingere infantem, quàm adultum. Non à *parte susceptientis*, quia est subjectum δεκτικὸν gratiæ. Exceptiones solvuntur in fontibus solutionum. 6. *Quia nihil obstat baptismo infantium.*

XI. vii. Quia Patres necessitatem Pædobaptismi agnoverunt, & justitiam ejus praxi sua comprobârunt. Justin. quæst. 56. ad Orthod. ejus meminit. Orige. in Rom. 6 lib. 5. Cypri. lib. 3. Epist. 8. ad Fidum. Hiero. lib. 3. cont. Pelag. Cyrill. li. 8. in Levit. cap. 8. Augustin. sæpe lib. 10. de Gene. ad lite. cap. 23. & lib. 2. contra Pelag. & Cælest. de pecca. origi. cap. 40. & lib. 1. de peccatorum meritis & remissi. cap. 5. & lib. 1. cap. 26. ubi refert Pelagianos non ausos fuisse negare baptismum parvulorum, quòd viderint nimis apertè sibi cum tota Ecclesia de eo pugnandum esse. Idem etiam non paucis Synodorum decretis confirmatum, Carthagi. a. 407. 7. *A Patribus.*

QUÆST. XX. Milevitanæ a. 420. Gerundensis a. 470. & aliarum, quas Pamelius notis ad Cypria. observat Epist. 8. li. 3.

Fontes Solutionum.

XII. Non opus fuit diri præceptum particulare de baptizandis infantibus, quia discipulis notum erat infantes circumcidi. Suffecit ergo mandatum generale baptizandi omnes gentes, sub quo particulare continetur.

XIII. Baptismus Christi anno demum tricesimo factus, non potest pædobaptismum evertere Quia omnia facta Christi, quæ non pertinent ad doctrinam, non statim trahenda sunt ad imitationem, aliàs anno demum 30. baptismus suscipi deberet, quod non dicunt tamen Adversarii. Ratio peculiaris fuit, cur hoc tempus expectârit, non modò quia anno præcedenti tantùm Johannis baptismus institutus fuit, sed etiam propter typum Sacerdotum Leviticorum, qui licèt anno 25. reciperentur in Collegium Sacerdotale, tamen ante ann. 30. non admittebantur ad usum & exercitium muneris sui. Christus non indigens baptismo potuit sine periculo illum differre, sed nostri, qui in peccatis concepti & nati, non eadem est ratio.

XIV. Johannes neminem ad baptismum admittebat, nisi confitentem peccata sua, quia agebatur de adultis baptizandis, & ad Ecclesiam Christianam vocandis; Sed non sequitur idem locum habere respectu infantium, qui jam sunt in Ecclesia.

XV. Aliud est signum, cujus virtus à subjecti recipientis dispositione pendet. Aliud cujus virtus pendet ab instituentis promissione. Prius signum frustra adhibetur non intelligenti. Sed non eadem est ratio posterioris, quale est baptismus & Circumcisio. Deinde aliud est *subjectum receptivum* signi, aliud ejus etiam *perceptivum*, illud infantes possunt esse, licèt non istud. Tertiò signum frustra adhibetur non intelligenti, nec intellecturo, quod de infante dici nequit.

XVI. Baptismus vocatur Sacramentum pœnitentiæ, non quòd eam in omni tingendo prærequirat, sed quia ad ejus studium baptizatos obligat, sive in præsenti, quum sunt ejus capaces, sive in futuro.

XVII. Sacramenta sine fide utentis dicuntur inanes cæremoniæ ratione adultorum, non ratione infantium, in quibus ad salutarem usum baptismi sufficit promissio, & gratia fœderis, quæ obsignatur à parte Dei, licèt nondum detur responsio & restipulatio à parte baptizati, ut patet in Circumcisione Gen. 17. 7.

XVIII. Causa pædobaptismi non est fides actualis infantium; cujus non magis capaces sunt, quàm illius institutionis, quâ docentur discipuli Christi Matth. 28. 19. Sed est tum mandatum universale, de baptizandis omnibus Ecclesiæ membris, tum promissio fœderis, parentibus juxta ac li-

liberis eorum facta Act. 2. 38. 39. Gen. 17. 7. De fide infantium fœderatorum idem dicendum, quod de ipsorum ratione. Utraque inest ipsis actu primo, non secundo, in semente, non in messe, in radice, non in fructu, internâ Spiritus virtute, non externâ operis demonstratione. Quæst. XX.

XIX. *Infidelis* dicitur vel *negative*, vel *positivè*; Priori sensu infidelis dicitur, qui etsi careat salutari habitu fidei agentis, non tamen contrario infidelitatis habitu est infectus. Posteriori infidelis est, qui non solùm vera fide caret, sed etiam habitu infidelitatis laborat, Vel quia actu non credit, vel quia actum infidelitatis exerit. Vel antecedenter & objectivè, vel consequenter & terminativè, vel qui caret actu fidei, vel qui caret etiam ejus principio. Infantes fidelium infideles possunt dici negativè, non positivè, antecedenter & objectivè ex se ante gratiam, sed non consequenter & terminativè, quoad actum, quia non possunt credere, sed non quoad principium & radicem, quia Spiritum Sanctum habere possunt, quò credant suo tempore. Sed cùm ex usu communi infidelitas positivè sumatur, minus rectè infantes infideles dicerentur.

XX. Infantes non possunt esse capaces sanctificationis seu conversionis activæ, & quoad sensum & cognitionem beneficii. Sed possunt esse capaces regenerationis passivæ, quoad principium & imaginis divinæ impressionem, quæ suo tempore se exerere debet. Quamvis autem capi à nobis non possit; quomodo gratia illa operetur in infantibus, non ideo neganda est ejus veritas. Non magis quàm licèt percipere non possimus, quomodo peccatum possit esse in anima, non minus tamen hoc verum est. Opus Dei etsi captui nostro non subjaceat, non ideo nullum est. Si infantes qui servandi sunt ingenitam sibi corruptionem ab utero matris afferunt, eâ purgatos esse oportet, antequam in Regnum Dei admittantur, quò nihil pollutum ingreditur. Via Deo tam facilis & prompta est, quàm nobis incomprehensa & admirabilis.

XXI. Baptismus respectu verorum fidelium obsignat gratiam salutarem, quia conjunctus est cum baptismo interno Spiritus. Sed respectu hypocritarum, non habet comitem Spiritus gratiam, sed est tantum tessera professionis, quâ distinguuntur à Judæis, Turcis, & aliis infidelibus. Et tunc administratur, non ex vi Electionis, sed ex generalis dispensationis ratione, quâ Deus constituit per Verbum Evangelii & Sacramentorum administrationem sibi colligere Ecclesiam, & signis quibusdam, & notis eam ab aliis cœtibus profanis distinguere. Ita nihil hic periclitatur doctrina perseverantiæ, quæ constans manet respectu Electorum.

XXII. Nemo regeneratur sine suo actu consequenter; Ita ut actus regenerationis non eliciat regenitus, Concedo. Cum suo actu antecedenter, Nego, quia nos habemus passivè ad regenerationis initium.

QUÆST. XX. XXIII. Quamvis mos apud plures Veterum invaluerit, baptismum differendi in ætatem provectiorem, imò ad mortem usque, deceptos scilicet communi illius temporis errore, post baptismum vitam ab omni lapsu immunem requiri, nec ullam delinquentibus expiationem aliam deinceps reliquam esse. Non sequitur Pædobaptismum in usu non fuisse. Contrarium patet ex continua praxi Ecclesiæ, inde ab Apostolorum ætate deducta. Nec quarundam Ecclesiarum usus, vel quorundam Conciliorum sanctio, qualis est Canon. 7. Concilii Neocæsariensis, quô definitur, *baptismum infantum non modò non necessarium, sed nec licitum, nec legitimum esse*, debet opponi praxi totius Antiquitatis.

XXIV. Quæ de adultis baptizandis dicuntur in Scriptura ad infantes detorquere velle, absurdum est. Quasi cùm manducare vetantur, qui non laborant 2. Thessal. 3. 10. etiam infantes necari jubeantur, quia non magis labore victum quærere, quàm fidei professione baptismum petere possunt. Sic etiam à Circumcisione prohibendi fuissent Judæorum infantes, cùm utrumque sit fidei & resipiscentiæ signum.

XXV. Qui perfecta Christi symbola, non nisi perfectis, aut perfectionis capacibus danda esse clamant, eam, quæ in baptismo sacramentaliter præbetur, perfectionem, perperam ad unicum illud momentum restringunt, cujus vis sese per totius vitæ curriculum & ad mortem usque protendit. Et stultè primo die quærunt perfectionem in homine, ad quam baptismus totâ vitâ per continuos gradus nos invitat.

XXVI. Quod dicitur à nonnullis, *infantes baptizari in fide parentum*, non eò pertinet, ut infantibus imputetur, aut in infantibus præstet, quod in adultis, tum quia quisque fide suâ vivit, tum quia sicubi parentes essent hypocritæ, infantes à salute excluderentur. Sed cò spectat fides parentum; ut liberos afferant baptizandos ex fide quâ credunt promissiones Evangelicas ad se suosque liberos pertinere, deinde ut per illam suis liberis impetrent gratiam Dei Marc. 7. 19.

QUÆSTIO

QUÆST. XXI.

QUÆSTIO XXI.

DE SACRA COENA.

Quid sit Sacra Cœna, & quibus nominibus præcipuè tam in Scriptura, quàm apud Veteres insigniatur?

I. ALterum N. Test. Sacramentum est *Sacra Cœna*, in qua per Panis fracti, & vini effusi distributionem & perceptionem, declaratur & obsignatur fidelibus communio Corporis Christi pro ipsis fracti in Cruce, & Sanguinis pro ipsis effusi ad vitam æternam. Quæ, quò illustrius est, & majoris momenti ad fidelium consolationem Religionis Christianæ Mysterium, eò majori violentiâ Satan conatus est semper illud obscurare & corrumpere, ut inæstimabili hoc thesauro Ecclesiam privaret. Hinc factum, ut nullâ Religionis parte, tam prolixæ & animosæ excitatæ fuerint disputationes, ut videantur tandem Pontificii in eo Capite Theologiæ summam constituisse, adeò nihil fecerunt reliqui, aut in Theologia, aut in Philosophia, quod huc non comportarint, & collatum coëgerint placitis suis servire. *Mysterium S. Cœnæ variis Controversiis implicitum.*

II. Variis autem nominibus tum in Scriptura, tum apud Veteres & Neotericos insignitur. Scriptura vocat δεῖπνον Κυριακὸν *Cœnam Dominicam* 1. Cor. 11. 20. Cœna quidem dicitur ratione Temporis, quia vespere primùm instituta & celebrata, & Paschali Cœnæ substituta; Unde nomen retentum, licèt secutis temporibus non vesperi, sed mane celebraretur ante ullum sumptum cibum. Ut Epulæ in sacris Ethnicorum potius vocabantur δεῖπνα quam ἄριστα. *Dominica* verò dicitur à Domino, qui ejus Autor, materia, & finis est, siquidem eam Christus immediatè instituit, ad mortis suæ memoriam celebrandam, & communionem Corporis & Sanguinis sui dandam fidelibus. *Nomina varia quibus solet exprimi.* 1. *Cœna Dominica* 1. Cor. 11. 20.

III. Perperam verò litem hîc nobis movent Adversarii super isto nomine, quasi malè à nobis referatur ad Eucharistiam, cùm pertineat potius ad Agapas Christianorum, quæ tum temporis celebrari solebant, quod facit *Maldonatus* in Matt. 25. 26. qui demonstrare conatur, *Vocabulum hoc de Sacramento, nec in Scriptura uspiam extare, nec à Patribus usquam esse usurpatum.* Imò affirmat, *Patres nefas duxisse, hoc Sacramentum vocare Cœnam. Calvinista verò*, inquit, *sine Scriptura autoritate, sine veterum Autorum*

Quæst. XXI. *Autorum exemplo, sine ratione; nullo judicio Cœnam vocant.* Sed quàm mala fide agat per ἀμετρείαν τῆς ἀνθολκῆς vel ex eo patet, quòd Catechismus Tridentinus vocem retinet, & à Patribus usurpatam agnoscit, *Vetustissimi Patres*, inquit, *auctoritatem Apostoli sequuti, Cœnæ etiam nomine Sacram Eucharistiam interdum vocârunt, quod in illo novissimæ Cœnæ mysterio à Christo Domino sit instituta.* Baronius fatetur, *Veteribus usurpatam vocem, sed Novatores illâ abuti.* Vasquez pariter agnoscit, *Veteres usos, sed nunc abstinendum esse, ne communia sint vocabula cum hæreticis.* Quàm falsò autem Patres nunquam ita vocâsse Eucharistiam asserat, vel unus Chrysostomus docere potest, qui in h. l. Κυριακὸν δεῖπνον interpretatur τὸ δεσποτικὸν herilem cœnam, & vult eo nomine innui τὰ φρικτὰ μυστήρια, *tremenda mysteria*, sic designans Cœnam Domini.

IV. Quamvis verò non difficeamur, agapas, quibus Christiani charitatem suam invicem testabantur, additas fuisse celebrationi S. Cœnæ; Non sequitur Eucharistiam hoc nomine propriè non designatam fuisse; cùm ex collatione ℣. 25. constet, Christum inter cœnandum Eucharistiam celebrâsse, dicitur enim accepisse poculum sacramentale μετὰ τὸ δειπνῆσαι. Nec si Apostolus carpit abusus, qui oriebantur inter Corinthios in conviviis illis, quæ addebantur celebrationi Eucharistiæ, quales erant defectus charitatis, contemptus pauperum, ebrietas & saturitas, hinc colligi potest, Cœnæ nomine talia convivia tantùm, non verò etiam ipsam Eucharistiam designare voluisse, cùm scopus ejus non alius sit, quàm modum illis præscribere ritè mysterium hoc celebrandi.

2. Εὐχαριστία, & εὐλογία 1. Cor. 10. 16.

V. Secundò vocatur εὐλογία, & εὐχαριστία à Paulo 1. Cor. 10. 16. ubi poculum sacramentale vocat τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *Calix benedictionis cui benedicimus*, quia Christus, accepto pane & vino, dicitur εὐλογῆσαι & εὐχαριστῆσαι; unde tota actio dicta est εὐλογία & εὐχαριστία. Poculum εὐλογίας respondet poculo paschali, quô convivium claudebatur, quod vocabatur כוס הלל ποτήριον ὑμνήσεως, *Poculum laudis.* Unde in Græcis Liturgiis hoc dicitur θυσία αἰνέσεως *Sacrificium laudationis.* Εὐλογία autem ista seu *Benedictio* duo respicit, Deum, & symbola sacra. 1. Deus benedicitur & gratiæ illi aguntur pro eximio quô nos in Christo mactavit beneficio, quod Chrysost. optimè exponit in h. l. *Quando dico* benedictionem, *explico omnem thesaurum beneficentiæ Dei, & magna illa dona, atque ineffabilia beneficia in memoriam revoco; Nam nos quoque ad poculum illud commemorantes ineffabilia Dei beneficia, & quæcunque sumus adepti, ita illud admonemus, & communicamus invicem, gratias agentes, quod genus hominum ab errore liberârit.* Et Theophyl. ad eundem locum. *Poculum benedictionis, hoc est, Eucharistiæ, siquidem hoc manibus tenentes, laudamus eum, eique gratias agimus, qui sanguinem pro nobis effudit, & ineffabilia in nos bona con-*

conferre dignatus est. 2. Symbola ipsa benedicuntur, id est, consecrantur & sanctificantur ad usus sacros. Christus panem εὐλογήσας ἔκλασε. Ideo τὸ εὐλογεῖν & τὸ ἁγιάζειν hac notione idem sunt. Passim apud Patres τὸ ἁγιάζειν dicitur de signis, quando consecrantur in usum Sacramenti. Unde τὰ ἁγιάσματα sunt inter nomina Eucharistiæ apud ipsos. Εὐλογία aliquando pro tota Eucharistiæ actione sumitur, aliquando εὐλογίαι dicuntur singulæ hostiæ, vel particulæ, quæ communicantibus porrigebantur; Sic etiam vocabant partes consecrati panis, quas moris erat in primitiva Ecclesia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos advenas, declarandæ dilectionis ergò & consensionis in fide, quod postea mutatum fuit in Concilio Laodiceno Can. 14. Quæst. XXI.

VI. Tertiò vocatur Τράπεζα Κυρίου *mensa Domini* 1. Cor. 10. 21. *Non potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum. Mensa* dicitur per metony. continentis pro contento, quia in mensa vel super mensam celebrabatur, ubi symbola sacra apponebantur. Unde colligitur ignota tunc adhuc fuisse Altaria. Vocatur *Mensa Domini*, tum quia Dominus autor est, qui illam parat Prov. 9. 1. 2. tum quia est cibus ipse, qui in ista mensa apponitur, nimi. ipsa Domini Caro. Opponitur *mensæ dæmoniorum* quæ sternebatur in idoleio, ad convivia idololatrica Gentilium, in quibus carnes victimarum idolis, & sub illis dæmonibus immolatæ apponebantur. Dicit non posse fideles participes esse utriusque mensæ, id est, ritè & bonâ conscientiâ, non convenire nec decere ob maximam repugnantiam inter Christum & dæmonia 2. Cor. 6. 16. quo sensu dixit non posse ipsos *bibere calicem Domini*, id est, à Domino institutum, & qui bibitur in honorem Domini, & *calicem dæmoniorum*, qui in honorem dæmoniorum bibitur. Porro mensa ista sacra variis Epithetis apud Veteres insignitur, *tremenda & mystica mensa*, à Chrysostomo hom. 1. in Genes. *mensa regia* in 1. Cor. ho. 24. *immortalis & divina* ab eodem passim dicitur, *rationalis mensa* à Theodoreto Sermo. 6. de Provid. & aliis id genus. 3. Τράπεζα. 1. Cor. 10. 21.

VII. Quartò Κοινωνία *Communio* ex Paulo 1. Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne est Communio sanguinis Christi?* &c. Ubi Paulus Cœnæ nomen hoc propriè non dat, sed naturam & finem istius mysterii explicat, dum ait, symbola sacra esse communionem Corporis & Sanguinis Christi, id est, institui ad communionem Corporis & Sanguinis Christi nobis obsignandam. Hinc factum ut Patres passim nomine Κοινωνίας totam hanc actionem significaverint. Apud Dionys. Areop. Hierar. Eccles. capit. 3. hic præfigitur titulus Μυστήριον συνάξεως εἴτουν κοινωνίας *mysterium synaxis, seu Communionis.* Chrysost. ho. 10. in Johan. vocat *spiritualem & tremendam mysteriorum communionem.* Ita autem recte vocatur 4. Κοινωνία. 1. Cor. 10. 16.

QUÆST. XXI. 1. Propter unionem fidelium cum Christo & inter se, quæ in hoc Sacramento obsignatur. 2. Propter communionem ejus morti & beneficiis. 3. Quia omnibus fidelibus in commune olim in synaxibus proponebatur.

5. Fractio panis. Act. 2. 42.

VIII. Quintò, Κλάσις ἄρτου *fractio panis* ex Act. 2. 42. ubi discipuli dicuntur perseverâsse in doctrinâ Apostolorum, τῇ κοινωνίᾳ, ἢ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *in communione & fractione panis*, id est in communione facti panis, vel communione, quæ fit per panis fractionem. Sic notari non panem communem, sed sacrum & Eucharisticum, patet, tum ex Syro Interprete, qui vertit in *fractione Eucharistiæ*, tum ex collatione cum Act. 20. 7. ubi dicuntur congregati discipuli ἐπὶ κλάσαι ἄρτον *ad frangendum panem*, id est, ad celebrationem Cœnæ Dominicæ, quæ sic vocatur à ritu Christi, qui *panem fregit*, non quòd in altera specie tantùm administraretur, ut pertendunt hodie Pontificii; quod falsum esse pluribus argumentis constare potest, ut suo loco probabitur; sed synecdo. ex stylo Hebræorum, qui usitatâ locutione per panis fractionem notare solent convivium, *panem frangere cum aliquo*, est cum illo συνδειπνεῖν, ut Græci ab alterâ parte nimirum potu totam actionem convivii designare solent per τὸ συμπόσιον. Porrò *panis frangi* dicitur potius quàm scindi, quia Hebræi placentulis utebantur, quæ frangebantur potius, quàm cultro scindebantur. Hæc appellatio frequenter occurrit apud Patres.

6. Σύναξις.

IX. Præter istas appellationes, quæ ex Scriptura petuntur, plures aliæ occurrunt apud Patres & Scriptores Ecclesiasticos, quales sunt Σύναξις, quia in publicis Ecclesiæ conventibus ordinariè hoc Sacramentum administratur.

7. Λειτουργία.

Λειτουργία, quia Ministerii sacri publici pars est non postrema. Λειτουργία in genere est opus aliquod publicum, vel publicè factum, λειτουργεῖν est publico operam præstare. Inde ex usu Ecclesiæ vox communis transfertur ad res divinas, & habet modò significationem latiorem & impropriam de quocunque pietatis officio, ut Rom. 15. 27. λειτουργεῖν τοῖς σαρκικοῖς, *ministrare in rebus carnalibus*, id est, subsidia pauperibus administrare, & 2. Cor. 9. 12. notatur beneficentia erga pauperes. 2. angustiorem & propriam in genere pro eo quod est sacram in Ecclesia functionem obire, quomodo sumitur Heb. 10. 11. de Sacerdotibus Veteris Testamenti, qui dicuntur λειτουργεῖν ministrare. Ita Christus vocatur λειτουργὸς τῶν ἁγίων Heb. 8. 2. hoc sensu prædicatio Evangelii dicitur Paulo λειτουργία Rom. 15. 16. Hinc λειτουργίαι apud Veteres dictæ sunt descriptiones quædam ordinis servandi in sacris celebrandis, quales sunt, quæ hodie circumferuntur sub titulis Petri, Jacobi, Andreæ &c. In specie postea vox usurpata est ad notandum omne ministerium, quod circa S. Cœnam peragitur. Unde Justinianus Novellâ 7. λόγον λειτουργίαν, describens duas ejus partes recenset, recitationem S. Cœnæ, & communionem. Licèt verò vox hæc nonnunquam apud Veteres ad S. Cœnam

Heb. 10. 11. Heb. 8. 2. Rom. 15. 16.

nam referatur, perperam tamen Adversarii hinc argumentum petunt pro sacrificio Missatico, quasi in Scriptura extaret, Act. 13. 2. quod *Cotonus* urget, & post eum *Veronus* & alii Sophistæ Missionarii. 1. Quia nuspiam in Scriptura vox λειτουργίας restringitur ad S. Cœnæ celebrationem, sed in genere ad Ministerium sacrum refertur. 2. Verba Lucæ non agunt de sacrificio; sed de Ministerio Evangelii, ad quod vocabant Barnabam & Paulum, & de jejunio & precibus, quibus eos ad id consecrabant. 3. Versio Vulgata habet *ministrantibus illis Domino*. Lyranus exponit, *in bonis operibus secundùm suos gradus & officia*. Biblia Salmanti. *Cum operarentur Domino*, quod in notis exponitur per *Evangelium annunciare*. Cajetan. *non explicatur species Ministerii, sed ex eo quod dixerat in illa Ecclesia fuisse Prophetas & Doctores, insinuatur, quòd ministrabant Domino, prophetando & docendo*. Justinian. in h. l. *Illud probare non possum, quod video plurimis vehementer placere Græcam vocem* λειτουργῶν *præcise in sacris Literis positam de sacro Ministerio, & sacrificio intelligi*. Quæst. XXI. Act. 13. 2.

X. Vocatur etiam sæpe θυσία. & cum variis epithetis modò ἁγία θυσία, modò ψυχικὴ καὶ μυστικὴ θυσία, modò ἀναίμακτος θυσία, modò λογικὴ θυσία. Rationes sunt, non quòd existimarent esse aliquod sacrificium ἱλαστικὸν propriè dictum, quod alienissimum fuit ab eorum mente, ut suo loco probabitur, sed quatuor hisce potissimùm de causis. 1. Quia in ea erat collatio & oblatio eleemosynarum, panis & vini &c. quæ sunt spirituale sacrificium, ex quibus symbola ipsa in Eucharistiæ communione desumpta fuerant, & eleemosynæ in pauperes collatæ. 2. Quia est repræsentatio & commemoratio Sacrificii in Cruce oblati, quam ideo vocant ἀναίμακτον θυσίαν sacrificium incruentum, quia sacrificium cruentum repræsentat, vide Euseb. demonst. Evangeli. lib. 1. cap. 10. & Theodoret. in Epist. ad Heb. cap. 8. 3. Quia est sacrificium Eucharisticum laudis & benedictionis, quod in testimonium gratitudinis Deo offerimus propter opus Redemptionis. 4. Quia ex stylo Veterum omnis actio religiosa, quâ aliquid Deo consecramus ad ejus gloriam & nostram salutem sacrificium dicitur, August. de Civit. Dei lib. 10. cap. 6. *Verum sacrificium est omne opus, quod facimus ut Deo uniti maneamus, ut simus perfecte beati*. 8. θυσία

XI. Datur etiam ipsi nomen *Agapæ* Tertull. in Apolo. c. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim* ἀγάπη *id quod dilectio penes Græcos est*. Agapæ erant convivia fraterna Ecclesiastici conventus, de quibus Jud. 12. loquens de profanis seductoribus, hi sunt ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, *in conviviis vestris maculæ*, ad quem locum Oecumen. *Erant adhuc illo tempore mensæ, quæ in Ecclesiis parabantur, quas etiam agapas appellabant*. Finis erat vel generalis, ut per illas foveretur inter Christianos mutua dilectio, quod nomen ipsum ostendit, vel specialis, ut inopes isto re- 9. ἀγάπη

Quæst. XXI. frigerio juvarentur, ut Chrysostom. in h. l. observat, quia verò conjungebatur cum iis celebratio Sacræ Cœnæ; ideo nomen Agapæ Cœnæ datum est. Primò quidem præcedebant S. Cœnæ usum, ut constat ex 1. Cor. 11. 20. ubi Paulus abusum carpit, qui invaluerat apud Corinthios, quòd convivia illa non fuerint communia, sed quisque quod domo attulisset, privatim edebat, divitibus pauperes spernentibus. Paulus autem vult omnes in commune vesci, ut divites suâ abundantiâ pauperes refocillarent; aliàs docet ipsos graviter peccaturos contra præceptum Christi, nec Cœnam Domini ritè, & ut par est celebraturos. Sed insecutis temporibus Agapæ post Sacram Cœnam celebratæ sunt, quod colligi videtur ex Concilio Carthaginensi Aurelii tempore celebrato, quod Cano. 4. sanxit, ut *Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrarentur.* Vide etiam Chrysost. homil. 27. in 1. Cor. 11. sublatis verò propter varios abusus istis agapis publicis ex Templis, ut refert Cano. 28. Concilii Laodicæni, *Non oportet in basilicis seu Ecclesiis, sic dictas facere Agapas, & in domo Dei manducare.* Remansit nomen in usu Ecclesiastico, ut convivia quæ pauperibus & hospitibus reficiendis instruuntur, ἀγάπαι appellarentur. Cujus consuetudinis vestigia hodieque Græci servare dicuntur, qui die resurrectionis Dominicæ sacro, post sacram mysteriorum communionem, allatis in Ecclesiam epulis, communiter convivantur, & carmen solemne concinunt hisce ferè verbis, Χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, θανάτῳ θάνατον πατήσας, καὶ τοῖς ἐν τοῖς μνήμασι ζωὴν, χαρισάμενος. *Christus ex mortuis resurrexit, morte mortem calcans, & iis, qui in sepulchris erant, vitam largitus est.* Ut ex Cassandri Liturgiis colligitur, quem Agaparum usum apud Græcos hodiernos, R. & Celeb. *Antonius Legerus* ὁ μακαρίτης antea Pastor in hac Ecclesia fidelissimus, & in Academia Theol. Professor meritissimus, Collega noster conjunctissimus, dum Constantinopoli degeret in Aula Excellentissimi Legati Belgici, se observâsse non semel retulit, maximè *in distributione* τῶν εὐλογιῶν, *id est, panis & vini benedicti.*

2. *Mysterium.* XII. Μυστήριον etiam sæpissimè usurpatur ad hoc Sacramentum designandum. Licèt enim in genere dicatur de omnibus Capitibus Religionis Christianæ, & in specie de Sacramentis, quæ subinde per ἅγια καὶ ἀγέφαντα μυστήρια exprimuntur, *Sancta & impolluta mysteria*, singulari ratione de Cœna dicitur ob mysticam Corporis & Sanguinis Christi participationem, quæ captum nostrum longissimè superat. Unde μεταλαμβάνειν & μετέχειν μυστηρίων apud ipsos est participare S. Cœnæ; nec modò mysteria dicuntur, sed cum variis Epithetis θεῖα, *divina*, θαυμαστικὰ, *admirabilia*, ζωοποιὰ, *vivifica*, ἅγια, *sancta*, πλεστικὰ, *perfectiva*, φεικτὰ φεικωδέστατα, *terribilia*, ἀπόῤῥητα *arcana* & sim.

XIII. Plures aliæ voces apud Græcos occurrunt, quibus hoc Sacramen-

mentum designatur, quales sunt τὰ ἁγίασματα in Basilii liturgia, μετέχειν τῶν ἁγιασμάτων est *Sacramenti participem fieri*, αἱ ἁγίαι μερίδες, *sacræ particulæ*, in quas panis distribuendus frangebatur, τὰ δῶρα, *dona*, quia oblationes panis & vini ad sacram Communionem in Ecclesia Veteri offerri solebant, ut ex his sumeretur ad consecrationem in usum Eucharisticum, quantum sufficeret, Ἐφόδιον, *viaticum*; In variis Liturgiis oratur Deus, ut γένηται ἡ μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίας, *ut participatio rerum sanctificatarum cedat in viaticum vitæ æternæ.* Et aliæ id genus, quas recensere supersedemus, ut & alia epitheta, quibus Sacra Cœna apud eos solet insigniri, cujusmodi sunt φάρμακον ἀθανασίας, καθαρτήριον ἀλεξίκακον, πλέτη πλέτων, βλάβης παντοδαπῆς ὁμυτήριον & sim. Quæst. XXI.

XIV. Inter nomina, quibus Latini Sacramentum hoc designârunt, præcipuum est nomen *Missæ*, quod antiquissimum omnium esse præsidenter nimis, sed falsissimè asserit Baronius, qui vult Jacobum fratrem Domini hanc nomenclaturam Jerosolymitanis tradidisse, & Paulum Romanis. De ejus Etymo varie sentiunt. Sunt qui, ut majorem autoritatem illi ab antiquitate concilient, volunt esse Hebraïcæ originis; quasi deducatur à voce מס quæ *tributum* significat. Unde מסרת נדבות de qua agitur Deut. 16. 10. vel à משתי quod est convivium, ex Isa. 25. ubi Deus dicitur facturus populis משתי convivium in hoc monte &c. alii Græcam esse volunt, petitam ex voce μύησις quæ initiationem notat, sed pridem observatum est à Viris Doctis inter ipsos Adversarios Latinam esse. Sed de ratione & causa non convenit inter ipsos. *Hugo de S. Victore*, vult missam dici, quia oblatio in ea & preces ad Deum mittuntur. *Magister Senten.* quòd Angelus à Deo mittatur, qui assistat sacrificio, & illud ad Deum deferat. Sed hoc Bellarmino minus sit probabile. Alii à missis muneribus, quibus instrueretur Cœna, & agapæ, quæ communicarentur pauperibus. Sed longè certior est eorum sententia, qui missam dictam volunt à *missione* seu dimissione populi, ut *remissa* pro *remissione* sæpe ponitur apud Tertull. & Cyprianum, qui mos ab Ethnicis ipsis deductus est, apud quos in quibusdam sacrificiis invaluerat consuetudo per Lictorem exclamandi, *Exesto hostis, vinctus, mulier, virgo*, ut notat Festus; Sic initiatione sacrorum Eleusiniorum impii & scelerati voce præconis submovebantur, ut notat Sueto. in Nerone. Quæ consuetudo in Christianos ipsos versa est, qui initio mysteriorum, cum Epicureis templo jubebantur excedere. Hunc morem, ut & alia multa, Christiani veteres imitati, habebant suas missas seu missiones *populi*. Polydorus Virgi. lib. 5. de rerum invent. cap. 12. observat, quòd Sacerdotes Ethnici finitis sacris clamabant τοῖς λαοῖς ἄφεσις, *populis missio. Idem igitur mos à Nostris etiam servatur, ut peractis sacris per Diaconum pronuncietur, Ite, missa est, quod idem est ac Ilicet, id est, ire licet.* *Missa.* *Ejus Etymon.* *Deut. 16. 10.*

QUÆST. XXI.

In Judiciis Romanorum præco clamabat, Ilicet, & sic Judicibus abeundi potestas data intelligebatur.

Duplex Missa Catechumenorum & fidelium.

XV. Porro duplex distinguitur Missa apud Veteres. Alia *Catechumenorum*, Alia *Fidelium*. Per primam dimittebantur Catechumeni ante Mysteriorum celebrationem cum Energumenis & non Initiatis, post lectionem Scripturæ, quia nulli nisi baptisato interesse licebat. Augustin. Sermo. 237. de Tempore. *Ecce post Sermonem, fit Missa Catechumenorum, manebunt fideles.* Ilido. Orig. libr. 6. cap. 19. *Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras; Et inde Missa, quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Per alteram verò dimittebantur fideles peractis sacris; Tum enim finitâ Eucharistiæ celebratione post εὐχὴν ἀπολυτικὴν pronunciabatur à Diacono, *Ite, missa est*, & sic populo dabatur discedendi potestas. Alcuinus de divin. Offi. cap. 40. *Finitis omnibus, adstanti populo absolutio datur, inclamante Diacono. Ite, missa est. Missa ergo nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, cùm populus à solemni observatione dimittitur &c. Missa ergo Catechumenorum fiebat ante actionem Sacramentorum, Missa fidelium post confectionem & participationem eorundem Sacramentorum.* Inde factum ut toti actioni nomen Missæ datum sit, unde illa, *Missam audire, Missa interesse*; Et ut vocabula sensim progressu temporis in illam significationem trahuntur Missæ nomen cœpit usurpari pro orationibus, quæ ante vel post Catechumenorum dimissionem concipiebantur; Et tandem post multos gradus devoluta vox missæ, in eo constitit, ut significaret sacrificium Corporis Christi propitiatorium pro vivis & mortuis, sub speciebus panis & vini. Ita vocabulum hoc priscæ Ecclesiæ inauditum, non prius increbuit, quàm exolescente Latini sermonis puritate, & Christianæ Religionis simplicitate, barbaries linguas, & superstitio mentes occupavit.

XVI. Ex his verò facilè colligitur, quàm sine ratione tantopere pro illo nomine retinendo pugnent, illudque cæteris omnibus præferendum censeant, cùm tamen ad hoc Sacramentum nuncupandum sit ineptissimum, à nulla scili. istius mysterii parte desumptum, nec à materia, nec à forma, nec à ritibus quidem utrique additis, nec ab efficiente, aut ab effectis, sed à re omnium maximè accidentali, cujusmodi est dimissio plebis; Et quantò justius usurpemus voces ab ipsa Scriptura traditas, quales sunt, Cœna Domini, Communio, Eucharistia, & aliæ id genus.

QUÆSTIO.

Quæst. XXII.

QUÆSTIO XXII.

Cur Sacra Cœna à Domino sit instituta, Et quibus partibus constet?

I. QUia natura & usus istius Sacramenti non potest ritè percipi, nisi teneamus quorsum à Christo institutum sit, & quid menti nostræ exhibeat; Antequam de Controversiis, quæ circa illud magno numero agitari solent, agatur; De fine istius institutionis sacræ, & variis ejus partibus paucis dicendum est; ut totius istius Mysterii Idea præ oculis habeatur.

Quare Cœna sit instituta?

II. Postquam nos semel in familiam suam recepit Deus, non tantùm ut servorum loco nos habeat, sed filiorum, ut partes impleat optimi Patris, & de sua progenie soliciti, continuo etiam vitæ cursu nos alendos suscipit, ut quam vitam semel dedit, subinde conservet & reficiat, donec ad cœlestem immortalitatem perveniamus. Nec eo contentus, dato pignore, nos hujus liberalitatis certiores reddere voluit; Et in hunc finem alterum Ecclesiæ suæ Sacramentum dedit per Filium unigenitum, in spirituale epulum, ubi se Christus vivificum esse Panem testatur, quò animæ nostræ ad veram & beatam immortalitatem pascuntur. Quia enim mysterium hoc arcanæ Christi nobiscum unionis menti nostræ incomprehensibile est, figuram ejus & imaginem in signis visibilibus exhibet ad modulum nostrum aptissimis; Imò velut datis arrhis ac tesseris tam certum nobis facit, quàm si oculis cerneretur. Ut ergo Baptismo initiationis nostræ & in Ecclesiam introitus Sacramento, regenerationem nostram adumbrare voluit; Ita S. Cœnâ nutritionem nostram & alimoniam spiritualem per Christum obsignat, in memoriam mortis, in qua paratus est nobis cibus vitæ, quò sustentamur.

Triplex finis.

III. Finis ergo totius istius institutionis potest esse triplex. 1. *Commemoratio Christi, & mortis ejus* Luc. 22. 19. *Facite hoc in mei memoriam.* & 1. Cor. 11. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & bibetis hunc calicem, annunciabitis mortem Domini donec veniat.* Commemoratio ista non est tantùm theoretica, sed etiam practica rerum quas Christus fecit & passus est pro nobis, ad grato animo prædicandam charitatem immensam Christi, qui diram mortem pro nobis pati, & sanguinem suum fundere non recusavit, quomodo in veteri Paschate, quod erat memoriale liberationis à servitute Ægyptiacâ, celebrabant beneficium admirabile à Deo acceptum. Cujus symbolum aptissimum dare voluit in pane fracto & vino

1. Commemoratio mortis Christi.

QUÆST. XXII.

vino effuso, nec tantùm fracto & fuso, sed distributo nobis; ut vel hinc constet, nobis hoc omne destinatum & partum esse, nec alio fine Christum sese in Victimam Deo obtulisse, ad expianda peccata nostra, nisi ut cederet nobis postea in cibum, quò vescamur, & sustentemur in vitam æternam. 2. *Unio* nostri cum Christo, & *communio* beneficiorum ejus, quæ per esum & potum nobis optimè repræsentantur, ut cibus à nobis manducatus naturæ nostræ arctissimè unitur & cum ea in unum coalescit. Unde participatio symbolorum dicitur communio Corporis & Sanguinis Christi 1. Cor. 10. 16. & Christus dicitur *manere in nobis, & nos in illo* Jo. 6. 54. Et ita manet & unitur nobiscum, ut quicquid ipsius est, nostrum vocare liceat. 3. Hinc sequitur *certitudo remissionis* peccatorum Matt. 26. 28. & salutis æternæ per Christi mortem nobis partæ, quæ non magis nobis excidere potest, quàm meritum mortis ejus, & efficacia Spiritus ejus non possunt esse vana & irrita.

2. *Unio nostri cum Christo, & ejus beneficiorum communio.*

3. *Certitudo remissionis peccatorum & salutis æternæ.*

IV. Hæc verò omnia aptissimè in hoc Sacramento nobis exhibentur, ut singulas ejus partes attentiùs consideranti facilè patere potest, sive symbola à Christo instituta, sive ritus & cæremonias circa ea adhibitas, sive mysterium sub illis latens, & rem significatam cum variis ejus effectis respiciamus. Nam *ad symbola* quod attinet, quæ locum habent materiæ externæ cum actionibus circa ea præstitis, duo à Christo, quæ elementi locum habeant, sunt instituta, *panis & vinum*, nec plura, nec pauciora, quæ ita conjuncta esse voluit, ut sine sacrilegio separari non possint. Quamvis enim in baptismo non nisi unum signum elementare instituerit Christus, quia aqua abluendis corporeis sordibus sufficit, duplex tamen in Cœna adhibere voluit, Tum ad clariorem mortis Christi & Corporis ac Sanguinis in ea separationis repræsentationem; Tum ad perfectam alimoniam, quæ non minus potu quàm cibo indiget, significandam, ut constaret nos in Christo habere quæcunque ad plenam nutritionem, & ad vitam victumque requiruntur. Ideo duo signa instituere voluit, non quæ duplex faciant Sacramentum, licèt sæpe Veteres hic in plurali quasi de duobus Sacramentis loquantur, sed unicum, quia unica est ratio formalis utriusque, nimi. significatio plenæ nutritionis per Christum mortuum & crucifixum pro nobis. Hinc licèt sub variis aliis ideis nobis proponatur in Verbo, sub idea fundamenti quò sustentamur, Capitis quò regimur, Vestis quâ tegimur, Lucis quâ illuminamur, & aliarum idgenus, in Cœna sub sola idea & symbolo cibi nobis exhibetur, quia agitur de vita sustentanda, & reficienda, quæ nobis per regenerationem in baptismo adumbratam, data fuit.

Materia sunt duo symbola. Cur instituta?

V. Usus autem est Christus pane, quia divinâ benedictione est omnium elementorum ad nutriendum & roborandum corpus efficacissimum, communissimum, maximè familiare, & ubivis obvium, facilè parabile, & minimè fastidiosum. Panis autem, quò usus est, azymus fuit,

Panis non debet esse azymus.

fuit, non ex rei necessitate, sed ex accidenti circumstantiæ temporis, propter festum Paschatis, quò nec alio uti, nec alium habere fas erat per Legem, Exod. 12. 19. aliàs semper erat fermentatus tam in Judæa, quoties extra illud tempus celebrabatur Cœna Act. 2. 42. quàm apud Gentes, quæ communi pane, non azymis utebantur. Unde dicta est simpliciter *fractio panis* Act. 20. 7. 1. Cor. 10. 16. & 11. 20. 21. Ut hic perperam tam acris contentio super hoc Capite inter Græcos & Latinos orta sit, illis panis fermentati, istis verò azymorum necessitatem, urgentibus, Unde illis nomen *Fermentariorum* ab istis inditum, Isti verò ab illis dicti *Azymitæ*; Cùm res sit per se adiaphora, ut plerique ex Pontificiis agnoscunt, propter quam pax Ecclesiarum non sit turbanda, sed quæ earum libertati sit relinquenda; Ut diversimodè rem usitatam esse constat & olim, & hodierno etiam die. Licèt non difficemur convenientiorem nobis videri panis fermentati usum; Tum quia magis facit ad scopum Christi, qui fuit adhibere panem communem & ordinarium, qui ubivis esset obvius. Tum quia aptior est ad sustinendam analogiam sacramentalem, quæ posita est in significanda communione nostra cum Christo per similitudinem alimenti corporei. Tum quia necessitas panis azymi pertinet ad cæremonias Judaïcas, quæ sunt abrogatæ, & quæ non sine quadam Judaïsmi καινοζηλίᾳ retineri potest. Tum quia in universa veteri Ecclesia nulla apparent vestigia azymorum communiter usurpatorum in Eucharistia ante nonum vel decimum seculum. Imò constat symbola Eucharistica desumpta fuisse olim ex oblationibus panis & vini factis à fidelibus, quæ procul dubio erant ex pane ordinario & fermentato, ut candidè agnoscit & pluribus argumentis solidè confirmat *Jacobus Sirmondus* Jesuita in lib. de Azymis. Nec hic exemplum Christi potest aut debet obtendi, quia ut dictum, singularis fuit ratio, quæ impulit eum ad usum azymorum, quæ locum amplius non habet. Obligat ergo nos ejus exemplum, quoad rei ipsius essentiam, ut faciamus quæcunque ille fecit, accipiendo, benedicendo & frangendo panem, & alia idgenus quæ à Scriptoribus sacris memorantur; Sed non statim quoad singulas circumstantias, quæ ad rem non pertinent, quod observat Suarez in 3. Tho. de Sacra. *Solum* inquit *Christi factum non satis est ad inducendum præceptum; Nam licet consecraverit in vino albo, aut horâ noctis v. g. non ideo præcepit nos ita consecrare.* Nec si azyma habent significationem mysticam, continuò sunt ex divina institutione, cùm constet causam institutionis fuisse memoriam festinationis exitus ex Ægypto. Quæst. XXII.

VI. *Vinum* commune instituitur, colore indifferens, aquâ non dilutum, quia simpliciter *genimen* sive *fructus vitis* appellatur Matth. 26. 29. & Marc. 14. 25. ut hic Pontificii sine ratione urgeant mixtionem aquæ cum vino, quæ licèt juxta illos non sit de integritate Sacramenti, sit tamen de *Vinum est commune, non aquâ dilutum.*

QUÆST. XXII. ejus *congruitate*, nec omitti possit sine peccato mortali, ut vult Bellarm. Quamvis enim videatur indifferens, quæ proinde possit omitti vel retineri, modò ne turbetur ordo Ecclesiæ; Et clarum sit à Veteribus aquam vino admixtam fuisse, quia rarus est meri puri apud Orientales usus. Tamen meritò reprehendendi sunt, quòd nullo præeunte Verbo, peccata mortalia fingant, & libertatem aliorum damnent.

Ritus circa symbola sunt vel facta, vel dicta Christi.

VII. Ritus, qui circa symbola ista usurpantur in Institutione, sunt vel facta, vel dicta Christi. *Facta* continent administrationis normam & exemplum. *Dicta*, administrationis & usus doctrinam. Facta sunt 1. *acceptio panis & ejus benedictio*; dicitur enim accepisse panem & benedixisse vel gratias egisse Matth. 26. 26. λαβὼν τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, quem sequitur Marcus, Lucas 22. 19. καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασε quem sequitur Paulus 1. Cor. 11. 24. quod ostendit duo ista verba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν pro eodem sumi, ut constat ex Matth. 14. 19. & Marc. 6. 41. Ita notatur consecratio panis & vini, seu præparatio ad usum sacrum per preces & gratiarum actionem. Quod petitum est à ritu communi Judæorum, qui in sumptione cibi præmittebant gratiarum actionem, nihil comedentes, quod non consecràssent antea precibus & benedictionibus, sive ad usum hujus vitæ, sive ad usum sacrum, ut constat ex Ritualibus Judæorum, ut Christus non semel præstitisse legitur in miraculo panum Matth. 14. 19.

Facta sunt acceptio panis & benedictio.

1. *Tim.* 4. 4. Marc. 6. 41. Joan. 6. 11. quò respiciens Paulus 1. Tim 4. 4. *Omnis creatura*, inquit, *bona est, & nulla est rejicienda, modò sumatur cum gratiarum actione, quia sanctificatur per Verbum & preces*; Per Verbum à parte Dei, qui ejus usum nobis concedit, & dat vim nutriendi, per preces à parte nostri, quatenus per eas Deo benedicendo, & gratiam ejus petendo, obtinemus benedictionem in cibos appositos, & jus iis utendi. Sed ritus iste usitatus in usu ordinario ciborum, longè magis necessarius est in usu sacro, & diligentiùs à Judæis observabatur in epulis sacris. Ut in esu Paschatis, peculiaris erat formula benedictionis seu gratiarum actionis in consecratione azymorum. *Benedictus sit Dominus Deus noster, Rex Mundi, qui nos & Patres nostros redemit ex Ægypto, & jussit edere panes azymos.* Et in consecratione Calicis. *Benedictus est Dominus Deus noster, Rex Mundi, qui creavit fructum vitis.* Atque hinc omnino verisimile est Christum petiisse nomenclationem *fructus vitis*, quam dat vino, loquens de calice. Christus ergo qui facilè accommodabat se consuetudini Judæorum, quoties nihil erat quod veritati & pietati repugnaret, hunc consecrationis modum appositè adhibuit tanquam omnino necessarium ad institutionem Sacramenti, ut symbola ab usu communi & profano traducerentur ad usum sacrum & mysticum. Unde Oecumen. in 1. Cor. 10. 16. ὁ εὐλογοῦμεν optimè exponit ὃ ἐυλογεῖτις κατασκευάζομεν. *Mutatio* autem, quæ per istam con-

secra-

secrationem facta est, non fuit *realis* substantiæ, sed *moralis* tantùm & quoad usum, ut esset Sacramentum Corporis & Sanguinis sui. Benedictio porro ista, ita Deum primariò respiciebat, cui benedictio & gratiarum actio redditur ob Redemptionis beneficium, ut extenderetur etiam ad ipsa symbola, super quæ benedictio Dei accersebatur talibus precibus; quomodo benedicimus symbolis per preces, quas Deo offerimus ad eorum consecrationem; atque ita rectè possunt dici ipsa symbola benedici. Licèt autem Evangelistæ formulam nullam expressam recitent, quæ à Christo sit adhibita, ut inde pateret discrimen consecrationis istius, à consecrationibus paganis, vel consecrationibus magicis, quæ certorum verborum numero constant, & ut libertati Ecclesiæ relinqueretur formulam adhibere qualemcunque libuerit, modò mysterio apposita esset; Non dubium est tamen, quin accommodatissimis usus sit verbis ad naturam rei. Quæst. XXII.

VIII. Secundus Ritus fuit *fractio* istius *panis* benedicti; nam *Christus εὐλογήσας ἄρτον ἔκλασε, panem fregit postquam benedixit.* Licèt autem iste ritus à Judæis etiam petitus sit, ubi paterfamilias peractâ benedictione panem frangebat, & convivis distribuebat; aliquid tamen singulare & μυστηριώδες hic fuisse dubium non est; Cùm Christus peractâ jam Cœnâ, panem frangere voluerit, ubi non modò convivæ non opus habebant amplius cibo, sed hoc etiam ipsis ex more in Paschate usitato interdictum erat. Ideo diligenter ab omnibus Evangelistis & à Paulo ritus iste fractionis panis observatus est, imò tota Sacræ Cœnæ actio ab illa cæremonia denominatur per fractionem panis; Ut vel inde constet ritum non esse liberum & indifferentem, sed essentialem & necessarium, qui licèt non pertineat propriè ad essentiam ipsius Sacramenti, pertinet tamen ad ejus integritatem; non tantùm exemplo Christi Matth. 26. & Apostolorum 1. Cor. 10. 16. sed etiam ex significationis mysterio, quomodo pertinet ad ipsam Cœnæ materiam & formam. Ad materiam, quia integrat eam tanquam pars ad formam, quia crucifixionem Christi & lacerationem Corporis ejus repræsentat, & mysticam fidelium ex uno Corpore communicationem. Non putandum ergo fractionem istam simpliciter respicere necessitatem distributionis, quia Judæorum panes, qui instar placentularum lati erant, non spissi, frangi solebant, non scindi, sed ulteriùs significationem mysticam Corporis fracti, & Sanguinis effusi continebat, ut à Christo ipso explicatur. 2. *fractio panis.*

IX. Tertius Ritus est *distributio* panis fracti & vini effusi, quâ docentur fideles Christum suâ ipsius manu sese cum omnibus beneficiis suis utendum aut fruendum tradere: Cujus distributionis in prima Cœna, non alius quærendus est Minister, quàm Christus ipse, qui solus mysterii hujus fuit dispensator, quique ejus dispensationem primus exemplo suo sancivit & sanci- 3. *Distributio.*

QUÆST. XXII.

ctificavit. Licèt autem apud Veteres varius distribuendi ritus fuerit, Optimus procul dubio censendus est modus, quem Christus usurpavit, ut populus de manu Præsidis sacra signa accipiat.

Verba Christi.

X. Atque hæc sunt facta Christi circa symbola, quibus addenda sunt *Verba* seu dicta, quæ facta illa comitata sunt, quæ triplicia sunt. Alia continent *præceptum*, alia *promissionem*, alia *explicationem hujus mysterii*. *Præceptum* est vel de administratione, vel de usu & participatione istius Sacramenti, illa ad dispensatores, ista ad communicantes pertinet. Ut enim Ministris Sacramenti hujus dispensandi, Ita omnibus illud sumendi necessitatem imponit; additâ normâ ac formâ, ab utrisque in hujus mysterii celebratione servandâ. Ad priorem mandati partem pertinent hæc verba, *Hoc facite*, id est, quod Christus exemplo suo ad imitandum proposito fecit, id est, accipite panem & vinum, sanctificate gratiarum actione & precibus, frangite panem, fundite vinum, utrumque præbete, Sic dispensantibus præscribitur norma & necessitas administrationis.

Sunt 1. præcepti.

XI. Ad posteriorem pertinent ista, *Accipite, comedite, & bibite.* In quibus Communicantibus duo præcipit, dum vult ut hoc faciant, nim. quod Christus jusserat, ut *accipiant*, deinde ut *comedant* & *bibant*. Accipiendi verbum proprie de manu est intelligendum, quod vis verbi λαμβάνω, quô utitur Christus, importat. Unde colligitur Christum porrexisse panem manu prehendendum; non autem illius buccellas in os injecisse, ut moris est apud Pontificios. Secundò præcipit, ut *edant* & *bibant*, Ubi communio Sacramenti notatur, & usus ejus ad significandam communionem nostri cum Christo, cujus vi omnium ejus beneficiorum simus participes. Ut enim nulla arctior conjunctio datur, quàm ea quæ intercedit inter cibum & corpus quod eo nutritur; Ita non aptiùs poterat communio nostri cum Christo designari, quàm per manducationem, per quam fit ut Christus animarum nostrarum cibus fide apprehensus unum fiat nobiscum. Hoc tamen discrimine, quòd cibus corporeus in substantiam nostram convertitur, at cibus spiritualis, quia potentior & perfectior, nos mutat quodammodo in substantiam suam, ut simus conformes Christo, & vivamus vitâ Christi, & participes divinæ naturæ 2. Pet. 1. 4. Quemadmodum verò duplex est cibus, corporalis scilicet & spiritualis. Ita duplex hic intelligenda manducatio, Oralis signorum corporalium, Et spiritualis rei significatæ seu Corporis & Sanguinis Christi. Vult ergo Christus, ut fideles utroque modo edant hoc Sacramentum, priori quoad signum ore corporis, posteriori quoad rem significatam ore animi scilicet fide; Ut edant panem istum, non tantùm *quà panis est*, oraliter, sed etiam, *quà est Sacramentum*, spiritualiter meditando, & sibi applicando mysteria omnia, quæ sub istis symbolis repræsentantur. Quod dicitur de pane, debet etiam intelligi de poculo, quod alte-

alterum est symbolum, cujus participatio omnibus ex æquo imperatur, ut suo loco probabitur. Quæst. XXII.

XII. *Verbum promissionis* est quod rem significatam declarat. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* In quibus tria explicationis causâ breviter distinguimus. 1. *subjectum*, 2. *prædicatum*, 3. *modum prædicationis*, quem facit copula *Est*. *Subjectum* utrobique in verbis de pane & poculo est pronomen demonstrativum *Hoc*, idque non adjectivè, sed substantivè sumptum. Cùm autem pronomen pro se ipso non sit, sed pro alio nomine vel expresso, vel subintellecto, patet pronomen *Hoc* ad aliquod nomen in textu expressum, vel subintellectum, referri, quod non aliud esse potest, quam panis & vinum, quia nihil aliud demonstrare potest, quàm illud quod acceperat & fregerat Christus, nimirum panem. *Attributum* est Corpus Christi verum & naturale, quod pro nobis traditum est, non simpliciter ut Corpus & Sanguis Christi; Sic enim nec præbentur nobis, nec prosunt Joan. 6. 63. sed quatenus datum est pro nobis in mortem, & in Cruce fractum, & Sanguis quatenus effusus est in remissionem peccatorum. Nam ita demum facta sunt nobis cibus & potus vitæ, juxta illud, *panis quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita* Joan. 6. 51. *Modus prædicationis* quem indicat copula, non est *proprius & substantialis*, quia panis & vinum propriè non sunt Corpus & Sanguis Christi, nec substantia Corporis & Sanguinis Christi est substantia panis & vini, nec *synecdochicus*, quasi Corpus in pane, & Sanguis in vino contineatur: non enim docet Christus, ubi sit suum Corpus & Sanguis, & quibus receptaculis contineantur, sed cujus usus & officii sint in Cœna. Sed est *sacramentalis & metonymicus* in omnibus Sacramentis usitatus, quô nomen rei signatæ prædicatur de signo. Ita verba illa figurata resolvenda sunt in propria, Panis & vinum sunt signa & sigilla Corporis & Sanguinis Christi, juxta expositionem Pauli 1. Cor. 10 16. qui vocat panem communionem Corporis Christi, & poculum communionem Sanguinis. Hoc modo tropus nec in subjecto, nec in prædicato statuitur, sed in copula *Est*, ubi esse mysticum & sacramentale intelligitur; in quo non spectatur quid res sit in se, sed quid significet. 2. promiss.

XIII. Hinc colligitur vera *forma* S. Cœnæ, quæ posita est in *signorum & rei significatæ conjunctione*, per quam signum & res significata unum quoddam sunt ex divina ordinatione verbo Sacramenti declarata. *Unum* autem sunt, non genere, aut specie, & numero, sed *analogiâ*; Unde sequitur hanc *unionem* non esse naturalem, quæ fiat per contactum physicum, nec localem per indistantiam, & inexistentiam, aut coëxistentiam unius in altero, nec hypostaticam. Sed *analogicam, relativam, & sacramentalem* Forma Cœna.

QUÆST XXII. *talem.* Quæ in tribus potissimùm versatur. 1. in *significatione*, per quam externa symbola se habent, ut signa repræsentativa & commemorativa, Res interna verò ut repræsentata & commemorata. 2. in *rei significatæ obsignatione*, per quam elementa se habent ut sigillum, pignus, & arrha, Corpus & Sanguis Christi, tanquam res obsignata. 3. in *rei significatæ & obsignatæ exhibitione*, quatenus res externa est instrumentum morale, per quod & cum quo Deus vult esse efficax & credenti rem internam communicare realiter. *Significatio* posita est in similitudine proprietatum & effectuum signi & signati, quæ magnam inter se habent cognationem. Ut panis & vinum sufficientissima & efficacissima sunt vitæ corporalis sustentandæ & conservandæ media; Ita Corpus & Sanguis Christi alimoniam præstant animæ, & sunt media sufficientissima & efficacissima vitæ spirituali fovendæ & conservandæ. Ut panis & vinum separantur in Cœna, Ita Corpus & Sanguis Christi separata sunt in cruce. Ut panis frangitur & vinum effunditur. Ita Corpus Christi fractum est in cruce doloribus & tormentis, quum laceratum est ejus cor sensu iræ Dei, & manus & pedes ejus clavis, latus lanceâ transfossum est, & sanguis ibidem est effusus. Ut panis & vinum non nutriunt nisi oraliter percipiantur: Ita nec Corpus & Sanguis Christi animum alunt, quum speculativè tantùm considerantur, sed quum practicè per fidem recipiuntur, & nobis applicantur. Denique ut communicantes participes sunt omnes unius panis; Ita fideles participes sunt unius Christi, & cum eo & inter se invicem in unum Corpus coalescunt per fidem & charitatem 1. Cor. 10. 16. 17.

XIV. Secundò, posita est in *obsignatione*, per quam Deus, non tantùm repræsentat hæc mysteria per similitudinem signi cum signato, sed ea etiam obsignat ex vi institutionis Dei, ut certi reddantur fideles de eorum possessione per applicationem sigilli hujus divini ad communicantes. Ut Christus panem edendum & vinum bibendum dedit sigillatim discipulis, ut haberent testimonium divinum remissionis peccatorum suorum & salutis, crucifixione Corporis & effusione Sanguinis Christi acquisitæ. Tertiò, *in rei significatæ & obsignatæ exhibitione*. Nec enim symbola ista nudè res repræsentant, nec tantum eas obsignant, sed etiam suo modo exhibent. Ut afflatu oris sui Christus, non tantùm significavit, sed etiam præbuit & communicavit Spiritum suum discipulis Joan. 20. 22. Exhibitio autem ista fit non ex vi signorum, sed ex ordine Dei, non denti, sed menti, non ori, sed fidei. Positâ igitur fide, exhibitio spiritualis conjungitur cum perceptione orali panis & vini. Unde sequitur *Christus in Cœna præsentia*, quæ vera quidem est & realis, non fictitia & imaginaria, sed non corporalis, ac si Christus includeretur panis & vini substantiæ aut eorum accidentibus. Licèt enim Corpus & Sanguis Christi cum signis percipiantur à fidelibus,

fidelibus, ἅμα, id est, *simul tempore*, non tamen ὁμοῦ, id est, *simul quoad locum* proponuntur. Adsunt ergo Corpus & Sanguis Christi oblata & exhibita in adjuncta promissione gratiæ per fidem recepta. Non tamen hanc præsentiam efficit fides, sed divina institutio & promissio gratiæ; Ut propriè loquendo veritas præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi sit à promissione gratiæ, perceptio verò à fide. Sic *præsentia* Christi in Cœna potest esse quadruplex, *relativa* in signis, *objectiva* in mente, *unionis* in corde, *efficaciæ* in tota anima, ut suo loco fusiùs dicetur. Quæst. XXII.

XV. Diximus tertiò in dictis Christi attendendam esse *institutionem* seu explicationem hujus mysterii, quam subjicit verbo mandati, & promissionis, ut totius istius actionis sacræ finem exponat, quum ait, *Hoc facite in mei commemorationem*, quod Apostolus explicat 1. Corint. 11. 26. per *annunciationem mortis ejus*, ubi *recordatio* non intelligitur nuda & merè historica, sed viva & efficax applicatio practica meriti Christi, ejusque per fidem apprehensio. Annunciatio etiam mortis Christi non significat illius narrationem simplicem, sed publicam & solennem pro tanto beneficio gratiarum actionem, quæ peragitur, quum Christi obedientiam & beneficia gratâ mente recolimus. Unde patet Cœnam non esse institutam, ut sit sacrificium reale & propitiatorium pro peccatis nostris, sed potius ut sit sacrificium spirituale & Eucharisticum, positum in solenni gratiarum actione, pro Christi Incarnatione, Morte, Resurrectione, & omnibus beneficiis per eum nobis acquisitis, ut suo loco ostendetur.

XVI. Ex quibus omnibus colligitur S. Cœnam spectari posse bifariam, vel *simpliciter* & seorsim pro symbolis externis & ritibus circa illa adhibitis, quomodo dicitur Sacramentum à Christo institutum ad Corporis Christi in mortem traditi & Sanguinis ejus effusi commemorationem, & fidei nostræ confirmationem. Vel *compositè* & conjunctim pro complexu signorum & rei significatæ, & sic dicitur alterum N. Test. Sacramentum, in quo per panis fracti manducationem, & vini fusi bibitionem significatur & obsignatur credentibus communio Corporis & Sanguinis Christi, & omnium ejus beneficiorum, ad commemorationem mortis ejus, & fidei confirmationem & incrementum.

QUÆSTIO

QUÆST. XXIII.

QUÆSTIO XXIII.

DE CONSECRATIONE.

An in Eucharistia Consecratio fiat pronuntiatione verborum, Hoc est enim Corpus meum. *Et An secretè pronuntianda sint?* Neg. cont. Pontific.

Status Quæstionis. De Consecratione.

I. PRima Quæstio de Symbolis Eucharisticis, & ritibus circa illa adhibitis respicit *Consecrationem* eorum. Quod Synodus Tridentina licèt obiter perstrinxit, propter Scholæ dissensum, quum ait Cap. 3. Sess. 13. *Semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post Consecrationem, verum Domini nostri Corpus, verumque Sanguinem, sub Panis & Vini specie, una cum ipsius Animâ & Divinitate existere; Sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub specie Vini ex vi verborum* &c. Licèt verò diversissimæ sint Doctorum sententiæ, dum alii nullis verbis Christum consecrâsse volunt, sed absolutâ potestate & voluntate, vel tactu, vel aliquo signo externo; ut *Innocentius* III. *Biel*, *Catharinus*, & alii nonnulli. Alii verbis aliis, quàm quæ sint in Evangelio. Alii iisdem quidem verbis, sed quæ prolata bis fuerint, prius apertè ad institutionem, posterius secretè ad consecrationem. Receptior apud ipsos & communior sententia hodie est, Pronuntiatione tantùm illorum verborum, quæ formalia dicunt sive sacramentalia, fieri consecrationem, & hactenus verba illa esse operativa & conversivâ, *Vera instrumenta consecrationis, ita ut vim habeant tanquam instrumenta Dei.* Sic loquitur Bella. li. 4. de Missa c. 2. Sic sentiunt *Suarez*, *Vasquez*, *de Valentia* & alii.

II. Nos verò negamus Consecrationem affigendam esse pronuntiationi verborum sacramentalium; Sed constituendam esse in tota actione Christi, & præcipuè in benedictione, quâ elementa ab usu communi & naturali transferuntur & evehuntur ad usum sacrum & mysticum, quum dicitur Christus ab Evangelistis benedixisse & gratias egisse accepto pane.

III. Ut verò clariùs totum hoc Mysterium percipiatur, observandum triplicem dari benedictionem. Nam benedicit Creator Creaturæ, vel Creatura Creatori, vel Creatura Creaturæ. *Benedicit Creator Creaturæ*, quum bono aliquo eam donat, & beneficio aliquo eam afficit. Ita benedictio Dei est operativa & beneficentiam ejus insinuat, & cùm benedicit facit quod

quod dicit, ut scitè ait Augustinus. 2. *Creatori benedicit Creatura*, quum beneficia ipsius, & ob eadem ipsum celebrat; Unde formulæ illæ in Psalmis passim obviæ. *Benedic Domino anima mea* Psalm. 103. 1. & Psalm. 104. 1. 35. Ita benedictio divina humanam semper anticipat, & benedicitur Deus, quia nobis benedixit Eph. 1. 3. 3. *Creatura Creatura benedicit*, cùm bona ei optat & bene precatur. Proponitur autem hæc benedictio verbis nunc *poscentis*, ubi sermo ad Deum dirigitur ut Deuter. 33. 11. nunc *optantis*, ubi ad Creaturam, ut Num. 6. 24. nunc *promittentis*, quod in Vaticiniis est solenne Genes. 49. 8. 16. nunc *imperantis* ex potestate à Deo tributâ, ut Genes. 27. 29. Rursus benedictio ista respicit, Vel *personas*, voto, cùm illis bene precamur. Vel *res*, sanctificatione, idque vel ad usum communem, v. g. respectu ciborum ordinariorum, ut illis conferatur à Deo vis & efficacia nos nutriendi, de qua agitur 1. Timot. 4. 4. Vel ad usum sacrum & religiosum, qualis erat benedictio azymorum, & calicis Paschalis usitata apud Judæos. Quæst. XXIII.

IV. In ista autem benedictione sacramentali duplex attendenda est χάρις, prima ad Deum, secunda ad ipsa symbola. Ad Deum, ut illi gratiæ agantur pro admirabili totius operis & Redemptionis beneficio, quòd Christum miserit in mundum, & morti tradiderit, quòdque nobis eum donet in cibum vivificum. Ad symbola, ut super Creaturas appositas, jamque fidelibus porrigendas benedictio obtineatur, cujus virtute illæ per se alioqui ad id inhabiles, ad sumentium usum beneficiumque spirituale efficaces reddantur. Ita in hac benedictione continetur & *gratiarum actio* pro beneficiis jam acceptis, & *supplicatio* pro consecratione symbolorum, & hac rectè refertur ad symbola, non immediatè, sed quia ad Deum sanctificationis autorem fides excitata, refert ab eo potestatem usus ad Sacramenti celebrationem; Sic bene dicitur Christus benedixisse symbolis, non ad illa sermonem dirigendo, sed Deum ipsum invocando, ad obtinendam super illa benedictionem, quâ opus habent ut sint Sacramentum efficax Corporis & Sanguinis Christi.

V. Cæterùm duplici ratione pani poculoque in Cœna novissima Christus θεάνθρωπος benedixit, benedictionem poscendo quà homo, & exhibendo quà Deus. Ideo non fuit tantùm vocalis, sed & realis, quâ elementis illis ad usus effectusque sacros efficaciam impertiebatur, & nunc etiam impertitur. Nam qui tunc benedixit, etiam nunc benedicit ad Ministri suo nomine benedicentis votum, in fidelium participantium usum efficaciam tribuendo, quâ & ipsis in benedictionem cedat, & beneficio collato benedictos afficiat. Quò pertinent ista Chrysostomi de proditione Judæ To. 5. *Adest etiam nunc Christus, mensam hanc instruens, idem*

QUÆST. XXIII. *idem ipse qui mensam illam instruebat, & istam nunc instruit, neque enim homo quisquam facit Corpus & Sanguinem Christi fieri proposita elementa; sed ipse, qui pro nobis Cruci affixus est Christus.* Ex quibus concludimus, veram symbolorum consecrationem fieri per benedictionem distinctam à verbis sacramentalibus.

Consecrationem fieri per benedictionem probatur.

VI. Rationes sunt. Primò, Quia benedictio est sanctificatio rerum super quas funditur, quæ non alium in finem fit, quàm ut res quæ benedicuntur, destinentur & separentur ad usum sacrum. Cùm verò Christus benedicens pani & calici, haud dubiè exauditus sit; necesse est, ut benedictione ista panis & calix benedicti sint & sanctificati, antequam talia verba pronunciarentur. Quod confirmatur ex eo quod refert Scriptura, Christum ante prolationem istorum verborum, jam benedixisse & gratias egisse, dicitur enim verba illa protulisse εὐλογήσας & εὐχαριστήσας, id est, interprete Erasmo, Catharino, Sanctesio, & aliis Pontificiis, *postquam benedixisset & gratias egisset.* Unde Justinus Apol. 2. panem vocat εὐχαριστηθέντα, id est, panem super quo gratiæ actæ sunt.

VII. Secundò, Quia consecratio non potest fieri sine precatione, imò consistit in precatione, per quam gratia Dei invocatur super symbola ad eorum sanctificationem. At verba ista *hoc est Corpus meum*, nullam habent precationis formam, & nihil postulant, & ad Apostolos, non ad Deum diriguntur. Nec sunt *poscentis* & *optantis*, nec *imperantis*, ut fiat aliquid, quod nondum sit, nec futurum *promittentis*, sed id ipsum, de quo agitur, *indicantis* & narrantis.

VIII. Tertiò, Quia benedictio de qua Paulus agit 1. Cor. 10. 16. eadem est cum benedictione, de qua loquuntur Evangelistæ. At benedictio apud Apostolum est benedictio consecrationis, quia ex vi illius benedictionis Apostolus infert, calicem *esse communionem Sanguinis Christi*, & panem *communionem Corporis Christi.*

IX. Quartò, Non aliter fieri debet consecratio symbolorum ad usum sacrum, quàm fit consecratio ciborum quotidie ad usum communem, siquidem utrobique datur sanctificatio rerum, quæ usibus humanis destinatæ sunt, licèt in dispari gradu. At consecratio & sanctificatio ista non aliter fit, quàm precibus & Verbo ex Paulo 1. Tim. 4. 4. Et hoc vel ipse sensus communis dictat. Sic Ethnici consecrabant statuas Numinum suorum, Judæi consecrabant vasa Templi precibus, & Salomon consecravit Templum eximiâ oratione, quæ refertur 1. Reg. 8. Sic Christus benedictione consecravit panes in miraculo panum. Cùm ergo Christus dicitur accepisse panem & benedixisse, nemo dubitare potest, quin precibus suis voluerit benedictionem Dei accersere in symbola, quæ necessaria erat, ut essent apta ad usum sacrum cui destinabantur, nimirum ut

essent

essent Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi ; cùm de necessitate indispensabili sit petere istam benedictionem à Deo, qui solus eam dare potest. Quæst. XXIII.

X. Quintò, Non potest censeri facta conversio, & consecratio, per quam Christi Corpus præsens sistatur sub speciebus panis & vini, quia illa verba sunt historicè narrativa, & declarativa rei, quæ jam erat ; Ideo particula *Enim* illis inseritur in Canone Missæ, quò constet illis reddi rationem, cur panis ille sumendus & manducandus sit, quia scilicet est Corpus Christi, non verò practicè effectiva rei, quæ nondum esset ; Unde non enunciantur in imperativo, ut in Creatione Lucis *fiat Lux*, sed in indicativo, ut quum dicitur *in Principio erat Verbum*. Nec unquam legitur Deus dixisse de rebus quæ non sunt, quòd sint, ut faciat eas esse. Lazaro jacenti in sepulchro dicebat, *Lazare, exi foras*, per imperativum, quia jubendo dabat illi vitam & vires ut exiret. Sed non dicit in indicativo, *Tu vivis Lazare, & exis foras.*

XI. Sextò, Si consecratio præcisè illis verbis contineretur, nulla deberet esse verborum varietas apud Sacros Scriptores, quia ubi numeranda sunt verba, syllabæ, & syllabarum partes, ut volunt Pontificii, nulla debet esse varietas, quæ tamen in verbis istis commemorandis occurrit ; conferantur verba Matthæi, Lucæ ac Pauli, Ille *Hoc est sanguis meus*. Isti verò *Hoc poculum est N. Testamentum in Sanguine meo.*

XII. Septimò, Quia non alia fuit veteris Ecclesiæ sententia, ut constare potest ex Liturgiis Veterum, Clementis in Constit. Basilii, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Jacobi, Marc. Tum ex testimoniis Justini, Origenis, Irenæi, Basilii, Ambrosii, Augustini, & aliorum testimoniis, ut fusè & solidè demonstravit Celeb. Dallæus lib. 3. de Cultibus Lati. cap. 13. 14. 15. Et cap. 17. usum esse Christianorum vetustissimorum, Armeniorum, Græcorum omnium, qui etiam hodie hoc Sacramentum ita conficiunt, & conficiendum esse contra Pontificios pugnant, probat ex Nicolao Cabasila, & Marco Ephesio Archiepiscopo.

XIII. Octavò, Varii ex Pontificiis hoc agnoscunt, *Christophorus de Capite Fontium* Archiep. Cæsariensis lib. de corr. Theol. Schol. asserit Scripturam, Concilia, & totam Antiquitatem sibi adstipulari, statuenti hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, non esse consecratoria, imò nec vera fore, nisi jam Corpus Christi per benedictionem illic extet. *Durandus* Ration. lib. 4. cap. 41. statuit Christum tunc confeciisse cùm benedixit. *Odo* Camera in exposit. Canon. dist. 3. *Patet quòd panis acceptâ benedictione factus sit Corpus Christi, non enim post benedictionem dixisset, hoc est Corpus meum, nisi in benedictione fieret Corpus Christi.* Ita sentiunt *Cajetanus, Cassander, Catarinus, Tuelmannus*, & alii.

QUÆST. XXIII. *Fontes Solutionum.*

XIV. Preces quibus facta est promissio, semper Deo acceptæ sunt. Tales autem sunt preces ac benedictio, quibus consecrantur symbola, cùm verba Christi, quibus jussit hoc facere, adeoque etiam benedicere, tacitam promissionem futuri in posterum effectus includant. Unde dubitari nequit, quin consecratio, quæ fit benedictione ac precibus, sit certa ex Dei ordine & promissione. Aliud est consecrationem pendere à precibus humanis, Aliud fieri per preces & verbum institutionis; posterius agnoscimus, sed non prius. Ut rectè dicimus beneficia Dei impetrari per preces, sed non pendere tamen à precibus. Si consecratio non potest esse certa, quia pendet à precibus humanis; multò minus potest dari ulla certitudo effectus verborum à Sacerdote pronunciatorum, cùm de ejus intentione pro certo nihil nobis constet.

XV. Licèt preces & benedictio non sint causa principalis Sacramentum conficiens, sed sola divina virtus, aut invisibilis Spiritus Sancti operatio; Rectè tamen preces & benedictio dicuntur consecrationem facere, quia earum interventu conficitur. Ut rectè cibi dicuntur sanctificari precibus, licèt id primariò & principaliter fiat Verbo & Spiritu Dei.

XVI. Christus facit quod dicit, nimirum cùm, ut fiat aliquid, dicit ac imperat, non cùm quomodo res se habeat, simpliciter enunciat atque narrat. Nec dici potest verba ista non esse enunciativa ejus quod ante fuit, sed practica ejus quod non fuit; Nam si verba illa sunt practica, quomodo pronomen *hoc* potuit significare Corpus, quod demum prolatis istis verbis efficietur?

Consecratio debet fieri altâ voce.

XVII. Huc pertinet alia Quæstio de *Pronunciatione Verborum*, quæ consecratoria vocant. Docent Pontificii, verba ista submissâ voce esse pronuncianda, ne à populo audiantur: Et Synodus Trident. Sess. 22. Cano. 9 anathemate eos percutit, *Qui dixerint, Ecclesiæ Romanæ ritum, quò submissâ voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse.* Et sub diri anathematis pœna injungit ritum illum, quum Missale Ro. præcipit, *ut Sacerdos cubitis super altare positis, stans capite inclinato, distinctè, reverenter, & secreto proferat verba consecrationis super hostiam* &c. Nos verò hæc verba & totam Sacramenti institutionem dicimus pronunciari debere altâ voce & intelligibili, ut adstantes doceantur & instituantur.

Probatur 1 exemplo Christi.

XVIII. Rationes sunt 1. Quia Christus, cujus actiones cynosura nostra esse debent, sic celebravit Eucharistiam, ut ab omnibus adstantibus audirentur omnia, & hæc ipsa, quæ consecratoria appellant verba. Jussit enim accipere, edere, & bibere, utique eâ pronunciatione, ut intelligi posset. Nemo enim quemquam aliquid agere jubet, quem hoc ipsum quod jubet audire & intelligere nolit. Quòd si verba illa jubentia clarè pronun-

nunciata & audita & intellecta sunt, etiam sequentia ista: *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, in ejusdem orationis contextu posita, audita ac intellecta fuerint oportet. Aliàs Apostoli non potuissent ea describere, nisi ea auribus percepissent. Adde quod Apostoli debuerunt discernere Corpus Domini; At nulla discernendi ratio, si nulla præcessit admonitio, nulla autem admonitio, quæ non audita. Quæst. XXIII.

XIX. 2. Christus non ita instituit Sacramentum, ut sola actio esset visibilis & publica; Verbum verò quod est præcipua pars Sacramentorum occultaretur & sepeliretur silentio. Frustra Bellarm. distinguit, *Eucharistiam, vel ut est Sacramentum, vel ut est Sacrificium*; *Ut sacrificium, non necesse esse, verba quibus id efficitur audiri posse, quia sacrificium non consistit in verbis, sed in oblatione, & ita sumi hoc loco. Deinde nec in Sacramentis necesse esse ut verba audiantur à suscipientibus, ut quum baptizantur infantes, non audiunt verba baptismi.* Nam ut suo loco probabitur, gratis supponit Cœnam esse sacrificium proprè dictum. Quod verò ad baptismum attinet, si infans non audit, non inde fit, quòd verba altâ voce non pronuncientur, sed ex ejus infirmitate; ab eo autem quod fit per accidens, non concluditur aliquid debere fieri per se: adde quod accedentes ad Cœnam tenentur probare se ipsos & discernere Corpus Domini, quod non exigitur ab infantibus baptizandis. 2. *Ex fine Sacramenti.*

XX. Tertiò, Certitudo mutationis symbolorum juxta Adversarios pendet à certitudine consecrationis & pronunciationis verborum, hoc est Corpus meum. At in secreto murmure verba illa, vel pronunciata esse, vel ritè pronunciata esse, quotusquisque certus & securus esse potest? Qui ergo communicant, dubitare tenentur de præsentia Christi, atque adeò in fide communicare nequeunt. 3. *A certitudine consecrationis.*

XXI. Quartò, In veteri Ecclesia incognitum fuisse secretum illud murmur, & clarè omnia pronunciata esse multa evincunt. Græcos constanter ad hunc usque diem clarâ & intelligibili voce in pronunciatione verborum uti, Bellarminus ipse fatetur, quòd si ab iis recessissent hac in parte Latini, non tacuissent Veteres, qui utriusque gentis in aliis etiam leviоribus diferimina notârunt. Notissimum quin etiam est ex Dionysio Alex. Justino, Tertulliano, & aliis, olim plebem Sacerdoti verba recitanti succinuisse *Amen*. Quo pacto verò fieri potuit, ut quisquam sincerus & verax, ad ea, quæ non modò non intellexit, sed ne audivit quidem, Amen diceret? Sed & Justinianus Imper. Novell. 123. jubet, *ut precatio, quæ in sancta oblatione dicitur, aliaque orationes, non in secreto, sed μὴ φωνῆς τῷ πιστάτῳ φλαῷ ἐξακουομένης, ea voce quæ à sanctissimo populo exaudiatur pronuncietur*, Cassander Liturg. cap. 28. variis argumentis confirmat, *Canonicam precem, & imprimis Dominici Corporis & Sanguinis Christi* 4. *A praxi Veteris Ecclesiæ.*

QUÆST. XXII. *consecrationem ita Veteres legisse, ut à populo intelligi & Amen acclamari posset.*

Fontes Solutionum.

XXII. Falsò jactatur secretam pronunciationem Verborum consecrationis facere ad majorem reverentiam Sacramento conciliandam. Quia non vilescunt quæcunque publicantur, alioquin vilesceret Evangelium, quod Christus jussit omnibus Gentibus prædicari; Vilesceret baptismus, cujus verba altâ voce pronunciari solent, Gentilium fuit occultare mysteria sua, ne turpitudo eorum agnosceretur. Sed Christus omnibus vult innotescere, quia nihil habet nisi gloriosum & divinum: Christus & Apostoli sacrorum reverentissimi, non ideo à clara pronunciatione abstinuerunt.

XXIII. Cùm Minister Eucharistiæ non sui duntaxat, sed plebis, cujus potissimùm gratiâ Sacramentum publicè celebratur, rationem habere debeat; Non se solum respicere debet in orando, sed plebem in cujus gratiam orat, quod his verbis innuit, *Te Dominum nostrum supplices rogamus & petimus.* Quomodo verò plebs se exauditum iri speret, cui sacerdos preces invidet?

XXIV. Nullum est periculum in clara verborum pronunciatione, sed magnum est in secreta eorum demurmuratione; sic enim plebs ista nihil audiens animum intendere non poterit. Cur ergo inclamatur *Sursum corda*? cur olim Græci in Marci Liturgia clamabant ἐπέχωμεν *intendite.* Quomodo enim intendere poterit populus si nihil audiat?

XXV. Qui plura voluerit de hoc argumento, consulat Dallæum lib. 8. de Cult. Lati. cap. 5. ubi Vir ille eximius solidè refellit quæcunque adducuntur ad confirmationem istius erroris, & in specie fabellam de Pastoribus verba consecrationis pronunciantibus super panem & vinum, quæ repente in carnem & sanguinem mutata sint, ipsi verò ob facinus cœlesti igne consumpti, illicò perierint; quam primus recitat Pseudo-Alcuinus decimo seculo recentior de Divi. Offi. Tit. de Celeb. Missar. addens, *Consuetudinem inde venisse in Ecclesia, ut tacitè ista consecratio à Sacerdotibus deinceps cantetur.* Vide etiam Chamier. To. 4. de Euch. lib. 6. cap. 8. 9. qui confutat quicquid huc à Pontificiis rationum, sive colorum inducitur ad hunc errorem confirmandum.

QUÆSTIO.

QUÆSTIO XXIV.

DE PANIS FRACTIONE.

An Ritus fractionis panis sit necessarius in administratione Cœnæ? Affir.

De fractione panis. Sententia Pontificiorum.

I. SEcunda Quæstio, quæ movetur circa Symbola, pertinet ad *Fractionem panis*; de qua non convenit inter Nos, & Pontificios, ac Lutheranos. *Pontificii* equidem non diffitentur, Christum fregisse panem, & frangi jussisse. Et necessariam esse fractionem panis non quidem ad substantiam, sed ad integritatem Sacramenti, seu, ut loqui amant, Sacrificii, adeò ut absque panis fractione actio & Missa sit imperfecta, ut loquitur Bell. lib. 1. de Missa cap. 27. Sed fractionem illam retinent in speciem & dicis causâ. Solent enim hostias consecrare singulas singulis distribuendas sed integras, ut hac quidem parte nulla adhibeatur fractio, sed quisque panem suum auferat communionis gratiâ. Sacrificii tamen causâ, ex universo numero hostiam unam seligit Sacerdos, quam frangit in tres partes, primam, quam in calicem mittit, quâ significari ajunt Christi Corpus post resurrectionem. Secundam siccam comedit, & significari Corpus Christi, quod in terra ambulavit. Tertiam, quæ relinquitur in Altari usque ad finem Missæ, quæ designat Christi Corpus in sepulchro. Sed nulla ex istis partibus distribuitur communicantibus, & fatentur fractionem istam quam usurpant, non eam esse, quam Christus usurpavit, Bellar. lib. 1. de Missa cap. 27. *Fractio quæ quarta pars est Missæ, non habet Dominum autorem* &c.

Et Lutheranorum.

II. Quoad *Lutheranos*, Certum est Lutherum lib. *de abusu Missæ*, fateri fractionem non minus, quàm distributionem niti institutione Christi, absque qua Sacramentum non rectè possit celebrari. Sed postea lib. *contra Cœlestes Prophetas*, & in *majori Confessione* aliter loquens, ait, Frangere phrasi Hebraïcâ idem significare quod distribuere, nec esse necessarium, ut panis digitis frangatur in distributione, satis esse, si multæ particulæ, sive hostiæ distribuantur. Quam posteriorem sententiam sequuntur hodie Lutherani, qui *to* frangere nihil aliud volunt esse quàm panem distribuere, & alteri dare; licet non diffiteantur, Christum propriè fregisse panem. Sed istam cæremoniam merè liberam esse & adiaphoram carentem mandato, quam

QUÆST. XXIV. quam observare aut omittere pro arbitrio possit Ecclesia. Imò dariùs alii loquuntur, Sacramenti perversionem & Satanæ ludibrium vocantes.

III. *Orthodoxi* fractionem retinent, quæ à Domino usurpata, & quæ tot panes, quot sufficiunt plebi ad communionem, in varias dirimit particulas distribuendas in multos. Non esse accidentalem & adiaphoram cæremoniam censent, sed ex institutione Christi, non minus necessariam, quàm acceptionem in manus, traditionem & communionem. Nec tamen de ea tam rigidè contendere volunt, ut nulla societas retineri possit cum iis qui omittunt, defectum istum rei non exiguæ, nec dissimulandum putant, nec tolerandum, si tolli queat, adeòque reprehendendos esse qui hoc statuant, licèt non absolutè damnandos.

Quid Orthodoxi sentiant.

IV. Hinc Status Quæstionis oritur. 1. Non quæritur, An Christus panem fregerit in Cœna? Hoc enim non diffitentur illi cum quibus res nobis est. Sed, An istam fractionem debeamus retinere tanquam cæremoniam necessariam ad integritatem Sacramenti. Et An Christus eam exemplo & Verbo suo sanxerit? An verò sit indifferens & libera? Quod vellent Adversarii, Nos prius asserimus. 11. Non quæritur rursus, An qualiscunque panis fractio hîc sufficiat. Pontificii enim, ut diximus, hostiam in varias partes frangunt. Sed An frangi debeat ad distributionem, ut singulis communicantibus particulæ panis istius fracti distribuantur? Quod illi negant, Nos affirmamus.

Status Quæstionis.

V. Rationes sunt. 1. *Ex institutione & exemplo Christi*, Quia Christus panem fregit ex consensu omnium Evangelistarum, & Pauli, qui hoc singuli referunt. Quis verò affirmârit, Filium Dei in tam sacrâ actione aliquid supervacaneum fecisse, aut Apostolos tantâ diligentiâ hoc omnes retulisse, si res mere adiaphora fuit & libera? Quis contrà non videt, Christum Ritus & Cæremonias Sacramentales exemplo & mandato suo præscribere voluisse, quum jussit discipulos *hoc facere*, id est, respectu administrantium, panem accipere, benedicere, frangere, & dare communicantibus. Rursus eadem debet esse ratio fractionis, quæ gratiarum actionis, & distributionis, quia inter eas collocatur. At nemo negat duas istas cæremonias necessarias esse ad ritum institutum pertinentes, & non merè adiaphoras. Frustra reponitur 1. Multas aliàs circumstantias & actiones referri studiosè ab Evangelistis, & à Christo observatas esse, quæ in imitationem trahi non debeant; Ut quòd Cœnam vesperi & in diversorio celebrârit, quòd accumbens, non stans, & sim. Quia nemo non videt dissimilitudinem. Fractio panis ad Cœnam per se pertinet. Circumstantiæ temporis, loci, posituræ cum ea concurrunt per accidens. Fractio imperata est divinitus, Illæ non. Fractio habet spiritualem significationem, Illæ non item. 11. Non meliori

Probatur fractionis 1. Ex institutione & exemplo Christi.

jure

jure additur, *Mandatum*, hoc facite, *referendum esse ad ea præcipuè, quæ ipsi Apostoli in ea actione præstabant, puta quòd, jubente Domino, edebant & bibebant. Si verò transferatur ad ea quæ Christus faciebat, discernendum esse inter necessaria & adiaphora. Et fractionem quidem sumptam pro distributione esse necessariam, sed pro confractione esse mere indifferentem. Sic in iis quæ Christus fecit, genus quidem esse necessarium, ut Cœna celebretur in pane & vino, sed formam, modum, ritum, cæremonias & circumstantias consistere in libertate Evangelicâ Ecclesiæ, quæ pro re natâ, prout ædificatio postulat, disponere de iis potest.* Nam gratis supponitur, mandatum Christi *hoc facite*, referendum esse tantùm vel præcipuè ad ea, quæ discipuli quà communicantes præstare debuerunt; Cùm constet hoc mandato niti institutionem & celebrationem totius Sacramenti, tam à parte administrantium, quàm communicantium. Imò cùm actiones communicantium supponant necessariò actiones administrantium, mandatum hoc faciendi utrasque debet ex æquo respicere. Fatemur libertati Ecclesiæ relictam esse dispositionem circumstantiarum externarum, loci, temporis, & simil. Sed negamus hoc extendendum esse ad ritus & cæremonias essentiales & necessarias, qualem pertendimus esse panis fractionem. Quæst. XXIV.

VI. 11. A *mystica hujus ritus significatione.* Nam quæ cæremonia à Christo instituta, evidentem & in Verbo Dei expressam habet significationem gratiæ & beneficiorum Dei, non potest censeri indifferens, sed necessaria dicenda est. At hoc locum habere in fractione panis constat. Christus enim mandavit discipulis, ut ederent panem, non quemlibet, sed quem viderant ab ipso frangi, & ut illum ederent ad mortis suæ, fractione panis repræsentatæ, recordationem. Et nemo negare potest fractionem istam evidentem habere gratiæ Dei & beneficiorum ejus significationem, nimirum fractionem Corporis Christi in cruce, & fructus salutares, qui inde ad nos manant, quòd Apostolus testatur quum 1. Cor. 11. 24. referens verba institutionis, dicit Corpus Christi esse fractum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro nobis frangitur*, ut clariùs analogiam fractionis panis ad fractionem Corporis ostendat. Quod autem Paulus Christi passionem, fractionem Corporis ejus appellat, non ideo facit, quasi corpus vel ossa ejus in cruce propriè fracta fuerint, ut ossa latronum, quod expressè negant Evangelistæ ex veteri Oraculo, *os non frangetis ei*; sed ideo dicitur quia panis, qui est Sacramentum Corporis Christi, propriè frangitur, rei significatæ tribuendo sacramentaliter; quod signo convenit propriè. Nec dicendum non posse locum habere fractionis analogiam, quia ossa Christi frangi non debuerint ex analogia Agni Paschalis. Quia aliud est, ossa frangi, aliud Corpus lacerari variis vulneribus, per solutionem continui, & per separationem animæ à corpore. Rursus alia est *fractio realis*, alia *mystica*. Christi

2. *à mystica ritus significatione.*

QUÆST. XXIV. ossa realiter frangi non debuerunt, nec reipsa fracta sunt, sed non minus tamen mysticè cor ejus laceratum est & fractum doloribus & tormentis, quæ in cruce pertulit, maximè verò ex sensu iræ & maledictionis Dei illi propter peccata nostra incumbentis. Unde dicitur Ps. 69. 21. opprobrium lacerâsse cor ipsius, anima ejus dicitur fuisse περίλυπος, & agonia & ἐκψυχήσις ad summam angustiam animi designandam illi tribuitur ab Evangelistis.

3. Ex 1. Cor. 10. 16. VII. III. Ex loco Pauli 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus nonne est communicatio Corporis Christi? Nam unus panis, unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane participamus.* Ubi clarè ostendit se panis fractionem in Eucharistiæ usu retinere, & in ea mysterium unionis fidelium cum Christo & inter se contineri, quemadmodum ex uno pane omnes participamus, & unus panis ex multis granis coalescit. Et cùm Paulus profiteatur se nihil tradidisse in istius mysterii celebratione, quod non accepisset à Domino, quis dubitet panis fractionem, quam retinet, esse ex Christi præscripto? Qui verò fractionem istam tollunt, quomodo dicere possunt, *panis quem frangimus, unus panis, unum corpus sumus, quia ex uno pane participamus*, cùm apud eos nec frangatur unus panis, nec inter multos distribuatur? Perit etiam ipsis mysterium consolationis plenum de conjunctione nostra cum Christo & inter se per unius panis participationem. Nec dici potest fractionem istam sumi pro distributione, quia fractio sine distributione non possit pro communione Corporis Christi haberi. Nam quamvis fractio sine distributione fieri non debeat, nec pro communione Corporis haberi queat; Non sequitur pro eodem haberi debere. Non quæ inter se connexa sunt, ut unum sine alio non sit, non mox idem sunt. Si nihil aliud per fractionem quàm distributionem innuere voluisset, Cur non dixisset *panis quem distribuimus*, sed *quem frangimus?* Sed mandatum, & exemplum Christi & mysterium unitatis fidelium aliud postulabat.

4. Ex praxi Apostolorum. Act. 2. 42. Act. 20. 7. VIII. IV. *Ex praxi Ecclesiæ Apostolicæ.* Quæ fractionis ritum constanter retinuit, Unde dicuntur discipuli Act. 2. 42. *Perdurâsse in doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis & precibus* & Act. 20. 7. dicuntur Christiani *convenire primo die hebdomadis, ad frangendum panem*, id est, ad celebrandam S. Cœnam, quæ fieri solebat die Dominico, quô conveniebant ad concionem audiendam, & alia exercitia publica pietatis peragenda; Unde tota actio per fractionem panis solet describi. Dicere hic usurpatum quidem fuisse ritum istum, sed non ut necessarium, est petere principium, & supponere quod est probandum, cùm contrà solidè colligamus istius ritus necessitatem ex praxi ista, quia nihil hic Ecclesia facere vel aliis præscribere potuit, nisi quod à Domino acceperat, & ad quod se obstringi ex Christi mandato sentiebat.

IX.

IX. v. *Ex Praxi Veteris Ecclesiæ.* Quia facile ostendi potest à seculo Apostolico usque ad seculum duodecimum retentum fuisse constanter fractionis ritum, ut patet ex Veterum monumentis, qui passim ritus istius meminerunt, Ignati. ad Philadeph. *Una est Caro Domini Jesu, & unus est ejus Sanguis, qui pro nobis effusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus* &c. Irenæ. lib. 5. cap. 2. *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi.* Theophyl in Marc. 14. *Cum benedixisset & gratias egisset, fregit panem, id quod etiam nos facimus preces adjungendo* &c. Plura vide apud Dallæ. li. 3. c. 25. Quæst. XXIV. 5 Ex Praxi Veteris Ecclesiæ.

X. vi. Pontificii non pauci hoc agnoscunt, *Lorinus* in Act. 2. observat *hunc ritum & morem primitivæ Ecclesiæ, qua panem unum solita erat conficere, atque illum consecratum in tot partes frangere, prout erant communicantes, sicut & Christus in Cœna fecit.* Idem confirmat *Justinianus* in 1. Cor. 10. 16. *Sirmondus* de Azy. cap. 4. agnoscit antiquam fuisse consuetudinem, panem in varias particulas frangere; Unde sacra symbola nomine μερίδων *particularum*, sive ἁγίων μερίδων sacrarum particularum veniebant, quia ex pane fracto fiebant, quæ locutio adeò familiaris fuit veteri Latinæ Ecclesiæ, ut re abolitâ nomen aboleri non potuerit, quod adhuc manet. Nam, ut ipse notat, *Oblatæ licèt integræ una consecrentur, & integræ singulis erogentur, particularum tamen nomen ex antiqua consuetudine sortitæ sunt.* 6 à Pontificiis.

XI. Licet fractio panis ex consuetudine apud Judæos usitatâ, petita sit à Christo, perinde ac distributio, sumptio & manducatio panis, non obstat quominus peculiari de causa ordinata sit, & per se suam habeat significationem; subordinata enim non pugnant. *Fontes Solutionum.*

XII. Licèt aliquoties *fractio panis* designet ejus distributionem, ut Is. 58. 7. & alibi; Non sequitur in hoc Sacramento æquipollere, quod esset à particulari ad particulare argumentari. 1. Quia apertè distinguuntur apud Evangelistas, *fregit panem, & dedit eum.* Ergo distinctæ sunt actiones fractio & distributio. Sic alibi sæpius duo ista conjunguntur Matth. 14. 19. Marc. 8. 6. 2. Multi unius panis participes fiunt in Cœna 1. Cor. 10. 17. Ergo necessariò unus panis frangitur, ut inter multos distribuatur. Quod verò Paulus, quum loquitur de pane fracto, mentionem non facit distributionis; Non ideo fit; quòd pro uno eodemque duo ista sumat, sed quia subjungitur statim mandatum accipiendi, quod supponit dationem.

XIII. Qui carent fractione panis, non possunt dici Cœnam habere quoad omnes partes integram, sed mancam & mutilam, si non quoad symbola, saltem quoad ritus à Christo institutos & præceptos.

QUÆST. XXV.

QUÆSTIO XXV.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

An ex Dei præcepto omnibus & singulis fidelibus adultis utrumque Eucharistiæ symbolum administrari debeat? An verò usus Calicis Populo interdicendus sit? Prius Aff. Posterius neg. contra Pontif.

De Communione sub una specie. Unde orta sit.

I. TErtia Quæstio de Symbolis, & eorum usu est, *De Communione sub una specie*, quam Pontificii magnâ animorum contentione urgent, ut Transubstantiationis sequelam, quæ aptissima sit huic commento magis magisque confirmando. Ex quo enim hæc portentosa opinio in animis firmas radices agere cœpit, vehemens effundendi sacri Vini metus Latinorum mentes incessit; Nec huic periculo prævertendo satis esse ipsis visum est, panem sacro Vino tingere, tinctumque ministrare; Sed longè consultius esse judicârunt, si calicis communionem planè penitusque omitterent; ideo imprimis, quia integrum Corpus Christi & Sanguinem sub specie panis veraciter contineri censebant. Ut sibi hac in parte satisfacerent, legitimam sacrosanctæ Eucharistiæ administrationem mutare, novumque ritum inducere temerario ausu aggressi sunt, ut ipsum quidem Sacramentum in utroque Panis & Vini elemento conficiatur, confecti utramque partem Sacerdos qui confecit sumat; Cæteris verò omnibus, quotquot Laïci Clericive communicant, panem solum distribuat, calicem nemini ministret. Sic quæ duo symbola auctoritate divina conjunxit Christus, Adversarii sacrilega audacia divulserunt. Et quod pro omnibus fidelibus Christus instituit, hoc illi contempto ejus mandato & corrupto Testamento, maximæ Christianorum parti ereptum solis suis Sacrificulis vindicârunt.

II. Quantùm hæc mutatio immanis, Christo & Apostolis, Veteri Ecclesiæ, & præsentibus Christianis contumeliosa, Christianum orbem commoverit, historia luculentè docet, ut nihil opus sit in eo immorari. Quantùm etiam sese huic errori opposuerint Bohemi initio seculi decimi quinti, & inter eos *Johannes Hussus*, *& Hieronymus Pragensis*, Viri immortalis memoriæ, Tyronibus ipsis notum est. Sufficiat decretum Con-

Concilii Constantiensis ann. 1405. habiti retulisse, ut inde certò constet quænam sit sententia Pontificiorum. QUÆST. XXV.

III. Sic loquitur Concilium Sess. 13. *Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & vini specie suscipere, & non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum Laicum passim communicent, etiam post Cœnam, vel aliàs non jejuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem, rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter approbatam reprobare conantur. Hinc est quòd hoc Concilium præsens generale Constantiense in Spiritu Sancto legitimè congregatum, adversus hunc errorem salutifidelium providere satagens, maturâ plurium doctorum, tam divini quàm humani juris deliberatione præhabitâ, declarat, decernit, definit. Quòd licet Christus post Cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc Venerabile Sacramentum. Tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas, laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum, non debet confici post Cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesiâ concesso, vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula vel scandala est introducta rationabiliter, quòd licèt in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque, & a Laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cùm firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Unde cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro Lege, quam non licet reprobare, aut sua auctoritate pro libitu mutare.* Hanc legem feraliexemplo sanciverunt, diro scilicet & immani vivicomburio Johannis Hussi primò, inde Hieronymi Pragensis ejus discipuli diuturno carcere macerati, anno vertente post præceptoris cædem. *Concilii Constantiensis Decretum.*

IV. Hunc errorem à Constantiensis Synodi Patribus stabilitum, Tridentina Synodus decimo sexto seculo firmavit, & anathematibus suis ac diris fulcivit. Capitulo 1. Sessione 21. *Declarat ac docet nullo divino præcepto Laïcos & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salvâ fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima Cœna Venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, Non tamen illa insti-* *Tridentina Synodo confirmatum.*

QUEST. XXV. *tutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur.* Et cap. 2. sic inſit. *Quare agnoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licèt ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis, latiſſimè jam mutatâ illa conſuetudine, gravibus & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libitu mutare non licet.* Ac ne quis adverſus hos Canones murmurare auderet, anathemate eos ferit Synodus, *Quicunque dixerint ex Dei præcepto omnes & ſingulos fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere.* Et inſuper, *Eos qui dixerint Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes ſub ſola panis tantùm ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe.*

V. Ex quibus ſententia Pontificiorum patet ſine ulteriori diſquiſitione. Noſtra planè eſt contraria. Cenſemus quippe Communionem ſub utraque ſpecie à Chriſto inſtitutam, neceſſariò retinendam eſſe. Ut non modò liberum ſit cuique eam uſurpare, ſed ex Chriſti præſcripto ſinguli ad id teneantur, niſi invicto aliquo impedimento prohibeantur. Et non ſine ſummo ſacrilegio eripi potuiſſe Calicem populo contra expreſſam Domini Legem. Status ergo Quæſtionis non eſt, An Communio ſub utraque ſpecie facta ſit à Chriſto? quod non diffitentur Adverſarii. Sed An debeat pariter fieri à fidelibus, ut non tantùm ſit res indifferens & accidentalis, ſed neceſſaria & eſſentialis ad perfectionem Sacramenti? 11. Non quæritur, An fidelis ita obligetur ad Communionem ſub utraque ſpecie, ut non poſſit ullo in caſu ſine peccato ſub altera tantùm ſpecie communicare? Fatemur enim, ſi aliquod invictum impedimentum occurrit, vel internum à ſuſcipientis diſpoſitione profectum, vel externum ab aliis cauſis, quò alteram ſpeciem ſumere prohibeatur, talem commiſeratione potius quàm reprehenſione dignum eſſe. Sed An poſſit jure interdici populo uſus calicis, An verò teneatur Miniſter unicuique præbere ſymbola panis & vini? Et An fidelis nullâ neceſſitate præpeditus utramque ſpeciem participare debeat? Pontificii negant, qui interdictionem calicis omnibus Laïcis pro Lege habent, exceptis quibuſdam, quibus hoc indulgent privilegium, ut Cæſari, Regibus, & Cardinalibus non Sacerdotibus, ut poſſint cum omni decentia & cautela Sanguinem ſumere. Nos verò affirmamus, nemini calicem eripiendum eſſe, ſed omnibus eſſe præbendum. Unde patet eos pervertere Statum Quæſtionis, qui ita eum ponunt, An Chriſtus in Sacramenti inſtitutione ſumptionem utriuſque ſpeciei ita mandaverit omnibus, ut citra peccatum nulli liceat ſub altera ſpecie tantùm com-

communicare? nimir. ut sic locus esset objectioni de abstemiis: Sed dicendum erat, ita ut citra peccatum possit cuiquam, nedum omnibus interdici altera species. Quod illi negant, Nos asserimus. Rationes sunt variæ. Quæst. LXXV.

VI. Prima petitur *ab Institutione Christi.* Quia quod Christus instituit in usum perpetuum Ecclesiæ à nemine violari debet, nec potest sine crimine. At Christus Eucharistiam instituit sub utroque symbolo, dum Apostolis non modò panem dedit, sed & calicem, & omnes ex eo bibere jussit, ut magno consensu refertur ab Evangelistis omnibus, & à Paulo, *Bibite ex hoc omnes*, quod confestim ab ipsis factitatum legitur ex ordine Christi, *Biberunt ex eo omnes*, ut loquitur Marcus cap. 14. 23. Ubi varia latent argumenta 1. Ex *mandati objecto*, quod non est particulare quorundam, sed universale omnium, *Bibite ex hoc omnes.* 2. Ex conjunctione panis & vini, nam quæ necessitas datur accipiendi panem, eadem est bibendi calicem, quia dicitur Christus ὡσαύτως *similiter* sumpsisse poculum, & ejus usum præcepisse, id est, in eundem finem, & ut ab iisdem reciperetur. 3. Ex præcepto addito *hoc faciendi*, nim. utrumque symbolum administrandi & distribuendi omnibus, quod fecerat Christus, & faciendum Apostolis præceperat. *Usus calicis probatur. 1. Ex institutione Christi Matt. 26.*

VII. Frustra excipitur. 1. *Multa à Deo instituì, quæ tamen omnibus non præcipiuntur, ut Matrimonium, prædicationem Evangelii* & sim. Nam quis non videt disparitatem inter ea quæ instituuntur, quæ sunt ex necessitate saltem præcepti, & quæ sunt ex libertate, quæ instituuntur in usum communem omnium, & quæ tantùm in usum particularem quorundam? Ista possunt institui ad modum eorum legitimum præscribendum, nec tamen omnibus imponi. Sed non eadem est aliorum ratio, quæ ut pro omnibus instituuntur, ita ab omnibus observari debent, qualis est Eucharistia. 11. *Institutionem non statim esse mandatum.* Nam præterquam quod mandatum expressum extat, quum Christus jubet suos hoc facere, institutionem includere mandatum patet ex fine institutionis, quicquid enim hoc fine proponitur ut fiat, illud eo ipso ad faciendum obligat & habet vim mandati. Rursus hìc distinguenda est *institutio status* seu ordinatio ad aliquod officium seu vitæ genus, ab *Institutione ritus*, quæ est ordinatio certæ rei ab hominibus faciendæ. Illa non obligat omnes & singulos, sed eos tantùm, qui in illo statu vivere volunt v. g. in matrimonio. Sed ista est semper obligatoria eorum omnium, qui ritum illum observare tenentur; Nec aliter peragi potest, quàm adhibitis illis rebus, quas qui ritum instituit, vel adhibuisse ipse cognoscitur vel adhibendas jussit. 111. *Sanctionem divinam posse aliquando omitti in hujusmodi rebus, quæ neque ex se ipsis, neque ex Legis naturæ præscripto necessariò sunt observanda, causis gravibus*

QUAEST. XXVI. *gravibus id exigentibus; Sic Davidem comedisse panes propositionis, Maccabæos pugnâsse Sabbatho, Ecclesiam baptizare infantes non institutos, & judicâsse aspersionem sufficere in baptismo.* Nam conjunguntur hic res planè discrepantes. In exemplis allatis causæ prætexuntur graves, gravis causa fuit fames Davidis, exterminium populi Maccabæis; Sed hic nullæ causæ graves dantur aut extraordinariæ. Imò gravissimæ sunt ut non violandum sit Christi mandatum. 2. Facta ista sunt singularia, non ullius instituti, aut consuetudinis; At hic agitur de stricta prohibitione Calicis, quæ fit per solenne decretum. 3. Falsò supponitur baptizare infantes non institutos, esse contra præceptum Christi. Nam ut bene Maldonatus observat, *Christus* Matt. 28. 19. *non vetat baptizari eos qui doceri non possunt, sed tantùm jubet omnes qui prius docti fuerint, baptizari.* 4. Baptismo sufficere aspersionem antea probatum est, ut ipsa per τὸ βαπτίζειν designatur. Sed aliud est immersionem convertere in aspersionem, quæ potest sufficere ad finem baptismi nimi. ad lavacrum; Aliud verò usum calicis, quem Christus instituit, prohibere.

VIII. 1v. *Verba* bibite ex hoc omnes *dici solis Apostolis, non posse extendi ad omnes homines, quia sequeretur Sacramentum dandum esse Turcis, Judæis, Ethnicis. Nec ad omnes Christianos, sic enim includerentur infantes. Nec ad omnes fideles adultos, quia adfuerunt soli Apostoli.* Nam licèt Apostoli soli tunc adessent, non solis tamen ipsis hoc dicitur, sed in eorum persona omnibus, qui ad communionem accessuri sunt. 1. Quia Christus dirigit sermonem ad eos, quibus dixit *facite hoc*. At juxta Pontificios plerosque hæc verba ad omnes fideles diriguntur. 2. Idem dicendum esset de pane, quia solis Apostolis etiam dixit accipite, edite. 3. Hæc dicta sunt Apostolis solis, sed non quà Apostolis, & administrantibus, quia Christus solus tunc fuit Minister, & sic excluderentur omnes alterius gradus & ordinis, quàm Apostoli, sed quà communicantibus, quomodo debet similiter esse commune aliis omnibus fidelibus, & toti Ecclesiæ, quam Apostoli tunc repræsentabant. 4. Paulus, qui fidelis est interpres verborum Christi, refert hoc ad omnes communicantes, *Quisquis ederit hunc panem, & biberit hunc calicem* &c. 5. Absurdum est loqui de Turcis, Ethnicis, & infantibus, qui ex ordine Christi submoventur ab hoc Sacramento, tum quia non capaces sunt examinis, quod hic requiritur, ut infantes, tum quia non sunt Christiani & in fœdere, ut Turcæ & Ethnici, ad quos proinde sigilla fœderis non pertinent. v. *Lucam dicere hoc mandatum factum esse μετὰ τὸ δειπνῆσαι, id est, post Cœnam peractam, ad quam proinde institutio calicis propriè non pertinuerit.* Nam hic τὸ δεῖπνον intelligitur de convivio Paschali, in quo jam sumpserat calicem Paschalem, non verò de Eucharistico, patet

ex

ex Matth. 26. 26. qui dicit *ἐσθιόντων αὐτῶν ipsis edentibus* panem & poculum sumptum fuisse à Christo, id est, sub finem Cœnæ Paschalis Christum instituisse Sacramentum, per sumptionem panis & poculi, quæ duo conjunguntur ut partes integrales ejusdem Sacramenti, quod fatetur Synodus Constanti. quæ agnoscit Christum Sacramentum post Cœnam sub utraque specie dedisse discipulis. Quæst. XXV.

IX. 11. Ex Verbis Pauli 1. Cor. 11. 26. ubi Christi institutionem & mandatum sequens recitans, Ecclesiam Corinthiacam ad sumendam utramque speciem obligat ℣. 26. *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis.* Et postea ℣. 28. *Probet ergo quisque se ipsum*, Et ita *manducet hunc panem, & bibat hunc calicem.* Et cap. 10. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne est Communio Sanguinis Christi, Panis quem frangimus, nonne est Communio Corporis Christi?* Ubi manducatio & bibitio tanquam duæ essentiales unius ejusdemque mysterii partes per particulam *ὡσαύτως* conjunguntur, & tanquam inseparabiles uniuntur. Qui verò hoc fieri potuit ab Apostolo, si disjungi possunt sine crimine? Cur mortis Domini annunciationem, quæ in Eucharistia fieri debet panis & calicis usu, conjunctim, non alterutrius tantùm seorsim, fieri debere definit, si una species potuit sufficere? Cur nullum discrimen inter sacrum & clericum hìc ponitur, quod tamen maximum est in usu Sacramenti ex mente Pontificiorum. Sed in genere loquitur de omnibus, *quisquis*, & omnes fideles indiscriminatim alloquitur? Hæc sanè luce meridianâ clarius ostendunt, calicis non minus ac panis usum ex Paulo omnibus communem fuisse. 2. *Ex* 1. Cor. 11. 26. 1. Cor. 10. 16.

X. Nequicquàm obtenditur 1. *Paulum uti disjunctivâ* ℣. 23. *Quisquis manducaverit panem hunc, ἢ, vel biberit hunc calicem; Unde pateat hunc panem sine calice à nonnullis sumptum fuisse, vel sumi potuisse.* Nam 1. Si ea esset disjunctivæ vis, æquè probaret aliquos sine pane bibisse ac sine potu edisse, quod tamen nolunt Pontificii. 2. Paulus disjunctivâ utitur, quia peccatum potest committi, non tantùm in utriusque, sed etiam in alterutrius indigna sumptione. 3. Disjunctiva fæpissimè habet vim copulativæ tam apud profanos, quàm apud Sacros Scriptores. Rom. 4. 12. *Non enim per Legem promissio Abrahæ, aut semini ejus*, id est, tam Abrahamo, quàm semini ejus, ut ponitur à Paulo Gal. 3. 16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini ejus.* 2. Cor. 13. 8. *Sive prophetiæ, sive linguæ* abrogabuntur, id est, & prophetiæ & linguæ. Matth. 5. 17. *Non veni solvere Legem aut Prophetas*, id est, nec Legem, nec Prophetas. Eph. 6. 8. *Quicquid fecerit boni reportabit homo à Domino, sive servus, sive Dominus*, id est, *& servus, & Dominus.* Nihil ergo obstat ex usu communi intelligi particulam istam copulativè, maximè cum Paulus

QUÆST. XXV. semel tantùm eâ utatur, quater verò copulativâ, res eadem tractans, ubi non dubium est, quin, quum sæpius usurpavit particulam, eam propriè potius intellexerit, quàm eam quæ rariùs ab eo usurpatur. 4. antiquissimus Codex, qui in Regia Bibliotheca apud Anglos servatur, Jacobo I. à Cyrillo dono missus sic legit ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον ἢ πίνῃ. Syrus reddit per copulativam, & pleraque Vulgatæ exemplaria ante Sixtinam cum Anselmo & Thoma. 11. *Agi de Clericis conficientibus, non verò de Laicis.* Nam quis non videt Pauli totum sermonem dirigi ad Ecclesiam Corinthiacam, id est, ad utriusque ordinis fideles tam laïcos, & ad laïcos magis quàm clericos, quia ab illis potissimùm admittebatur illud peccatum, ad cujus correctionem spectat Pauli dissertatio? Unde cap. 10. negat posse Corinthios calicem Domini bibere, & calicem Dæmonum, quod dici non posset, nisi laïci admissi fuissent ad usum calicis, ut agnoscunt *Salmeron* tr. 34. *Becanus, Costerus, Tolet.* in 6. Joh. 111. *Apostolum non præscribere ut fideles edant & bibant absolute, sed modum præscribere, quò uti debeant, si utiliter edere & bibere voluerint.* Nam utrum hîc insinuari clarum est, ut non tantùm liberum sit cuique pro arbitrio edere & bibere, sed & necessarium ex officio. Quod vel ex eo patet, non modò quòd Paulus revocat fideles ad institutionem Christi, ubi mandatum extat expressum, sed & quia illi omnes jubentur edere & bibere, qui jubentur se probare, quod non quorundam tantùm est, sed omnium. IV. *Exinde posse tantùm colligi licitam esse communionem sub utraque specie, sed non statim necessariam.* Nam si licita est, Cur ergo illam prohibent? Imò quod Corinthiis proponitur tanquam acceptum à Domino omnes obligat, & quod in illa Ecclesia usitatum retineri debet ob doctrinæ consanguinitatem.

3. *Ex mandato Christi hoc facere.*

XI. 111. *Ex mandato Christi, Hoc facite ad mei commemorationem.* Quod ad totam actionem referendum est, non modò ad consecrationem, sed & ad panis & vini sumptionem, ut hîc spectentur tam communicantes, quàm administrantes, qui jubentur facere id ipsum, quod Christus jussit. Isti quidem accipere, benedicere, frangere, & dare; Illi verò panem & calicem sumptum edere & bibere. Unde Paulus non tantùm panis distributioni subjicit hæc verba cum Luca, sed etiam calicis porrectioni: quia eadem est ratio. Sic in Liturgiis, Marci, Petri, Jacobi, verba ista referuntur ad utramque speciem. Rursus constat geminum opus à Christo factum, consecrare, & tradere, & postea dictum, *Hoc facite*; Unde sic colligo per verba *Hoc facite*, vel utrumque opus notatur, vel alterutrum tantùm; non alteratrum, quia incertum esset utrum, aut si quid certi esset, referendum esset ad propinquius, nimi. ad distributionem. Ergo utrumque.

XII. Nihil juvat reponere, 1. *Lucam post distributionem panis posuisse* hoc

hoc facite, *post datum autem calicem non posuisse, ut intelligeremus, jussisse Dominum, ut sub specie panis distribueretur omnibus, sub specie vini non item.* Quæsti XXV. Quia ut bene observat Soto in 4. dist. 12. q. 1. Et Vasq. disp. 213. in 3. Thom. *Qui præcipit ut opere aliquo fiat commemoratio alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi, præcipit etiam ut fiat opus ipsum.* Licèt verò Lucas non addiderit post poculi dationem eadem verba, idem colligi debet à pari, ut Paulus exponit. Nec si addit *quotiescunque biberitis*, potest inde colligi non præcepisse usum poculi absolutè, ut necessarium, non secus ac panis, sed tantùm si quando eo uterentur; ut non præcipiatur bibere, sed si bibatur sic faciant. Quia idem de pane & de calice dicitur 1. Cor. 11. 26. *Quotiescunque manducaveritis hunc panem.* Ergo vel alterutrum de pane non dicitur absolutè, vel de calice etiam absolutè. Nec hîc involvitur tantùm præceptum modi utendi, sed etiam ipsius usus. 11. *Præceptum esse affirmativum, quod proinde semper quidem obliget, sed non semper, sed pro tempore necessitatis.* Quia supponitur gratis non semper dari necessitatem communionis sub utraque specie, cùm contrarium pateat ex Christi præcepto, *Bibite ex hoc omnes.* Fateor non obligare ad semper, quia tempus est, quô Cœna non celebratur, sed quoties illa celebratur necesse est communionem fieri sub utraque specie. Quomodo verò conciliabitur hoc præceptum affirmativum cum præcepto negativo prohibitionis calicis, quod obligare debet semper & ad semper? 111. *Verba ista ad solos Sacerdotes dirigi, ad quos solos pertinet hoc facere, quod Christus in Cœna fecit.* Nam si ad Sacerdotes solos ea verba pertinent, ad eos solos pertinebit universa Eucharistiæ institutio, quæ istis verbis continetur. Jansen. cap. 131. Concord. & Vasq. disp. 103. in 3. Tho. cap. 2. fatentur aliquid esse in eorum verborum sensu, quod pertineat ad singulos fideles. 2. Si τὸ *facere hoc* referatur ad consecrationem & distributionem symbolorum, potest dici ad solos Sacerdotes vel Ministros pertinere. Sed si extenditur ad sumptionem & esum ac potum, ut necessariò extendendum est, non respicit solos administrantes, sed & communicantes singulos. 1v. *Posse dici hîc præceptum esse de usu calicis pro tota Ecclesia, sed non pro singulis. Multa enim esse præcepta, quæ toti Ecclesiæ conveniant, sed per aliquos, non per singulos implenda, quale est ministerium.* Quia alia ratio est præceptorum communium omnibus, alia eorum, quæ sunt peculiaria certis ordinibus. Utraque data quidem sunt Ecclesiæ; sed illa singulis, ut credere in Christum, amare proximum. Ista autem tantùm singulis cujusdam ordinis, ut honorare parentes omnes obligantur, quibus sunt parentes, sed non alii, qui illis destituuntur. Usus calicis non est ex mandatis particularibus, quæ certum ordinem respiciant, quale est ministerium, sed ex generalibus, quæ ad omnes & singulos adultos exten-

QUAEST. XXV. duntur, ut non tantùm censeatur datum Ecclesiæ universæ, sed singulis, & per singulos, qui capaces sunt, implendum sit.

4. *Ex fine Sacramenti.*

XIII. IV. *Ex fine Sacramenti.* Quia hæc mutilatio Sacramenti impugnat finem duplicem propter quem Sacramentum est institutum. Tum ut sit commemoratio mortis Christi, quæ non potest fieri sub una specie, sed duas necessariò postulat, quarum una ab altera sejuncta sit, ad designandam separationem Corporis à Sanguine; Et Episcopus Meldensis par. 2. non diffitetur magis expressam esse mortis Christi commemorationem in duabus speciebus. Tum ut sit symbolum integræ & plenæ nutritionis nostræ per Christum, quæ non esu tantùm, sed & potu absolvitur. Ut ergo plebi imperatur finis instituti poculi, Eidem etiam imperatur usus poculi; patet à pari exemplo panis cujus esus omnibus præcipitur. Sine ratione autem regeritur 1. *Non necessariam esse hanc commemorationem expressam in Sacramento, sed sufficere si in sacrificio fiat.* Nam præterquam quod fallò pertenditur ibi esse sacrificium, ut suo loco probabitur; Nulla ratio est, cur si in sacrificio sanguis à corpore sejunctus & effusus offerri debet, non debeat itidem in Sacramento ut effusus accipi, maximè cùm annunciatio mortis Christi apud Paulum assignetur communioni, quæ per esum & potum fit, non verò oblationi in altari. II. *Patere ex Apostolo unam speciem sufficere ad commemorationem, quia tam de pane, quàm de vino, & de utroque seorsim dixit* hoc facite *in mei commemorationem.* Quia hoc non probat alterutrum sufficere; dixit sanè Paulus in esu panis fieri commemorationem, sed non dixit sufficere. An idem est verò esu panis corpus vivere, & solum panem sufficere ut corpus vivat? aliàs idem de sacrificio dici posset, quod nolunt tamen. III. *Deum interdum pane & vino uti ad sustentandam vitam corpoream, interdum alterutro, ut Israëlem solo mannæ esu cum potum longo tempore.* Nam pari jure probare possem, non opus esse ullam adhibere speciem, nec panem, nec vinum, quia extraordinario modo Deus potest alere & sustentare hominem absque pane & vino, ut Mosem per 40. dies. Non agitur verò hìc quid Deus possit, sed quid velit ex institutione: Non agitur de modo extraordinario sustentationis, sed de ordinario, quia Eucharistia non ab illo petita est, sed ab isto, ordine puta consueto naturæ. Denique fallò statuitur solo mannâ sustentatum fuisse Israëlem, quia habuit etiam aquam ex petra.

5. *Quia populus est capax calicis.*

XIV. V. Quia non denegandum est signum à Christo institutum, iis qui capaces sunt rei significatæ. Nam cùm Sacramenta sint instituta ad rem significandam, quibus non denegatur finis seu res significata, iis non deneganda sunt media ad illum finem. Jam fideles omnes sunt capaces Sanguinis, qui est res significata poculi, Ergo ad eos etiam debet pertinere usus calicis. Nequicquam excipitur, *In corporalibus*

libus edere & bibere differre; Sed in spiritualibus idem esse, & sic eum qui sub una specie Christum manducat, etsi significetur tantùm comedere cibum spiritualem, plenissimè tamen reficì, non secus ac si de calice biberet. Quia licèt edere & bibere sit idem spiritualiter; Non sequitur ei qui edit & bibit spiritualiter, prohibendum esse alterutrum elementum, aliàs Sacerdoti, cui non minus idem est edere & bibere, prohibendum esset alterum elementum. Imò utrumque omnibus detrahendum esset; siquidem qui spiritualiter edit & bibit, plenè potest edere & bibere absque pane & calice. Rursus non hìc agitur de rei significatæ participatione, sed de signi usu. Christus quidem scivit rem significatam futuram integram sub utraque specie sigillatim, & tamen sub utraque sumi voluit; Non ergo solum rei, sed etiam signorum habuit rationem, ad manifestiorem passionis repræsentationem. Ut ergo Christus utrumque symbolum conjunxit, nemo potest aut debet ea separare, multò minus quod præcipit, prohibere. Quæst. XXV.

XV. VI. Ex praxi veteris Ecclesiæ & totius Antiquitatis purioris ab Apostolorum ævo, non diffitentibus Adversariis. Synodus Constantiensis, ut antea visum, ingenuè agnoscit, *Christum Venerabile hoc Sacramentum instituisse sub utraque specie, & in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum receptum fuisse a fidelibus sub utraque specie, hoc tamen non obstante declarat, decernit & definit, diversum consuetudinem ab Ecclesia introductam, habendam esse pro Lege, quam non liceat reprobare* &c. Quid expressius dici potuit ad impietatem, & sacrilegium omnibus contestandum, & violationem ordinis à Christo instituti? quod sine horrore aures Christianæ audire nequeunt. Idem fatetur Cassander non semel, imprimis Epist. 25. *Hanc*, inquit, *consuetudinem communicationi Corporis Domini in solemni & ordinaria ministratione, communicationem quoque Sanguinis adjungendi, adeò manifestè omnium Veterum scripta testantur, ut non putem aliquem paulò cordatiorem tam impudentem esse, qui id negare possit.* Et in Consult. Art. 22. *De administratione Sacrosancti Sacramenti Eucharistiæ satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam in hunc usque diem, Occidentalem verò & Romanam mille amplius à Christo annis, in solemni præsertim & ordinariâ hujus Sacramenti dispensatione, utramque panis & vini speciem omnibus Christi membris exhibuisse. Id quod ex innumeris veterum Scriptorum, tam Græcorum, quam Latinorum testimoniis, manifestum est.* Dion. Petavius inter Pontificios non obscuri nominis de publica Veterum Pœnitentia disputans cum Arnaldo cap. 5. *Quid ad hæc Arnaldus*, inquit? *Negabit-ne hunc Eucharisticæ sub utraque specie communionis usum Apostolicis temporibus fuisse, multisque inde seculis apud Ecclesiam perseverâsse. Atqui hoc negare vel* 6. *A praxi veteris Ecclesiæ.*

QUÆST. XXV. *inficiari non potest, nisi vel in ultima indoctorum, vel certè in prima impudentium hominum classe censeri velit.* Leca Patrum per diversa secula afferre proclive esset, quibus probatur usque ad seculum decimum & ulteriùs retentam fuisse utriusque speciei communionem; Sed ut brevitati consulamus remittimus Lectorem ad *Chamierum*, *Calixtum*, & *Dallæum* imprimis, qui hoc accuratissimè exequitur lib. 5. à cap. 7. usque ad decimum tertium, quibus addit cap. 13. testimonia veterum Liturgiarum, quæ Basilii, Chrysostomi, Petri, Jacobi, Marci, &c. nomina præferunt, in quibus constanter mentio fit Communionis utriusque speciei.

XVI. Nobis satis erit referre duo testimonia domestica Pontificum Roma. *Leonis*, & *Gelasii*, qui nobis adstipulantur. Ille quidem Serm. 4. de Quadrag. Can. 15. ubi loquens de cavendis Manichæorum venenis, & ineptis profanisque superstitionibus apud concionem Rom. verba faciens, hæc de illis hæreticis tradit. *Cùm*, inquit, *ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysteriis, sic in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestram scire volumus sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Ex quibus liquidò patet, Romæ tunc temporis non aliter quàm sub utraque specie ministratum fuisse Sacramentum; Nam si mos hodiernus obtinuisset, absurdè dicerentur declinare calicem, quòd nec ipsis nec Catholicis ibi communicantibus à Sacerdote porrigeretur. Sed luculentius testimonium habetur ex lege à Gelasio P. R. latâ seculo quinto extremo. Lex extat apud Gratia. de Consecra. dist. 2. can. 12. jam olim relata à veteribus Canonistis Anselmo, Polycarpo, Juone & aliis, *Comperimus*, inquit, *quòd quidam sumptâ tantummodo Corporis sacri portione, à calice sacri Cruoris abstineant, Qui procul dubio, quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quibus verbis nihil disertius dici potuit ad necessitatem utriusque speciei apud omnes sine exceptione asserendam. Nec dici potest hoc respicere Sacerdotes conficientes, quibus hanc Legem ponat Gelasius, ut habet titulus Canoni præfixus apud Gratianum. *Corpus Christi sine Sanguine Sacerdos non debet accipere*, quia nullus in Lege de Sacerdote proprius est sermo, sed communis est de omnibus communicantibus, ut Baronius ipse ad a. D. 496. S. 20. agnoscit, *Nam revera*, inquit, *nulla ibi de Sacerdote communicante mentio habetur, ut quod planè generaliter dictum esse appareret, ad Sacerdotes minimè restringi debere satis intelligi possit.*

Rejici-

Rejicimus ergo frigidam hujusmodi solutionem. Titulus itaque verior Canoni restituendus, quem jam pridem ei Juo præfixerat, *Non esse sumendum Corpus Domini sine calice.* Cui congruebant manuscripti Cassandri Codices, *Canonis quoque*, inquit, Epist. 19. *illius Gelasiani, in vetustis, qui apud nos adhuc sunt, manuscriptis libris intitulationem reperi; Quòd nulli liceat absque Sanguinis participatione solius Carnis communionem percipere.* Unde patet quanta sit Pontificiorum hodiernorum cum suis Majoribus concordia; quòd isti non erroris tantùm, sed quod incomparabiliter gravius est, *sacrilegii*, imò *grandis sacrilegii* damnant, hoc illi nunc latâ, & quidem in duabus Synodis generalibus lege, suis omnibus præcipiunt, & contrarium sentientibus anathema dicunt. Quæst. XXV.

XVII. VII. Huc etiam non parum facit Consensus cæterorum Christianorum, qui præter unos Latinos, Eucharistiam omnes sub utraque specie communicantibus distribuunt. Nam cùm multa passim in Christianismo ubique terrarum vel mutata vel innovata sint, & perduret in hunc usque diem apud cæteros Christianos, exceptis unis Latinis, Eucharistiæ sub utraque specie quibusvis communicantibus tradendæ ab Apostolicis usque temporibus ducta consuetudo; Nemo dubitare potest hunc fuisse veteris Ecclesiæ communem & universalem usum. De Græcis res nota est, & vel ex Epist. Hieremiæ Patriarchæ Constanti. ad Theolog. Wirtemberg. datâ ann. 1576. resp. 1. patet. *Dicitis itaque primùm in S. Cœna percipiendam esse utramque speciem, & rectè dicitis. Sic enim & nos facimus, quando veneranda percipimus Mysteria* &c. quod confirmat Metrophanes Critopulus Patriar. Alex. Confess. Ecclesiæ Orien. c. 9. Eandem legem sequi Moscovitas & Ruthenos, Syros & Georgianos, Jacobitas & Armenios, Æthiopas seu Abissinos & Nestorianos, ex relationibus variis eorum, qui loca illa lustrârunt, colligitur, quales sunt Osorius, Aluaresius, Gouveanus, Godignus & sim. 7. *Aconsensu cæterorum Christianorum.*

XVIII. VIII. Nec omittendæ hîc sunt querelæ Principum de ablato Calice, & postulata de ejus restitutione. Quantopere in Synodo Tridentina, Germani, Galli, Bohemi, & alii in id incubuerint, ut restitueretur Ecclesiæ communio sub utraque specie, ex historia satis liquet, ut & ex Catharinæ Mediceæ ad Pontificem epistolâ ad an. D. 1561. datâ, ubi de reformatione Ecclesiæ agendo refertur, quæ Regis, quæ Cleri, quæ Populi vota essent circa hoc nominatim Religionis caput. *Sacra*, inquit, *communionis usum integrum, hoc est, sub utraque specie, sine personarum distinctione restitui delere, nec Constantiensis Concilii, quod Dei mandata præponderare minime debeat, autoritatem quo minus id fiat, obesse posse.* Apud Thuan. lib. 27. Extant etiam Caroli IX. Regis, Catharinæ filii, eodem anno datæ ad Insulanum suum apud Papam Oratorem literæ, quibus docet, 8. *Expostulatione Calicis.*

Se

Quæst. XXV. *Se communibus Episcoporum & Doctorum Regni sui monitis ac precibus rogatum, ut apud Papam intercederet, quo cum ejus venia ac concessione illis liceat, omnibus sibi pro sacro munere subditis S. Cœnam communicare sub utraque panis & vini specie, quem ritum primitivæ Ecclesiæ olim fuisse compertum sit,* &c. Insulanus ad has literas referibens narrat Papam, cùm hæc ipse apud eum mandata Regis exposuisset, dixisse, *Hanc suam semper fuisse de calicis Communione, deque Clericorum conjugio sententiam* &c. *Cæsarem eadem apud se primum, pro filio suo Bohemiæ Rege, mox etiam pro suis patrimonialium Ditionum subditis postulâsse.* Res verò solitis E. R. Curiæ artibus in longum extracta, postremò in nihilum abiit, plerisque Cardinalibus Insulano Regis mandata urgenti summo studio obnitentibus, imprimis Cardinali S. Angeli, qui referente Insulano in suis ad Regem literis, *Se nunquam assensurum*, dixit, *ut Galliarum populis tantum venenum pro medicamento proponeretur, multoque sibi consultius videri, ut hoc morbo laborantes perire sinant, quam ut tale iis remedium petentibus concedant.* Quot & quanti etiam fuerint Germanorum labores & conatus à principio Synodi usque ad finem, & post ipsius etiam exitum, quæ officia Ferdinandi, & Maximiliani Imperat. & Alberti Ducis Bavariæ, & aliorum, ut Communionem sub utraque specie impetrarent, sed irrito conatu & inani labore, fusè refert Celeb. *Calixtus* de Commu. sub utraque specie p. 13. & seq.

Fontes Solutionum. Luc. 24. 30. XIX. Panis, quem Christus discipulis suis Emaunte porrexit Luc. 24. 30. non sacræ, sed communis mensæ panis fuit, ad cœnandum, non ad Sacramentum celebrandum, paratus, ut omnia suadent, hora, res, Christi mos, consentientibus etiam *Lyrano*, & *Dionys. Carthusiano*. Nulla ibi consecratio facta legitur, quæ debet tamen præcedere distributionem, nulla ibi calicis mentio, nec distributi, nec consecrati, quæ tamen consecratio necessaria est ad Eucharistiam juxta Pontificios. Imò pari jure posset colligi Sacerdotes inter Pontificios posse offerre sine vino, quia Christus, qui Sacerdotis vices agebat juxta eos, vinum non adhibuit.

Act. 2 42. & 20. 7. XX. Licèt Loca Act. 2. 42. & 20. 7. agant de Eucharistia, non favent tamen communioni sub una specie. Quia synecdochica est locutio, familiaris Hebræis, quâ ex parte designatur totum, ut quum dicitur Gen. 31. 54. de Josepho quòd *panem comederit cum fratribus suis*, id est, convivium agitaverit. Unde perperam colligeretur cibos tantùm illis appositos fuisse, non etiam potum. Ita quum celebratio Paschatis exprimitur per *manducare Pascha*, non notatur tantùm esus agni, sed etiam usurpatio calicis præberi soliti. Aliàs si urgetur locutio, sequetur Apostolos consecrâsse & edisse solum panem, quod Adversarii non concedunt. Ad Nazaræos hîc confugere, quod facit Bellarminus, qui vino abstinebant, mera est illusio. Tum quia nihil de eo proditur, sed fingitur à Cardinali, tum quia pauci erant & rari,

rari, nec ad vitam, sed ad actum, quorum ideo ratio non habenda fuit præ magna multitudine. Adde quod frustra Nazaræi opponuntur, cùm Pontificii non vinum, sed inanem ejus speciem in calice supersesse velint. Quæst. XXV.

XXI. Quamvis in baptismo immersionem cum aspersione commutaverimus: Non sequitur pari modo detrahi posse calicem. 1. Quia non verisimile est Ecclesiam mutâsse morem hunc immergendi absque aliquâ autoritate Apostolicâ; imò probabile est admodum, ut antea dictum, Apostolos aspersione aliquando usos fuisse, imprimis cùm magna multitudo tingenda fuit, ut factum die Pentecostes, quô ter mille baptizati sunt. At nihil tale de ablatione calicis dici potest. 2. Quia Ecclesia morem immergendi mutando, subrogavit aspersionem, quæ immersioni æquipollet hac in parte, utpote quæ non minus Sanguinis Christi effusionem & applicationem notet, & ejusdem sit efficaciæ. Unde Sanguis Christi dicitur *Sanguis aspersionis*, Heb. 12. 24. Sed quid substituit Ecclesia Romana calici adempto? nihil planè. 3. Immersio in baptismo non est essentialis, sed accidentalis, sed calicis usus est essentialis, non accidentalis Eucharistiæ, ut dictum.

XXII. Figmentum *Concomitantiæ*, quâ totum Christum sub unâ specie contineri, & æquè sub una ac sub utraque recipi posse creditur, Non potest juvare causam Pontificiorum. 1. Quia nititur falsâ hypothesi transubstantiationis, panis in Corpus Christi. 2. Confundit *concomitantiam signorum* cum *concomitantia rei significatæ*. Agnoscimus quidem concomitantiam Corporis & Sanguinis in ipsa re significata, quatenus & naturali & personali unione hæc sunt connexa. Sed negamus propterea illam locum habere in signis significantibus, quia cum sint ex instituto, talis debet esse conjunctio, qualis est à Christo instituta: Christus verò voluit duo esse signa, & duas significandi rationes, ut cum pane sumeretur Corpus, cum vino Sanguis, non verò cum pane per concomitantiam utrumque. Licèt ergo totus Christus sub una specie sumeretur, non ideo sub una specie Communio fieri deberet, quia Christi præceptum quocunque prætextu violari non debet, & quocunque modo percipiatur res significata, semper retinendum fuit signum à Christo institutum, aliàs Christus argueretur ignorantiæ, quasi non necessarias cæremonias multiplicârit. Aliud ergo est loqui de toto Christo, aliud de utraque specie; hoc enim ad signa pertinet, illud ad rem significatam; nec verum si in una specie sit tota res significata, ideo in una esse utramque speciem. Quæstio autem est annon fiat injuria plebi detracto calice? Hoc agnovit Innocentius III. R. P. lib. 6. de myster. s. altaris lib. 4. cap. 11. *Quamvis*, inquit, *sub specie panis Sanguis sumatur cum Corpore, & sub specie unum Corpus sumatur cum Sanguine, tamen nec Sanguis sub specie panis, nec Corpus sub specie*

QUÆST. XXV. *vinibibitur aut comeditur. Quia ſicut nec Sanguis comeditur, nec Corpus bibitur, ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub ſpecie vini comeditur.* 3. Aliud eſt ſumere Chriſtum ſpiritualiter, aliud verò ſacramentaliter; qui ſumit Corpus Chriſti ſpiritualiter, ſumit etiam Sanguinem, concedo, ſed non qui ſumit ſacramentaliter, de qua ſumptione hîc agitur. 4. Aliud eſt repræſentare Corpus Chriſti vivum; aliud repræſentare mortuum. Quoad prius, ubi vivum Corpus Chriſti ſignificatur, ibi debet eſſe ſanguis; ſed non quoad poſterius. At in Cœna, ut notum, Chriſtus exhibetur, non ut vivus, ſed ut mortuus, & Corpus ejus ut fractum, & Sanguis ejus ut fuſus & ſeparatus à Corpore. Licèt ergo Chriſtus in eſſe abſoluto non poſſit eſſe diviſus, in eſſe tamen reſpectivo & ſacramentali poteſt nobis proponi ut diviſus, & mortuus, ut caro à ſanguine eſt ſeparata. 5. Ratio æquè militat contra Clericos, quàm contra Laïcos. Nam ſi panis per concomitantiam trahit ſanguinem, ne Sacerdos quidem opus habebit calice; Nulla enim ratio eſt cur Sacerdos ad utramque ſpeciem teneatur, & Communicantes ad unam. 6. Juſtæ forent prædicationes iſtæ, *Panis eſt Sanguis*, *Vinum eſt Corpus*, quod tamen nemo dixerit.

XXIII. Falſò ſupponitur Calicem non pertinere ad eſſentiam Sacramenti. Nihil enim magis eſt de eſſentia Sacramenti, quàm ejus partes; At calix eſt pars Sacramenti. Nec dicendum hîc agi tantùm de articulo aliquo diſciplinæ, quem liberè mutare poſſit Eccleſia. Quia nemini Jus datur mutandi quod Chriſtus inſtituit; maximè in iis quæ ad eſſentiam cultus pertinent, & quæ tanquam neceſſaria omnibus præſcribuntur: aliàs Eccleſia poſſet panem æquè ac calicem nobis auferre, cùm ſit par utriuſque ex Chriſti mandato neceſſitas.

7. 6. 50. 5. XXIV. Locus Joan. 6. 50. 51. quô utuntur Adverſarii, non juvat eorum cauſam; Quia de communione Sacramentali non agitur, ut poſtea probabitur, ſed de ſpirituali, ſive in Sacramento, ſive extra Sacramentum, quæ ita urgetur à Chriſto quoad manducationem, ut non excludat bibitionem, ſed alteri vel tacitè includat per ſynecdochen, vel expreſſè addat ℣. 35. 53. 54. 55. 56.

XXV. Quamvis ad dignoſcendum id quod pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, ab eo quod non pertinet, reſpiciendus ſit effectus eſſentialis Sacramenti, non poteſt inde colligi communionem ſub una ſpecie ſufficere; Imò concludi debet potius duas ſpecies eſſe neceſſarias, quia effectus eſſentialis Sacramenti eſt commemorare mortem Chriſti, & nobis ſignificare perfectam nutritionem, quam à Chriſto habemus, quod fieri non poteſt per ſolam ſpeciem panis.

XXVI. Licèt non negemus in multis, quæ Lex non determinavit, liberum fuiſſe Eccleſiæ ſtatuere, quod magis conſentaneum videbatur.

Ne-

Negamus licuisse calicem, quem Christus instituit, populo auferre, quia hoc expressè à Christo sancitum est in legem perpetuam ab omnibus observandam. Quæst. XXV.

XXVII. Argumenta vel potius suspiciones, quas Adversarii in medium afferunt pro communione sicca sub una specie, non possunt evincere quod intendunt. 1. Quia una institutio præponderare debet omnibus exemplis singularibus, quia illa vim legis habet & regulæ; hæc non item. At secundùm ipsos legibus judicandum, non exemplis. 2. Particulares personarum quarundam actiones in quibusdam locis, non debent opponi consensui omnium Ecclesiarum per orbem dispersarum, & consuetudini receptæ ab initio, & continuò ac sine intermissione observatæ in publico Ecclesiæ usu usque ad decimum & undecimum seculum. 3. Consuetudo, quam obtendunt Pontificii, nec est universalis, nec juris divini, nec ex præcepto, nec cum oppositi moris prohibitione & damnatione, quæ omnia in Communione nostra occurrunt.

XXVIII. Exempla singularia, quæ afferuntur, eos non juvant. Non *Communio morientium.* 1. Quia non quæritur quomodo pauci quidam, vel corporis infirmitate, vel aliâ necessitate coacti, Eucharistiam in privatis ædibus sumpserint. Sed, An Ministri fidelibus communicantibus in sacra synaxi porrexerint & distribuerint ex jure moreque communi unam tantùm speciem, An utramque? 2. Infirmis & morientibus, quinto & secutis seculis Eucharistiam datam fatemur, sed sub una specie datam esse negamus. Imò ex variis exemplis constat morituros utramque speciem usurpâsse, quod de Valentino Patavienſi quinto seculo refertur, *quod ante obitum propriis manibus acceperit Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum*, & septimo seculo de Remaclo Episcopo Trajectensi, de Andomaro Morinorum Episcopo, & de aliis variis relatis à Celeb. Dallæo lib. 5. cap. 11. Huc pertinet Canon Concilii Turonensis à Burchardo in sua decreta relatus, quò agitur de Viatico, sive de oblata fidelibus à seculo recedentibus dandâ, ubi præcipitur ut *sacra oblatio intincta sit in Sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo, Corpus & Sanguis Domini proficiat tibi.* Quod affertur de *Serapione*, non cogit, tum quia unicum est exemplum, quod non potest opponi innumeris aliis, imò constanti praxi Ecclesiæ; tum quia constat cum à puero per Presbyterum misso buccellam accepisse non siccam, sed madefactam vino, haud dubiè in eum finem à Presbytero misso, quia à sene viribus exhausto, panis nisi madefactus deglutiri non potuit, *Presbyter*, inquit Diony. Alex. apud Euseb. lib 6. c. 44. *exiguam Eucharistiæ partem puero ad se accersendum misso, tradidit, ut intinctam seni in os instillaret* βουλόμενος, ut habent verba Græca. Non magis urget exemplum Ambrosii morientis, qui apud Paulinum Afrum in ejus vita cap. 25. dicitur buccellâ glutitâ, statim

Quæst. XXV. spiritum emisisse. Si ergo calicem non sumpsit, non ideo fecit quòd ipsi prohibitus esset, sed quia mortuo calix porrigi non potuit.

XXIX. Non *Communio domestica* eorum, qui particulas Eucharistiæ domum delatas, & servatas siccas comederunt. Nam præterquam quod, aliud est loqui de privato usu, aliud de publico, de quo hìc agitur, Si panem domum deferre poterant, quidni etiam vinum? ut rectè notat Albaspinæus Aurelianensis Episcopus lib. 1. Observ. cap. 4. quod probat celebri exemplo Grego. Nazian. qui de Gorgonia Sorore sua verba faciens docet clarissimè, utramque Sacramenti speciem à fidelibus servari consuevisse Orat. 11. *Si quid*, inquit, *ufpiam antityporum pretioſi Corporis, aut Sanguinis manus recondiderat., id lacrymis admiſcuit, quibus eam veluti quodam pharmaco totum corpus perfudiſſe dixerat.*

XXX. Non *Communio infantium*, Quia licèt verum sit jam à Cypriani temporibus usque ad duodecimum seculum constanter communicatos fuisse infantes in Ecclesia Latina, ut hodie etiam apud Græcos & Æthiopes fieri certum est; Non potest constare sub una specie communicatos fuisse, imò ex Cypriano, Sermone de lapsis colligitur plenam, non dimidiatam fuisse parvulorum Communionem, infantes enim ita loquentes inducit, *Nos nihil fecimus, nec derilicto cibo & poculo Domini ad profana contagia ſponte properavimus.* Idem colligitur ex Aug. Ep. 107.

XXXI. Non *Communio laica*, ad quam Clerici damnabantur. Quia non significabat olim, quod hodie significat scil. communionem sub una specie; sed nihil aliud notabat, ut *Cassander* de Commun. sub utraque specie observat, quàm communicandi ordinem & gradum; Fatetur doctissimos quosque hodie agnoscere, *ea quæ de laica communione apud Veteres leguntur, non debere intelligi de alio communicandi genere, ſed de gradu, ordine, & loco communicantium, quod alia dicendi forma dicebatur inter laicos, cum laicis, ut laicum communicare.* Albaspinæus idem solidè evincit lib. 1. Observ. cap. 4. & abditam in Veterum monumentis Laïcæ illius communionis veram rationem ita explanavit, ut nulla amplius de eo dubitandi ratio superstit. Quos sequuti sunt hìc *Morinus* Exerc. Eccles. lib. 1. exer. 9. & *Rigaltius* ad locum Cypriani de Trophimo. Sic non negamus datam fuisse communionem laïcam, sed quæ non faciebat novum communionis genus, sed tantùm novum ordinem quoad personam, ut qui antea fuerat Clericus, sive in Clericorum nomenclatura, tunc in ordine laïcorum esset, & cum laïcis communicaret, quod pœnæ cujusdam vel saltem imminutæ dignitatis & ministerii rationem habebat, ut privatus ministerio consecrandi Eucharistiam, contentus esset solâ communione. Alii volunt dictam fuisse communionem laïcam à loco, quia laïci orabant & communicabant extra cancellos per ministerium Archidiaconi, hoc est extra chorum, ut hodie

loquuntur

loquuntur, ut notat Pamelius in Cypr. Ep. 52. Sed nec hac ratione evinci potest communionem istam laïcam fuisse sub una specie Vid. Chami. lib. 9. c. 3. Quæst. XXV.

XXXII. Non *Communio Præsanctificatorum*, quæ ex eo dicitur, quòd Eucharistiæ communicaretur, non ipso illo die, quô confecta fuisset vel consecrata, sed vel pridie, vel etiam remotiori hebdomadis feriâ. Græci quidem in Quadragesima non offerunt nisi Dominicâ & Sabbato, reliquis diebus utuntur προηγιασμένοις, quæ ideo hoc nomine appellantur, quia jam antea erant sanctificata. Sed nihil inde pro causa Adversariorum elicitur, quasi sub una tantùm specie Communio fieret. Imò vox ipsa contrarium evincit, Nam τὰ προηγιασμένα non dicuntur congruè de altera tantùm specie, sed de ambabus, & constat pluralem numerum adscribi ambabus. Liturgia præsanctificatorum mentionem facit participationis Corporis & Sanguinis Christi. Et ex ordi. Roma. officio Paraseeves constat Pontificem & populum in parasceve etiam sub specie vini, pane in id immisso, sanctificari seu consecrari, adeoque sub utraque specie communicâsse. Quicquid verò sit de illo ritu, Certum est eum recentem satis fuisse, nec ante septimum seculum in usu fuisse apud Latinos, nec apud Græcos Trullano Concilio antiquiorem ullum testem habere, ut docet Dallæ. cap. 22.

XXXIII. Ecclesiæ non magis potestas competit mutandi Sacramentorum ritus à Christo institutos, quàm nulla est in mutando Verbo & Lege. Ut enim hoc audibile, Ita illi visibile voluntatis divinæ signum continent. At Christus communionem sub utraque specie instituit, & Calix ad Sacramenti materiam externam, adeoque essentiam ejus pertinet. Alia ratio est διταξίας seu ordinis externi, de quo intelligendus locus Apostoli 1. Cor. 11. ỳ. ultimo. Quòd si hæc Ecclesiæ potestas datur, quid obstat quominùs totum Cœnæ Sacramentum abolere posse dicatur? Nec justæ, nec graves causæ fuerunt mutilandæ Cœnæ. Quæ afferri solent, Vel vini penuria, Vel periculum effusionis, Vel reverentia Sacramenti, Vel impossibilitas calicis distributionis in iis locis, ubi populus valde est numerosus, & unus tantùm Sacerdos. Quia eadem incommoda etiam Christus prævidit, nec tamen temperavit, quominus Apostolos bibere & hoc facere ad sui commemorationem jusserit: Nec vetus Ecclesia incommoda hæc eo loco habuit ut Communionem propterea mutilandam censeret. Deinde hi casus, nec semper, nec ut plurimum occurrunt, nec obstare possunt, quominus integra Cœna administretur. Penuria vini in quibusdam locis, non magis efficere potest, ut auferatur vinum aliis populis in usu sacro, quàm in usu communi, Potest verò iste defectus suppleri alio liquore, ejus, ut ita dicam, ἀντιβαπτισμῷ, ut fit

Quæst. XXV. apud Æthiopes ex uvis passis aquâ maceratis. Periculum effusionis & reverentia Sacramenti, nititur falsâ hypothesi Transubstantiationis, cujus confirmationem non minus ac sacrificii Missatici, & Cleri supra populum elevationem potissimùm hîc respexerunt Pontificii.

XXXIV. Dici non potest eundem fructum percipi ex utravis specie, quàm ex utraque. Quia hæc fructus acceptio metienda est ex efficacia, quæ est in significando. At panis non significat Sanguinem, nec vinum Corpus. Ergo nec panis efficit, id est, repræsentat & obsignat Sanguinem, nec vinum Corpus. Qui ergo alterutrum tantùm sumit, secundùm hoc genus efficaciæ proprium, non potest dici recipere rem significatam ab alio. Unde ipsi Adversarii fatentur Sacramentum perfectioris esse significationis sub utraque specie, quàm sub una, Ergo etiam major est fructus sub ambabus. Denique Institutio Christi sola nobis instar omnium esse debet, ad usum Calicis omnibus communem retinendum.

XXXV. Argumentum quod petitur ab *Abstemiis*, qui sub una specie tantùm communicant, non potest favere Adversariis. Quia paucorum exceptio insuperabilis non debet regulam generalem evertere, & abstentio à calice non est voluntaria & libera, quæ omnino esset culpabilis, sed involuntaria & invincibilis per impotentiam naturalem & ineluctabilem. Si ergo calice non utuntur, non ideo rei censendi sunt violati præcepti divini; Quia præceptum respicit tantùm eos, qui vino uti possunt, non verò eos, in quibus Deus tale invincibile impedimentum appposuit, quosque eo ipso dispensare voluit ab hoc mandato. Sed tantùm abest ut hoc infringat mandatum Christi, ut potius illud firmet magis, ut exceptio regulæ addita eam fortiùs adstringere solet. Cùm enim illi tantùm dispensentur à sumptione calicis, qui abhorrent à vino, Eo ipso alii omnes censentur ad ejus observationem teneri. Quod exemplo surdorum illustratur; Quamvis enim præceptum Verbum audiendi omnibus detur, obligat tantùm eos qui possunt audire, non verò surdos. Et si surdi ab eo dispensantur, perperam quis inde colligeret, & hoc aliis licere.

XXXVI. Articulus disciplinæ Ecclesiarum nostrarum, quô dispensantur abstemii ab usu calicis, modò vel solâ calicis a motione ad os testentur venerationem, quâ institutionem Christi prosequuntur, nec se per contemptum, sed per impotentiam ab eo abstinere, Non potest juvare Pontificios. 1. Quia praxis nostra longè differt à Romana, Aliud est tolerare infirmitatem eorum qui non possunt vino uti. Aliud auferre & prohibere calicem iis qui tali infirmitate carent; prius fit à Nostris, posterius à Pontificiis. 2. Articulus disciplinæ est opus charitatis & συγκαταβάσεως erga paucos ex necessitate ineluctabili. Sed dogma Pontificium est interdictio absoluta & simplex erga omnes, sine necessitate & contra expressum

expressum mandatum Christi. 3. Disciplina non vult dividi species Sacramenti, imò vult Sacramentum integrum retineri, & conjunctim porrigi & distribui populo à Ministris, licèt non possint ambæ species recipi ab abstemiis, sed unica tantùm. Sed doctrina & praxis Romana vult à Sacerdotibus dividi Sacramentum & mutilari Communionem. Juxta nos abstemii non modò desiderare debent calicem, sed & nihil non facere ad superandam impotentiam suam. Sed Pontificii ita auferunt calicem populo, ut nefas sit illis hunc expetere vel attrectare. Uno verbo cùm ex nostra sententia nemo arceatur ab usu calicis, imò Pastores jubeantur utramque speciem porrigere, & fideles quicquid in se est facere ad ejus receptionem; Apud Romanos verò usus calicis expressè interdicatur populo. Patet longum & latum discrimen esse inter sententiam nostram, & Pontificiam. Quæst. XXV.

XXXVII. Quamvis verò Abstemii recipiant Sacramentum sub una duntaxat specie, Non propterea censenda est illa communio merè illusoria. 1. Quia Sacramentum integrum à Ministro illis porrigitur, Et si alterâ specie abstinere coguntur, non fit sponte & per contemptum, sed ex mera impotentia & ineluctabili necessitate. 2. Licèt species sint indivisibiles ex ordine Dei in Sacramento, hoc spectat tantùm eos qui possunt iis uti, non verò alios, quos ipse per obstaculum appositum dispensat. Ut enim fecit Legem, Ita potest solus de ea dispensare quos libet, & separare species in certis casibus, qui eas conjunxit, & voluit conjungi. 3. Defectus usus seu alterius speciei per gustum, potest utcunque suppleri, tum ex voto, tum ex visu, tactu, odoratu, & aliis sensationibus. 4. Licèt utrumque signum non recipiatur, non desinunt participes fieri totius rei significatæ, quæ est indivisibilis.

XXXVIII. Cùm Calix Eucharisticus à Christo institutus sit in symbolum triplicis calicis mystici, qui in Sacramento nobis repræsentatur. 1. *Calicis passionum* Christi, de quo Mat. 26. 39. quarum est memoriale, in vino quod effunditur. 2. *Calicis gratiæ & consolationis*, de quo Ps. 16. 5. & 23. 5. cujus est sigillum, in poculo quod bibendum porrigitur. 3. *Calicis laudis, & gratiarum actionis*, de quo Ps. 116. 13. Cujus est testimonium in usu calicis, quem cum laude & gratiarum actione sumimus, quique ideo ad instar Poculi Paschalis rectè *poculum laudis* dicitur. Non sine grandi sacrilegio, & piorum consolationis imminutione periculosa, ejus communio auferatur populo Christiano contra expressum Christi mandatum, Et ludibrium debent, qui talem communionem merè disciplinarem, & indifferentem esse pertendunt.

QUÆSTIO

Quæst. XXVI.

QUÆSTIO XXVI.

DE SENSU VERBORUM SACRAMENTALIUM.

An Verba Cœnæ propriè & literaliter κατὰ τὸ ῥητὸν, *An verò tropice & sacramentaliter sint intelligenda?* Prius Neg. Post. Affir. contra Pontif. & Lutheran.

I. UT Quæstio ista substernitur velut basis cæteris hujus loci Controversiis, quæ ab ejus intelligentia pendent, quales sunt Controversiæ de Corporali præsentiâ, & orali manducatione Christi in Cœna, De Transubstantiatione, Sacrificio missatico, circumgestatione & adoratione istius Sacramenti, & aliæ idgenus: eo majori examine opus habet & attentiùs debet tractari.

II. Ad Statum Quæstionis observandum. 1. Verba Cœnæ duplicia esse, alia mandati, alia promissionis. Mandati, quibus sancitur observatio, & finis istius Sacramenti. *Accipite, edite, bibite, hoc facite ad mei commemorationem.* Promissionis verò, quæ adduntur elemento ad declarandum ejus officium ac usum, ut fiat Sacramentum. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis traditur* seu *frangitur. Hoc est Sanguis meus Novi Testamenti*, seu *Hoc poculum est N. Testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Non quæritur hic propriè de Verbis mandati, sed de Verbis promissionis ac sensu eorum, quo modo ea juxta mentem Christi intelligenda sint?

Status Quæstionis.

III. 11. Sensum Scripturæ esse duplicem, Proprium seu literalem, & Tropicum seu figuratum. *Proprius* est, quem verba fundunt in propria & nativa significatione sumpta, & quatenus naturaliter de se invicem prædicantur. *Tropicus* est quum verba à nativa significatione mutantur in aliam, & per tropum aliquem juncta de se invicem prædicantur, qui sensus à nonnullis dicitur etiam literalis, non immediatè, sed mediatè, quatenus ad verba propria revocatur, & in ea resolvitur ex intentione dicentis, & pro subjecti ipsius natura. Prior usitatè τὸ ῥητὸν, posterior ἡ διάνοια appellatur. Alterutrum Verbis promissionis in Cœna convenire & tribuendum esse certum est. Sed quis sit, disceptatur. Pontificii, & cum his Lutherani τὸ ῥητὸν, sive sensum proprium & literalem strictè ita dictum retinendum esse contendunt. Sed quænam sit illa litera inter eos non convenit. Orthodoxi τὴν διάνοιαν, seu sensum tropicum & figuratum sequen-

sequendum esse affirmant. Rursus cùm Enunciatio propria & figurata vel quoad omnes partes intelligatur, vel quoad quasdam tantùm; Pontificii, qui sensum literalem mordicus hîc retinendum esse volunt, tenentur probare omnes partes illius Enunciationis, *Hoc est Corpus meum*, esse proprio & literali sensu exponendas. Nobis verò, qui figuratam Enunciationem hîc ex parte tantùm urgemus, satis est ostendere, vel unam ex ejus partibus tropicam esse. Sic Quæstio redigitur ad hos terminos. *An Verba promissionis Sacramentalia*, Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus &c. *propriè* & κατὰ τὸ ῥητὸν *sint intelligenda*, *An verò tropicè* & κατὰ τὴν διάνοιαν. Pontificii Prius affirmant. Nos Posterius, Rationibus variis nixi. Quæst. XXVI.

IV. Prima petitur Ex *Verbis ipsis promissionis*, Quia verba ista non possunt ferre sensum proprium, sed necessariò requirunt tropicum & figuratum. Quod ut planum fiat, expendendæ sunt ante omnia singulæ Enunciationis partes, Subjectum, Prædicatum, & Copula, & quid per eas significetur. Hoc enim semel posito, facile percipietur, quid de tota Enunciatione judicandum sit, An sit tropica, An propria? Primò hic occurrit *Subjectum* pronomine demonstrativo *Hoc* expressum, quod pertendimus non ad aliud referri posse, quàm ad panem, & ita resolvendam esse propositionem, Hoc est Corpus meum, id est, Hic panis est Corpus meum. Rationes sunt variæ. 1. Quia est pronomen demonstrativum, quod demonstrat rem præsentem, & proinde actu existentem, ipso Bellar. teste, lib. 1. de Missa cap. 27. Jam verò nihil adhuc erat præsens, quàm substantia panis, nec quicquam aliud ostendere potuit. 2. Quia series orationis evincit nihil aliud designare posse, quàm id quod Christus acceperat, & gratiis actis fregerat, & fractum visibiliter porrigebat discipulis ut ederent, quod nihil aliud erat quàm panis. *Dominus accepit panem, & gratiis actis fregit, & dedit discipulis, & dixit Accipite, edite, hoc est Corpus meum.* Quis non videt pronomen hîc poni vice nominis quod præcessit, nihilque aliud designare, quàm panem? Ut sit sensus, panis quem accepi & fregi, quem vobis edendum porrexi, hic panis est Corpus meum. Licèt verò Christus dederit panem benedictum, & non vulgarem; Non sequitur aliud fuisse, quàm verum panem, quia mutatio quæ fit per benedictionem, non est substantiæ, sed usus. 3. Eodem modo debet exponi τὸ *Hoc* in primo symbolo, ac in secundo, quia eadem est utriusque ratio; Atqui refertur manifestè ad poculum, ut Lucas & Paulus exponunt, qui quod apud Matthæum & Marcum habetur τοῦτο ἐστι τὸ αἷμά μου *hic est Sanguis meus*, interpretantur de poculo τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hoc poculum est Novum Testamentum in Sanguine meo.* 4. Quia paulus

Sensus tropicus probatur.

1. *Ex verbis ipsis.*

QUÆST. XXVI. lus τὸ *hoc* interpretatur de pane 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus.* Ubi manifestè respicit ad historiam Institutionis, & quod dixerant Evangelistæ Dominum panem accepisse, gratiis actis fregisse, dedisse, & dixisse accipite, edite, in hæc verba contrahit, *Panis quem frangimus*, sicut & sequentia, *est Corpus meum*, exponit per hanc periphrasim, *est Communio Corporis Christi.* Confirmatur ex verbis præcedentibus de calice, *Calix cui benedicimus*, Calicem enim intelligit, non sanguinis, sed vini, quia sanguinem Domini non benedicimus, & consecramus, sed vinum. Nec hic dici debet, Vel *panem* poni pro *accidentibus panis*, quia præterquam quod gratis supponitur accidentia panis posse separari à substantia panis, quod falsissimum esse suo loco probabitur; Non esset genuina, sed abusiva hujus vocis acceptio, cùm accidentia panis non sint panis, nec unquam probabitur ita loqui Scripturam. Vel sumi pro *Corpore Christi*, Tum quia sic tropica esset locutio, quod nolunt admittere; Tum quia Corpus Christi non frangitur; Tum quòd Enunciatio non modò fieret indicativa, non operativa, sed etiam fieret absurda, Corpus quod frangimus, est Communio Corporis Christi. 5. Quia Christus per τὸ *hoc*, vel intelligebat Corpus suum, vel aliquid aliud à Corpore suo diversum; Si prius, sequitur Transubstantiationem jam factam fuisse, quum dixit hoc, & per consequens non fieri per ista verba, *Hoc est Corpus meum*, ut volunt; Sequetur etiam verba non esse operativa & practica juxta eorum sententiam, sed speculativa. Si verò non intelligit Corpus suum, sed diversum quid ab ipso, sensus propositionis Christi esset; Hoc, quod non est Corpus meum, est Corpus meum, Id quod non potest esse verum propriè & literaliter, sed tantùm sacramentaliter & figuratè, hoc sensu, hic panis, qui non est Corpus meum, est Corpus meum, nimir. quatenus est ejus sacramentum. 6. Ista propositio, ex hypothesi Adversariorum conversiva & consecrativa, debet necessariò continere utrumque conversionis terminum, & ordinem eorum. In omni enim conversione sunt duo termini, à quo & ad quem. At terminus ad quem continetur in prædicato propositionis per τὸ *Corpus meum.* Ergo terminus à quo debet contineri in subjecto, quod est pronomen *hoc.* Terminus autem à quo est panis, Ergo *hoc* demonstrat panem. 7. Si per prononem *hoc* non demonstratur panis, non est id, cujus substantia vi horum verborum in Corpus Christi convertitur, & proinde falsa est Transubstantiatio. Si verò est panis, cujus substantia convertitur, tunc vera est nostra expositio, quâ panem demonstrari per *hoc* dicimus. 8. Non pauci ex Pontificiis nobiscum agnoscunt τὸ *hoc* panem designare, Gerson. lib. 4. cont. Flore. *Pronomen* hoc *demonstrat substantiam panis.* Bonaventura in 4. Senten. Dist. 8. quæst. 1. Bellar. lib. 3. de

de Missa cap. 19. *Dominus accepit in manibus panem, eumque benedixit, & de eo ait, hoc est Corpus meum.* Arnaldus ipse in lib. Perpetu. to. 2. p. 162. &c. fatetur non semel *Hoc* significare panem, sed confuse conceptum. Quàm verò hîc sint perplexi Adversarii, ut definiant quid pronomine *Hoc* sit intelligendum, ut fermè sint quot Capita tot sententiæ, in sequentibus videbitur, & vanitas figmentorum, quæ hîc excogitârunt, ostendetur. Quæst. XXVI.

V. Secundò, Prædicatum Enunciationis est *Corpus Christi*, non Corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia Col. 1. 24. 1. Cor. 12. 27. sed naturale & proprium, quod ex B. Virgine assumpsit. Nec illud simpliciter ut tale, vel ut vivum & glorioſum in cœlis, sed ut mortuum vel brevi moriturum, hîc enim præteritum ponitur pro paulo post futuro, ut alibi sæpe, sub qua idea passim Scriptura loquitur de Corpore Christi. Nec uspiam de eo mentio fit sub alia σχέσει, quin aliquid addatur ad hoc significandum, ut Phil. 3. 21. ubi Paulus loquitur de *Corpore glorioſo Christi.* Nec difficile esset hoc evincere ex innumeris Scripturæ locis, in quibus agitur de Corpore Christi sub hac relatione Matth. 27. 58. Marc. 15. 43. Luc. 23. 52. Joan. 19. 40. Rom. 7. 4. Colos. 1. 22. Heb. 10. 5. 10. Hoc in loco verò ita intelligendum esse necessariò Corpus Christi multa evincunt. 1. Quia agitur de Corpore & Sanguine Christi seorsim tanquam divisis & separatis, quod non potest aliò referri, quàm ad statum mortis. 2. Institutio & distributio distincta symbolorum idem docet, nimi. duas istas partes quas repræsentant, spectandas hîc esse, non ut unitas in homine vivo, sed separatas & à se invicem per mortem divulsas; alias symbola, quæ nobis eas ut separatas repræsentant, nos deciperent, imò Christus ipse, qui eas ita instituere voluit, quod vel cogitare impium. 3. Verba sequentia hoc confirmant, quando Corpus dicitur tale, quod datum sit, id est, morti expositum vel brevi exponendum pro nobis ex stylo ordinario Scripturæ, & ut à Christo ipso explicatur *fractum* scili. in Cruce, Et Sanguis, non qui sit adhuc in venis, sed ut effusus & sparsus extra Corpus. 4. Corpus & Sanguis proponuntur hîc ut media efficacia tam redemptionis, & remissionis peccatorum, quàm nutritionis spiritualis, quod dici non potest, nisi de Christo mortuo, siquidem non alibi, quàm in morte, quæ fuit pretium redemptionis nostræ, acquisivit nobis remissionem peccatorum & salutem Ephes. 1. 7. Rom. 5. 10. Colos. 1. 20. & factus est nobis panis & cibus vitæ Joan. 6. 51.

VI. Tertiò, Copula *Est*, quæ connectit subjectum cum prædicato, sed eo modo quò connecti possunt propriè, si possent de se invicem prædicari, sed tropice si propria attributio locum habere non potest, ait

QUÆST. XXVI. in disparatis. Ita verbum hoc substantivum, vel sumitur ὑπαρκτικῶς, & ἁπλῶς in propria & nativa significatione, quando datur identitas suppositi vel subjecti, quum prædicatur genus de specie, vel species de individuo, vel proprium de subjecto. Vel σημαντικῶς seu *significativè* & figuratè, quando res de se non possunt propriè prædicari, sed tantùm per analogiam & similitudinem. Ita tropus rectè statuitur in Copula, non quatenus est Copula simpliciter, sed quatenus est verbum, quod suam habet peculiarem significationem, à qua resultat vis copulandi. Ut enim signum duplex habet esse, aliud *primitivum* & *absolutum*, quod nihil aliud est quàm rei ipsius substantia, aliud verò *relativum* & *significativum*, per quod substantia illa fit signum, & relativam naturam quodammodo induit; Ut lapis, qui fit limes & terminus, esse absolutum habet in eo quod est lapis, & significativum & relativum quà limes. Et aqua in baptismo habet esse absolutum, quà aqua, & relativum, quà sacramentum. Ita verbum substantivum, quod copulat signum cum signato, debet illud copulare, non quoad esse absolutum, sed quoad esse relativum & sacramentale. Et tantùm abest ut esse istud relativum destruat esse naturale & absolutum rei, ut contrà illud necessariò supponat; Nam si res non haberet esse suum naturale, non posset habere esse relativum, cùm nullo modo esset. Ut aqua baptismi non posset esse sacramentum Sanguinis Christi, nisi haberet substantiam aquæ & vim sordes abluendi.

VII. Hinc oritur modus loquendi in omnibus linguis usitatissimus, quò signatum prædicatur de signo, & nomen illius, isti datur, quod Augustin. observat lib. 3. quæst. in Levit. Quæst. 57. *Solet*, inquit, *res quæ significat, ejus rei nomine, quam significat, nuncupari, sicut scriptum est, septem spicæ sunt septem anni &c. & quod dictum est, Petra erat Christus; Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam hoc non erat, sed per significationem.* Nihil usitatius est in sermone ordinario, nihil frequentiùs occurrit in Scriptura tam Veteris quàm Novi Testamenti. Hinc *septem Vaccæ* dicuntur *septem anni* Gen. 41. 26. *ossa* dicuntur *domus Israel* Ezech. 37. 11. *Quatuor animalia* sunt *quatuor Reges*, & *decem cornua sunt decem Reges* Dan. 7. 17. 23. 24. & 8. 20. 21. & passim alibi. Licèt verò verbum substantivum in istis & similibus locis non apponatur, quia Hebræi eo carent, necessariò tamen supplendum esse Interpretes agnoscunt, & sic in Versione LXX. & in Vulgata fermè ubique suppletur. In Novo Testam. idem creberrimè occurrit: Christus in parabolis non alio utitur loquendi modo Matth. 13. 38. 39. *Ager est mundus*, *bonum semen sunt filii Regni*, *Inimicus est Diabolus*, *Messis est finis mundi*, *Messores sunt Angeli &c.* ut innuatur esse figu-

Matth. 13. 38. 39.

signa rerum vel personarum, quas repræsentabant, & propter istam analogiam de se invicem prædicari. Sic Apoc. 1. 20. *Septem stellæ sunt septem Angeli, septem Candelabra sunt septem Ecclesiæ*, & cap. 17. 9. *Septem Capita sunt septem montes, decem cornua sunt decem Reges* ℣. 12. *Mulier quam vidisti est magna Civitas, quæ imperium habet in Reges terræ* ℣. 18. & sic innumeris in locis. Sed hoc in specie & longè potius locum habet, ubi agitur de Sacramentis, utpote quæ non sunt simplicia signa, sed sigilla, quæ obsignant fidelibus à parte Dei veritatem rerum quas repræsentant, imò quæ ea suo modo certissimè exhibent in usu legitimo, ut in sequentibus videbitur. Quæst. XXVI. Apo. 1. 20. 17. 9. 18. 12.

VIII. Ex his verò ita positis quoad singulas Enunciationis istius partes, sequitur necessariò Enunciationem ipsam non esse propriam, sed figuratam. 1. Quia disparatum de disparato non potest prædicari propriè, sed figuratè, ut Philosophi constanter docent, & Bellar. ipse non diffitetur lib. 3. de Eucharistia cap. 19. quia una res non potest dici vel esse altera nisi per tropum. At constat panem, qui demonstratur per *hoc*, ut dictum, & Corpus Christi esse disparata, cùm nec substantia panis sit, dicive possit substantia Corporis Christi, nec substantia poculi, substantia Sanguinis Christi, sed inter se numero, definitione, essentiâ & adjunctis verè differant. Hoc agnoverunt non pauci ex Pontificiis, Salmero To. 9. Tr. 20. *Si Christus dixisset, hic panis est corpus meum, cogeremur ad figuram recurrere.* Bellar. lib. 1. de Eucha. cap. 7. *Hæc propositio, Panis est Corpus meum, est omnino absurda & impossibilis, nisi sumatur figuratè, id est, ut panis significet Corpus.* Frustra hìc nonnulli opponunt, prædicationes de Christo θεανθρώπῳ *Deus est homo*, & *homo est Deus*, quas nemo dubitavit esse proprias & naturales, licet Deitas & humanitas sint substantiæ disparatæ. Quia licèt Deitas & humanitas in abstracto, & extra Unionem hypostaticam sint naturæ disparatæ, nec possint de se invicem prædicari, ut dicatur, Deitas est humanitas, vel vice versa, humanitas est Deitas; Tamen in concreto Deus & homo non sunt disparata, quia non notant duo suppositа, vel duas personas, sed unam eandemque, quæ ut subsistit in duabus naturis, ita diversimodè ab illis denominatur. Ita quum dicitur, *Deus est homo*, non aliud innuitur, quàm illam Personam, quæ Deus dicitur à natura divina, esse etiam & rectè dici hominem ab humana, quæ cum divina hypostaticè est unita. Sed hîc alia planè ratio, quia panis & Corpus Christi sunt substantiæ diversissimæ, quæ ideo de se non possunt prædicari, nisi figuratè. 11. Hoc etiam fortiùs confirmatur ex eo, quod Corpus, ut dictum, non hìc intelligitur vivum & glorioſum, sed mortuum & crucifixum. Jam autem certò certius est impossibile esse & planè contradictorium, ut panis, vel alia quævis substantia, sit

QUÆST. XXVI. propriè & sine figura Corpus Christi mortuum, eo tempore quo Christus non est mortuus, nec mori potest; quia sequeretur Corpus Christi esse simul mortuum & vivum, id est, esse & non esse, quod nemo non videt esse ἀντίφατον. Rursus Corpus Christi non tantùm proponitur ut mortuum, sed etiam ut alimentum mysticum animæ nostræ, quod non potest esse per realem conversionem panis in Corpus, vel vini in Sanguinem, sed per efficacem ejus repræsentationem, quatenus proponitur nobis ut objectum fidei nostræ, quod mutuatur ideam cibi & alimenti corporei, quod recipimus in Sacramento propter conformitatem quam cum ipso habet, quâ de causa dicit panem esse Corpus suum. III. Quia omnis prædicatio propria est, quum genus, species, proprium vel accidens prædicantur de subjecto, nihil enim potest de altero propriè enunciari, quod illi non competat aliquo horum modorum. At Corpus Christi nec est genus, nec species, nec proprium, nec accidens panis. IV. Si panis dicitur propriè Corpus Christi, sequetur primò omnia Corporis Christi attributa pani propriè convenire, ut nasci, mori, resurgere &c. & omnia attributa panis, Corpori, ut seri, meti, triturari, coqui &c. 2. Christum cùm de mensa panem sumeret & frangeret, Corpus suum sumpsisse & fregisse, & Sanguinem fudisse antequam crucifixus esset, Et nos jam Corpus Christi frangere & Sanguinem fundere hodie postquam Christus resurrexit, & est in statu gloriæ, ubi amplius mori non potest. 3. Panem pro nobis fractum & vinum fusum esse in remissionem peccatorum. 4. Nulla prædicatio rei signatæ de signo potest esse propria, sed debet esse tropica, quia non sit secundùm esse absolutum & proprium, sed secundùm esse respectivum & significativum. Sed talis est prædicatio de Cœna, quia panis & vinum nemine discrepante sunt signa, Corpus & Sanguis verò res signatæ. Imò nisi ita exponatur Enunciatio ista non erit sacramentalis, & Sacramentorum evertetur natura, quia signa non erunt amplius signa.

2. *Classis à scopo Christi & circumstantiis Institutionis.*

IX. 11. Classis Argumentorum ducitur à *Scopo Christi*, *statu discipulorum*, *& circumstantiis totius Institutionis*, quæ ita nos ducunt ad sensum tropicum & sacramentalem, ut pugnent cum proprio & literali. *Scopus* Christi fuit duplex, generalis, Sacramentum Novi Testamenti instituere, sicut dicitur, *Hoc est Novum Testamentum in Sanguine meo*, Specialis ritui veteri novum, Agno Paschali S. Cœnam subrogare. Unde duplex oritur argumentum. 1. Verba accipienda sunt juxta mentem & scopum dicentis; sed scopus Christi in institutione fuit ordinare Sacramentum Novi Testamenti. Ergo verba quoque sacramentaliter & tropicè intelligenda sunt. 2. Si Cœna subrogari debuit Paschati, eadem loquendi ratio tropica, quæ in eo locum habuit, ut constat, debuit etiam hîc retineri. *Circumstantiæ* idem evincunt, sive antecedentes, sive consequentes. 1. Corpus Christi mensæ

accu-

accubuit in prima Cœna, Ergo non potuit porrigi discipulis, sed panis qui in mensa appositus erat. 2. Christus separavit panem & vinum in Cœna, sed Corporis & Sanguinis nulla tum separatio facta est. 3. Panem accepit è mensa, benedixit, fregit, & dedit discipulis. Nihil hujus fecit aut dixit circa Corpus suum. 4. Christus ipse comedit de pane illo, & bibit de poculo, *Non bibam amplius de genimine vitis hujus.* Sed quis dixerit eum suum ipsius Corpus & Sanguinem edisse & bibisse? *Consequentes* eodem respiciunt. 1. Cœna instituta est in Christi absentis memoriam; Ergo panis & vinum debent esse symbola & memorialia Corporis & Sanguinis ipsius, & sic non possunt nisi tropicè dici Corpus & Sanguis Christi. 2. Quia Christus vult ut per S. Cœnæ celebrationem annuncietur mors ejus usque dum veniat, At nec annunciari mors ejus in Cœna potest, nisi symbolicè; Nec ille qui venturus est tantùm ultimo die potest propriè dici adesse in symbolis, sed tantùm sacramentaliter. Quæst. XXVI.

X. Huc pertinet consideratio Discipulorum, quos Christus alloquebatur, qui non potuerunt alium sensum dare istis verbis, quàm tropicum. 1. Videbant eodem tempore Corpus Domini accumbentis mensæ, & panem quem acceperat, ut res separatas ab invicem, & quoad naturam, & quoad locum, ut fieri non posset, quin ideas diversissimas de illis conciperent. 2. Sæpe Dominum audiverant figuratè docentem, qui frequentiâ parabolarum eos assuefecerat isti loquendi modo, qui non nisi tropicè & per analogiam poterat intelligi, ut Matt. 13. & alibi Et si aliquoties tales locutiones proprie ab ipsis accipiebantur, sciebant à Christo se correctos fuisse, ut quum loquebatur de fermento Pharisæorum, Matth. 16. 1. de cibo qui illi edendus erat faciendo voluntatem Patris. 3. Tempus, in quo Jo. 4. 34. versabantur, negotium quod agebant erat mysticum, & figuris variis plenum. Nam in Sacramento Paschatis, quod Christus celebrabat, locutio ista tropica passim occurrebat, ut jam dictum, cujus idea menti ita se sistebat, ut non aliter intelligenda esse verba Christi in Sacramento, quod substituere volebat in locum Paschatis, facilè intelligerent. Non modò, quia passim Agnus vocabatur Pascha, & corpus ipsum Agni assum dicebatur, גוית פסח *Corpus Paschatis*, ut observat Celeber. Buxtorfi. Exerci. de Cœn. S. 250. quò Christum alluisse omnino verisimile est, sed etiam quia panis azymus, qui præbebatur à Patrefamilias, nomine panis miseriæ, qui manducatus fuerat in Ægypto, exprimebatur, *Hic est panis miseriæ, quem Patres nostri manducârunt in Ægypto*, quod sanè non aliter quàm figuratè intelligi potuit, quia erat symbolum & memoriale azymorum illorum, quos in Ægypto comederant. Ex quibus omnibus clarum est Apostolos non alium sensum, quàm figuratum, dare potuisse istis verbis. Imò nisi ipsis venisset hoc in mentem, panem vocari figuratè Corpus, quia symbolum esset Corporis, quomodo

Quæst. XXVI. 1. modo turbati non fuissent re tam prodigiosâ? qui in mimimis quibusque difficultatibus perplexi hærent, qui secum disceptant, quomodo Christus iturus esset ad Patrem, & quæstionem movent, quomodo abiturus esset è mundo, qui nihil intelligunt eorum quæ dicuntur de Patre cœlesti, quomodo tam faciles fuissent ad credendum, quod repudiat omnis ratio, Christum discumbere in mensa sub conspectu suo, & invisibilem includi sub pane? Quod ergo panem sine dubitatione edendo, consensum suum testantur, hinc apparet eodem quô nos sensu accepisse Christi verba, quia in illis occurrit, quod in mysteriis non debet videri insolens, nomen rei signatæ signo transcribi.

3. *Classis à naturâ & analogiâ Sacramentorum.*

XI. 111. Classis petitur à *Naturâ & analogiâ Sacramentorum omnium Veteris & Novi Testamenti.* Quia & natura Sacramenti postulat sensum tropicum, & analogia omnium Sacramentorum eum constanter retinet. Primò quoad naturam Sacramenti. Cùm ratio ejus formalis posita sit in significando, omnis autem significatio sit ἐκ τῶν πρός τι, & dicat esse relativum, involvit eo ipso locutionem figuratam & non propriam, ut antea dictum. Quod confirmatur inductione omnium Sacramentorum, unde pendet ejus universalitas. Et ad Sacramenta quidem Veteris Testamenti sive ordinaria fuerint, sive extraordinaria, in omnibus genus illud tropicæ prædicationis deprehenditur. *Circumcisio* dicitur *fœdus Dei* Genes. 17. 10. id est, signum fœderis, Deo ipso interprete ℣. 11. & Paulo Rom. 4: 11. *Agnus* Paschalis dicitur *transitus Jehovæ*, Exod. 12. 11. id est memoriale transitus, tum Angeli, tum populi ex ipsius Dei declaratione cap. 13. 9. *Petra* deserti dicitur *Christus*, 1. Corint. 10 4. quia Christum spiritualiter significabat juxta Apostolum, qui propterea illam spiritualem vocat. *Sacrificia* & *purificationes* legales dicuntur ablutiones & expiationes peccati Lev. 4. 31. & 14. 7. 8. id est, typi, umbræ, & signa veræ illius expiationis & ablutionis per Christum futuræ, Spiritu Sancto interprete Heb. 8. 5. & 10. 1. *Sabbathum pactum Jehovæ* appellatur, id est, signum pacti, ut Deus ipse exponit Exod. 31. 13. 17. *Baptismus* vocatur *lavacrum regenerationis* Tit. 3. 5. & ablutio peccatorum, quia est antitypus horum beneficiorum Christi ex Petri declaratione 1. Pet. 3. 21. Ex quibus à pari colligimus, cùm non possit nec debeat esse dispar ratio prædicationis in altero Sacramento, dari etiam sensum tropicum & non proprium.

Gen. 17. 10. 1. Exod. 12. 11. 1. Cor. 10. 4.

XII. Nec dicendum quoad Circumcisionem. Vel ברית non *propriè hic pactum notare, sed sigillum ac notam visibilem fœderis confirmativam, quæ fiebat per sectionem carnis, ut olim fœdera confirmabantur per sectionem animalium.* Quia repugnat propria significatio vocis, quæ passim pro pacto, nusquam pro tali sectione usurpatur. Repugnant verba ipsa text. ℣. 11. ubi dicitur *signum fœderis.* Vel fœdus dici, *quia erat conditio fœderis, quam Deus exigebat*

Gen. 17. 11.

gebat ab Abrahamo & posteris ejus. Quia licèt Deus exigeret Circumcisionem, ut officium Abrahami cum quo fœdus inierat, non exigebat eam ut conditionem propriam fœderis, quæ fuit fides & pœnitentia Genes. 12. 5. & 17. 1. Sed ut signum fœderis confirmativum tam à parte Dei, quàm à parte Abrahami, ut expressè dicitur à Deo ℣. 11. *Circumcidetis carnem præputii vestri, & hoc vobis erit in signum fœderis inter me & vos.* Vel *Fœdus seu Testamentum vocari propriè, quatenus vox Testamenti notat instrumentum Testamenti, & signum Testamenti, quatenus Testamentum notat Testatoris voluntatem.* Quia perspicuum est Circumcisionem vocari fœdus illud, cujus postea vocatur signum; Jam non potuit dici signum instrumenti Testamenti, sed ipsius Testamenti seu pacti. Deinde gratis supponitur, illud quod est instrumentum Testamenti, vocari Testamentum propriè & sine tropo; Quis enim non videt vocari instrumentum pacti metonymicè, quia voluntatem Testatoris continet, quæ verbis scriptis constat, quibus voluntatem significari moris est publici; Eodem sensu Circumcisio est fœdus, non quia illud continet, sed quia illud significat. Quæst. XXVI.

XIII. Quoad *Petram*, Non rectiùs dicitur *fuisse ipsum Christum*, & non significásse ipsum sacramentaliter. Ut sensus sit per inversionem locutionis, *Christus erat Petra.* Tum quia vocatur *Petra spiritualis*, tum quia dicitur secuta Israëlitas, quod de petra materiali dici non possit, sed optimè de Christo dicatur. Verba enim ipsa contrarium evincunt, agi scilicet de Petra materiali deserti, ex qua fluxerunt aquæ potandis Israëlitis, 1. Articulus relativus ἡ δὲ πέτρα, non aliam petram innuit, quàm illam, cujus mentionem proximè fecerat ex Mose Exod. 17. & Num. 20. quæ omnino fuit petra deserti. 2. Quia ex illa petra dicuntur omnes bibisse ℣. 4. etiam illi, quos Deus non acceptos habuit, & quos prostravit, quod dici nequit de Christo, ex quo qui edit & bibit non potest perire. 3. Quia eadem hìc est ratio mannæ; quæ petræ. At manna intelligitur non spiritualiter & propriè de Christo, sed sacramentaliter & figuratè de cibo materiali, quô vescebantur in deserto. Nec obstat quòd petra ista *spiritualis* dicatur, quia hoc non dicitur ex rei veritate, sed significante mysterio, & *propter intelligibilem utriusque significationem*, ut passim loquitur Augustinus, quatenus effusionem Sanguinis Christi in Cruce præfigurabat, quomodo exponunt *Lyranus*, *Carthusi. Gagneus*, Petra erat Christus, id est, significabat. Quod verò dicitur *secuta* Israëlitas, hoc non intelligitur propriè & per se, quasi ipsa Petra eos reapse secuta sit, sed impropriè & *per effectum*, nimirum per aquam ex petra scaturientem, quæ præsto fuit Israëlitis, ut notant Ema. Sà, & *Menochius*, vel quia obsequebatur ipsis, ut vox ἀκολουθούσης vertenda sit *obediente*, & sensus sit bibebant de Petra Israëlitarum desiderio obsequente per aquarum fusionem, ut post Photium volunt *Salmero* & *Justinianus*. 1. Cor. 10. 4.

QUÆST. XXVI.

nus. Inversio propositionis non potest hìc locum habere, ut Christus fiat subjectum, & Petra prædicatum. Nam scopus Apostoli, non est docere quid fuerit Christus, sed quid fuerit petra illa percussa in deserto, ut ostenderet, non dari prærogativam Christianis supra Israëlitas, quæ possit eos eximere à judiciis Dei, siquidem & isti Sacramenta habuerint nostris similia, & correspondentia, quibus Christus & ejus beneficia significata sunt qui est scopus Apostoli.

Exod. 12. 11.

XIV. Tertiò quoad *Agnum Paschalem*, perperam reponitur, *Non extare hanc phrasim, Agnus est Pascha in Scriptura; Nec verba illa* Pascha hoc Jehovæ *de Agno mactato & manducato enunciari, sed vel de Cæremonia, vel de Festo, vel de sacrificio transitus* ex ℣. 27. 1. Quia verba ipsa textus contrarium testantur ℣. 11. פסח הוא ליהוה *Pascha est Jehovæ*, ubi pronomen הוא refertur necessariò ad agnum, qui descriptus fuit in præcedentibus, & nomine שה insignitus fuit genere masculino ℣. 5. ubi vocatur תמים &c. Unde passim dicitur mactari & comedi Pascha, quod non nisi de Agno dici patet. Deus ipse sic exponit ℣. 13. *Hac nocte transibo per Ægyptum, & sanguis iste vobis erit in signum super domos in quibus eritis*; quatenus sanguis Agni debuit esse signum Israëlitis Deum domos suas intactas pertransiturum, dum domos Ægyptiorum percutiebat. 2. Si cæremonia ipsa vel festum hoc nomine designaretur, esset semper tropica locutio, quia talis cæremonia longè differt à transitu Domini per Ægyptum, qui semel fuit, & postea desiit. 3. Quod dicitur ℣. 27. de *Sacrificio transitus*, non est explicatio ℣. 11. *Pascha est transitus*, quia Deus ipse ℣. 13. aliter exponit. 2. Quia non agitur de eodem Agno, nam ℣. 11. agitur de agno, qui immolari debuit in Ægypto. Sed ℣. 27. *de illis*, qui immolari debuerunt in Canaan, ut expressè exponitur ℣. 25. 26. qui non potuerunt dici sacrificium transitus propriè, sed tantùm tropicè, quia erant signum illius & memoriale. Frustra etiam additur Agnum non posse dici signum, quia nulla fuit similitudo inter Agnum & transitum. Quia licèt in signis naturalibus debeat esse similitudo inter signum & signatum. Non necesse est eam semper dari in signis ex instituto, ut patet in Iride, in annulo, qui datur in matrimonii signum, non quia similis illi, sed quia ejus pignus. Bellarminus hoc agnoscit lib. 1. de Sacra. cap. 9. *Quædam signa nullam habent cum re signata similitudinem, & ideo tota pendent ab institutione.* Deinde neque hic defuit aliqua similitudo; Nam agni sanguine signabantur postes januæ in singulis domibus, in signum salutis.

4. *A locis parallelis.* 1. Cor. 10. 16.

XV. IV. Classis est Ex locis parallelis, quæ sensum figuratum & sacramentalem postulant. Primus locus est apud Paulum 1. Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne Communio Sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne Communio Corporis Christi?* Ubi Paulus explicans ver-

verba Christi, pro Corpore & Sanguine Christi, utriusque κοινωνίαν substituit, quod propriè & ἐξ τὸ ῥητὸν intelligi non posse, sed tantùm figuratè & sacramentaliter patet. Tum à pari, quomodo victimæ vocantur communio altaris ℣. 18. Vescentes victimis dicuntur κοινωνοὶ, seu socii altaris, & idolothyta dicuntur communio Dæmoniorum, & vescentes idolothytis κοινωνοὶ Dæmoniorum ℣. 20. 21. non aliter quàm tropicè & sacramentaliter ad significandam mysticam vescentium victimis & Idolothytis societatem cum altari & dæmoniis. Ergo non alio sensu panis & poculum vocatur communio Corporis & Sanguinis Christi. Tum ab effectu hujus communionis notato ℣. 17. qui est, quòd omnes ex uno illo pane participantes, fiant unum Corpus, quod non potest nisi sacramentaliter intelligi. Tum ab adjuncto, quia modus istius communionis cum Christo non est corporalis, sed spiritualis, qui proinde non nisi figuratè symbolis sacris potest tribui. Quæ 27. XXVI.

11. Ex 1. Cor. 12. 13. ubi fideles dicuntur per *unum Spiritum in unum Corpus baptizari, & potari in unum Spiritum.* Ubi Paulus copulat Baptismum & Cœnam tanquam pari. At in Baptismo ablutio, quæ fit per aquam, non est ablutio à peccatis per Sanguinem Christi propriè, & literaliter, sed tropicè tantùm & sacramentaliter. Eadem ergo debet esse ratio istius potationis. Rursus effectus utriusque tum Baptismi, tum Cœnæ, est unio Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. Sed unio illa est impropria & spiritualis, utpote à Spiritu procedens. Denique potatio ista debet esse communis omnibus fidelibus, tam sub Veteri quàm sub Novo Testamento. Sed potatio propriè dicta non potuit esse communis fidelibus Veteris Testamenti. Tertiò. Ex cap. 6. Joh. ubi mysterium manducationis Christi aperit, non sensu proprio & literali, quem expressè Christus ipse rejicit & damnat ℣. 62. 63. Sed spirituali & tropico, dum ostendit Carnem & Sanguinem suum, non aliter quàm fide percipi ad vitam æternam ℣. 35. 47. 54. ut postea fusiùs probabitur, quum agetur de manducatione Christi. Denique idem præcipuè colligitur ex institutione Calicis; Nam qualis est locutio ista, Hic calix est Novum Testamentum in Sanguine meo, talis debet esse ista, Hoc est Corpus meum, Hic calix est Sanguis meus. At esse impropriam & sacramentalem non diffitentur Adversarii, & res ipsa clamat. 1. Cor. 12. 13.

XVI. v. Classis petitur Ex *Analogia Articulorum fidei.* Quia sensus tropicus solus est fidei analogus, proprius verò cum variis fidei articulis pugnat. 1. Cum articulo de veritate humanæ naturæ Christi, quia Corpus multiplex formatum ex pane, vel sub eo latens incircumscriptè & indivisibiliter, non potest esse Corpus, quod Christus assumpsit ex B. Virgine per Spiritum Sanctum. 2. Pugnat cum articulo de unica Morte & Crucifixione Christi, quia si panis fractus & vinum effusum est propriè & literaliter Corpus Christi fractum, & Sanguis effusus pro nobis, Christum mori ne- §. Ex Analogia Articulorum fidei.

QUÆST. XXVI. cesse est quoties Cœna celebratur. 3. Pugnat cum Ascensione ejus, quia si reliquit Corpore suo terram & in cœlum translatus est; Ejus Corpus non potest esse panis, vel esse sub pane aut sub speciebus panis. 4. Pugnat cum ejus reditu ad judicium; Nam si Christus est panis Cœnæ, & sub ejus substantia ac speciebus latet, jam est in mundo, nec amplius expectari debet, cùm tamen usus Cœnæ nobis imperetur usque dum Christus veniat. 5. Pugnat cum Communione Sanctorum, quæ debet extendi ad fideles utriusque Test. quod fieri tamen nequit, si Communio Corporis Christi carnalis est & propria.

A Regulis sermonis. XVII. vi. Classis ducitur A *Regulis sermonis*, quæ non patiuntur in hoc argumento sensum proprium, sed figuratum necessariò postulant. Prima est, *Quando proprietas literæ involvit aliquid absurdi & contradictorii, confugiendum est necessariò ad sensum figuratum.* Quia cùm intellectus humanus non possit capere ut res sit, & non sit eodem tempore, cogitur ad figuram recurrere. Jam constat verba sacramentalia propriè sumpta & κατὰ τὸ ῥητὸν mille absurditates & contradictiones involvere, ut antea visum, & ulteriùs demonstrabitur in sequentibus, quum agetur de Transubstantiatione. Secunda, *Quando verba flagitium vel crimen imperant*, non possunt non esse figurata. Regula est August. lib. 3. de Doctrina Christi. cap. 16. *Quæ locutio flagitium vel facinus videtur præcipere, figurata est*, quam postea verbis sacramentalibus applicans ait, *Christus dixit, nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & nisi biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, videtur jubere flagitium, Est ergo figurata* &c. Cùm ergo verba ista hoc est Corpus meum juncta præcedentibus accipite, edite, præcipiant crimen, figuratè intelligenda sunt. Tertia, *Quando litera tribuit res Deo & Christo indignas, ad figuram recurrendum est*, quia fieri non potest, ut Verbum Dei aliquid præscribat, quod summæ illi Majestati sit injurium, imò quod non tendat ad ejus gloriam. Cùm ergo Corpus Christi dicitur id quod oculis videtur, manibus tangitur, quod indiscriminatim tam à bonis quàm à malis comeditur, quod obnoxium est innumeris accidentibus, quæ nequaquam digna sunt gloria & majestate Corporis Filii Dei; locutio inde figurata deprehenditur, quia pietas & divinæ Majestatis reverentia repugnat proprietati literæ. Quarta, *Quando subjectum non solùm facilè admittit figuram, sed etiam necessario postulat*, Verba enim sequi debent naturam rerum. Ita quando signo datur nomen signati, pignori nomen rei quam confirmat, causæ nomen effectus, medio nomen rei quam nobis communicat, nemo dubitat locutiones esse figuratas, quia signa naturaliter destinantur ad repræsentandam menti rei alterius ideam, pignora ad confirmandam fruitionem rerum quas cupimus, causæ ad producendos effectus suos, media ad communicandas res quarum

sunt

sunt media; Nemo quippe ea spectando in hoc usu, aliquo modo ea confundit cum rebus quarum sunt signa, pignora, causæ & media, & eo facilius quando similitudo inter ea intercedit. At Sacramentum Eucharistiæ non modò est signum quod repræsentat Corpus Christi, non modò pignus externum & visibile, quod ejus fruitionem spiritualem & invisibilem confirmat, medium quod nobis illud communicat, quodque vim ejus & efficaciam sensibilem nobis reddit, sed conjunctim signum, pignus & medium, quod similitudinem habet cum Corpore Christi; subjectum est ergo ubi figura locum habere debet necessariò. Quinta, *Quando scopus loquentis, causa, & occasio sermonis, status & dispositio Auditorum, locus & tempus ad figuram & tropum sponte nos ducunt.* Talia autem in hoc Christi sermone occurrere supra evicimus. Sexta ex Augustin. lib. 3. de Doct. Christ. cap. 37. *Ubicunque velut aliud dicitur, ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi in loquendi arte non inventur, Tropica locutio est.* At hic revera aliud dicitur ut aliud intelligatur. Panis dicitur Corpus Christi, ut intelligatur Sacramentum Corporis Christi, dicitur esse Corpus, ut intelligatur significare Corpus. Ex quibus concludimus Enunciationem istam non modò *posse* optimè & commodissimè figuratè intelligi, sed & *debere* necessariò ita sumi; Imò *non posse aliter* explicari sine gravissima absurditate, quia sensum funderet impossibilem & contradictorium, indignum Christo, & repugnantem naturæ rei, & scopo ac intentioni loquentis. Quæst. XXVI.

XVIII. Regula quæ hîc obtenditur ab Adversariis, per quam nolunt signo dari nomen rei significatæ, nisi postquam præparati sunt animi ad locutionem percipiendam, ut possint facilè capere rem de qua agitur, esse signum, sive per actiones, sive per verba, quæ eò ducant, pro nobis facit. Quis enim non videt Christum sufficienter præparâsse animos Discipulorum ad locutionem figuratam intelligendam? Tum ex iis quæ fecerat & dixerat in celebratione Paschatis, in qua hæc ipsa figura non semel occurrit. Tum in iis quæ fecit & dixit in institutione Cœnæ, quod enim accepit panem, benedixit, fregit, & distribuit, dicendo hoc est Corpus meum, satis innuebat non posse aliter intelligi, quàm figuratè. Nec si panis fractio & distributio sunt actiones communes & ordinariæ, quæ nihil habent per se mysticum; Sequitur hoc loco & tempore simpliciter accipiendas esse. Nam quæcunque fieri solebant in hoc sacro, mystica erant. Judæis familiare erat figuratè sumere quicquid in hoc festo vel fiebat vel dicebatur. Non ignorabant Agnum Paschalem esse signum, & verba quæ Paterfamilias proferebat super azymos, *Hic est panis miseriæ* &c. esse figurata. Rursus facta Christi à verbis non sunt separanda; quamvis actiones accipiendi, frangendi, & distribuendi panem non sufficiesset ad mentem Discipulorum disponendam, ut crederent Christum velle signum in-

Quæst. XXVI. stituere; Verba quæ statim addit satis superque hoc insinuabant, cùm alium sensum nisi absurdissimum & falsissimum non funderent. Nec alia ratione intelligi possit, quod dixit de poculo, *Hoc poculum est Novum Testamentum.* Adde quod si animi Discipulorum non erant sufficienter præparati ad capiendum sensum figuratum qui facilis est & planus; Quomodo disponi potuerunt ad capiendum sensum Transubstantiationis, sensibus, rationi, & fidei oppositum, & qui mille contradictionibus & absurditatibus scatet?

7. *Patrius.* XIX. VII. Classis continet *Testimonia Patrum*, qui hîc sensum tropicum agnoverunt; Pauca tantùm è multis speciminis ergò legimus, juxta seriem seculorum in quibus vixerunt *Justinus Martyr* qui an. 96. Christi conversus est ad fidem, & qui gloriatur in Epist. ad Diognetum se fuisse Apostolorum discipulum Apol. 2. describens Eucharistæ ritum, ait, *Postquam Præsidens gratias egit, qui apud nos Diaconi vocantur, distribuunt cuique præsentium panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Et hoc alimentum apud nos appellatur Eucharistia.* Et postea, *Non enim ut communem panem, aut communem potum hæc sumimus. Sed quemadmodum per Verbum Dei Caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem propter salutem nostram habuit: Sic etiam per preces Verbi quod ab eo est Eucharistiam factum cibum, ex quo per mutationem sanguis & carnes nostræ aluntur, ipsius incarnati Jesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Ubi loquitur de pane & vino post consecrationem, & de nutritione carnis, quæ ex iis fit. Unde sequitur juxta ipsum, panem & vinum non esse communem quoad usum, sed manere tamen quoad substantiam, & non converti substantialiter in Corpus & Sanguinem Christi, atque ita mutationem non esse naturæ, sed usus per significationem, quam vult utcunque accedere ad Incarnationem Christi per Unionem hypostaticam, licèt memorabile inter eas discrimen occurrat. *Irenæus* discipulus Polycarpi, Johannis discipuli, qui factus est Episcopus Lugdunensis, a. C. 140. lib. 4. adver. hær. c. 34. *Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non est communis panis, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Et lib. 5. cap. 2. *Eum calicem qui est creatura, Sanguinem suum qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem, & eum panem, qui est a Creatura, suum Corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora* &c. Clemens Alex. ejusdem seculi li. 2. Pædag. cap. 2. *Christus benedixit vinum & dixit, accipite, bibite, hoc est Sanguis meus, fructus utilis, sanctum enim Ecclesiæ fluentum, Verbum pro multis effusum in remissionem peccatorum, allegorice significat.* Tertullianus qui vixit sub finem secundi seculi

lib.

lib. 4. contra Marcio. *Acceptum panem & distributum discipulis, Corpus suum illum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est, figura Corporis mei.* Origenes qui circa a. 225. floruit in Mat. 15. exponens hæc verba, *Non quod in os ingreditur polluit hominem.* Sic loquitur de pane Eucharistico; *Non materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest, non indignè Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico symbolicoque Corpore. Multa porro & de ipso Verbo dici possent, quod factum est Caro, verusque cibus, quem qui comederit omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere* &c. Cyprianus Carthaginensis Episcopus, qui floruit circa annum. 240. epist. 76. *Quando Dominus Corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: Et quando Sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum, atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunata multitudinis copulatum.* Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui vixit an. C. 320. lib. 8. demonstrat. Evange. *Christus ipse divinæ œconomiæ symbola discipulis suis tradidit, jubens eos proprii Corporis imaginem facere. Cum enim non amplius attendere vellet ad sacrificia cruenta, neque ad ea, quæ apud Mosem in diversorum animalium mactatione Lege sancita erant, traderet autem pane uti symbolo proprii Corporis, convenienter splendorem & puritatem hujus cibi significavit* &c. Athanasius factus Episcopus an. 326. In illud Evangelii, quicunque dixerit Verbum contra Filium hominis, sic loquitur, *Quot enim Corpus ipsius ad esum sufficeret, ut totius orbis fieret alimonia? sed propterea ascensionis suæ in cœlos mentionem fecit, ut eos à corporali intelligentia abstraheret, ac deinde Carnem, de qua locutus erat, cibum e supernis cœlestem & spiritualem alimoniam ab ipso dandam intelligerent* &c. Macarius Ægyptius in eodem seculo hom. 27. dicit *in Ecclesia offerri panem & vinum antitypa Carnis & Sanguinis ipsius, & sumentes ex hoc pane visibili spiritualiter Carnem Domini comedere* &c. Chrysosto. qui sub finem quarti seculi vixit in Epist. ad Cæsarium Monachum contra Apollinarem, *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divinâ autem illum sanctificante gratiâ mediante Sacerdote, liberatus quidem est ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici Corporis appellatione, et signatura panis in ipso permanet* &c. Quæst. XXVI.

XX. Sed nemo disertiùs locutus est Augustino, qui lib. 3. de Doct. Christi. cap. 10. ubi agit de locutionibus figuratis hanc regulam assignat, *Quicquid in Sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse agnoscas.* Et cap. 16. Regulam istam ulteriùs explicans, *Si præceptiva est locutio*, inquit, *aut flagitium, aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam*

QUÆST. XXVI. *tiam vetare, figurata est*, Et verba Christi Joan. 6. referens, *Nisi manducaveritis*, inquit, *Carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, vitam in vobis non habebitis, facinus vel flagitium videtur jubere; figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quòd Caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Sic in Epist. ad Adimantum c. 12. *Non dubitavit Dominus dicere hoc est Corpus meum, Cùm signum daret Corporis sui.* Et in Epistol. 23. ad Bonifacium, *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est* &c. *Theodoretus* Cyri Episcopus anno Christi 423. in Dialo. 1. cui titulus ἄτρεπτος, *Qui enim, quod naturâ corpus est, frumentum & panem appellavit, is visibilia symbola Corporis & Sanguinis sui appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens.* Et Dialo. 2. ubi Eranistes Eutychianus conversionem Corporis Christi in ipsam Divinitatem urgens exemplo Eucharistiæ symbolorum, *Sicut symbola*, inquit, *Dominici Corporis & Sanguinis alia sunt ante sacerdotalem invocationem, post invocationem verò mutantur, & alia fiunt, sic & Dominicum Corpus post assumptionem in divinam naturam mutatum est.* Orthodoxus ad hæc respondet, *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es, neque enim mystica symbola post sanctificationem à sua natura discedunt: manent enim in priore substantia & figurâ & formâ, & visibilia & palpabilia sunt, qualia prius erant* &c. Gelasius Episc. Romanus circa annum 490. In Tracta. de duabus Naturis contra Nestorium & Eutychem, *Certè Sacramenta quæ sumimus Corporis & Sanguinis Domini divina res est, propter quod, & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, Et tamen esse non desinit substantia panis & vini. Et certè imago & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur.* Huic addere possumus *Facundum* Episcopum Hermianensem circa annum C. 552. lib. 9. qui excusare volens Theodorum Mopsuestenum, quòd dixisset Christum adoptionem filiorum suscepisse, quasi filium adoptivum Deicum censuisset, sic loquitur, *Potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus, non quòd propriè Corpus ejus sit panis, & poculum Sanguis, sed quod in se Corporis Sanguinisque mysterium contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem discipulis tradidit, Corpus & Sanguinem suum vocavit* &c.

XXI. Possunt alia plura afferri testimonia ex *Isidoro Hispalensi, Rabano Mauro,*

Mauro, *Carolo M. Christiano Drutmaro*, *Amalario Fortunato*, & aliis, qui nono seculo vixerunt. Sed hic satis erit audire *Bertramum* seu *Ratramnum* Presbyterum & Monachum doctissimum, qui circa annum 880. floruit, qui consultus à Carolo Calvo Rege Galliæ super quæstione, quæ tunc agitabatur, An panis & vinum in Eucharistia sint substantialiter Corpus & Sanguis Christi; An verò figura Corporis & Sanguinis Christi? Et An Corpus Christi ore fidelium sumatur, An in mysterio? Respondit in erudito Scripto de *Corpore & Sanguine Christi*, planè ex mente nostra, & sæpius inculcat Verba ista figuratè & sacramentaliter esse intelligenda, & panem & vinum Christi Corpus & Sanguinem figuratè existere; & recitatis ex August. Ep. ad Bonifacium verbis, sic ratiocinatur. *Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est: Ita Sacramentum fidei, fides est. Cernimus*, inquit, *quod S. Aug. dicit aliud esse Sacramenta, & aliud res, quarum sunt Sacramenta.* Et postea, *Et cùm unum sit Corpus Dominicum, in quo semel passus est, & unus Sanguis, qui pro salute Mundi fusus est. Attamen Sacramenta ipsarum rerum vocabula sumpserunt, ut dicantur Corpus & Sanguis Christi propter similitudinem rerum, quas innuunt* &c. Et lib. 3. sub finem. *Animadvertat Sapientia vestra, Clarissime Princeps, quòd positis sanctarum Scripturarum testimoniis, & S. Patrum dictis evidentissimè monstratum est, quòd non parva est differentia inter Corpus, quod per mysterium existit, & Corpus quod passum est, quia hoc proprium Servatoris Corpus est, nec in eo aliqua est figura &c. At in isto quod per mysterium geritur, figura est non solum proprii Christi Corporis, verum etiam credentis in eum populi.* Eum verò eandem, quam nos de Eucharistia fidem tuemur, adstruere, non diffitentur multi ex Adversariis, *Bellarminus, Maldonatus, de Valentia, Vasquez, Gamacheus* & alii. Licèt verò exinde purior doctrina diversimodè corrupta fuerit per errores Paschalii & sequacium ejus; Non defuerunt tamen varii, qui illis subinde se opposuerunt, quod factum imprimis à *Berengario* Ecclesiæ Andegavensis Archidiacono, Platinâ teste, Viro sanctitate & doctrinâ insigni, circa medium undecimi seculi, qui post Brunonem Ecclesiæ Andegavensis Episcopum, errorem Paschasii quà voce, quà scriptis, solidè oppugnavit, docens, *Per consecrationem panem & vinum non desinere esse substantialiter quod erant, nec propriè fieri Dominicum Corpus & Sanguinem, sed tantummodo Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus.* Licèt verò metu tormentorum & mortis ad palinodiam coactus sit, subscribendo Formulæ fidei ab Humberto Cardinali conscriptæ, relatæ à Gratiano in Decretis de Consecra. dist. 2. quæ incipit, *Ego Berengarius* &c. agnoscit tamen ipse hoc illi per vim extortum esse, teste Lanfranco ipso, ejus Adversario, & scripto publicè edito palinodiam suam revocavit, testi-

Quæst. XXVI.

QUÆST. XXVI.

ficans per vim à se extortam esse, ideoque Rom. Sedem non esse sanctam, sed Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis &c. Qui plura voluerit de Patribus circa hoc argumentum, consulat è Nostris Viros Celeberrimos, Joh. *Mestrezatium* de Communione cum Christo, *Chamierum*, *Albertinum*, *Witakerum*, *Claudium*, *Larroqueum*, & alios, qui post Martyrem, Calvinum, & alios Reformatores, fusè hoc sunt executi, ubi Exceptiones & objectiones Adversariorum referuntur & refutantur.

9. *Classis ab Adversariis.*

XXII. IX. Classis continet *Testimonia Adversariorum*, qui nobis favent. In *Decreto Gratiani* non pauca extant, quæ apertè eò respiciunt. Post recitata verba Prosperi Dist. 2. de Consecra. Can. *Hoc est. Sicut ergo cœlestis panis, qui Christi Caro est, suo modo vocatur Corpus Christi, cùm revera sit Sacramentum Corporis illius* &c. Glossa ibi habet, *Cœlestis panis, id est, cœleste Sacramentum, quod verè representat Christi Carnem, dicitur Corpus Christi, sed improprie; Unde dicitur* suo modo, *scilicet non rei veritate, sed significante mysterio, ut sit sensus, vocatur Corpus Christi, id est, significat.* Et ad Can. Panis est, dicit Glossa, *Habet similitudinem, id est, tantùm significat*, & sic alibi. Et ad Can. qui manducant, *Species panis & vini vocantur Corpus & Sanguis Christi, scil. significante mysterio.* Sic *Cajetanus* in 3. Tho. quæst. 75. art. 1. fatetur ex Evangelio nihil haberi, quod cogat verba sacramentalia, hoc est Corpus meum, sumere propriè, sed tantùm hoc doceri ab Ecclesia. *Non apparet*, inquit, *ex Evangelio, coactivum aliquod ad intelligendum hæc verba propriè* &c. Quæ ingenua confessio ita displicuit Pio V. ut in Editione Rom. jusserit eam deleri. Unde Perronius audacter dicit nihil tale apud Cajetanum legi. Bellar. lib. 3. de Eucharist. cap. 23. testatur, *Scotum* in 4. Sent. dist. 11. quæst. 1. fuisse in eadem sententia. Ad quam etiam accedunt *Durandus*, *Ockamus*, *Petrus de Alliaco* & alii in 4. Sent. dist. 11. Emanuel Sà in hæc verba, *Hoc est Novum Testamentum*, expressè dicit, *Verbum est poni pro continet vel significat.* Stapleto. in Antido. Evange. in cap. 22. Lucæ, *Poculum est Novum Testamentum quatenus illud confirmat, ut Circumcisio vocatur fœdus, quia erat eius confirmatio.* Thomas 3. 2. quæst. 78. *Hic est calix Sanguinis mei; est locutio figurativa* &c. Bellarm. lib. 1. de Euchar. cap. 11. *Non negamus in verbo* Calix *esse tropum.* & lib. 3. cap. 19. *Dominus accepit in manibus panem, eumque benedixit, & dedit discipulis, & de eo ait. Hoc est Corpus meum; Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit, hoc est Corpus meum.*

10. Ex hypothesi Adversariorum.

XXIII. Ultima Classis petitur Ex *hypothesi* ipsorum *Adversariorum*, qui dum tropicam locutionem oppugnant, in eam tamen non semel incidunt juxta sententiam suam. Quod tam in sententia Pontificiorum, quàm Lutheranorum facilè demonstratur. Quoad Pontificios, literam, seu πρῶτον

cos

eos non retinere clarum est. Quomodocunque enim hanc Enunciationem explicent, necesse est ut figuram hîc admittant. Sive τὸ *Hoc* referant ad id quod est sub his speciebus, sive ad id quod nondum est, sed mox erit sub finem prolationis; sive ad substantiam in generali, sive ad solas species, sive ad ipsum Corpus, sive ad individuum vagum & indeterminatum. Cùm enim τὸ hoc ex serie contextus verè & propriè nihil demonstret nisi panem, quem Dominus fregit & dedit; Certum est istas omnes expositiones non posse propriè, sed tantùm tropicè intelligi. Idem de copula *Est* dicendum, quæ aliis idem valet quod continetur, aliis idem quod erit, aliis idem quod fit vel convertitur & transubstantiatur. Et de *Corpore*, quod aliis significat Corpus Christi non quantum, aliis quantum, sed non extensum, aliis quantum & extensum, sed non situatum loco, quale corpus humanum nullum fuit, nec erit, nec pro nobis potest dici traditum. Plures etiam possunt afferri alii tropi, quos Pontificii coguntur hîc admittere. Ut in voce *Edite*, quam Bellarminus objicit ut *præceptivam*, adeoque opinione sua propriam, ad quam tamen Maldonatus. *Si proprie loqui volumus*, inquit, *propositio ista falsa est, Corpus Christi manducatur*, de Sacr. tom. 1. rationem dat Salmero tom. 9. tr. 10. *Quia realis manducatio requirit, ut res in partes dividatur, at Caro Christi est impartibilis, nec in Sacramento proprie manducatur; Figuratè ergo dicitur manducari, symbolo ejus, id est, specie panis, proprie manducatâ. Et figuratè dicitur sanguis bibi, in ejus signo nempe specie vini.* In verbo *frangitur*, de quo Suarez in 3. Tho. disp. 47. art. 1. *Non est vox hæc propria*, inquit, *sed metaphorica, quia fractio propria proprie significat divisionem & discontinuationem partium.* In verbo *Calix*, Hic est Calix Novi Testamenti, de quo *Salmero* tom. 9. tr. 25. *Calix sumitur pro contento in calice per metonymiam.* Et si sumitur pro sanguine contento in calice, tum est synecdoche, ut vult *Jansenius* Concord. Evang. pag. 910. In voce *Testamentum*, de qua Idem Jansenius ubi sup. *Non est propria locutio, quia Lex Evangelica in Epistola ad Hebræos dicitur Novum Testamentum.* Et Salmero, *Simul inest his verbis figura metonymiæ, quâ Testamentum Novum dicitur, cùm sit ejus symbolum.* In verbo *effunditur*, quod geminum tropum includit. 1. quoad rem Vasquez in 3. Tho. q. 78. artic. 3. disp. 199. *Ego existimo verbum dari, seu frangitur & effunditur, multò melius ad passionem & Crucem referri, quàm ad fractionem & effusionem Eucharistiæ.* Rationes addit varias, & istam inter alias. *Quia non est effusio Sanguinis in Eucharistia per modum sacrificii, sed repræsentatio & figura illius: in calice enim Domini non separatur Sanguis a Corpore Christi, ac proinde reipsa non effunditur.* 2. quoad tempus, *effunditur* ponitur pro *effundetur* per enallagem temporis, de qua Jansenius cum Salmerone & Sâ, *quia paulò* Qu. 17. XXVI.

QUAST. XXVI. *post effundendus erat.* Aliæ non paucæ possent addi, sed istæ sufficiunt ad demonstrandum falsò & perperam Pontificios jactare se retinere τὸ ῥητὸν, dum tot figuris dare locum coguntur.

XXIV. Lutheranos etiam non retinere τὸ ῥητὸν ex eorum sententiæ declaratione liquet. Nativo enim sensu τὸ *Hoc* seu subjectum notat panem, non Corpus, Copula *Est* veram ὕπαρξιν, seu esse κατηγορικῶς, Prædicatum *Corpus*, verum, naturale, & quantum Corpus Christi pro nobis traditum. At ab hoc sensu longè recedunt, sive verba divisim, sive conjunctim spectentur. Divisim, nam pronomen hoc demonstrat eis Panem, & Corpus in, cum, & sub eo; Vinum, & Sanguinem in, sub, & cum eo. Est, ab aliis exponitur, continet, ab aliis continetur vel exhibetur, ab aliis sacramentaliter sibi unitum habet. Corpus & Sanguis intelliguntur non quanta, invisibilia, illocalia, gloriosa etiam pro præsente Christi statu. Conjunctim quoque, Tum quoad ordinem & dispositionem verborum in Enunciatione, quæ sic pervertitur per eorum glossam, ut ex subjecto fiat prædicatum, & contrà ex prædicato subjectum. Nam cùm dicitur in pane vel sub pane esse Corpus Christi, in vino esse Sanguinem, perinde est ac si diceretur, Corpus Christi inesse pani, & Sanguinem ipsius inesse vino. Tum quoad sententiam ac significationem. Nam juxta eorum hypothesim, Enunciatio non tam declarat quid sit panis & vinum in Cœna, & ejus usu, quàm ubi sit Corpus Christi & Sanguis ejus.

Fontes Solutionum.

XXV. A proprietate verborum non est recedendum, ubi materia subjecta, scopus loquentis, antecedentia & consequentia eam requirunt aut ferunt. Sed nullum horum eam patitur in verbis Cœnæ, ut ostendimus. Tantùm abest, ut in Sacramentis proprietas verborum retineri possit, ut natura eorum necessariò postulet locutionem figuratam, quia ratio eorum formalis tota est in significatione. Cogimur à litera discedere multis articulis & analogiâ fidei, disertis verbis Concionis Christi apud Joan. 6. 62. 63. naturâ & analogiâ omnium Sacramentorum, ipsius Christi apertâ interpretatione.

XXVI. Non necesse est semper, ut in articulis fidei retineatur proprietas verborum, sufficit ut verba sint clara & perspicua, propriane sint an figurata parum refert. Quod vel ex articulis descensus Christi ad inferos, & Sessionis ipsius ad dextram Patris constat; Ita autoritas Ecclesiæ per claves Regni cœlorum designatur, & mysterium nostræ cum Christo unionis sermone figurato passim exhibetur.

XXVII. Aliud est esse proprium, Aliud perspicuum, Aliud esse *figuratum*, Aliud esse *obscurum*. Tantùm abest, ut figuræ & tropi obscuritatem sermoni inferant, ut potius ad eum illustrandum adhibeantur, Unde vocantur *Lumina Orationis*. Agnoscimus Christum debuisse in institu-

stitutione istius Sacramenti perspicuè, & juxta naturam rei loqui; Sed non ideo debuit loqui propriè, ut verba ejus κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda essent. Licèt verò potuisset si voluisset propriè loqui de Cœna dicendo, Panis est signum Corporis mei, ut de Circumcisione dixit, quòd sit signum fœderis, & sigillum justitiæ fidei, noluit tamen, partim quòd de Sacramento sacramentaliter loqui solitum est, & usitatum in Ecclesia, partim quòd omnes circumstantiæ sensum tropicum satis superque declararent, ita ut cæcos esse oporteat, qui eum percipere non possunt, & pervicaces, qui admittere nolunt. Quæst. XXVI.

XXVIII. Gratis supponitur Verba Testamentorum debere esse semper propria & non figurata. Nam in omnibus pene Testamentis, quæ in Scriptura recitantur, figuratæ occurrunt locutiones complures. In Testamento Jacobi Gen. 49. Mosis Deut. 33. 17. 20. Davidis 2. Sam. 23. & 1. Reg. 2. 6. &c. In Testamento Christi Luc. 22. 29. *Dispono vobis Regnum, ut sedeatis in mensa mea, & edatis ac bibatis*, quod non potest propriè intelligi. Verba Galat. 3. 15. nihil minus docent, quàm quòd verba Testamenti literaliter & sine tropo accipienda sint, præterquam quod enim, διαθήκη ibi non tam Testamentum quàm pactionem significat, qualis erat pactio Dei cum Abrahamo Gen. 15. 18. Verba ἀθετεῖν & ἐπιδιατάσσεσθαι improbant quidem ejus abolitionem, vel mutationem, sed non declarationem pactionis ei convenientem, sive propriam sive figuratam. 2. Cœna propriè non est Testamentum, sed ejus sigillum, In ea non declarat Christus supremam voluntatem suam, sed antea declaratam in Verbo, signat & confirmat. Gal. 3. 15.

XXIX. Licèt diversæ sint Theologorum nostrorum sententiæ circa sedem tropi, An sit in copula, seu verbo *Est*, An verò in prædicato, differentia non est in reipsa, sed tantùm in explicationis modo, Et res eodem redit, sive ponatur in prædicato, ut sit sensus, *Hoc est signum Corporis mei*, sive in copula, *Hoc significat Corpus meum*. Ita facilis est conciliatio, quia copula refertur ad prædicatum tanquam ejus pars sub quo vel actu continetur, quando Enunciatio est binaria, & nomine ac verbo absolvitur, vel potentia, quum ad illud refertur, ut syncategorema. Si copula sumitur propriè & ὑπαρξικῶς, prædicatum sumetur figuratè, si prædicatum sumitur propriè, copula sumenda erit figuratè pro significat. Quæ sententia nobis simplicior & tutior videtur, propter illud quod additur de Corpore quod frangitur, quod de Corpore ipso, non de ejus signo intelligi constat. Quamvis verò Copula sit vinculum partium Enunciationis, non minus tropus potest in eam cadere, quia est vinculum eo modo quô potest esse, vel proprie, si de rebus agatur, quæ inter se identificantur, vel tropicè, si de disparatis, qualia sunt signum & signatum. Licèt autem copula

Quæst. XXVI. nihil significet logicè ; non negari potest aliquid significare grammaticè juxta duplex esse quod potest significare vel absolutum & proprium, vel relativum & tropicum. Ita semper copula subjectum cum prædicato, sed eâ ratione quâ possunt inter se copulari. Simplicem quidem & communissimam habet significationem ; sed illa significatio potest admittere aliquam varietatem, quum notat unionem essentialem, ut panis est Corpus, vel accidentalem & relativam, ut panis est Corpus Christi.

XXX. Argumentum ab Unione personali ad sacramentalem non procedit. Quia hæc ab illa plus quam genere differt, utpote quæ in σχέσει & relatione signi ad signatum tantùm consistit, ut supra dictum, Non verò, ut fingitur, in utriusque copulatione, aut in conclusione unius cum alio. *Propositiones de Unione personali*, non malè *inusitatas* dici, ut pertendunt Lutherani, facilè concedimus; Utpote quarum exemplum nullum occurrit, nec in Scriptura, nec extra eam, idque tum propter rem subjectam, nimirum Personam, tum propter Unionem utriusque Naturæ hypostaticam. Sed quoad propositiones sacramentales negamus eas posse dici inusitatas ob modum prædicandi, quia nihil usitatius est, tùm in Scriptura, tum extra eam, quàm ut de signo affirmetur res significata, non quidem propriè tanquam disparatum de disparato, sed impropriè & tropicè, utpote cùm res quæ est signum, sit res signata tantùm repræsentativè.

XXXI. Propositio ista sacramentalis, *Hoc est Corpus meum*, non potest esse *synecdochica*, ut pertendunt Lutherani, quasi hoc non respiciat solum panem, sed *totum complexum*, atque adeò cum pane Corpus, quod in, cum, & sub pane continetur. Rationes sunt variæ. 1. Ex contextus serie, quia Christus solum panem accepit, fregit, dedit & dixit, Hoc est Corpus meum. Ergo etiam solum panem monstrat particula *Hoc*, nec aliud quippiam præcessit, quò possit referri. 2. A pari, quia Christus in enunciatione de altero symbolo signanter addit, *Hoc poculum est Novum Testamentum*. Ut ergo pronomine *Hoc* solum vinum necessariò est intelligendum, Ita & eodem solus panis intelligi debet. 3. Autoritas Pauli. 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus est Communio Corporis Christi*. De quo enim prædicatur Communio Corporis Christi, de eodem & Corpus Christi prædicatur. Sed illa de solo pane fracto dicitur. 4. Prædicatum quod sequitur, *Est Corpus meum*, *quod pro vobis traditur* de *hoc* enunciatur συνωνύμως ; Impossibile est autem id enunciari συνωνύμως simul de duobus disparatis ; ut sunt panis & Corpus Christi. 5. Synecdoche pugnat cum veritate historiæ, quæ testatur, Corpus Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum*, tunc non fuisse in pane, sed extra panem ad mensam, nec fuisse invisibile, sed visibile omnibus accumbentibus. Si ergo non fuit in

pane,

pane, non potuit per τὸ hoc in pane monstrari. Aliàs dicendum erit, vel Christum habuisse duo Corpora, unum visibile in mensa, aliud invisibile latens in pane, aut unum idemque Corpus Christi tunc fuisse simul visibile & invisibile, quod utrumque absurdissimum. QUÆST. XXVI.

XXXII. Quæ hìc opponuntur de constructione Grammatica, quia non dicitur ὅπως ὁ ἄρτος, ut dicendum erat, si ad panem solum respexisset, sed τοῦτο, non urgent. Quia nemo non videt pronomen τοῦτο non adjectivè, sed substantivè usurpari, & accipi δεικτικῶς ad significandam rem præsentem. Cujus exempla & in Scriptura, & in usu communi passim sunt obvia. Non magis facit ad rem, quod additur de ordinario loquendi modo, quum duæ res modo quodam conjunctæ demonstrantur & exhibentur, quarum una sensui est obvia, altera minus conspicua, tunc δεικτικὸν substantivè & subjecti loco positum, utrumque unitorum designare. Quia valet quidem quum de vasis seu receptaculis sermo est, sive quum certa & manifesta est rei nominatæ in re monstrata existentia. Sed panis non est Vas aut receptaculum Corporis Christi; nec probari potest Corpus Christi existere in & sub pane. Exempla ergo quæ afferuntur ad probandam synecdochen in verbis Christi longè sunt dissimilia. Nam omnibus illis exprimuntur ejusmodi unionis species, quæ supponunt coexistentiam duarum rerum eodem loco, quâ una sit vel contineatur in alia, deque ea constat, vel ex revelatione divina, vel ex sensu. Ideo quum nominatur vel monstratur res contenta nomine continentis, vel pronomine hoc, Synecdoche aperta est & in confesso, ut quum in Christo dicitur habitare omnis plenitudo Divinitatis Col. 2. 9. In specie columbæ fuisse Spiritus S. præsentiam, Mat. 3. 16. Ita quia ex sensu patet vinum contineri vase, unguentum pyxide, & infantem cunis, rectè dicimus, *Hoc est vinum*, *hoc est unguentum*, *hoc est infans.* Sed in Eucharistia res longè aliter se habet. Nam unio illa, sive coexistentia duarum rerum & inclusio unius in alia, non modò non est aperta, sed expressè negatur & controvertitur. Nec ullo argumento vel loco Scripturæ probari potest. Nisi ergo ostendant tam certum esse Corpus Christi esse in & sub pane, quàm est certum vinum esse in vase, infantem in cunis, unguentum in pyxide, exempla nihil probant. Nec enim prætensa synecdoche verborum efficit coexistentiam rerum; sed contrà coexistentia rerum efficere debet synecdochen verborum veram, & ex illa ista debet probari, non contrà.

XXXIII. Τὸ ἐκχυνόμενον quod legitur Lucæ 22. 20. non potest referri ad poculum, vel ad id quod in eo continetur scili. Sanguinem, quia sensus esset absurdus, *Hic calix*, id est, *hic Sanguis meus*, qui est in hoc calice, est *Novum Testamentum in Sanguine meo* qui pro vobis effunditur, Deinde sic sequeretur dari realem Sanguinis effusionem in Eucharistia, quod tamen ipsi negant, quibus Missa est sacrificium incruentum. Luc. 22. 20.

QUÆST. XXVI. tum. Tertiò, participium hoc non de calice dici, sed de Sanguine & reali ejus effusione facta in Cruce agnoscunt *Thomas*, *Cajetanus*, *Gorranus*, *Vasquez*, *Suarez*, *Ferus*, *Sa*, *Jansenius*, *Barradas* & alii plures. Hoc pacto præteritum, vel præsens ponitur pro paulo post futuro, ut sæpe alibi, effundit pro *effundetur* ut V. V. Nec casus diversitas obstat quo minus referatur ad vocem αἷμα, quia Scriptura Novi Testam. plena est ejusmodi enallagibus tum generis, tum casus. Matt. 28. 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτὸς pro αὐτὰ Luc. 9. 53. πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον, pro πορευόμενα. Luc. 5. 9. ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ἣν συνέλαβον, pro ἃς συνέλαβον. Apocal. 1. 4. ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος pro ἀπὸ τοῦ. Ita rectè potest referri τὸ ἐκχυνόμενον ad vocem αἷμα; Nec posse aliam esse mentem Lucæ, patet ex Matthæo & Marco, qui disertè hoc referunt ad αἷμα, hæc duo simul conjungendo τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

XXXIV. Quum τὸ ῥητὸν seu literalem sensum hîc non retinendum esse dicimus, hoc intellectum volumus de τῷ ῥητῷ *Grammatico* & *immediato*, & de literali sensu strictè ita dicto, qui ex prima & naturali verborum significatione oritur, & ut opponitur figurato, & tropico. Non verò de τῷ ῥητῷ *Rhetorico* & mediato, seu literali sensu latiùs dicto, relatè ad intentionem loquentis, & ad naturam rei, de qua ágitur. Hoc enim respectu literalis sensus non is tantùm dicitur, qui ex verbis propriis oritur, sed etiam qui ex verbis figuratis petitur, ut observavimus P. I. Lo. II. Quæst. XIX. de sensu Scripturæ. Et ita rectè dici potest literalem sensum in hoc negotio retineri, quum figuratum urgemus, quia intenditur à Spiritu Sancto, & respondet naturæ rei. Cùm enim natura signi quà signi consistat in significando, non potest verbum *Est* in alio sensu sumi quàm significativè, quod Bellar. lib. 1. de Euch. cap. 10. agnoscit, *Essentia*, inquit, *signi est significatio. Ideo in his sententiis Est significat esse, quia ipsum esse est significare.* Sed Pontificii hîc urgent τὸ ῥητὸν grammaticum, & sensum literalem strictè dictum, prout opponitur figurato, quo modo à nobis rejicitur.

XXXV. Aliud est Christum abrogâsse *figuras rerum* per adventum suum, quod concedimus; Aliud sustulisse *figuras verborum*, seu tropos Rhetoricos, quod negamus, quia videmus Christum frequenter usum fuisse tropis, & post Christum Apostolos, imò & omnes Christianos, quia sermo iis carere vix potest. At figura de qua agitur in verbis Sacramentalibus non est rerum, sed verborum, ut notum.

XXXVI. Licèt figura quæ ponitur in verbis Cœnæ sit *insolita quoad speciem*, quia nunquam panis dictus est Corpus Christi ante hoc institutum Sacramentum, non tamen insolita potest dici *quoad genus*, imò usitatissi-

usitatissima est, & è frequenti hominum usu, ut supra probatum. Quæst. XXVI.

XXXVII. Ex locutionibus figuratis non possunt extrui solidæ probationes, si obscuræ sint, & merè figuratæ, quæ alibi vocibus propriis non explicentur. Si verò tritæ sunt & usitatæ tam in communi quàm in sacro sermone, si propriè alibi redduntur, æque firmas probationes pariunt, ac locutiones etiam propriissimæ; tales autem esse locutiones Sacramentales pertendimus.

XXXVIII. Locutio *Hic est Filius meus dilectus*, nihil commune habet cum locutione sacramentali, *Hoc est Corpus meum*. 1. ex sensu Adversariorum, Quia illa est merè indicativa & speculativa, quæ demonstrat rem jam existentem & præsentem; nimirum notat quid esset Christus, non quid deberet fieri per ista verba. Sed ista juxta Pontificios debet esse pactica & operativa, quæ rem pronunciando producat. 2. Juxta nos, quia cùm in hac propositione agatur de Sacramento, agitur etiam de esse Sacramentali & relativo, quod non potest propriè intelligi. Sed ut in alia propositione agitur de propria persona Filii Dei, agitur de esse reali, quod ideo propriè, non figuratè debet intelligi.

XXXIX. Quamvis Pontificii consentiant in sensu proprio & non figurato urgendo. Ita tamen inter se dissentiunt de genuina istius sensus expositione, ut non modò nihil certi habeant in quo consistant, & innumeris absurditatibus inextricabilibus se involvant, sed & suis ipsorum telis conficiantur. Unde Catharinus Tr. 2. de verbis quibus conficitur &c. *Lector*, inquit, *consideret laborem & angustiam, usque pene dixerim ad necem, ferè omnium scribentium, dum rogati, quid significet pronomen illud* Hoc, *tot & tanta scribunt, & adeò varia, ut valeant ad insaniam redigere Lectorem nimiùm consideratum*; Nec difficile est hoc ostendere ex præcipuarum, quæ apud ipsos obtinent, sententiarum consideratione. Sunt qui cum Innoc. III. volunt, pronomen *Hoc* nihil demonstrare, quia à Sacerdote recitativè profertur & non formaliter & significativè. Sed refelluntur à Thoma, Suarezio, Vasquezio, & aliis. Quia nihil obstat quominus eadem verba narrativè & significativè proferantur; Nam quocunque modo proferantur, semper sunt signa rerum & conceptuum nostrorum, & sic aliquid significare debent. Adde quod hoc locum non potuit habere in prima eorum prolatione facta à Christo, quæ non potuit non esse significativa. Alii per τὸ *Hoc* intelligunt *Individuum vagum* & substantiam indeterminatam, quæ sub speciebus panis & vini continetur, cum Thoma, Durando, Cajetano, Bellarmino, & aliis, sed à Vasquezio, Maldonato, Holcot. Catarino, & aliis oppugnantur. Quia pronomen hoc demonstrativum, rem certam & determinatam semper designat. Alii volunt *Hoc* intelligi de *speciebus seu accidentibus panis & vini*, sed refutantur à Suarezio, Vasquezio,

Quæst. XXVI. Gamachæo, & aliis. Quia nec in recto dici potest, accidentia seu species panis & vini esse Corpus Christi, nec in obliquo, quia sic recceditur à propria verbi significatione, & aliud est dicere hoc est Corpus meum, aliud sub his speciebus continetur Corpus meum. Alii pertendunt designari *panem*, & verbum *est* transitivè sumi pro fit & convertitur, cum Bonaventura, Bessarione & aliis; Verùm his se opponunt Salmero, Vasquez, Suarez, de Valentia. Tum quia sic corrumpitur significatio verbi *est*, quod explicatur per *transit* vel *erit*, Tum quia admittenda erit figura, & Transubstantiationi locus non dabitur. Alii Corpus ipsum Christi intelligunt, vel ut actu præsens, vel ut futurum in fine prolationis verborum, quæ opinio est *Vasquezii*, *Maldonati*, *Alensis*, *Sanctesi*, & aliorum; Sed refelluntur à *Thoma*, *Bonaventura*, *Durando*, *Bellarmino*, & aliis, Quia pronomen hoc proprie demonstrat id quod est, non id quod fit, quia quod nondum est, non potest videri & demonstrari. At ante finem prolationis verborum conversio non potest dici facta, atque adeo non potest dici hoc demonstrâsse Corpus Christi, quia nondum ibi potuit esse. Cætera, quæ huc pertinent, in sequenti Quæstione excutientur.

QUÆSTIO XXVII.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

An in Eucharistia detur totalis Conversio substantiæ Panis & Vini, in Corpus & Sanguinem Christi, seu An Panis & Vinum vi verborum Consecrationis, in ipsum Corpus & Sanguinem Christi verè transubstantientur, externis tantùm speciebus Panis & Vini remanentibus? Neg. contra Pontificios.

1. QUamvis ex præcedentis Quæstionis discussione Decisio istius facilè fieri possit: Nam si semel certum sit & indubitatum Verba sacramentalia figurata esse & tropica, ut probatum est, cadit eo ipso Transubstantiationis dogma, quod unicè nititur verborum istorum proprietate, quibus realem conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi fieri pertendunt. Quia tamen Adversarii hoc figmentum, ut Helenam suam depereunt, & pro eo tanquam pro aris & so-

& focis animosè decertant, non est omittenda Controversiæ istius Tractatio. Quæst. XXVII.

II. Hic verò ante omnia audienda sunt verba Tridentinorum, quibus hoc commentum sanciunt. *Principio docet sancta Synodus*, sic loquuntur Tridentini, *& apertè ac simpliciter profitetur, in almo Sancta Eucharistia Sacramento, post panis & vini consecrationem, D. N. Jesum Christum verum Deum atque hominem, verè, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Et C. 4. *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hac Synodus declarat per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantiæ vini in substantiam ejus; quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia, Transubstantiatio est appellata.* Et Can. 2. Anathemate feriunt, qui contrà sentiunt. Hac brevitate artificiosè utuntur Tridentini, ad occultandam quæstionum molem immensam, & pugnas varias sententiarum, circa modum istius conversionis, quibus se mutuò conficiunt Doctores Pontificii, quas noluerunt, vel non potuerunt componere.

III. Hinc Status Quæstionis facilè colligitur. Primò, Non quæritur simpliciter de Præsentia Christi in Cœna; hoc enim pertinet ad aliam Controversiam, quæ post hanc tractabitur. Sed de Præsentia, quæ fiat per modum conversionis. Rursus, Non quæritur de modo istius Conversionis, de quo inter se adversis sententiis digladiantur Romani; Dum alii annihilationem panis, Alii conversionem ejus in Corpus Christi, manente tamen externâ ejus specie; Alii successionem Corporis in locum panis statuere malunt. Quas pugnas illis componendas relinquimus. Sed agitur de ipsa Conversione & Transubstantiatione, An uspiam detur? Denique, Non quæritur, An nulla fiat mutatio in pane & vino per consecrationem? Fatemur enim dari mutationem memorabilem, sed *moralem*, & quoad *usum*, seu significationem, quatenus symbola ista ab usu communi & ordinario elevantur ad usum sacrum & mysticum, ut non amplius sint alimentum corporis, sed sigilla gratiæ, pignora justificationis, & arrhæ salutis, non per destructionem naturæ, sed per additionem gratiæ, ut sint quod erant, & in aliud commutentur, ut quum ex cera fit sigillum, & limes ex saxo. Sed quæritur de *mutatione quoad substantiam*, An fiat realis conversio substantiæ panis & vini, in substantiam Corporis & Sanguinis Christi? An verum Corpus Christi verusque Sanguis, substantialiter sint præsentia sub speciebus, seu accidentibus panis & vini, per Transubstantiationem, quæ fiat vi verborum sacramentalium; Ita ut desinant esse panis & vinum, & sint reipsa Corpus & Sanguis Christi? Quod volunt *Status Quæstionis.*

QUÆST. XXVII. Pontificii. Nos negamus, & pertendimus, Panem & vinum, licèt mutentur quoad usum ex Dei institutione, retinere tamen semper substantiam suam, nec ullam mutationem, seu conversionem realem circa illa fieri. Quod triplici argumentorum Classe demonstramus. 1. à Sensibus. 2. à Ratione. 3. à Fide. Ut enim tres isti sunt modi, quibus ad rerum cognitionem pervenimus, si semel probatum est nullo horum modorum Transubstantiationem doceri; Imò ab his oppugnari & rejici, eo ipso invictè demonstratum erit, eam nullam esse.

Probatur non dari Transubstantiationem 1. A sensibus.

IV. Primò *quoad Sensus*. Quod plures sensus bene dispositi, & omnibus ad agendum requisitis instructi, uniformiter, semper, & ubique testantur; id verum esse necesse est. At post Consecrationem symbola esse propriè panem & vinum, non Corpus & Sanguinem, sensus testantur ὁμοθυμαδὸν. Ergo id verum esse necesse est. Aliàs dicendum esset nihil certi dari posse in rerum natura, & damnanda esset cum Academicis omnium sensuum fides, quod absurdissimum esse res ipsa clamat, Et delirium hoc solide refutat Tertulli. cap. 17. de Anima: *Quid agis*, inquit, *procaciissime Academice? Totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei Providentiam excæcas, qui cunctis suis operibus intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus.* Hoc autem Testimonium, quod hìc nobis perhibent sensus, eò firmius est, quod non est tantùm *negativum* ad excludendam præsentiam corporalem Christi, quia Corpus nec vident, nec sentiunt. Sed etiam *positivum* ad probandam veri panis substantiam, quam ex colore, figurâ, quantitate, gustu, & aliis ejus accidentibus colligunt. Nec hic unus vel alter sensus hoc testatur, sed quatuor, visus, tactus, gustus & olfactus inter se conveniunt, non circa objectum commune, sed proprium, non præcipitanter, sed attentè agendo, non in uno homine, sed in omnibus, non ex aliquo accidente tantùm panis & vini, sed ex omnibus simul junctis, non semel & ad momentum, sed perpetuò & semper.

V. Frustra excipitur. 1. *Sensus judicium ferre non posse de Mysteriis, quæ sint objectum fidei, quod sensus longè superat.* Nam quamvis certum sit sensus non posse judicare de rebus spiritualibus quà talibus, quæ in mysteriis fidei occurrunt, & quæ sunt supra sensus. Non sequitur, non posse consuli super rebus sensibilibus, visibilibus, quæ in mysteriis occurrere possunt. Nimirum duo Mysteriorum genera apprimè hic sunt distinguenda. Alia, quæ à rebus corporeis planè abstracta sunt, & quæ quoad omnes partes sunt mysteria, quæ per se nos latent, & longè superant & rationis, & sensuum sphæram. Hæc solius fidei objectum esse, non rationis aut sensuum esse, pertendimus, & ex sola Verbi revelatione, non ex rationis arbitrio, vel sensuum testimonio judicanda esse. Alia verò, quæ rebus corporeis

&

& sensibilibus involuta sunt & connexa, ut Mysteria Incarnationis, Resurrectionis Christi, & variorum miraculorum à Christo patratorum, quæ cum rebus spiritualibus annexas habent res sensibiles; de quarum veritate & certitudine sensus & ratio testimonium perhibere possunt. Talia mysteria pertendimus esse Sacramenta, in quibus proinde non sunt excludendi, sed audiendi sensus, quorum sunt proprium objectum. Si ageretur de Trinitate, fateor non audiendos esse sensus, quia hoc mysterium est longissimè supra sphæram eorum positum. Sed ubi agitur de pane & vino, quæ cadunt sub sensus, & quæ sunt proprium eorum objectum, quis dubitet eos de ejus natura legitimum posse ferre judicium? Vid. P. I. Lo. I. Q. XI. Quæ st. XXVII.

VI. 11. *Sensus aliquando falli; ideoque illis non credendum.* Nam præterquam quod non fallunt, ubi conditiones ad sensationem requisitæ reperiuntur. Si ex eo, quod sensus aliquando falluntur & fallunt, sequitur non credendum esse ipsorum testimonio in hoc argumento. Sequetur nunquam illis fidem esse adhibendam. Et frustra Christum ad eorum testimonium provocâsse ad veritatem resurrectionis suæ probandam, *Videte & palpate me* &c. Imò sequetur, Deum, qui tales sensus fallaces nobis dedit, causam esse erroris; Et excidere suo fine, qui fuit in Sacramentis fidem nostram sublevare ministerio sensuum, cùm per sensus fallaces hoc fieri non possit. Quicquid sit, certum est sensus non posse falli in hoc negotio. Quia non falluntur nisi ubi organum vitiatum est, aut medium non bene dispositum, aut objectum remotius est & obscurius, quàm ut clarè percipiatur, aut sensus ipsi inter se pugnant, ut quum Isaacus judicabat tactu & odoratu, eum qui petebat benedictionem esse Esavum, sed aures dicebant esse Jacobum; Aut quando signa sunt æquivoca, ut quum pro vero auro, aurichalcum, quod auri colorem habet, supponitur. Sed hìc nihil tale occurrit. Quia supponimus hominem sanum, organa sensuum integra, objectum proprium & in legitima propinquitate, medium ritè dispositum, sensus omnes unanimiter idem testantes, signa seu accidentia veri panis non ambigua, nec æquivoca, sed clara & certa, quæ nullam similitudinem habent cum accidentibus Corporis Christi. Sic impossibile est sensus falli, sumendo pro pane quod esset verum Christi Corpus. Imò contrà dubitare non debemus in illis esse certitudinem & veritatem summam, cùm suppositis omnibus ad agendum requisitis tanta semper uniformitate statuant verum panem & vinum esse. 111. Non rectiùs dicitur, *Sensus non posse judicare in hoc negotio, quia agitur de mutatione interna in substantia panis, quæ in sensus non incurrit, qui externis accidentibus inhærent.* Quia hoc nititur falsâ hypothesi, quòd accidentia realiter distinguantur à substantia, & possint ab ea separari, & seorsim subsistere. Cùm verò contrà certum sit inseparabilia

Quæst. XXVII. bilia esse à substantia, imò identificari realiter cum ipsa, quisquis videt accidentia substantiæ, eo ipso videt ipsam substantiam, quæ non aliter quàm per accidentia sua videri potest.

2. A Ratione. VII. 11. *Ratio* hìc est audienda, cum qua pugnat multifariam Transubstantiatio. Ratio sana docet Corpus unicum, unum etiam locum occupare, nec posse simul esse in pluribus locis, quia esset unum & non unum, à se ipso distans, & variis ac contrariis motibus obnoxium, quod nemo non videt esse ἀσύστατον. Docet de natura Corporis esse, ut habeat partes extra partes, quæ inter se situ differant, & quæ impenetrabiles sint. Corpus non posse dari, quod non sit quantum & extensum, cùm quantitas & extensio non differant realiter à substantia materiali, sed cum ea identificentur. Docet accidentia non posse esse sine subjecto, quia ut substantiæ est per se subsistere; Ita accidentis ratio formalis est esse in alio, seu illi inhærere. Et tantam esse eorum cum substantia communionem & dependentiam, ut nec ad momentum possint sine substantia existere, nec Corpora possint esse sine accidentibus suis & proprietatibus essentialibus. Docet denique conversionem unius rei in aliam non posse fieri, nisi cùm, substantiâ mutatâ, mutantur etiam ejus accidentia, immutato tamen manente mutationis subjecto, & nisi res in quam alia convertitur de novo producatur. Sed hìc contraria omnia occurrunt. Pertendunt scilicet in Eucharistia Corpus Christi esse simul in pluribus locis remotissimis, qualia sunt Cœlum & Terra, non occupatis tamen spatiis intermediis. Esse in cœlo glorioſum, in terra mille accidentibus obnoxium, In cœlo occupare certum locum, at in hostia nullum, sed esse in puncto ad modum spirituum, In uno loco moveri, in alio quiescere, In uno attolli, in alio deprimi. Dari Corpus quod non sit extensum, & quod dimensionibus suis careat, quod non habeat partes extra partes, sed cujus partes se invicem penetrent in puncto. Dari longitudinem, latitudinem, & profunditatem sine ulla materia lata, longa & profunda; quasi dari possit materia quæ non sit extensa, cùm ipsa in extensione consistat. Dari mutationem sine mutatione, conversionem scilicet rei, quæ esse desinit & annihilatur, in aliam quæ jam præexistebat, & quæ de novo non potest produci. Affirmant Accidentia panis & vini existere sine subjecto suo cui inhæreant, & contrario prodigio Corpus Christi existere sine suis accidentibus & proprietatibus essentialibus. Accidentia esse sine substantia, id est, non amplius esse accidentia, sed mutari in substantiam; quia per se subsistant, eosdem effectus cum substantia producant, & iisdem casibus sint obnoxia, gravia sunt & solida, corruptioni & putredini obnoxia, quæ vermes ex se generent, & in cineres convertantur, quæ instar panis Corpus ipsum nutriant & in substantiam nostram mutentur. Quæ omnia & alia id genus plura portenta, quæ recensere supersedemus, non tam naturæ sunt prodigia

digia, quàm humani ingenii figmenta absurdissima & ἀσύστατα, quæ Religionem Christianam apud infideles probro exponunt, Consectaria sunt portentosi Transubstantiationis dogmatis, quæ Ratio recta non modò non recipit, sed constanter illis adversatur. Quæst. XXVII.

VIII. Nec hìc reponendum 1. *Rationem non esse audiendam in rebus fidei, sed captivandam*: Nam licèt non diffiteamur mysteria fidei esse supra rationem, non censemus tamen esse contra eam, ut si non ex illa probari possit eorum veritas, sufficienter tamen ex ea evincatur eorum credibilitas. Deinde in mysteriis alia sunt, quæ unius fidei sunt objectum, & quæ à sola revelatione pendent; alia quæ annexa habent varia, quæ à sensuum & rationis testimonio pendent, quæque eorum possunt esse objectum, qualia sunt Sacramenta, quæ cùm duabus partibus constent, signo quod est visibile, & re significatâ, quæ est invisibilis, possunt & debent subjici sensibus, & rationi circa istam, etsi sola fides de illa judicet. In illis solam fidem esse audiendam damus, & rationem captivandam, sed non pariter in istis. Tertiò, ratio alia est cæca & corrupta quæ revelationi repugnat, & in eam insurgit; alia sana & bene constituta, quæ cum ea consentit & ei subordinatur. Illa penitus est abneganda, sed istam audire non modò licèt, sed & æquum est, quia gratia naturam non destruit, sed perficit, nec fides rationem excludit, sed supponit. Denique alia sunt vera & genuina fidei mysteria, quæ in Scriptura clarè traduntur; alia sunt falsa & adulterina, quæ non sunt revelationis divinæ effluxus & radii, sed humanæ ignorantiæ & cæcitatis fœtus. Quamvis ratio non sufficiat ad illa demonstranda, sufficit tamen ad istorum vanitatem & falsitatem retegendam. Tale esse Transubstantiationis figmentum pertendimus.

IX. 11. *Contradictiones, quæ objiciuntur, non esse veras & reales, sed tantùm apparentes, quia non tribuantur subjecto eodem respectu, sed diverso*, v. g. idem Corpus dupliciter esse considerandum, quà est naturale, & quà est sacramentale. Idem corpus esse dissitum à se ipso existente in aliis locis, non entitativè respectu corporis, sed localiter, quia est in pluribus locis; Unitatem autem rei non peti à loco. Sed quicquid afferatur ad fucum faciendum, non potest tollere veritatem contradictionis. 1. Quia diversi respectus non possunt locum habere, nisi dum conferuntur duæ res inter se, vel eadem res juxta varias χέσεις, quas potest induere. Sed hìc agitur de uno Corpore Christi, quod non nisi unam χέσιν hìc potest induere. Quod dicitur de esse naturali, & de esse Sacramentali, posset admitti, si per esse sacramentale intelligatur esse symbolicum & significativum panis, quatenus est Sacramentum Corporis Christi; Sed non ratione Corporis ipsius naturalis, de quo agitur, quia ut cujuslibet substantiæ primæ seu individuæ, unica est subsistentia, ideo duo oppositi subsistendi modi Corpori Christi non possunt

QUÆST. XXVII. possunt tribui, nisi corpus illud duplex statuatur. Quod additur de divisione locali, & non entitativa, non magis ad rem facit. Quia licèt unitas rei non pendeat à loco, tanquam à causa, pendet tamen ab illo tanquam à conditione necessaria existentiæ; Et divisio localis necessariò trahit divisionem entitativam, quia quod circumscribitur loco, ita est in illo loco, ut non possit esse in alio. Ergo si Corpus Christi est in cœlo & in terra, debet esse dissitum à se ipso, propter dissita loca quæ occupat.

X. Si additur, *Hoc tantùm implicare contradictionem, quod dicit rem esse & non esse. At quod dicit idem corpus in hoc loco, & simul in alio esse, non dicit corpus esse & non esse, quia non est affirmatio & negatio, ut esse debet in contradictione, sed duplex affirmatio.* Responsio facilis est, non esse sufficientem enumerationem. Contradictio enim non versatur tantùm circa essentiam subjecti, sed etiam circa ejus accidentia, & tam implicat dicere hominem simul esse album & non album, quàm esse & non esse. 2. Licèt in allata propositione videatur esse simplex affirmatio, implicitè tamen & virtualiter affirmatio est cum negatione. Nam corpus in loco esse, est intra terminos hujus loci esse: *Terminus autem est id extra quod nihil est accipere rei*, ut loquitur Philoso. lib. 4. Metap. c. 17. Unde quando idem corpus dicitur esse simul in alio loco, ponitur esse extra hunc locum, ac per consequens negatur esse intra illius terminos.

XI. III. *Eodem modo se habere accidentia ad subjectum, ac subsistentiam ad substantiam. Ut ergo subsistentia potuit separari a Natura humana Christi: Ita nihil obstare, quominus accidentia destituantur suâ inhærentiâ in subjecto, & per se existant.* Sed hîc confunditur duplex *subsistentia*, alia *independentiæ*, quâ substantia constituitur in esse substantiæ, alia *incommunicationis*; quâ substantia ponitur in esse suppositi. Illa potest separari à substantia, ut factum in Natura humana Christi, quæ debuit destitui istâ subsistentiâ, ut posset uniri hypostaticè Verbo. Sed illa nunquam, quia aliàs fieret accidens. Jam accidentia dicuntur eodem modo se habere ad subjectum, quô subsistentia independentiæ ad substantiam, non verò quoad subsistentiám incommunicationis.

XII. IV. Qui ex Philosophis recentioribus agnoscunt inseparabilitatem accidentium à subjecto, & identitatem realem quantitatis cum materia, aliud effugium quæsiverunt ad elabendum; Dum statuunt sufficere, ut superficies panis & vini remaneat; Et ut contactus, qui necessarius est ad actionem unius corporis in aliud, non potest fieri nisi in sola superficie, Ita illam solam esse, quæ sensus nostros afficit. Sed non feliciùs se expediunt. Nam si superficies sola remanet, quomodo Christus & Paulus toties illam vocaret panem & genimen vitis? Deinde licèt corpora non possint agere in alia corpora, & sic sensus nostros afficere, nisi per contactum, qui fit in sola superficie,

superficie, quis dixerit solam superficiem sine corpore posse illud efficere? Denique tantùm abest, ut à positione superficiei ad negationem corporeæ substantiæ argumentum duci possit; Ut contrà ex ejus positione necessariò sequatur positio Corporis, quia superficies non potest concipi sine extensione, nec extensio sine materia, cum identificetur realiter cum ipsa. Eoque magis, quòd non agatur solùm de superficie externâ totius hostiæ, sed etiam de internâ singularum ejus particularum. Quæst. XXVII.

XIII. v. Confugiunt ad Omnipotentiam velut ad sacram anchoram, ut sub hoc velo absurditatum & contradictionum portenta tegant. Dicunt, *Ea quæ afferuntur de essentia Corporis & ejus proprietatibus, vera esse in ordine naturæ, sed hic agi de eo quod Deus agit per omnipotentiam supra ordinem naturæ.* Sed non potest hac ratione solvi nodus. 1. Quia non agitur hic de eo quod Deus potest, sed de eo quod vult. Potentia Dei non est regula fidei nostræ, sed ejus voluntas. Licèt enim omnia sint possibilia Deo, non statim facit quæcunque potest, sed tantùm quæ vult. Ita non est urgenda Dei omnipotentia absque ejus voluntate, & contra eam, sed primò inquirendum est de ejus voluntate, ad quam exigenda est ejus omnipotentia, respectu eorum quæ fieri debent. 2. Omnipotentia se extendit ad omnia possibilia, sed non ad ea quæ sunt impossibilia, qualia sunt quæ contradictionem implicant, quæ non magis potest dici Deus posse, quàm non potest dici eum mentiri & peccare posse. Nec ista sunt potentiæ, sed defectus & imperfectionis, quæ non modò Deus non potest facere, sed quæ ne quidem potest velle, quia sapientiæ, sanctitati, & veritati suæ contraria sunt, & legibus à se positis in natura repugnant. Unde impossibilitas non tam se tenet à parte Dei, quàm à parte rei, quæ non potest fieri. Imò cùm potentia extendatur tantùm ad res quæ fieri possunt, & contradictorium ac impossibile non sit aliquid, sed merum nihil, non potest cadere sub Dei potentiam. Frustra ergo hic distinguitur ordo naturæ, ab eo qui est extra naturam. Nam licèt fateamur Deum posse operari supra ordinem naturæ, negamus tamen omnipotentiam ejus extendi ad ea quæ sunt contra naturam, & ordinem in ea positum, quia non potest mutare naturas rerum, & ordinem à se positum evertere.

XIV. Quod Deus potest cum causis secundis, id etiam potest sine illis in eodem genere causæ, nimirum vel efficientis, vel finalis; quia cùm Deus sit primum agens & ultimus finis, potest supplere defectum utriusque, & nihil in eo involvitur imperfectionis. Sed alia ratio est causæ materialis & formalis, quam Deus non potest supplere, quia nec potest esse pars corporis, nec informari, vel informare. Non potest etiam fungi vice subjecti, cujus est in se recipere formam aliquam essentialem aut accidentalem, quia est simplicissimus & perfectissimus. Unde licèt Deus possit facere acci-

QUÆST. XXVII.

dentia cum subjectis suis; Non sequitur pariter & illa posse producere sine illis, non ex defectu potentiæ, sed ex rei incompossibilitate. Deus potest facere quicquid mens potest concipere, quia animus non extenditur ultra potentiam divinam. Sed mens non potest concipere accidens, quod sit sine subjecto suo. Potest quidem concipere accidens non concepto subjecto suo per abstractionem mentalem. Sed non potest concipere accidens existere actualiter sine subjecto suo; quia cùm res sit impossibilis, est purum nihil, quod proinde concipi nequit.

3. *A Testimonio fidei.*

XV. 111. *Fidei Testimonium* præcipuè huc facit, quod confirmat Testimonium sensuum & rationis, & quod non minus Scripturæ & analogiæ fidei Transubstantiationis figmentum repugnare docet, quàm sensibus & rationi. Huc pertinent ea omnia argumenta, quæ ex Scripturis allata sunt in præcedenti Quæstione; quibus sequentia addimus. 1. Ex locis ubi symbola Eucharistica idem nomen retinent post consecrationem, quod habebant antea, puta nomen Panis & Vini; quod non fieret, si vi verborum consecrationis desinerent esse panis & vinum, & mutarentur in Corpus & Sanguinem Christi. Probatur primò ex verbis Evangelistarum, qui expressè referunt Christum id dedisse Apostolis post consecrationem, quod ante eam acceperat & fregerat; Nihil aliud autem acceperat & fregerat quàm panem. Christus, accepto pane, & gratiis actis, illum fregit, & dedit discipulis, dicens, *Accipite, edite*, idem ergo panis qui acceptus fuit & fractus, fuit etiam datus. Confirmatur ex eo quòd non tantùm panis dicitur, sed cum pronomine demonstrativo *Hoc*, id est, ille panis quem Christus acceperat & porrigebat discipulis. 2. Christus vinum quod dabat bibendum vocat *fructum vitis*, Matth. 26. 29. *Non bibam amplius ex hoc genimine vitis*, Vel ut Marcus cap. 14. 25. loquitur in genere *ex genimine vitis*, ut innuatur hic intelligi propriè vinum, quod à vite producitur, quæ verba non tantùm de calice Paschali dicta esse, ut refert Lucas cap. 22. 18. sed etiam de calice Eucharistico testantur Matthæus & Marcus. 3. Paulus 1. Cor. 11. sæpius id quod Christus discipulis dedit vocat panem ℣. 23. 26. 27. 28. quoties manducaveritis τὸν ἄρτον τοῦτον, *hunc panem*, ℣. 27. quisquis ederit hunc panem ℣. 28. probet quisque se ipsum, & sic edat *ex pane* &c. Quorsum verò toties Paulus sine ulla limitatione vocaret panem, si non amplius est panis? Nonne hac in parte occasionem errandi præbuisset fidelibus, credendo verum esse panem, quod nihil minus erat quàm panis? Ita cap. 10. 16. *Panis quem frangimus, nonne est Communio Corporis Christi?* Quod de pane post consecrationem debet intelligi, quia post eam tantùm potest esse Communio Corporis Christi.

1. *Cor.* 11. 26. 27.

XVI. Non juvat excipere. 1. *Nomine panis phrasi Hebraïcâ cibum quemlibet designari.* Quia si hoc sensu usurparetur, non deberet distingui

gui à poculo, quod sit tamen expressè à Paulo; nam panis in generali illa significatione cibum & potum significat. 2. Quia pronomen relativum, quod additur à Paulo, quando vocat *panem hunc*, & *hoc poculum*, ostendit se intelligere illum panem, de quo dixerat in versibus præcedentibus, Christum accepisse panem & dedisse discipulis. 3. Idem judicandum est de pane post consecrationem, quod de poculo. At non significat quemlibet potum, sed præcise, *fructum vitis*, teste Christo. Ergo nec panis significat quemlibet cibum. 11. *Corpus Christi vocari panem, quia antea fuit panis, qui in substantiam panis conversus est*, ut Eva dicitur *os de ossibus Adami* Gen. 2. *Homo vocatur terra & cinis*, Gen. 3. *quia ex terra formatus est*. Et Exod. 7. *Serpens in quem conversa est virga Aaronis, quæ devoravit serpentes Magorum, dicitur virga, quâmvis tum cùm devoravit, non amplius esset virga, sed serpens. Et sic sæpe Scriptura mutato statu nomen retinet antiquum, ut cæci videre dicuntur, & claudi ambulare*, id est, *qui tales fuerant*. Nam panem non posse poni pro Corpore Christi, colligitur ex eo, quod Paulus loquitur de pane, qui frangitur; & qui sit Communio Corporis Christi. At nec Corpus Christi potest dici frangi, quia non est passibile, nec Communio Corporis sui. 2. Per Eucharistiam vel intelligitur Corpus Christi, vel accidentia, vel utrumque simul. Sed de istis tribus falsum est ea vel panem unquam fuisse, vel ex pane esse facta. 3. Cùm mutato statu retinetur aliquando nomen antiquum, hoc fit tantùm, ubi res quæ mutatur, manet semper quoad materiam, nam eadem materia seu res quæ fuit os Adami, facta est Eva, eadem quæ prius erat virga, facta est serpens, & sic de cæteris. Sed hìc panis absolutè interit & esse desinit. 4. Homo vocatur cinis & terra, quia de terra formatum est Corpus ejus; Sed Corpus Christi non est formatum de materia panis. Adde quòd in formatione humani corporis non remanserunt nuda accidentia sine subjecto, ut hìc volunt fieri. 5. Virga Aaronis in serpentem conversa, non dicitur virga tantùm, quia prius virga fuerat, sed etiam, quia statim in pristinam formam erat reditura, & quia cùm Moses scribebat hanc historiam erat revera virga, & non amplius serpens. Deinde in illa conversione, non statuuntur accidentia sine subjecto, nec latuit serpens sub accidentibus virgæ, sed visus est serpens, & affecti sunt oculi, donec in pristinam formam rediret. Denique Corpus Christi nunquam fuit panis, ut serpens fuit virga; Et serpens in quem virga conversa est non præexistebat. Hìc verò volunt panem converti in Corpus jam præexistens. Addimus formationem hominis ex terra, & conversionem virgæ in serpentem expressè doceri in Scriptura. At de conversione panis in Corpus Christi nihil legimus. 111. *Intelligi panem cœlestem & spiritualem*, ut Joan. 6. *non verò terrenum*. Sed ut antea dictum, non alius panis intelligitur, quàm ille

Quæst. XXVII.

Quæst. XXVII. quem acceperat, & quem pronomine relativo per hunc panem innuit. Acceperat autem panem terrenum, non cœlestem, panem qui potest frangi, panem qui potest ad judicium comedi, quod de pane terreno, non spirituali, dici constat.

2. *Ex Verbis sacramentalibus.* XVII. Secundò, Idem patet ex Verbis sacramentalibus, *Hoc est Corpus meum.* Licèt enim Adversarii palmarium suum argumentum inde petant; facilè ostendi potest non modò non favere ipsis, sed & causam ipsorum jugulare. 1. Quia pronomen *Hoc* non aliud notare potest, quàm panem ejusque substantiam, ut antea probatum, ex serie verborum Christi. 2. Quia particula causalis *Enim*, quæ additur in Canone Missæ, ostendit rationem mandati quod dederat discipulis, accipiendi & edendi hoc, id est, hunc panem quem illis porrigebat, eo quòd esset Corpus suum, id est, non panis communis & ordinarius, sed sacer & mysticus, Sacramentum scilicet Corporis sui. 3. Ex hypothesi Adversariorum, qui pertendunt vi istorum verborum fieri transubstantiationem, quod autem Corpus Christi demum fit iis verbis pronunciatis, illud nondum pronunciatis verbis, Corpus nondum erat. 4. Verba Christi non patiuntur ullam conversionem substantialem; quia Christus non dicit hoc *fieri* Corpus & Sanguinem, quod dicendum fuit ad conversionem designandam, sed simpliciter enunciat, quod jam erat, non verò jubet, vel declarat quod fieri debeat. Ita verba declarant quid sit panis, sed non in quid mutetur. Nec ullum exemplum dari potest in quo Verbum *est* importet aliquam operationem, ut deberet hìc fieri. Deinde, quia dici præsupponit esse, proinde propositio illa vera esse non potuit, nisi Corpus jam fuit, priusquam Corpus diceretur. 5. Quia panis substantia nec conversa fuit in Corpus integrum, nec in fractum; Non in integrum, quia tale non est pro nobis datum, non in fractum, quia cùm Christus verba ista pronunciavit, corpus non fractum, sed integrum adhuc erat. 6. Si verba illa habent vim conversivam, accidentia panis & vini, super quæ Christus verba illa pronunciavit, in accidentia Corporis & Sanguinis Christi mutata essent, non minus ac substantia panis, nulla enim potest afferri discriminis ratio.

XVIII. Præter exceptiones ante allatas, novum figmentum excogitavit Cardinalis Perronius, quem sequitur Arnaldus, *significationis transitoriæ & permanentis*, ut in principio quidem pronunciationis Verborum, *τὸ Hoc* denotet panem, quem dabat discipulis, sed in fine prolationis mutatâ derepente significatione, non significet panem, ut in initio, sed Corpus ipsum Christi. Atque ea ratione facilem viam arbitrantur se invenisse ad dissolvendos nodos insolubiles qui hìc nectuntur. Sed si propius expendatur hoc commentum, nihil eo vanius, nihil absurdius dici potest. Nam qua tandem ratione nobis unquam probabunt, eandem vocem in eodem

eodem sermone positam & prolatam sine ulla mutatione duplicem & longè diversissimam significationem obtinere, unam in principio, aliam in fine prolationis Enunciationis? Imò pertendimus rem esse planè inusitatam & insolitam, cujus nullum proferri potest exemplum, nec apud sacros, nec apud profanos Scriptores. Nam quæ afferuntur ab Adversariis; efficta ab ipsis nullum in Scriptura fundamentum habent. Quum dicunt Deum potuisse dicere mutando uxorem Lothi in statuam salis, *Hoc est sal*, & quum Moses mutavit aquas in sanguinem, *hic est sanguis*. Et quum Christus mutavit aquam in vinum, poterat de aqua conversa in vinum dicere, *hoc est vinum*. Nam præterquam quod hæ sunt meræ fictiones, quis non videt, quàm sint alienæ ab exemplo nostro? Verba enim ista Hoc est sal, hic est sanguis, sunt merè declarativa rei, quæ jam erat, non conversiva unius substantiæ in aliam. Deinde res erat nota, quæ cuivis obvia in sensus incurrebat, ut de ea nullum dubium superesse posset. Sed hîc contrà urgetur sensus obscurus, intricatus, & qui nemini unquam in mentem venire potuit. Quæst. XXVII.

XIX. Tertiò, *silentium Scripturæ* magni apud nos debet esse ponderis. Quis enim credat tot miracula fieri quotidie & ubique ministerio hominum, & ex constanti constitutione Ecclesiæ, & tamen Christum & Scriptores sacros nihil de iis dixisse; Si verum est hoc dogma inter primaria & fundamentalia Capita fidei reponendum esse; Illos qui locuti sunt de conversione virgæ Mosis in serpentem, de conversione aquarum Ægypti in sanguinem, de mutatione aquæ in vinum in nuptiis Canæ; Ne verbum quidem dixisse de mutatione, maximè momentosâ, extraordinariâ, & incomprehensibili? Ut fideles, quibus imprimis expedichat hoc cognoscere, de eo docerentur, nec ex ejus ignorantia in gravissimum errorem inducerentur, & in discrimen salutis. Eoque magis quòd non defuerunt illis occasiones variæ commodissimæ, in quibus non modò poterant, sed & debebant ejus meminisse. 3. *A silentio Scripturæ.*

XX. Quartò, Figmentum hoc destruit essentiam Sacramenti, quæ elementi externi præsentiam, non annihilationem postulat. At Transubstantiatio destruit *Signum* ejus, dum panis & vini substantiam abolet, relictis speciebus, quæ absque proprio subjecto spectra potius sunt fallacia, quàm rerum divinarum infallibilia testimonia. Evertit *Signatum*, Corpus Christi spoliando suâ quantitate, & dimensionibus, & pro uno multiplex inducit. Abolet *Analogiam sacramentalem*, quia relationis sacramentalis fundamentum tollit, nam ubi signum in rem signatam convertitur, omnis inter illa similitudo desinit. Frustra reponitur. 1. *Non destrui esse relativum signi, etsi aboleatur esse naturale.* Quia cùm esse relativum & sacramentale fundetur in esse naturali, & absoluto, uno sublato non potest non alterum tolli. Hîc autem supponitur tolli substantiam panis seu 4. *Analogia Sacramenti.*

Quæst. XXVII. ejus esse absolutum; Ergo necessariò debet destrui esse ejus relativum & sacramentale. II. *Panem & vinum non esse signa, sed vel accidentia panis & vini, Vel Corpus & Sanguinem Christi, prout continentur sub accidentibus panis & vini, quæ sint signa Corporis Christi crucifixi.* Quia nec accidentia panis & vini, nec Corpus & Sanguis Christi, sive seorsim, sive conjunctim, habent analogiam quæ requiritur inter signum & signatum, quæ potissimùm in nutritione corporis spectatur, ad quam nihil possunt conferre, vel accidentia, vel Corpus Christi, sed sola panis & vini substantia. Deinde cùm omnis relatio sit tantùm inter duo, Corpus Christi non potest esse signum sui ipsius; Nec respectus Christi, ut est in Cœna, vel ut fuit in Cruce, obstat quominus idem sit Christi Corpus, quod proinde nec referri ad se ipsum potest, nec esse signum sui ipsius. Denique cùm Corpus Christi sit res ipsa significata, non potest ulla ratione & quomodocunque consideretur, habere rationem signi.

5. *A natura conversionis.* XXI. Quintò, Destruit naturam veræ *Conversionis*; Nam in omni Conversione tria requiruntur. 1. Ut res in quam alia convertitur semper de novo producatur. 2. Ut res quæ mutatur, destruatur, nec amplius ejus proprietates & effecta deprehendantur, ut quum aqua in vinum conversa est, nullæ amplius proprietates & effecta aquæ deprehensa sunt, sed tantùm vini. 3. Ut sit subjectum quod transeat ab una substantia in aliam, sola quippe Creatio est quæ nullum supponit subjectum, sed facit. Sed hæc tria in Transubstantiatione desunt. Primò, Corpus Christi in quod panis supponitur converti, non potest dici produci, quia jam præexistebat. Nec solvitur nodus si dicatur, sufficere ut Corpus Christi acquirat novam præsentiam ad locum, ubi erat panis & vinum, illis succedendo, etsi non acquirat novam substantiam, quam antea non habuisset. Quia sic non esset conversio substantialis, sed accidentalis, cùm nova præsentia Corporis Christi in loco panis non sit substantia, sed accidens. Secundò, Panis non potest dici destrui, quia proprietates & effecta ejus adhuc deprehenduntur, qualia erant ante Consecrationem, nec ulla effecta vel proprietates Corporis Christi percipiuntur. Undecertò colligi debet, nec panis substantiam destructam esse, nec Corpus Christi in ejus locum successisse. Tertiò, nullum subjectum in hac conversione manet, Non *panis* substantia, quia supponitur destrui & aboleri; Non *accidentia* panis, quia illa sunt in subjecto, sed non ipsum subjectum. Non *Corpus* Christi, quia ex eorum hypothesi est terminus ad quem subjectum transit, quodque ideo differre debet à subjecto.

6. *A Baptismo.* XXII. Sextò, In Baptismo aqua non transubstantiatur in Sanguinem Christi. Ergo nec in Cœna panis in Corpus Christi. Antecedens conceditur à Pontificiis, Consequens probatur ex similitudine, quæ est inter Cœnam & Baptismum. 1. Utrumque est Sacramentum Novi Testamenti.

menti. 2. Utrobique nobis proponitur arctissima nostri cum Christo Communio. 3. Utrobique exhibetur remissio peccatorum in Sanguine Christi. 4. Utrobique phrasi sacramentali nomen rei tribuitur signo; nam ut panis dicitur Corpus Christi; ita baptismus lavacrum regenerationis. 5. Non est aliquid majus aut mirabilius nuttiri in vitam æternam, quàm in ea regenerari. Si illud non capiebant Capernaïtæ, neque istud capere poterat Nicodemus, quamvis Pharisæus & Legis Doctor. Nec reponi debet, non dictum fuisse à Christo de aqua baptismi, hoc est Sanguis meus, ut in Eucharistia dictum est, Hoc est Corpus meum. Quia, ut antea probatum est, verba ista non favent Transubstantiationi, Et quæ dicuntur de baptismo, quòd sit lavacrum regenerationis, & quòd nos servet, æquipollet formulæ Eucharisticæ. QUÆST. XXVII.

XXIII. Septimò, Ex *Discordia Adversariorum*, qui inter se nondum convenire potuerunt, quo modo panis fiat Corpus Christi. Hinc acres contentiones visæ sunt in ipsa Synodo hac de re inter Dominicanos & Franciscanos, quorum illi volebant *mutationem* Corporis *productivam*, Isti verò, uti loquebantur, *adductivam*, sed in instanti, quâ Corpus Christi per Consecrationem è cœlo adducatur in terram; non motu successivo, ut unum locum deserat, & alium acquirat, sed in momento, ut posteriorem locum acquirat, etsi priorem amiserit. Sed utrique absurditatibus inextricabilibus sese involvebant ut ipsimet agnoscunt, dum alii in alios insurgunt. Nam quoad *productivam mutationem*, quam tuebantur Dominicani, solidè Franciscani eam impugnabant. 1. Quia quod producitur, ante actu non erat, quod de Corpore Christi dici non potest. 2. Corpus producendum fiet vel ex nihilo, infinitâ Dei potentiâ, vel ex substantiâ panis Eucharistici, quorum neutrum dici potest, quia aliàs Corpus illud Christi productum non esset idem cum Copore Christi in cœlo existente, quod nec ex nihilo, nec ex pane Eucharistico formatum est. 3. Quia ostendi non potest, quomodo ex substantia panis Eucharistici producatur non Corpus tantùm, sed & Anima Christi. Rursus *mutationem adductivam* locum hìc habere non posse clarissimè Dominicani contra Franciscanos probabant. 1. Quia in propriè dicta conversione sive naturali, sive supernaturali, non tantùm terminus à quo esse desinit, sed etiam terminus ad quem esse incipit. Itaque dicere Transubstantiationem adductivam est contradictio in adjecto; Nam omnis conversio est productio, non autem adductio tantùm aut successio. 2. Si è cœlo Corpus adducitur in Eucharistiam, nec tamen locum deserit, non potest dici è cœlo adduci, Cùm illud e cœlo terminum notet, à quo aliò fit progressio. 3. Adductio substantiæ, cujus terminus non est substantia, sed præsentia localis, veram alicujus substantiæ conversionem non importat, quod tamen fieri pertendunt. Alii tot absurda concoquere non

7. *Ex Adversariorum discordia.*

Quæst. XXVII. non valentes, alios modos conversionis excogitârunt, sed non feliciùs. Quidam cum Biele *mutationem conservativam* induxerunt, quâ Corpus Christi in antiquo suo esse conservetur. Alii *constitutivam*, ut fiat introductio nova Corporis sub his speciebus cum connotatione desitionis substantialis panis. Alii *unitivam*, quâ Corporis & Christi substantia uniatur accidentibus panis & vini, eaque per modum causæ efficientis sustentet. Sed modi isti non minoribus urgentur absurdis, cùm illud quod alicubi conservatur, aut constituitur, aut unitur, ibidem ante productum, vel adductum sit, oporteat.

5. A Patribus. XXIV. v. Classis petitur à *Testimonio purioris Antiquitatis*, cui Transubstantiationis dogma incognitum fuisse, & Scripta ipsorum testantur, ut antea visum, & Adversarii plures fateri coguntur, utut eos in partes suas pertrahere conentur. *Petrus de Marca* Parisiensis Archiepiscopus in Tr. de *Eucharistia*, Patrum plurimorum suffragia nobis credit, imprimis Chrysostomi, Epiphanii, Irenæi, Cypriani, Theodoreti, Facundi, & aliorum. Et quoad Augustinum, Agnoscit ingenuè *in ejus Theologia, verba, Hoc est Corpus meum, sic explicari debere, Hic panis est signum, est Sacramentum mei Corporis quod pro vobis traditur.* Patrum verò sententiam Transubstantiationi opponitam, Vide apud *Mornæum*, *Hospinianum*, *Molinæum*, in Apologia pro Cœna, *Albertinum*, *Forbesium* in Instr. Histor. Theol. lib. 11. Ubi varia argumenta ex Patribus petita ordine exequitur contra Transubstantiationem. 1. Ex iis locis, in quibus quod fideles accipiunt vocatur proprii Corporis Christi signum, sacramentum, symbolum, typus, figura, & imago. 2. Ubi Eucharistiæ Sacramentum dicitur panis & vinum. 3. ub. dicitur cibus visibilis, nutriens corpora nostra. 4. Ubi Christus dicitur non esse corporaliter præsens in Eucharistia. 5. Panis dicitur à malis sumi, & non sanctificare utentem. 6. Panis & aqua non transubstantiatur in populum. 7. Panis & vini substantia eadem manet post consecrationem, quæ fuit ante.

XXV. Si porro quæritur ulteriùs, Quando & quomodo dogma istud portentosum introductum sit in Ecclesiam. Responsio facilis est, recens & novitium esse, cujus ad octavum seculum usque nullum apud Veteres ejus occurrit vestigium. Exinde purior doctrina circa Eucharistiam obscurari & alterari cœpit, per Iconolatras inter Græcos, qui in Concilio Nicæno. 2. an. C. 787. contra Orthodoxos unicâ Christi imagine in Ecclesiâ contentos, sacris nimirum Corporis & Sanguinis Christi in Cœna symbolis, affirmare cœperunt non signa aut imaginem Dominici Corporis, sed ipsum Christi Corpus, ipsumque ejus Sanguinem esse. Quod factum imprimis à *Joh. Damasceno*, magno Imaginum patrono circa medium seculi octavi; qui insano imaginum zelo abreptus negandum sibi censuit

censuit panem Eucharistiæ esse typum seu figuram Corporis Christi, sed Quæst. XXVII.
panis quidem substantiam remanere semper, & non converti in Corpus Christi, quomodo alienus fuit à Transubstantiatione; sed commento absurdo statuit panem à Verbo assumi, & arctissimè unum Corpus cum Christo constituere; & ita rectè dici ipsummet Domini Corpus Divinitate affectum. Apud Latinos quoque circa eadem tempora antiqua fides laborare cœpit; Et in eodem de Imaginibus certamine primum circa hoc dogma erratum, iis, qui sub Carolo M. se imaginibus opponebant, imprudenter mystica S. Cœnæ symbola, non imaginem & picturas, sed ipsum ejus Corpus & Sanguinem appellantibus, qui tamen verbis potiùs quàm sensu peccabant. Sed initio 9. seculi anno scilicet 818. error apertiùs sese prodidit per *Paschasium Ratbertum* Abbatem Corbejensem, in tractatu, *De Corpore & Sanguine Christi*, qui in Cœna ipsam Christi Carnem & Sanguinem adesse scripsit, cap. 1. *Licèt*, inquit, *figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud, quàm Caro Christi, & Sanguis post consecrationem credendæ sunt.* Unde à Bellarmino lib. de Script. Ecclesiast. dicitur primus fuisse, qui seriò & copiosè scripserit de veritate Corporis & Sanguinis Domini, & à Sirmondo, qui genuinum Ecclesiæ sensum primus explicuerit. Cui se opposuerunt varii, imprimis *Rabanus Maurus* Archiepisc. Moguntinus, *Walafridus Strabo* Abbas Augiæ, *Heribaldus* Altissiodorensis Episcopus, *Joannes Erigena* Scotus, & præcipuè *Bertramus*, seu *Ratramnus*, Monachus doctissimus in eodem Corbejensi Monasterio, cui præerat Paschasius, qui jussu Caroli Calvi Regis librum de Corpore & Sanguine Domini contra Paschasium scripsit, ubi fidem Orthodoxam tuetur.

XXVI. Seculo verò decimo, quod Baronius ad an. 900. *sui asperitate, ac boni sterilitate ferreum, & mali exundantis deformitate plumbeum* vocat, non parum invaluit error. Nec mirum; si in tam obscuro seculo dormientibus hominibus zizania homo inimicus magis magisque sparserit ἀκωλύτως, quæ radices egerunt & sensim adoleverunt, & ita error in superstitionis & ignorantiæ gremio fotus, sequentis seculi decursu caput erexerit. Sed nec tum etiam veritas suis defensoribus caruit; Inter quos eminet seculo undecimo *Berengarius*, de quo supra, qui acerrimè veritatem propugnavit, ringentibus licèt adversariis. Qui multa ob hanc rem passus, & in variis Conciliis accusatus, ad palinodiam metu mortis adactus est in Concilio Romano sub Nicolao II. Confessioni illi exhibitæ subscribendo, quâ asseritur, *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem D. Nostri Jesu Christi esse, & sensualiter, non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Sed pœnitentiâ ductus, ad veritatem quam pro-

Quæst. XXVII. fellus erat, rediit, multosque ejus hæredes & discipulos in Gallia & Italia reliquit, quos exceperunt tandem Valdenses & Albigenses, qui fidem istam incorruptam ad Reformationis tempora produxere. Qualiscunque verò fuerit sententia Concilii, quod Berengarium ad palinodiam coëgit; Certum est non posse inde argui Transubstantiationis dogma, quicquid dicat Bellar. qui conatur demonstrare injunctumesse hoc dogma sub anathemate, tanquam articulum fidei; quia potest panis & vinum dici verum Corpus Domini, etsi non migret in ejus substantiam. Primus vocem transubstantiationis usurpâsse legitur Stephanus Episcopus Augustodunensis circa annum 1130. postea retenta fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. anno Christi 1215. quod Transubstantiationem in Cœna fieri, asserit, *ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro*, quod tamen obscurius dictum, adeò non persuasit Viros doctos de conversione substantiali, ut non pauci ex ipsis, & inter eos Gerson Cancellarius Parisiensis, & Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, eam vel in dubium vocârint, vel apertè negârint. Imò nec Eugenius IV. in Concilio Florentino anno Christi 1439. ubi quæstio ista iterum agitata est, obtinere potuit, ut novitium dogma ibi definiretur. Unde non ante Tridentinam Synodum definitam esse constat. Eant jam Adversarii, & de antiquitate sua glorientur.

Fontes Solutionum.

XXVII. *Verba practica* bifariam dicuntur, quia operantur, vel mutando ac convertendo, vel significando & obsignando. Christi verba sunt practica posteriori modo, quia verè significant & obsignant quod enunciant ac prædicant; non verò priore, quia panis Christi Corpus dicitur *esse*, non fieri, nec ullum ibi imperium vel mandatum Christi continetur. Quòd si *mutatio* & effectio urgetur, non est physica & realis *quoad naturam*, sed *moralis* & *mystica quoad usum*, quæ ostendit, non quonam transeant elementa per substantiæ mutationem, sed cui usui inserviant per Christi institutionem & sanctionem.

XXVIII. Licèt non alia intercedat mutatio in Eucharistia, quàm moralis & relativa; Non sequitur figuras inanes, & vacua signa in ea Credentibus exhiberi. Quia Elementa per benedictionem sanctificata, non sunt signa vacua, & inanes figuræ, nudè depingentes & repræsentantes gratiam, sed etiam sigilla eandem obsignantia, & pro natura relatorum divinitus institutorum in legitimo usu exhibentia. Ut Testamentum, diploma, gleba, mittit in possessionem hæreditatis, rei donatæ, & fundi.

XXIX. Vocabula μεταστοιχειώσεως, μεταβολῆς, μεταποιήσεως, & alia idgenus, quibus Patres sæpe utuntur, non favent Transubstantiationi; Cùm his etiam utantur in ea mutatione, quæ locum habet in Sacramento Baptismi, quam substantialem esse ipsi quoque Adversarii negant. Ita

panis

panis & vinum juxta Patres mutantur, non propriè, sed *per signum* juxta Augustinum, juxta Tertullianum *figurâ*, juxta Eusebium *imagine*, juxta Theodoretum *symbolicè*, non quatenus natura mutatur, sed quatenus gratia naturæ adjicitur. Quæst. XXVII.

XXX. Locutio Mosis quum dicit Gen. 19. 26. uxorem Lothi *fuisse statuam salis*, ut innuat fuisse mutatam, & Exod. 7. 19. loquens de conversione aquarum in sanguinem, *Extende virgam tuam super aquas fluviis, & erunt sanguis*, nihil habet simile cum propositione Christi, *Hoc est Corpus meum*. Quia verba Mosis sunt verba historici, qui refert rem factam & præteritam; Et nihil intelligibilius est, quàm dicere uxorem fuisse statuam salis, & aquas sanguinem, id est, esse mutatas. Sed hîc sunt verba Domini Sacramentum instituentis, quæ exprimunt rem præsentem: At nuspiam verbum *est* in præsenti adhibetur ad exprimendum mutationem formæ aut substantiæ. Deinde verba Mosis ita explicantur ibidem, & aliis verbis, & omnibus circumstantiis, ut nullus dubitandi locus superesse possit. Sed tantùm abest, ut Christi verba juncta sint aliis, ex quibus sententia Pontificiorum colligi possit, ut contraria omnia probent. Gen. 19. 26. Exod. 7. 19.

XXXI. Aliud est esse *incomprehensibile*, quod longè superat captum rationis. Aliud esse *incompossibile*, quod rationi adversatur. Dogmata Trinitatis, Incarnationis, & alia idgenus, quæ Religionis Christianæ essentiam constituunt, sunt mysteria ardua & sublimia, quæ à nobis capi non possunt. Sed dogma Transubstantiationis est ἀσύστατον & contradictorium. Unde difficultas illorum longè differt à difficultate istius. Illa oritur ex sublimitate rei, quam mens nostra assequi non potest; Ista ex absurditate rei, cui mens nostra repugnat. Illa fidem non excludit, sed supponit, quia in Scriptura talia mysteria clarè nobis proponuntur, si non quoad modum & τὸ πῶς, saltem quoad rem ipsam, & τὸ ὅτι. Ista assensum, nec à ratione, nec à fide impetrare potest, quia nec in Scriptura traditur expressè, nec ullâ legitimâ consequentiâ inde deduci potest, nec modò non convenit cum articulis fidei, & judicio rationis, sed apertè illis adversatur. Rursus tanta est majestas & gloria illorum mysteriorum, ut perstringatur mens eorum splendore, nec mirum illi videatur, si variæ occurrunt difficultates in illis capiendis. Essentia divina cum suis attributis, Personæ cum suis relationibus, Unio hypostatica Verbi cum Carne, Decretum Prædestinationis, Satisfactio justitiæ divinæ per Christum facta, viæ Providentiæ Dei in concursu cum hominis voluntate, sunt res à sensibus remotæ, & ex se ipsis incomprehensibiles. Sed difficultates Transubstantiationis versantur circa res, quæ sub sensus quotidie cadent, circa panem & vinum, quæ sunt alimenta nostra ordinaria, circa existentiam corporis humani, & alia idgenus, quæ non modò non sunt remota à sensi-

QUÆST. XXVII.

bus, & rationi impervia, sed quæ proprium sunt utrorumque objectum

XXXII. Qui ex Ecclesiæ Romanæ præsenti fide circa Transubstantiationem colligunt eandem fuisse in omnibus seculis Ecclesiæ sententiam, eò quòd talis doctrinæ mutatio fieri non potuerit sine grandi animorum & populorum commotione, quæ tamen hic non contigerit, ut hoc post Bellarm. urget *Arnaldus* in lib. de Perpetui. fidei circa Eucharistiam, subtili & speciolo, sed inani commento fucum faciunt, & gratis falsa plura supponunt, ut antea visum Loc. VI. Qu. 13. par. 14. 15. Supponitur 1. Non posse fieri talem mutationem, quæ non inferat magnos animorum motus. Cùm contrà constet sæpissimè mutationes tam in Republica, quàm in Ecclesia fieri facilè sine sensu, maximè ubi agitur de mutationibus, quæ fiunt sensim & non subitò, subdolè & non apertè, per appositionem indirectam erroris ad veritatem, non per oppositionem directam veritatis. Hoc autem obtinere in hoc argumento clarum est. Nam nec simul & semel, sed paulatim & successive per varios gradus introductus est hic error. Nec apertè veritatem oppugnavit, sed opertè sese veritati adjunxit. Non agebatur de destructione veritatis, quæ antea credebatur, sed de introductione erroris, qui non credebatur adhuc. Veritas fuit, Eucharistiam esse Sacramentum Corporis Christi, quæ semper credita fuit, & adhuc creditur in Ecclesia Romana. Sed novus error superinductus fuit, Hoc Sacramentum Corporis Christi, esse Corpus ipsum Christi substantialiter. Veritas est Corpus Christi nobis esse præsens in Eucharistia sacramentaliter & mysticè. Sed error præsentiam localem & corporalem superaddidit. Veritas est panem & vinum mutari quoad usum & significationem. Error est mutari quoad substantiam. Quid ergo facilius fuit quàm errorem veritati addere sine animorum motu? maximè quia mendacium potuit sub pallio veritatis, & sub specie explicationis irrepere, ut hìc factum esse colligitur, dum enim panis dicitur esse Corpus Domini, dum præsentia ejus in Cœna urgetur, dum panis & vinum dicuntur mutari Verbo Dei ineffabili, dum signorum μεταστοιχείωσις & μεταβολὴ fieri docetur, nihil proclivius fuit, quàm, quæ sano sensu dicta erant de usu sacramentali, perperam detorquere ad mutationem substantialem. Accedit natura dogmatis in quo facta mutatio statuitur, quod non fuit in principio error practicus circa cultum & adorationem Eucharistiæ, de qua nihil dum tradebatur, & quæ incurrendo in hominum sensus, non poterat non commovere animos. Sed Error tantùm theoreticus circa conversionem panis in Corpus Christi, quæ in occulto manens, sensim & sine sensu potuit introduci. Denique Tempus quò talis error invaluit non parum ad id contulit, quod non fuit clarum & illustratum Ecclesiæ luminibus, sed obscurum & tenebrosum, in quo ignorantia & superstitio, avaritia, ambitio, & universalis pene morum corruptio ita Ecclesiæ

faciem

faciem deturpaverat, ut vix ac ne vix quidem pauci radii Evangelici interlucerent. Tantùm abest ergo ut mira videri debeat Erroris introductio in tantis tenebris, ut mirum esset viritatem illibatam conservatam fuisse. II. Supponitur etiam fallò ex quo error iste invaluit in Ecclesia, nullas fuisse de eo excitatas contentiones & animorum motus. Nam hospitem esse in Historia Ecclesiastica oportet, qui nescit, quantæ lites & contentiones semper circa hoc argumentum fuerint excitatæ. Bertramus illam in conceptione solidè impugnavit. Berengarius undecimo seculo illi se masculè opposuit, & ejus doctrina passim in Gallia, Italia & Anglia recepta est. Valdenses & Albigenses seculo duodecimo illi restiterunt, quos secuti sunt Wiclefus in Anglia, Hussitæ in Bohemia, & Reformatores ubique. III. Frustra de possibilitate vel impossibilitate mutationis quæritur, si ad oculum demonstrari potest verè factam fuisse istam mutationem. quod hic urgemus, & ut hoc demonstremus, provocamus ad examen doctrinæ Apostolicæ, quæ sola nobis debet esse regula, & cynosura fidei nostræ. Ad quod declinandum, figmentum istud excogitatum est. Vide celeb. *Claudium* in Responsione Arnaldo opposita, p. 8. 9. 10. *&c.* & par. 3. c. 6. 7. ubi vanitatem & absurditatem istius commenti solidè demonstrat. Quæst. XXVII.

QUÆSTIO XXVIII.

DE PRÆSENTIA CORPORALI CHRISTI IN COENA, ET ORALI EJUS MANDUCATIONE.

An Christus præsens sit Corporaliter in Eucharistia, Et an oraliter manducetur à Fidelibus? Neg. contra Pontif. & Luther.

I. PRofligato Transubstantiationis figmento, de Præsentia Corporali in Cœna, & ejus orali manducatione, cujus causâ potissimùm excogitatum videtur, agendum superest. Cùm enim Scriptura toties Corporis & Sanguinis Christi communionem nobis proponat, tanquam omnium ejus beneficiorum fundamentum & fontem, nec concipere potuerint Adversarii, quomodo talis Communio posset obtineri, nisi Corpus Christi verè & realiter præsens esset in terris; hinc commenti sunt præsentiam localem & corpoream, ut oraliter manducari posset.

II. Quia verò cum Pontificiis & Lutheranis res hìc nobis est, utrorumque *Sententia Pontificiorum.*

QUÆST. XXVIII. rumque sententia distinctè est attendenda. Et ad Pontificios quidem quod attinet, notum est ex antedictis, Eos talem præsentiæ corporalis modum urgere, quo fiat per conversionem panis in Corpus Christi, ut in Eucharistia non sit amplius panis substantia, sed ipsum Corpus Christi, quod porrigitur Communicantibus. Sed quia hæc de Transubstantiatione doctrina duobus incommodis manifestissimis urgetur, nimirum panis in ipsum Christi Corpus conversione, & accidentium sine subjecto existentiâ. Ideo Lutherus novum præsentiæ modum proposuit, inclusionem nimirum Corporis Christi in pane, & Sanguinis in vino, & coëxistentiam panis & Corporis, vini & Sanguinis Christi, qui consubstantiatio, seu συνουσία dictus est. Hujus sententiæ quis primus autor fuerit, non liquidò constat. Alii eam Berengario, alii Walramo, alii veriùs Guitmundo, tribuunt. Cardinali Cameracensi Petro de Alliaco adeò placuit, ut amplexurum se eam non obscurè ostenderet, nisi Ecclesiæ diversum sentientis obstaret authoritas. Cujus judicium secutus Lutherus, sententiam istam ut veriorem retinuit, & discipulis suis tradidit, quæ etiamnum ab ipsis retinetur. Hæc est quæ proponitur Artic. x. Confessionis Augustanæ, *De Cœna Domini docent, Quod Corpus & Sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini; Et improbant secus docentes.* Verum est in Exemplari Cæsari primùm exhibito Augustæ, scriptum fuisse *Corpus & Sanguinem Christi sub specie panis & vini adesse in Cœna Domini*, quâ phrasi usus videtur Melancton deditâ operâ ad minuendam offensam Cæsaris & Pontificiorum, ut faciliùs obtinere possent tolerantiam quam petebant. Quia verò nimis ad Pontificiorum sententiam videbatur accedere; Hinc illis omissis, in Confessionis editione simpliciter positum est, *Corpus & Sanguinem Christi verè adesse, & distribui in Cœna Domini.* Juxta quam non pauci ex Nostris non detrectârunt subscribere Confessioni isti, si modò orthodoxè intelligeretur, & ex sensu Authoris, ut *Zanchius*, *Martyr*, & alii, quatenus Corpus & Sanguis Christi dicuntur verè adesse, nim. spiritualiter oblata verbo promissionis, & fide percepta: Exinde in alia Confessionis recognitione Articulus iste his verbis exprimitur, *De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur Corpus & Sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.* Quæ sententia recepta est hodie inter Lutheranos.

Et Lutheranorum de præsentia reali.

III. Quia verò multifariam peccatur in constituendo Quæstionis Statu, præmittenda sunt quædam prænotata, quæ lucem Controversiæ propositæ afferre poterunt. Primò, cùm præsentiæ vox sit relativa, non potest intelligi sine relatione objecti, quod dicitur præsens, ad subjectum, cui illud est præsens, & nihil est in genere, quàm applicatio objecti ad facultatem, quæ illud cognoscere apta nata est. Hinc duplex præsentia distingui debet pro natura duplici rerum, vel corporearum & sensibilium, vel spiritualium

&

& intelligibilium. In rebus corporeis, illud dicitur præsens quod ita adest sensui, vel *præsentibus* est, ut vis vocis importat, ut eo ipso à sensu cui se offert percipi possit: In spiritualibus, res dicuntur præsentes esse, cùm intellectui ita offeruntur, ut facultate suâ eas apprehendere, eisque frui possit. Secundò, *Præsentia* non confundenda est cum *propinquitate*, quod propè est, non semper est præsens, & quod præsens est, non semper est prope, verbi gratiâ, Sol nobis est præsens, etsi longè sit dissitus, quando radiis suis nos illustrat, & nihil inter ipsum & oculum interponitur; noctu verò absens dicitur, licèt nonnunquam propior sit nobis, quàm interdiu, quia vim ejus in nocturnis tenebris non percipimus. Quo sensu *Augustinus* lucem tam cæci, quàm videntis oculis circumfusam huic adesse præsentem, illi absentem esse dixit. Unde patet rerum creatarum præsentiam non esse metiendam locorum vel propinquitate vel longinquitate, sed ex relatione illa æstimandam, quâ fit ut is cui res præsens est, eâ commodè frui queat; nam præsentia, non distantiæ, sed absentiæ opponitur; ista, non illa usum & fruitionem objecti intercipit. Tertiò, *Præsentia* Corporis Christi, vel attendi potest respectu *fidelium*, qui Sacramento utuntur, & unionis ipsorum cum Corpore Christi; vel respectu *Sacramenti* & unionis, quam Corpus Christi potest cum signis sacramentalibus habere. Priori sensu præsens dicitur esse Christus animo fidelis in celebratione istius mysterii. Posteriori, præsens dicitur ratione loci in signis, dum concipitur esse in pane vel sub eo, vel sub speciebus ejus. Quartò, *Præsentia realis* potest bifariam intelligi, vel per *indistantiam* & contactum corporeum, ut corpus dicatur realiter præsens, quod est alicubi indistanter & ratione localitatis, vel per *efficaciam* & *virtutem*, quod efficaciter alicubi operatur. Quintò, præsentia triplex hîc accuratè est distinguenda, alia *symbolica* & sacramentalis in signis, alia *spiritualis* & mystica in corde, alia *corporalis* & indistantiæ. Sextò, *manducatio* Corporis Christi alia est *oralis* & corporea, qua fit ore corporis; alia *spiritualis* & mystica, quæ fit ore fidei. Non enim magis corpus spiritualiter, quàm animus corporaliter potest manducare. Spiritualis autem dicitur posterior manducatio, non ratione *objecti*, quasi Corpus Christi in Spiritum converteretur. Sed tum à *causa efficiente* principali, quæ est Spiritus S. cujus virtute fit hæc manducatio. Tum ab *instrumentali*, quæ est fides. Tum à *modo* qui consistit in actionibus spiritualibus. Tum à *subjecto*, quod est anima immediatè & primariò. Tum à *respectu* sub quo Corpus manducandum exhibetur, non simpliciter ut corpus, sed ut Corpus mortuum & crucifixum, quo sensu non potest à nobis apprehendi, nisi spiritualiter. QUÆST. XXVIII.

IV. Ex quibus Status Quæstionis non obscurè colligitur. Primò, *Status* Non quæritur de præsentia Christi in genere, An Christus sit præsens *Quæstionis* in *nis*.

Quæst. XXVIII. in Eucharistia, quod utrinque asseritur. Sed de *modo istius præsentiæ*, An sit Corporeus, & per ἀόξατον, An vero Spiritualis? Pontificii & Lutherani prius statuunt, Nos posterius. Secundò, Non quæritur, An Corpus Christi sit præsens animo fidelium in Eucharistia, & An uniatur arctè cum ipsis? Sed An uniatur cum signis Sacramentalibus, & præsens sit localiter cum ipsis, quod vellent, Nos negamus. Tertiò, Non quæritur de præsentia reali & substantiali quoad efficaciam & virtutem; Sic enim non diffitemur Corpus Christi præsens esse in Sacramento, quatenus in usu legitimo vim suam exerit in Communicantes ex ordine Dei. Sed quæritur ex sensu Adversariorum de præsentia reali per indistantiam. Quartò, Non quæritur An necessaria sit nostri cum Christo Communio ad salutem, quod agnoscimus, & urgemus; Sed de *modo & vinculo*, quô ista unio fieri debet, An Corpus Christi debeat ingredi corpora nostra per localem conjunctionem, quod illi vellent, An verò sufficiat hoc Spiritu Christi & fide fieri? ut asserimus. Quintò, Non quæritur dè Præsentia symbolica & sacramentali Corporis Christi in signis, Nec de præsentia spirituali & mystica in corde, utramque enim agnoscimus, & tuemur; Sed de *præsentia locali* & *indistantiæ* in Eucharistia, vel sub speciebus panis, ut volunt Transubstantiatores, vel sub ipso pane, ut Consubstantiatores asserant, Nos verò negamus. Denique, Non quæritur An detur manducatio Corporis Christi, quam utrobique agnoscimus. Sed An detur manducatio ejus oralis. Ut Quæstio redeat ad hos terminos, An Corpus Christi sit ita præsens in Eucharistia, ut non tantùm symbolicè dicatur esse in signis, & verè ac realiter, & spiritualiter cordibus fidelium communicetur & uniatur, sed etiam corporaliter & indistanter adsit in Sacramento, ut ore corporis recipi & manducari possit ac debeat? quod illi pertendunt, Nos negamus.

Præsentia rerum oppugnatur.

V. Rationes sunt variæ: Primò huc pertinent illæ omnes, quæ antea contra sensum proprium, & Transubstantiationem allatæ sunt, quibus sequentes addimus. 1. Ex *verbis Institutionis*, quæ præsentiam istam corporalem admittere nequeunt; Tum quia Christi Corpus in Cœna nobis proponitur, & per signa Sacramentalia repræsentatur ut mortuum, & Sanguis ejus ut effusus extra venas, quo modo impossibile est Christi Corpus hodie nobis præsens sisti corporaliter & ἀόξατως, cùm mori amplius non possit. Tum quia Christus jubet *hoc facere in sui memoriam* Luc. 22. 19. At memoria est tantùm rerum absentium & præteritarum, non præsentium; Nec, si fidei dicuntur omnia præsentia, hoc intelligitur de præsentia locali, quoad esse reale, quod sit extra intellectum, sed de objectiva, quoad esse intentionale & hypostasim spiritualem fidei. Si jubemur meminisse Dei, supponitur ejus absentia à mente nostra per incogitantiam & oblivionem, licèt sit semper quoad se præsens nobis per Essentiam;

1. Ex verbis Institutionis.

Luc. 22. 19.

Essentiam. Quamvis verò commemoratio illa, quæ nobis præcipitur, extendenda sit ad ejus Passionem & Mortem, quam jubemur annuntiare; Non ideo minùs debet fieri commemoratio ipsius Christi, cùm expressè Christus id affirmet, & quidem usque dum ipse veniat, quod supponit necessariò eum tunc abesse. Nec adventus ille futurus excludit tantum præsentiam visibilem corporis, non verò invisibilem, quia gratis supponitur dari præsentiam invisibilem Corporis Christi, ut postea probabitur. Denique, quia Christus dicit se non bibiturum ab hoc tempore amplius ex fructu vitis; Unde constat Christum bibisse ex eo Eucharistiæ participando. Quis autem credat ibi præsentem fuisse corporaliter Christum, ut posset à se ipso manducari & bibi? Ut sic esset simul agens & patiens, cibus manducatus, & os manducans? Quæst. XXVIII.

VI. Secundò, Ex locis, in quibus agitur de discessu Christi ex Mundo. 1 Ubi prædicit se ex mundo migraturum, & non amplius Corpore suo hîc fore præsentem Matth. 26. 11. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Joan. 17. 18. *Prodii à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem,* & ℣. 11. *Non amplius sum,* id est, ero, scilicet Corpore meo *in mundo, sed isti,* videlicet discipuli, *sunt in mundo,* & cap. 16. 7. *Expedit vobis ut ego abeam, nisi enim abiero, Consolator non veniet ad vos.* Hinc alibi vetat nos Pseudoprophetarum miraculis credere, qui Christum vel in eremo ostendunt, vel ταμείοις includunt, atque illis mendaciis fidem Christianorum pascunt Matth. 24. 26. 27. *Si dixerint vobis, Ecce in deserto est, ne egredimini, Ecce in conclavibus,* vel reconditoriis, & receptaculis, *Ne credite, sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usque in Occidentem, Ita etiam erit adventus Filii hominis.* 11. Ubi dicitur ex hoc mundo migrâsse, & in cœlum ascendisse Luc. 24. 51. *Factum est, dum ipse benediceret eis, ut discederet ab eis, ferebatur in cœlum,* Sic Act. 1. & alibi. 111. Ubi in cœlo dicitur esse, ibi mansurus usque ad finem seculi, quò rediturus est Act. 3. 21. *Quem oportet cœlos capere usque ad tempora restitutionis omnium.* Matth. 24. 30. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus* &c. 1. Thess. 4. 16. *Dominus cum voce Archangeli descendet è cœlo.* Col. 3. 1. *Quærite quæ sursum sunt, ubi Christus est ad dextram Patris.* Ex quibus omnibus invictum ducitur argumentum. Qui corpore è terris excessit, & mundum reliquit, ut in cœlum se reciperet, ubi debet manere usque ad restitutionem omnium. Qui frustra quæritur in terra, ubi non est amplius, Et in cœlo quærendus est, ubi sedet ad dextram Patris. Non potest dici præsens corporaliter in Sacramento. At ista dicuntur omnia de Christo. Ergo. 2. *Ex discessu Christi.*

VII. Exceptiones varias Pontificiorum, & Lutheranorum vide discussas P. II. Loc. XIII. Qu. 8. parag. 16. 17. 18. Et Qu. 18. parag. 4. 5. 6.

QUÆST. XXVIII. Quibus addimus. Fruſtra diſtingui præſentiam corpoream viſibilem, & converſationem humanam Chriſti, ab inviſibili ejus præſentiâ, quaſi illa tantùm excludatur, non verò iſta. 1. Quia ſupponitur gratis dari talem præſentiam Corporis Chriſti inviſibilem præter viſibilem, quæ probanda fuit ante omnia, non ſupponenda. Nos enim merum eſſe figmentum pertendimus, quod eſt ἀσύστατον cum natura veri Corporis. 2. Repugnat verbis Chriſti, quæ loquuntur de diſceſſu Chriſti, & derelictione mundi, non tantùm de diſparitione & occultatione Corporis; quomodo verò poteſt dici relinquere mundum, & elevari in cœlum, ſi in terris adhuc manet perpetuò? 3. Chriſtus ſolandis mœſtorum diſcipulorum animis debuiſſet hac diſtinctione uti, ſe viſibiliter quidem diſceſſurum, ſed inviſibiliter tamen ſe ipſis affuturum Corporis ſui præſentiâ, eatenus ut & manibus recipi, & in os ipſorum ingeri poſſet. Sed longè alio medio utitur, nimirum Spiritus Sancti in locum præſentiæ corporalis ſubſtitutione, quem miſſurum ſe pollicetur, ut tanquam Vicarius ſuus maneat cum ipſis in æternum. Quid opus verò erat inviſibili Spiritus præſentiâ, ſi manet ſemper Chriſti Caro inviſibiliter, ἀοεγσία illa nonne ſupplenda fuit per aliquid viſibile? Nec opponi debet Chriſtum promittere novam præſentiam, *Ego denuo veniam*, hæc enim nequaquam favent inviſibili præſentiæ; Quia optimè exponi poſſunt, vel de apparitionibus Chriſti poſt reſurrectionem, vel de adventu ſpirituali & myſtico per gratiam Spiritus, vel de reditu ad judicium. 11. Non rectiùs diſtingui volunt inter *præſentiam finitam, creatam, & definitivam*, & *præſentiam divinam, illocalem, increatam, infinitam*; Illâ Chriſtum eſſe in cœlo, Iſtâ verò in Cœna. Quia ſupponitur ſemper πρῶτον ψεῦδος dari duplex præſentiæ genus reſpectu Corporis Chriſti, quod tanquam impoſſibile & naturæ Corporis contrarium admitti nequit.

3. Ex impoſſibilitate talis præſentiæ.

VIII. 111. Ex *impoſſibilitate iſtius præſentiæ*, Quia everteret *naturam* & *proprietatem veri Corporis*; quod, ut quantum & extenſum, debet eſſe viſibile & palpabile, locatum, impenetrabile, & circumſcriptum, quod ita ſit in uno loco, ut non poſſit eſſe in alio; Ita habeat partes extra partes, ut nec aliud corpus penetrare queat, nec ab alio corpore penetrari. Quod fieret tamen in Corpore Chriſti, ſi eſſet præſens in Euchariſtia ex mente Adverſariorum. Nec exaltatio Chriſti, quæ immortalitatem & gloriam dedit ipſius Corpori, naturam ei abſtulit. Ut licèt exutum ſit infirmitatibus vitæ animalis, & ſervilis ſtatus conditionibus, retinuerit tamen & veri Corporis naturam, & omnes ejus proprietates. Nec exempla quæ afferuntur huc faciunt. Chriſtus potuit ingredi ad diſcipu-

Jo. 20. 19. los τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *januis clauſis*, Joan. 20. 19. id eſt, eo tempore, quò januas occluſas habebant propter metum Judæorum, ſed non διὰ θυρῶν, *per januas clauſas*, notatur ergo ſtatus in quo erant Apoſtoli; non verò

verò modus introitus; licèt enim januæ essent clausæ, potuerunt cedere Creatori, & aperiri ad ejus nutum. Idem dicendum de saxo sepulchro ipsius impositò, potuisse creaturam cedere ultro Creatori citra penetrationem dimensionum, licèt Angelus Domini cùm descendisset è cœlo, non amovisset saxum ab ostio sepulchri, ut factum dicitur Matth. 28. 3. Christus dicitur factus ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν, scilicet discipulis Emaunticis Luc. 24. 31. non evanescendo in tenues auras, sed vel oculos Apostolorum cohibendo, ne se abeuntem viderent; Vel se celerrimè ipsis subducendo, ut ita *ablatus dicatur ab eorum conspectu*, ut vertit Beza. Christus dicitur cœlos ingressus Heb. 4. 14. non per penetrationem corporum cœlestium, sed per eorum transitum, cœlis apertis ad ejus adventum, ut dicuntur aperti in baptismate Christi. Nec vox διεληλυθότα magis infert penetrationem, quàm quum Paulus & Barnabas Act. 17. 16. διελθόντες τὴν νῆσον, id est, Cyprum, possunt dici penetrâsse insulam.

Quæst. XXVI.

Matt. 28. 3. *Luc.* 24. 31.

Heb. 4. 14.

IX. IV. Ex *ejus inutilitate.* Quia si aliquis ejus usus esset, inservire deberet procul dubio ad oralem manducationem. Sed nullam talem dari posse, sed tantùm spiritualem multa demonstrant. 1. *Natura Cibi*, qui à nobis manducari debet; Talis enim debet esse manducatio, qualis est cibus. At cibus non est corporeus, sed spiritualis, Tum quia *animi* non corporis debet esse nutrimentum. Tum quia *vita* quæ sustentanda est, non est animalis, & terrena, sed spiritualis & cœlestis, quæ posita est in remissione peccatorum, & sanctificationis praxi, oppositа morti peccati, quæ in maledictione & corruptione consistebat. Tum quia *instrumentum manducationis*, non est os corporis, quia quicquid ingreditur in os, in ventrem cedit, & in latrinam ejicitur Matth. 15. 16. & 1. Cor. 6. 13. sed os fidei, per quam Christus habitat in cordibus nostris Eph. 3. 17. & nos Carnem ejus datam pro mundi vita per vivam meriti ipsius apprehensionem nobis applicamus. Tum quia *adjuncta*, & *effecta* sunt spiritualia, non corporalia. Non est cibus corruptibilis, qui perit, sed incorruptibilis, qui manet in vitam æternam Joan. 6. 27. cujus effecta sunt spiritualia, unio mystica nostri cum Christo Joan. 6. 56. gloriosa resurrectio ℣. 54. vitæ æternæ fruitio 47. 48. 49.

4. *Ex Inutilitate ejus ad manducationem oralem, quam nullam esse probatur.*

1. *Ex natura cibi.*

X. Hæc verò omnia ex cap. 6. Johannis confirmantur, Unde varia argumenta petuntur pro manducatione spirituali contra oralem & Capernaïticam; quicquid Adversarii in contrarium afferant. Primò quia agitur de manducatione, quæ dat vitam æternam ℣. 50. *Patres vestri manducârunt manna & mortui sunt. Hic est panis qui è cœlo descendit, ut si quis ex eo edat, non moriatur*, & ℣. 54. *Qui edit Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, habet vitam æternam.* 2. De manducatione quæ unionem reciprocam Christi nobiscum, & nostri cum Christo, & quidem constantem & perpetuam post se trahit, ℣. 56. *Qui edit Carnem meam, & bibit Sanguinem meum,*

2. *Ex Joan.* 6.

℣. 50.

54.

56.

QUÆST. XXVIII. ℣. 53. ℣. 35. *meum, manet in me, & ego in ipso.* 3. De manducatione quæ necessaria est absolutè ad habendum vitam ℣. 53. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 4. De ea quæ respondet fami & siti spirituali, & quæ per fidem fit, ℣. 35. *Ego sum Panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet unquam.* Ubi τὸ venire ad Christum, & in ipsum credere ponuntur pro medio vero sedandæ famis & restinguendæ sitis, id est, pro vera manducatione, quam Christus intelligit. 5. De ea ad quam sola fides requiritur. Cùm enim Christus ℣. 27. jussisset Judæos operari circa cibum permanentem, & Judæi quæsivissent quidnam ipsis faciendum esset ad fruendum isto cibo, respondet solam fidem requiri. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit.* 6. De ea manducatione loquitur, quæ tum temporis fieri poterat, quia non in futuro, sed in præsenti loquitur, ejusque necessitatem perpetuam urget. At manducatio oralis nondum erat instituta, nec locum habere potuit. 7. De manducatione, quæ per Spiritum fieri debuit, *quia caro non prodest quicquam, sed Spiritus est qui vivificat.* 8. Non pauci ex Adversariis fatentur, Christum de sola manducatione spirituali agere in hoc capite, inter quos Bellarminus nominat lib. 1. de Euch. cap. 5. *Gabrielem* lect. 84. super Ca. Missæ, *Cusanum*, *Cajetanum*, *Tapperum*, *Hesselium*, *Corn. Jansenium*, quibus addendus *Æneas Sylvius*, seu Pius II. qui contra Taboritas urgentes restitutionem calicis, ex istis verbis nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, fusè docet Christum loqui tantùm de manducatione spirituali. Illi verò qui manducationem oralem urgent, fatentur sermonem Christi usque ad ℣. 51. figuratum fuisse, & de manducatione spirituali esse intelligendum, ut Bellarminus, Salmero, Maldonatus. Sed frustra distinctio ista adhibetur, cùm Christus utatur iisdem vocibus, & de eadem re agat, nec ulla sit ratio mutandi sermonis.

XI. Si quis porro quærat, Quorsum Christus hoc metaphorico loquendi genere in toto hoc Capite uti voluerit, repræsentando Communionem sui per manducationem, rationes variæ dari possunt. 1. Modus iste loquendi figuratus usitatissimus est in Scriptura, & sæpe à Christo usurpatus. Mos Christi est spiritualia mysteria & beneficia sua sub tegmine rerum & actionum corporearum adumbrare. Ut alibi gratiam conversionis per regenerationem & novi hominis productionem describit; Ita novo isti homini novam vitam tribuit, & cibum quô nutriatur & sustentetur. 2. Quia appositissima est loquendi ratio ad communionem nostram cum Christo designandam, ut ex multiplici analogia constat. 3. Peculiarem Christus habuit occasionem in hoc loco talem metaphoram usurpandi ex miraculo facto, & Turbarum desiderio, quæ eum sequebantur, ut enim illas satiaverat panibus miraculosè multiplicatis, ita ad eum denuo

acce-

accedebant, ut ab ipso pascerentur. Unde occasionem sumit avertendi ea- Quæst. XXVIII.
rum mentes à cogitationibus terrenis circa panem materialem & corpo-
reum, & evehendi ipsas ad cogitationem & desiderium gratiæ suæ, quam
sub eadem idea, quæ tum sensus ipsorum occupatos detinebat, designat,
nimir. sub idea cibi & potus Jo. 6. 26. *Vos me quæritis*, inquit, *non quia* Joan. 6. 26.
vidistis signa, sed quia manducâstis panes, & saturati fuistis. Operamini,
non circa cibum qui perit, sed circa eum qui manet in vitam æternam, quem
Filius hominis dabit vobis. Nihil usitatius est Christo, quàm uti occasioni-
bus oblatis ad mysteria sua proponenda. Ut ex occasione aquæ, ad quam ac-
cedebat Samaritana gratiam suam sub aquæ symbolo repræsentat, Jo. 4. 10. Joan. 4. 10.
Ex occasione discipulorum Christum ad cibum sumendum hortantium,
loquitur de obsequio voluntati Patris præstando tanquam de cibo, Jo. 4. 31. & 31. 32.
32. 34. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris qui misit.* Quid mi- 34.
rum ergo si Christus, occasione miraculi panum, Communionem suam sub
symbolo manducationis describit? Eoque magis, quòd responsum Turba-
rum ad id eum necessariò ducebat, ℣. 30. 31. 32. Ubi loquuntur de manna
Patribus dato; Ideo ostendit se verum esse Panem cœlestem, qui dat vitam
mundo, non verò manna corruptibile Israëlitarum. 4. Hac ratione voluit
etiam Christus opponere Corpus suum victimis legalibus, & illis imprimis
quæ offerebantur ad expiationem peccati, quibus vesci non licebat, nec quo-
ad carnem, nec quoad sanguinem, quod utique sine mysterio non fiebat, ad
imperfectionem & insufficientiam talium victimarum designandam, quia
ita absorbebantur igne justitiæ divinæ, ut nihil inde rediret ad alimentum
populi, in signum scilicet vim ipsis nullam fuisse placandi Divinitatem, &
conscientiam offerentis solatio erigendi. Sed aliam rationem fore Sacrificii
sui docere vult Christus; quo tantùm abest, ut consumptus fuerit & absor-
ptus igne iræ divinæ, ut plenissimâ Satisfactione datâ justitiæ ejus, possimus
nutriri Corpore & Sanguine ejus, id est, efficaciam ejus sentire ad solatium
& pacem animarum. Ita cùm Israëlitæ communionem tantùm haberent
cum victimis in morte deducendo eas ad Altare, ut pro ipsis morerentur;
Christus non modo voluit communicare morti nostræ, peccata nostra in se
recipiendo, sed vult ut cum ipso communionem vitæ habeamus, & in eum
finem dat nobis Carnem & Sanguinem in alimentum spirituale.

XII. Nihil ex hoc Capite possunt petere Adversarii, quod faveat
manducationi orali. Non quod dicitur ℣. 55. quòd *Caro Christi sit verè* ℣. 55.
cibus, & Sanguis ejus verè potus. Quia verus est cibus, sed mentis, non ven-
tris, cordis & fidei, non oris. Ut notetur veritas similitudinis inter cibum
corporeum, & cibum spiritualem & cœlestem quoad efficaciam nutritionis,
non verò quoad modum manducationis. Ut *quid paras dentes & ventrem,*
Crede & manducâsti, ut ait Aug. in Ps. 98. Ita Jo. 1. 9. *Vera lux* dicitur, Joan. 1. 9.

Quæst. XXVIII. id est, longè veriùs, quam lux visibilis. Verus ergo dicitur cibus, sed spiritualiter, non corporaliter: nam sua veritas constat rebus spiritualibus, non minus ac corporeis, imò eò certior, quia perfectiores solent esse istis. Eo sensu Christus vocatur *vitis vera* Joan. 15. 1. Is. 40. 7. *Vere fœnum est populus.* Hoc observat Cajetanus in h. l. *ad significandum quòd Caro sua, non falsò, non opinione, sed secundum veritatem cibus animum, dicit Caro mea verè est cibus.* Ita & Gabriel in Canon. Lect. 86. *Caro mea est vere*; id est, *indubitanter cibus reficiens*, 11. Non quod Christus *distinguit τὸ manducare & bibere, quibus utraque species clarissimè distinguitur; Cum in spirituali manducatione per fidem idem sit bibere, quod manducare.* Quia duplici illo verbo Christus utitur, non ideo quòd alter debeat esse actus manducationis spiritualis, alter spiritualis bibitionis. Sed quò significet Christum non esse vitam & cibum nostrum, nisi quà mortuum, & nos plenam nutritionem spiritualem in ejus morte & communione consequi, ut plena nutritio cibo & potu peragitur. 111. Non quod dicit, *Dabo in futuro, & non do in præsenti, quia manducatio per fidem est omnium temporum.* Nam verbum dandi in futuro traditionem in mortem notat, quæ futura adhuc erat, non datione in epulum, quæ fit in Eucharistia. Ut innuat nihil dare vim cibi Corpori Christi, nisi Sacrificium quò se dedit morti, per quod factus est animæ nostræ cibus, qui non potest comedi nisi quà Victima.

& 15. 1.

XIII. iv. Non quod Judæi intelligentes manducationem carnalem Christi ℣. 53. quam absurdam & impossibilem judicant, non reprehenduntur à Christo, imò magis confirmantur, sed tantùm de modo realiter manducandi, quem non capiebant, informantur. Quia supponitur gratis Christum eos non reprehendisse, cùm id apertè constet ex ℣. 61. & 62 *An hoc vos scandalizat? Quid fiet verò quando videbitis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Ubi non obscurè arguit eos, quòd ex sermonibus suis perperam intellectis scandalizarentur, ad oralem & corpoream manducationem traducentes, quod de spirituali dixerat. Et ut eos abducat à crasse hac imaginatione, proponit ipsis futuram suam ascensionem in cœlum, ex qua intelligerent adhuc certiùs verba sua non ad literam, sed figuratè & mysticè esse intelligenda, & Carnem suam non oraliter, sed spiritualiter demum manducari posse, ut observavit Augusti. Tr. 27. in Joh. Sic non confirmantur in suo pravo sensu de orali manducatione, juxta quam deberet Christi Corpus præsens esse per indistantiam loci, sed eos revocat ab illo errore, propositâ futurâ suâ ascensione, per quam subductâ à terris Carnis suæ præsentiâ, nulla ejus manducandæ poterat alia esse ratio, quàm spiritualis & per fidem. Quod ulteriùs confirmat Christus, quum addit ℣. 63. *Spiritus est qui vivificat, Caro non prodest quicquam, Verba quæ dixi vobis, sunt Spiritus & vita.* Ubi docet Carnem suam oraliter receptam nihil juvare

℣. 63.

ad

ad salutem, cùm solius Spiritus Sancti sit nos vivificare, id est, vim vivificam & nutritivam Carnis Christi in Sacrificiis ejus merito applicare animabus nostris ad salutem; Atque ita verba Christi sint Spiritus & vita, id est, spiritualiter intelligenda sint. v. Non ex eo quod Christus pollicetur *se daturum escam novam, & nondum hominibus concessam, quod de manducatione spirituali, quæ fuit omnium temporum intelligi nequit, sed tantùm de orali.* Quia Christus promittit quidem aliquid novi, nimi. oblationem Corporis in Victimam pro mundi vita, quod antea nondum contigerat; Sed non ideo novum manducationis modum præcipit, quia non debuit dari diversa salutis ratio Communionis cum Christo inter fideles V. & N. Test. Et Veteres potuerunt credentes in Christum venturum manducare ipsum spiritualiter, non minus ac nos, ut ratio sequens docet. QUÆST. XXVIII.

XIV. v. Ab *Exemplo fidelium Veteris Testamenti.* Manducatio & communio eadem debet esse inter fideles Veteris & Novi Testamenti, quia communio Sanctorum una & eadem est. At nulla data fuit manducatio oralis sub Veteri Testamento, Christo nondum manifestato, sed tantùm spiritualis. Ergo nec necessaria est hodie inter Christianos. Nec dici potest Eandem quidem communionem fuisse in utroque Testamento, quoad objecta sive res, nimirum, quòd utrobique unus Deus sit, unus Servator, una salus; Sed non quoad communionis medium & modum. Quia & modus Communionis utrobique idem est, spiritualis nimirum 1. Corint. 6. 17. & 12. 13. 1. Jo. 4. 13. & idem quoque medium, nim. fides Rom. 4 5. 9. 16. 23. 24. Heb. 11. Nec si distincta habuerunt fideles Veteris Testamenti Sacramenta, quoad signa, sequitur distinctos esse debuisse participandi modos, quoad rem significatam, quia ut eadem fuit utrobique res significata, nimirum Christus cum suis beneficiis, Ita idem modus participationis utrisque datus est, nimirum fides, per quam dicuntur manducâsse & bibisse escam & potum spiritualem, qui erat Christus. Frustra additur rerum futurarum, & præsentium non posse esse eandem participationem. Quia licèt hoc dici possit de iis, quæ corporaliter participantur, falsum est de iis, quæ per fidem, quia fidei omnia præsentia sunt, sive præterita, sive futura, sive propinqua, sive remota, ut Heb. 11. 1. docetur, & exemplo Abrahami confirmatur Jo. 8. 56. *5. A fidelibus Vet. Test.*

XV. VI. Ex *inutilitate manducationis oralis.* Quia sola manducatio spiritualis sufficit ad salutem, imò sola est salutaris. Et tantùm abest ut oralis possit esse salutaris, ut cadat in impios, qui à salute excluduntur. Nec modò ex hypothesi Adversariorum est absolutè inutilis sine spirituali, sed & exitialis & lethifera, quia qui manducat indignè, judicium sibi edit & bibit. Quis non fateatur ergo solam manducationem salutarem eam esse, quæ dat vitam, Et eam, sine qua potest dari salus, & quæ potest esse exitialis, *6. Ex inutilitate manducationis oralis.*

QUÆST. XXVIII. exitialis, non esse veram manducationem, quam Christus commendat & præcipit, ut absolutè necessariam ad salutem? Quò pertinent verba Christi Joan. 6. 63. ante citata, *Caro non prodest quicquam, Spiritus est qui vivificat, Verba quæ vobis loquor, sunt Spiritus & vita.* Quæ opponit Capernaïtis, qui ex verbis Christi de manducatione Carnis suæ malè intellectis, pertendebant Carnem Christi ore recipiendam esse, ut corpora nostra subiret. Christus verò contrà ostendit inutilem fore Carnem ita receptam ad nostri vivificationem, quæ sola à Spiritu Sancto, tanquam causâ efficiente producatur. Caro quidem potest prodesse ad salutem, meritoriè, quatenus consideratur ut Victima in Cruce obblata pro mundi vita. Sed non prout concipitur, ut causa efficiens, quæ intus producat istam vitam spiritualem, quo sensu nihil juvabat ad vitam; Sed hoc erat opus Spiritus Sancti, ad quem pertinet applicare, & in nobis producere vitam, quæ per Carnis Christi oblationem nobis est acquisita. Cùm ergo constet sine manducatione corporea homines posse salvari, & cum ea damnari, ac proinde nullius usus & necessitatis esse ad salutem, quis dixerit eam à nobis retinendam esse?

XVI. Scio Adversarios utilitates varias corradere, sed quæ fictitiæ sunt, nec quicquam eos juvant. Non *realis conjunctio* seu *unio Carnis Christi cum carne nostra.* Quia Communio, quæ nobis intercedit cum Christo, nusquam dicitur corporalis, sed spiritualis & mystica, quæ non aliâ ratione fieri potest, quàm per Spiritum & fidem 1 Cor. 6. 17. Eph. 3. 17. aliàs posset dici conjungi Caro Christi cum carne impiorum, qui eam manducant. Non *Unio realis & substantialis cum Deo*, Quia vel substantialis est Dei in nobis præsentia, quæ ex immensitate & omnipræsentiâ Dei oritur, non ex orali manducatione Christi; Vel præsentia gratiæ, & Unio mystica fidelium cum ipso, quæ non alio modo, quàm per Spiritum & fidem fieri potest, ut unio nostri cum Christo. Non *demonstratio amoris Christi erga Sponsam suam*, Quia satis illum patefecit in morte, quam tulit pro ipsa, & in Unione spirituali, per quam nos in unum Corpus per Spiritum secum unit. Non *causa & semen resurrectionis gloriosæ per contactum & conjunctionem glorioſi Corporis Christi cum corporibus nostris.* Quia Scriptura resurrectionem nostram tribuit non qualitati alicui ex contactu corporeo Carnis Christi, sed Spiritui Sancto in nobis habitanti Rom. 8. 11. hinc Vasquez & Suarez hoc figmentum refellunt variis rationibus.

1. *Ab Absurdis.* XVII. VII. Ab Absurdis, quæ præsentiam realem & oralem manducationem sequuntur. 1. Quòd Christi Corpus sanctissimum in stomachum & ventriculum demittatur, mille sordium & impuritatum receptaculum. 2. Non modò piorum sit pabulum, sed etiam impiorum & sceleſtissimorum. 3. Non modò ab hominibus possit comedi, sed etiam à muribus,

muribus, canibus, & aliis brutis vorari, quod vel referre horrét animus. Ut mittam alia innumera absurda, quæ dogma hoc comitantur, & quæ Religionem Christianam apud infideles probro exponunt. Qui non possunt sine horrore audire Christianos manducare Deum, quem adorant, & adorare Deum, quem edunt. Quæst. XXVIII.

XVIII. VIII. Corporalem præsentiam Antiquitati fuisse planè incognitam ante Scholasticorum ævum, vel sola formula, *Sursum corda*, in Missa adhuc usitata, quam ex Cypriano allegat Gratianus Dist. 1. de Consecra. Can. *Quando autem*, demonstrat. Eò pertinent ista August. Tract. 50. in Johan. *Quomodo in cælum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? fidem mitte & tenuisti.* Ambrosi. Serm. 56. de Temp. ait, *Christum tam longè à nobis abesse corporaliter, quantum distat cælum à terra, tangi nihilominus fide ab iis, qui eum mentis elevatione quærunt.* Plura vide apud Albertinum, Forbesium, & alios supra citatos. 8. *Ex Antiquitate.*

XIX. IX. Adversarii de modo præsentiæ istius non conveniunt. Alii ut *Scotus*, *Biel*, *Richardus de media Villa* volunt Corpus Christi esse præsens in Eucharistia circumscriptivè. Alii ut *Bonaventura*, *Thomas*, *Durandus*, *Capreolus*, pertendunt esse præsens non circumscriptivè, sed penetrativè & indivisibiliter, non per modum quantitatis dimensivæ, sed substantiæ. Argumenta, quæ utrinque ab ipsis afferuntur in sententiam contrariam, falsitatem utriusque clarè evincunt. 9. *Ex Adversariis.*

XX. Figuræ legales Agni Paschalis, Mannæ, Panum propositionis & similes non possunt dici figuræ nostrorum Sacramentorum; sed tantùm figuræ similes & correspondentes nostris, quæ eundem Christum & ejus beneficia nobis repræsentabant, qui solus est Corpus umbrarum Col. 2. 17. & Veritas typorum. Dignitas & efficacia Sacramentorum Novi Testam. præ Sacramentis Veteris, non est quoad rem, sed quoad gradum, qui non oritur ex corporali Christi sub speciebus panis & vini præsentiâ, sed ex dignitate & efficaciâ novi Fœderis, & ex clariore significatione & obsignatione rei significatæ, tum propter manifestationem Christi, qui ut venturus adhuc sub Veteri Testam. obscuriùs proponebatur; Tum propter Verbum additum Sacramento, quod longè clarius est Verbo Legali. Christus Joan. 6. non proponit Manna ut figuram Eucharistiæ, de qua ibi non loquebatur, ut antea dictum, sed Christi veri panis vitæ, qui efficit reipsa, quod Manna tantùm adumbrabat. Paulus non confert Manna cum Eucharistia ut figuram cum veritate, sed ut figuram correspondentem & analogam alteri figuræ. *Fontes Solutionum.*

XXI. *Qui indignè manducat & bibit Sacramentum fit reus Corporis & Sanguinis Christi*, 1. Cor. 11. 29. non ex reali & corporali ejus præsentiâ, sed ex symboli sacri profanatione. Unde non Corpus, sed panem in- 1. Cor. 11. 29.

QUÆST. XXVIII. dignè manducari ait Paulus, *Quisquis indignè manducaverit hunc panem.* De Corpore aliud testatur Christus Jo. 6. nimir. quòd quisquis illud manducat habet vitam æternam. Ex quo sequitur à nullo ad judicium & ad mortem manducari posse. Reus ergo Corporis & Sanguinis Christi rectè potest dici, non manducati, sed spreti & rejecti, non in se ipso, sed in suis symbolis, quæ suam dignitatem habent à Corpore Christi. Nimirum persona, vel res potest bifariam læsi, Vel in se ipsa, ut factum à Judæis, & ab illis qui Christum crucifixerunt, Vel in illis, qui cum persona, vel re aliquam habent communionem, vel ad illam relationem. Ut Imperatorum majestas lædebatur, quando illorum Statuæ everiebantur, & Rex offenditur, quando Imago ejus vel Diploma discerpitur. Sic Apostatæ Heb. 10. 29. dicuntur Filium Dei conculcare, non immediatè, sed mediatè per Evangelii abnegationem & contemptum. Vera igitur loci Paulini sententia est. Qui indignè manducat hunc panem, non putare debere se Corpus Christi manducare, sic enim salutem haberet, sed credere debere se sibi judicium manducare, id est, indignè manducando symbola judicium in se accersere, causam judicii manducando. Nec si dicitur *talis non discernere Corpus Domini*, ideo sequitur illud manducare. Nam dijudicandi instrumentum est fides, quâ qui carent, ut non dijudicant, ita nec manducant Corpus Domini. Dicitur ergo non discernere Corpus Domini, non qui Carnem Christi pani inclusam, non discernit à pane communi, sed qui symbola sacra, quæ suam excellentiam habent à re significatâ, non æstimat, nec alio modo tractat, quàm vulgares cibos. Sic edit *panem Domini*, sed non *panem Dominum.* Hebr. 10. 29.

XXII. Ut Sacra Cœna duabus constat rebus, terrenâ & cœlesti, corporeâ & spirituali; Ita duos distinctos perceptionis modos requirit. Nec insolens est in Scriptura, vocem unam in una propositione diverso accipi significatu. Ut Gen. 13. 15. *Semini tuo daturus sum totam hanc regionem*; ubi voce *Seminis* carnales & spirituales posteri Abrahæ, & voce regionis tam cœlestis quàm terrena Canaan intelligitur. Deinde vox eadem propria & figurata esse nequit respectu ejusdem subjecti; sed respectu diversorum nihil obstat. At hic vox manducationis, quæ per verbum *edere* notatur, duas distinctas manducationes designat.

XXIII. Licèt corpora nostra uniantur Corpori Christi, non necesse est ut oraliter illud manducent. Quia uniuntur ei non contactu, aut contiguitate corporali, sed modo merè spirituali & mystico, à quo & ipsa unio magnum mysterium appellatur à Paulo Eph. 5. 32. Unionis ergo vinculum non est oralis aliqua participatio, sed ex parte Christi efficax operatio Spiritus Sancti; Ex parte nostra fides, & ex ea nascens charitas. Si verò unio ista *substantialis* & *essentialis* dicitur, hoc intelligitur ratione rerum quæ uniuntur, ut *realis* bene dicitur, quum ipsius unionis spectatur veritas.

XXIV.

XXIV. Quamvis dicamus sine fide Cœnam nobis esse inutilem; Non sequitur Christi in Cœna præsentiam, vel absentiam, pendere à fide vel infidelitate sumentis. Quia non separandum est & opponendum instrumentum causæ principali, sed subordinandum. Nam ut Christus Corpus suum nobis præbet, ita fides instrumentum est & medium, quô percipitur. Non desinit quidem esse Cœna Domini, ex Christi instituto, modò ritè ex ejus Verbo celebretur, etsi impius & incredulus ad eam accedat. Sed huic, qui indignè accedit, non est Cœna Domini, sed Cœnæ Dominicæ profanatio. Ad substantiam quidem Sacramenti non pertinet fides, quia nec materia ejus est, nec forma, & integrum est Sacramentum quoties administratur ex ordine Dei, sive accipiatur à fideli, sive non. Sed ad Sacramenti participationem & usum summè necessaria est, utpote sine qua nec res signata percipi, nec Sacramenti finis obtineri potest. Ita Sacramentum respectu Dei etiam sine fide Sacramentum est; sed respectu nostri sine fide nudum est signum. Quæst. XXVIII.

XXV. Licèt Corporis Christi manducatio figuratè dicatur, tamen res hoc loquendi genere significata est verissima, non autem tropica, aut figurata, videlicet arctissima cum ipso Christo conjunctio. Unde perperam mysticum opponitur figurato, cùm potius divina mysteria soleant utplurimum figuratis verbis adumbrari, ut quæ verbis satis propriis exprimi non possint.

XXVI. Aliud est manducare Corpus Christi, Aliud manducare illud oraliter & corporaliter; Illud notat objectum manducationis, hoc verò modum. Prius dicimus, sed non posterius, hæc hìc confundenda sunt hæc duo, *spiritus* & *spirituale*; quod comeditur spiritualiter, non tamen fit spiritus, ut Corpus quod comeditur, non statim corporaliter comedi debet. Non putandum ergo positâ spirituali conjunctione, tolli veram & arctissimam cum Christo unionem: aliàs nulla posset dari Christi cum Ecclesia conjunctio, nec fidelium inter se & cum Spiritibus beatis, licèt locorum intervallo dissitissimis.

XXVII. Si Corpus Christi nobis verè adest præsens. Non sequitur corporaliter nobis adesse præsens in terris. Nec si vere à nobis accipitur, oportet ut oraliter & corporaliter à nobis accipiatur; Quia aliud est *præsentiæ veritas*, aliud *perceptionis modus*. In cœlo quidem est corporaliter respectu existentiæ ipsius Corporis, sed nihilominus est præsens animis nostris per fidem præsentiâ spirituali. Verè ergo Corpus Christi in cœlo præsens est corporaliter, & verè spiritualiter præsens est animis nostris, sive fidei nostræ, quâ à nobis percipitur. Et malè colligitur, Si spiritualiter, Ergo non verè, quia nihil tam verè fit, quàm id quod fit à Spiritu.

QUÆST. XXVIII. XXVIII. Manducatio spiritualis Christi non pertinet tantùm ad efficaciam & virtutem Corporis & Sanguinis Christi, ejusque beneficia; sed etiam ad ejus substantiam. Quia Scriptura testatur fideles conjungi cum ipso Christo, Jo. 17. 22. Gal. 2. 20. 1. Cor. 6. 17. Ephes. 3. 17. Quia Joan. 6. dicimur edere Carnem Christi, & bibere ejus Sanguinem, quod contradistinguitur ejus beneficiis, prout & ibidem Christus distinguit. 3. Quia Christus est inseparabilis à suis beneficiis. Fideles Veteris Testamenti rectè dicuntur participes facti ipsius Christi, & ita Corporis & Sanguinis ejus, quæ ipsorum fidei erant præsentia, unde dicuntur bibisse ex petra, quæ erat Christus 1. Cor. 10. 4. Et Christus idem fuit heri ac hodie Hebr. 13. 8. etiam ut Agnus occisus ab origine mundi Apoc. 13. 8.

XXIX. Hinc patet falsò nobis exprobrari, quòd negemus præsentiam Corporis & Sanguinis Christi; quia malè proceditur à negatione unius speciei, ad negationem generis, A negatione præsentiæ corporalis, ad negationem cujusvis veræ præsentiæ. Licèt enim Christi Corpus non sit localiter præsens in Cœna, non desinit esse verè præsens animo, mediante fide, tam in Verbo, quàm in Sacramentis.

XXX. Figmentum *manducationis corporalis* duplicis, Unius quidem, quæ sit *naturalis*, & quæ fiat per actiones organorum manducationis, adeoque per divisionem cibi in partes, & quidem ad nutritionem corporis, quæ fit sensibiliter. Alterius verò *supernaturalis*, *insensibilis*, & occultæ, quæ fiat per receptionem Corporis Christi in os sub pane, vel speciebus panis, absque divisione & ulla actione organorum; Non magis potest admitti, quàm commentum duplicis præsentiæ corporalis visibilis & invisibilis, quod supra refutatum est. 1. Quia nullum fundamentum habet in Scriptura, nec in natura rei. Vera enim manducatio non consistit in sola receptione cibi, aliàs quicquid in os reciperetur, diceretur manducari, quod falsum apparet exemplo Jonæ, qui licèt ore ceti deglutitus, non fuit tamen manducatus; sed in divisione cibi & actionibus organorum in illum cibum, ex quibus sequitur cibi destructio. 2. Repugnat rem corpoream ore corporis manducari supernaturaliter & insensibiliter, quia nulla actio corporea potest esse insensibilis, quicquid ore percipitur, naturaliter percipitur & manducatur. 3. ἀσύμπτωτον est unam & eandem rem numero corporaliter à pluribus comedi & multoties, prout jubemur comedere Corpus Christi.

XXXI. *Κοινωνία Corporis & Sanguinis Christi*, de qua Paulus agit 1. Cor. 10. 16. non potest notare corporalem *communicationem* & *exhibitionem* Corporis sub speciebus panis localiter præsentis, quia eodem modo sumus unum cum Christo, quò & multi unum Corpus sumus, scilicet per Spiritum unum, non per transitionem substantiæ in substantiam;

1. Cor. 10. 16.

Sed

Sed notat tantùm *communionem*, *consortium* & *societatem*, quomodo sæpius in Scriptura dicimur habere communionem cum Deo & Christo. Et ipsa textus series id probat, ubi vox κοινωνία sæpius repetita, non aliud quàm societatem & consortium notat. Ita panis est Communio Corporis Christi, nimirum, id per quod Communio Corporis Christi obtinetur, vel signum & sigillum Corporis Christi, non verò ejus vehiculum & receptaculum. Nec Paulus confert inter se communionem cum Corpore Christi, & communionem cum idolis, in eo, quòd illa præstantior sit hâc, sed potius ex utriusque oppositione ostendit eum, qui cum Christo communicat, cum dæmonibus communicare non debere. Quæst. XXVIII.

XXXII. Quamvis communio, quam habemus cum Christo per prædicationem Verbi, & per Baptismum, sit eadem quoad speciem cum ea, quam habemus cum ipso per Eucharistiam, nimirum per spiritum & fidem; Non desinit esse amplior, & certior quoad gradum in ista, quia quo pluribus symbolis mysterium istud nobis repræsentatur, & à pluribus sensibus percipitur, ut fit in Eucharistia, eò fortiùs mentibus nostris imprimitur. Verbum in genere beneficia ista proponit, sed Cœna singulis in specie applicat. Baptismus sub idea lavacri & regenerationis ea exhibet. Sed Cœna sub idea cibi & potus, quæ longè efficaciùs nostram cum Christo communionem obsignant. Nec aliud sibi vult Catechesis nostra Domin. 52. quum ait, *Licèt Christus nobis communicetur per baptismum & per Evangelium, hoc fiat tantùm ex parte, & non plenariè.* Nam constat ex verbis immediatè præcedentibus, hoc tantùm innuere; Cùm enim Pastor petiisset, quid *Cœna addat Verbo, aut quid amplius habeamus in Cœna, vel quis sit ejus usus?* Respondet puer, quòd *in Cœna communio nostra amplius confirmetur, & veluti rata habeatur*, quod clarè notat non novam communionem designari, sed ampliorem & efficaciorem.

XXXIII. Licèt Communio cum Christo differat à participatione fructuum mortis ejus, tanquam causa ab effectu, & possint à nobis concipi distinctè: Non sequitur duplici actione fieri, vel duplicem communionem inducere, aliam quæ fiat oraliter, aliam verò spiritualiter & per fidem. Quia utrumque eodem actu fidei optimè potest fieri, ut dum per fidem Carnem Christi manducamus, & cum illo unimur, eo ipso meritum mortis ejus & fructum sacrificii ab ipso oblati nobis applicemus. Hæc enim ita sunt inter se connexa, ut se invicem comitentur, nec unquam separari possint.

Quæst. XXIX.

QUÆSTIO XXIX.

DE SACRIFICIO MISSATICO.

An in Eucharistia offeratur Deo externum, reale, & propriè dictum Sacrificium, non laudis tantùm, gratiarum actionis, commemorationis, sed verè propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum? Neg. contra Pontificios.

I. UT magna est Veritatum salutarium inter se connexio; Ita & Errorum multiplex datur nexus, quô sese invicem comitantur & trahunt. Quod in hoc de Eucharistia argumento imprimis constat. Nam ut semel invecta est corporalis Christi præsentia, ex ea fluxit Transubstantiatio. Unde postmodum ortum est Sacrificium Missaticum, ad quod tandem omnia redeunt. Ideo enim Christus in Cœna præsens statuitur, & conversio panis in Corpus Christi asseritur, ut in ea tandem offeratur, Et hæc non postrema est ex horrendis corruptelis, quibus Antichristus sacram Domini Cœnam deformavit, eam in sacrificium externum, & quidem ἱλαστικὸν, transformando.

Status Quæstionis.

II. Ad Statum Quæstionis Observamus. 1. Non quæri, De *Nomine Missæ*, unde ductum sit, & quo sensu usurpari possit, De quo antea diximus. Sed de *re ipsa*, An detur res tali voce apud Pontificios significata? 2. Non quæri, An in Religione & in Ecclesia etiam Christiana sit necessarium aliquod sacrificium? Convenit enim inter partes sacrificium sic pertinere ad essentiam Religionis, ut nulla possit dari vera Religio, quæ non nitatur sacrificio aliquo expiatorio ad conciliandam hominibus gratiam & pacem Dei. III. An Christus se ipsum semel in ara Crucis Patri non obtulerit in plenariam peccatorum nostrorum expiationem, & Patris propitiationem? Hoc enim non audent asserere Adversarii, licèt hoc ex eorum hypothesi sequatur, ut postea videbitur. Sed An Christus adhuc quotidie offerendus sit? Et An novum sacrificium Deo offerri debeat? IV. Non Qu. An Eucharistia possit impropriè & symbolicè vocari *Sacrificium Eucharisticum & mysticum*, ratione commemorationis, gratiarum actionis, repræsentationis, & applicationis? Hoc enim non ægrè largimur Adversariis. Sed, An sit verum, reale, externum, & propri. dictum sacrificium hylasticum? Non ergo Controversiæ Status in eo versatur, ut subdolè more

more suo Bellarminus in eo illum ponit; An Actio illa sacra, in qua confi- Quæst. XXIX.
citur Eucharistia, multis præcedentibus & sequentibus precibus sit sacrificium? Sed Utrum in Eucharistia detur verum sacrificium, non Eucharisticum; internum & spirituale; sed externum, corporale & propitiatorium, in quo sub speciebus panis & vini Christus quotidie offeratur à Sacerdote Deo Patri in Victimam pro peccatis viventium & mortuorum? Affirmant Adversarii, Nos negamus.

III. Sententia Pontificiorum non certiùs potest intelligi, quàm ex Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 1. & 2. Cujus mens eò redit, Christum, quamvis semel in ara Crucis Deo Patri se oblaturus fuerat, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, In Cœna novissima reliquisse sacrificium, quô cruentum illud in Cruce peragendum repræsentaretur, & salutaris ejus virtus in remissionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur, applicaretur. Declaraturum igitur, se Sacerdotem illum esse secundùm ordinem Melchisedeci constitutum, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse, ac sub earundem symbolis Apostolis, quos tum Sacerdotes fecerit, ut sumerent tradidisse, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent præcepisse, per hæc verba, *Hoc facite in mei commemorationem*, & ita Catholicam Ecclesiam semper intellexisse & docuisse. Ne verò qualecunque sacrificium intelligatur, addunt Cap. 2. Quia in hoc Sacrificio idem ille Christus contineatur & incruentè immoletur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruentum obtulit, idcirco istud verè propitiatorium esse, quippe cujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittat, Unam enim eandemque esse hostiam, eundem nunc offerentem Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit; solâ offerendi ratione diversum. Quod confirmatur Canonibus variis. In 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit.* In 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, Anathema sit.* In 3. *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, Anathema sit.* *Sententia Pontificiorum.*

IV. Quamvis verò non pauci ex Adversariis crudum hoc dogma emollire vel incrustare conentur, semper tamen ab Ecclesia retinetur & in praxi observatur prout à Concilio definitum est. Nec hilum proficit Ill. *Bossue-*

tus

QUÆST. XXIX. *tus* In Exposi. Doctri. Catho. dum hoc Caput præ cæteris palliare & fucare callidè & operosè contendit. Utut enim speciosè & propius ad mentem nostram accedere videatur, dum *Sacrificium* non aliud interpretatur, quàm *Commemorationis*, seu *repræsentationis in signis mortem ipsius exhibentibus*, idque *fidei oculo*. Et sic intelligi Christum *sacræ mensæ assistentem, & apparentem Deo pro nobis*, sic eundem *offerri*, id est, *præsentem sisti* accedentibus *precum vivis hostiis*, totumque esse *spirituale Sacrificium*, Christo ibi oblato *in mysterio, in imagine, Non dari novam propitiationem ad placandum Deum denuo, quasi non sufficienter placatus esset Sacrificio Crucis, vel ad addendum aliquod supplementum salutis nostræ pretio, quasi imperfectum esset. Hæc omnia fieri viâ Intercessionis & applicationis.* Nullam aliam deinceps hostiam immolandam, nullam dari post Sacrificium Crucis summè perfectum, veram hostiæ mortem seu oblationem, & alia idgenus, quæ art. 14. & 15. de Sacrificio Missæ subjicit. Reipsa tamen Concilii Tridentini sententiam retinet, & non semel eam ibidem tradit. Hinc toties meminit *Sacrificii veri & propitiatorii*, quò placatur Deus. *Sic*, inquit, *Filius Dei mensæ sacræ imponitur vi istorum verborum* &c. Et postea, *Jesus Christus præsens renovat & perpetuat quodam modo memoriam obedientiæ suæ usque ad mortem Crucis, ita ut nihil illi desit ad verum Sacrificium.* Et postea, *Censemus istam oblationem efficere, ut Deus sit nobis magis propitius, ideo illud vocamus propitiatorium.* Et postea, *Offerimus Deo Dominum Nostrum Jesum Christum in verum Sacrificium, ut unicam veram nostram Victimam & unicam propitiationem nostram in ejus Sanguine.* Quæ luculenter ostendunt nihil hic remitti de crudo Concilii dogmate, Et quæ interspergit ad nos propius accedentia ad minuendam ejus duritiem, vel esse ἀσύστατα, vel ad fucum faciendum tantùm apposita.

Orthodoxorum Sententia.

V. Nos sic statuimus, Nullum in Ecclesia Christiana dari Sacrificium verum, reale & propriè dictum hylasticum, præter Sacrificium Christi semel in Cruce oblatum, quod iterari nec posse, nec debere censemus. Adeòque Sacrificium Missaticum tanquam Scripturæ Sacræ, & fidei Christianæ ex diametro repugnans, & Christo summè injurium & contumeliosum rejicimus & detestamur. Rationes cur ita statuamus multæ sunt.

Non dari Sacrificium Missaticum probatur 1. Ex silentio Scripturæ.

VI. Prima petitur Ex *silentio Scripturæ*. Quia nuspiam Christus, vel Apostoli sacrificium hoc docuerunt, ut omnino fieri debuit, si tanti momenti creditur esse mysterium, sine quo Religio Christiana stare nequit. Quis credat Christum & Apostolos θεοπνεύστους tacere voluisse doctrinam adeò necessariam cognitu ad Religionis & cultus divini praxim, adeò utilem singulis fidelibus, & tam arctè connexam cum rebus quas tractabant, & adeò essentialem muneri Pastorum & Episcoporum, de quo toties loquuntur? Quis sibi persuadeat, Illos, qui in scriptis suis

capita

capita Religionis Christianæ tam accuratè executi sunt, ut non ægrè tu- Quæst. XXIX.
lerint ea sæpius repetere & inculcare, etiam in rebus minoris momenti; Nullum verbum de re tanti momenti, quæ primarium est Religionis fundamentum, fecisse? Eoque magis, quòd præter rei momentum, accedebat, Tum *difficultas* eam credendi, quâ non alia major occurrebat, petita ex rei impossibilitate juxta sensuum & rationis dictamen. Tum *periculum* ne Satan Religionem Christianam hac ex parte tanquam debiliore oppugnaret, destitutam testimonio sensuum, rationis, & conscientiæ. Denique cùm nihil frequentiùs occurrat in Veteri Testamento, quàm mentio Sacerdotum & sacrificiorum legalium, & eorum omnium, quæ ad ipsorum institutionem pertinebant; Quis in animum inducat, Apostolos silentio obvolvere voluisse Sacerdotium & Sacrificium Novi Testamenti longè illustrius, utpote Veteris corpus & veritatem? Cùm ergo tot tantæque rationes eos ad hoc mysterium fidelibus proponendum impellerent; Nec tamen quicquam de eo tradiderint, non unus vel alter, sed omnes simul; Nam quæ loca afferuntur ab Adversariis, figmento isti non favere postea probabitur; Ex eo jam solidè colligitur, nunquam à Christo institutum esse, nec proinde à nobis esse recipiendum.

VII. Nec Bellarminus solvit nodum, quum ait, *Ista esse argumenta negativa*, quæ ipsis etiam pueris ridicula sunt. Imò pueriliter argutatur. Quamvis enim ex autoritate humana argumentum non valeat negativè, quia certum est homines sæpè multa ignorare. At in dogmatibus fidei argumentum ab autoritate divina Scripturæ tam affirmativè quàm negativè valere pueri nôrunt, quia Scriptura continet omnia ad salutem necessaria; Unde si quid reticet & non notat, eo ipso negare censenda est. Apostolus Heb. 1. 5. ex eo quòd nemini Angelorum dictum fuit unquam, *Tu es Filius meus*, colligit nomen Filii soli Christo competere. Absurdè verò Bellarminus vult à nobis certum Testimonium afferri, in quo legatur Christum se non obtulisse in Cœna; Cùm constet apud omnes affirmanti incumbere probationem, non neganti. Volunt illi dari Missaticum sacrificium, probent ergo illud ex Scriptura, & vicerint.

VIII. Sed tantùm abest, ut ex Scriptura quicquam habeant, quod 1. *Ex Eucharistiæ Institutione.*
Causam eorum juvet, ut non pauca suppeditet nobis argumenta, ex quibus apertè jugulatur, ut in sequentibus docebitur. Secundum ergo Argumentum ducetur *Ex ipsa Eucharistiæ institutione*, quæ ex diametro tali sacrificio opponitur. Christus in Cœna non adstat altari, ut se ipsum sacrificet; sed accumbit mensæ, ut panem & vinum benedictione sua sanctificet, non ut Patri offerret, sed ut discipulis distribueret, ut acciperent, ederent, & biberent, non ut adorarent, aut immolarent. Jubet Apostolos idem facere in sui memoriam, adeoque in repræsentationem,

Quæst. XXIX. obsignationem, & applicationem Corporis in Cruce fracti, & Sanguinis fusi, non verò ad expiationem, propitiationem & satisfactionem pro peccatis. Apostoli non aliud tradiderunt, quàm quod acceperunt à Christo, non utique Sacrificium, sed Sacramentum, non ad immolandum, sed ad commemorandum, & mortem Christi annunciandum, usque quò venerit. Hoc verò ulteriùs confirmatur ex antithesi Cœnæ Domini, & Missæ Papalis. In Cœna Deus dat, fideles accipiunt. In Missa Sacerdos dat, Deus accipit. 2. In Cœna Christus oblationis & mortis suæ monumentum & memoriam instituit. In Missa Christum Deo offert Sacerdos, & quidem in victimam pro peccatis. 3. Christus in Cœna panem porrexit discipulis dicens, accipite, edite, Patri verò nihil obtulit, nec se ipsum immolavit. In Missa volunt Christum se offerre Patri in sacrificium. 4. Christus dixit, *hoc facite*, id est, comedite, bibite. Sed Pontificii, *hoc facite*, volunt significare, hoc sacrificate. 5. Christus jussit discipulos capere & edere panem, quem ipsis porrigebat. Sed Sacerdos in Missis solitariis nihil dat populo, cumque nemo adsit, dicit tamen accipite. 6. Cœtra Christi absentis, & in cœlo ad dextram Dei sedentis est commemoratio; Missa ejusdem sub speciebus panis & vini immolatio est. 7. Cœna in solius Christi memoriam, & pro iis instituta est, qui mortem ejus anunciare possunt. Missa in Sanctorum memoriam, & pro mortuis celebratur, qui facere nequeant quod Christus requirit. Exceptiones in Fontibus Solutionum excutientur.

3. Ex natura Sacramenti. IX. III. Ex *natura Sacramenti*, Cœna Domini est Sacramentum. At idem Sacramentum & Sacrificium esse repugnat. Sacramentum enim tanquam pignus & sigillum gratiæ datur à Deo, & à fidelibus accipitur. Sacrificium contrà à fidelibus offertur, & datur Deo, atque ab ipso paternè acceptatur. Terminus à quo in Sacramento est Deus, ad quem homo. In Sacrificio contrà res habet. Frustra dicitur 1. *Non repugnare unum & idem dari & accipi, cùm nihil habeamus offerendum Deo, nisi quod ab illo accepimus.* Quia licèt unum & idem possit dari & accipi diversis actionibus, non tamen eadem & secundùm idem. Vel ergo ostendant Adversarii duas externas actiones Christi in Eucharistia, unam accipiendi Sacramentum, alteram offerendi sacrificium, vel agnoscant repugnantiam in sua sententia. Nec reponi debet, *Symbola transubstantiata, quatenus distribuuntur recipientibus esse Sacramentum, quatenus Deo offeruntur, esse sacrificium.* Quia gratis supponitur quod est in quæstione. Nam asserimus nos symbola in hunc finem à Deo fuisse instituta, ut distribuerentur à Ministris, & sumerentur à Communicantibus, non ut ipsi illa Deo, sed ut se ipsos illis sumptis, cum omni laude & gratiarum actione in hostiam rationalem & vivam Deo offerrent.

X.

X. 14. Ex *unitate Sacerdotii, & Sacrificii Christi.* Quia Christus est unicus Sacerdos Novi Testamenti, qui unicâ oblatione opus salutis nostræ consummavit. Si Christus est Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedeci sine successore suffraganeo, & Vicario, qui sacerdotium ἀπαράβατον habet, quod ad alios non transiit, & qui semel tantùm se obtulit; Blasphemum est dicere ab aliis Sacerdotibus Vicariis hoc sacrificium in Missâ iterari. At Scriptura utrumque adstruit sæpius. 1. Quoad *unitatem Sacerdotii*, 1. Quia solus Christus accepit mandatum à Patre de ponenda vita sua pro ovibus, illudque solus implevit, Joan. 10. 18. 2. Solus Christus adumbratus fuit per Sacerdotes & sacrificia Veteris Testamenti, quibus abrogatis solus manet Sacerdos. 3. De solo Christo dicitur, quòd talis nos decebat Pontifex Heb. 7. 26. *qui esset innocens, purus, separatus à peccatoribus, sublimior cœlis factus.* 4. Christus solus est Mediator Novi Testamenti, ad quem pertinet Sacerdotio defungi, & se ipsum tradere pro nobis 1. Tim. 2. 5. Heb. 7. & 9. 14. 15. 5. Solus habet Sacerdotium æternum & ἀπαράβατον Heb. 7. 6. Nullus alius proponitur N. Test. Sacerdos præter eum qui simul est & Sacerdos offerens, & Victima oblata, ut hic sit veluti character Sacerdotis Novi Testamenti, quô differt à Sacerdotibus veteribus, qui offerebant bruta Heb. 9. 12. Exceptiones Adversariorum de Sacerdotio primario & secundario ac subalterno vide discussas Lo. 14. Qu. 9. de Unitate Sacerdotii Christi par. 16. 17. 18. Quæst. XXIX. 4. *Ex unitate Sacerdotii, & Sacrificii Christi.*

XI. 2. Quoad *unitatem Sacrificii*, illa passim prædicatur ab Apostolo Heb. 7. 26. *Talis nos decebat Pontifex, qui non opus haberet, ut Pontifices primò pro peccatis suis offerre, deinde pro peccatis populi, id enim fecit semel cùm se ipsum obtulit.* Et cap. 9. 27. *Non ut sæpe offerat se ipsum, sicut Pontifex ingreditur in Sacrarium quotannis, alioquin oportuisset ipsum sæpius passum fuisse à condito mundo. Sed semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est*, & statim addit, *Ut statutum est omnibus semel mori, & postea judicium: Ita & Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret.* Et ℣. 11. *Christus per proprium Sanguinem ingressus est semel in Sanctuarium, æternam redemptionem nactus.* Et cap. 10. ℣. 10. *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Christi semel factam.* Et ℣. 12. *Unicâ oblatione semel factâ consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius liquet, Apostolum unitatem Sacrificii Christi asserere, tam quoad unitatem victimæ oblatæ, quàm quoad unitatem oblationis, dum ἐφάπαξ *semel* tantùm in Cruce dicitur se obtulisse, oppositè ad Sacrificia Legalia, quæ non modò plura erant numero, & à pluribus oblata, sed & sæpius iterata. At si debuit Christus sæpius offerri quotidie, quomodo potuit tam constanter asserere absolutè & sine ulla limitatione Heb. 7. 26. Cap. 9. 27. Et 10. 10.

Quæst. XXIX. Christum semel tantùm oblatum fuisse, nec posse aut debere ulteriùs offerri?

XII. Incassum Pontificii distinguunt. 1. *Sacrificium Redemptionis & satisfactionis, & Sacrificium applicationis & Religionis.* 2. *Cruentum & incruentum.* 3. *Oblationem primitivam & primariam, & secundariam & dependentem.* 4. *Sacrificium immolationis, & repræsentationis ac commemorationis.* Unicum dici ab Apostolo priori sensu, sed non posteriori. Quia distinctiones istæ omnes principium petunt, & non uno modo tum Scripturis, tum sibi ipsis contradicunt. Nam si Apostolus pro certò habuisset Christum verè & propriè offerri pro peccatis hominum, An hoc adeò expressè negâsset nullâ restrictione adhibitâ? Si hoc intellexit sub limitatione Sacrificii redemptionis, & non applicationis, Cruenti & incruenti, Oblationis primariæ, non secundariæ. Cur istam limitationem nunquam aperuit, sed tacitè in mente sibi servavit? An periculum aliquod fuberat eam proponere? Imò periculosum fuit eam silentio premere, ne fideles inducerentur ad credendum unicam tantùm esse oblationem, ut toties asserit, cùm plures essent & innumeræ. Cùm enim verba tantùm Apostoli sint regula fidei nostræ, quomodo credere possumus hoc vel illud esse, nisi clarè probetur ex verbis ejus talem esse ejus mentem?

XIII. Sed vanitas distinctionum allatarum pressius est expendenda. Prima est *Sacrificii redemptionis & applicationis*, Quæ 1. est ἀσύστατος, quia applicatio & oblatio differunt, oblatio fit Deo, applicatio nobis, oblatio rem facit, applicatio supponit factam. At omne sacrificium propriè dictum expiatorium, quale volunt esse Missam, est oblatio Deo facta, Ergo non potest esse medium applicationis. Dicere ergo *Sacrificium applicationis* est oppositum in appositio statuere, Sacrificium non sacrificium; nam ubi non est oblatio pretii pro peccato, ibi non est Sacrificium propitiatorium. 2. Applicatio sacrificii non magis potest fieri per sacrificium, quàm solutio debet applicari debitori per aliam solutionem, aliàs daretur progressus in infinitum, & deberet dari novum sacrificium ad applicationem præcedentis. 3. Medium applicationis non est sacrificium quod Deo offertur; Sed tum à parte Dei Verbum cum Sacramentis externè, & internè Spiritus Sanctus, à parte hominis verò fides, quæ apprehendendo mortem Christi sibi applicat ejus meritum ad justificationem & salutem. 4. Fidelibus Vet. Testam. non minus ac nobis debuit applicari Sacrificium Christi ad salutem. Sed non potuit applicari per sacrificium Missaticum. Cur ergo requiritur ut hodie milliès offeratur quotidie ad istam applicationem?

XIV. 11. distinctio *Sacrificii cruenti & incruenti* non modò est ἄγεγραφος, sed & ἀνάγεγραπται, cùm Apostolus expressè testetur non posse dari remissionem peccati, atque adeò nec sacrificium hylasticum, quô ea obtinetur, χωρὶς αἱματεκχυσίας *sine sanguinis fusione* Heb. 7. 22. ut postea fu-

fusiùs probabitur. III. Distinctio *Oblationis primariæ & secundariæ, primitivæ & dependentis* nulla est, quia unica tantum dicitur esse à Paulo, non plures, & gratis supponitur intellexisse tantùm oblationem primariam, non secundariam. Nam si hoc intellexit, Cur absolutè loquutus est, nullâ talis distinctionis factâ mentione, ut necesse omnino fuit? 2. Ubi primaria oblatio sufficit ex ordine Dei, secundaria non requiritur. At *unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur* Heb. 10. 14. Si perfectè consummavit fideles, & obtinuit quicquid obtineri potuit ad salutem, quid opus est aliâ oblatione ad eorum consummationem? 3. Ubi *est peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato* ex Paulo Heb. 10. 18. At post oblationem primariam Christi datur remissio peccatorum. Ergo non potest nec debet dari locus oblationi secundariæ. Nam si locus illi dandus esset, fieret ad remissionem obtinendam & propitiationem peccati faciendam. At hoc jam supponitur factum. Frustra reponit Bellar. lib. 1. de Missa cap. 25. ad remissionem peccati duo requiri. *Unum ut inveniatur pretium liberationis, seu satisfactio justa & debita divinæ justitiæ. Alterum ut pretium in particulari applicetur hominibus. Quoad primum, Sacrificium Crucis*, inquit, *remisit omnia peccata præterita, præsentia, futura, &c. & ideo illo Sacrificio peracto, & peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est pro acquirendo pretio ad remissionem peccatorum &c. Sed quantum ad secundum, nondum facta est remissio peccatorum omnium, quia adhuc sunt quibus applicandum est pretium liberationis, & remittenda peccata; ideo remanet hostia pro peccato, nimir. Sacrificium Missæ.* Quia licèt ad remissionem peccati actu obtinendam præter acquisitionem requiratur applicatio; non ideo applicatio debet fieri per novum sacrificium, sed per alia media antea à nobis indicata. Argumentum Apostoli viam præcludit isti effugio. Nam ubi datur remissio peccatorum impetrata, ut factum per sacrificium Crucis, non datur amplius locus oblationi pro peccato. Rursus si oblatione primariâ impetratum est perfectè, ut Deus non recordetur peccati, non opus est oblatione secundariâ ad illud obtinendum. Vis veritatis coëgit Bellarminum hoc fateri, ibidem enim ait, locum Pauli *si quid probat, evincere tantùm post Sacrificium Crucis non dari locum ulli sacrificio propitiatorio; sed non sacrificio absolutè*, At si non datur locus sacrificio ulli propitiatorio post sacrificium Crucis; Cur ergo Missa obtenditur ut tale sacrificium? Quæst. XXIX.

XV. IV. Distinctio est *Sacrificii immolationis* in Cruce, & *repræsentationis ac commemorationis* in Missa. Sed 1. Repræsentatio rei non est res ipsa, differunt ut adjunctum & subjectum, Illa præsens est, hæc præterita; illa rem factam supponit, hæc rem ipsam facit, ut imago rei differt à re ipsa. 2. Aliud est *Commemoratio sacrificii*, aliud *Sacrificium Commemorationis*,

QUÆST. XXIX. Eucharistiæ prior appellatio competit, ut quæ instituta est ad commemorationem Christi & annunciationem mortis ejus; Sed non ideo sacrificium commemorationis potest dici, nisi impropriè & symbolicè: quia sacrificium propriè dictum hylasticum non fit ad commemorationem expiationis acquisitæ, sed ad ejus acquisitionem. Ista ergo commemoratio fieri debet partim in meditatione Verbi, in quo Christus exhibetur nobis ut crucifixus Gal. 3. 1. partim in participatione Sacramenti, in quo recolimus memoriam mortis cruentæ Christi & sacrificii in Cruce oblati, quod in signis sacris nobis efficaciter repræsentatur.

XVI. v. Supponitur *sacrificium Missæ substantiâ idem esse cum sacrificio Crucis, ratione Sacerdotis offerentis primi. Christi, & Victimæ oblatæ primi. Corporis ejus, sed modum tantùm esse diversum. In Cruce modum oblationis esse cruentum, in Missa incruentum, sed qui repræsentat modum cruentum Crucis.* Sed multa exceptionem istam convellunt. 1. Si Missa idem est cum sacrificio Christi, eundem Sacerdotem, eandem Victimam, easdem illius actiones, & istius passiones esse oportet. At hîc contraria omnia. 2. Rursus si idem est, aut hoc est continuatione sacrificii in Cruce cœpti, aut iteratione. Sed utroque modo imperfectionis insimulatur. Illo quia quod inchoatum, opus habet continuatione, imperfectum est. Isto quia iterationem ut imperfectionis argumentum affert Apostolus Heb. 7. 26. 27. & 9. 26. 3. Diversitas Sacrificii Crucis, & Sacrificii Missatici multiplex occurrit. 1. Respectu *Temporis*, Sacrificium Crucis ante sexdecim secula & amplius est oblatum, Sed Missaticum quotidie offertur; Illud semel factum, non potest iterari, Hoc millies quotidie celebratur. 2. *Loci*, Illud in Golgotha, hoc ubique, illud in Cruce, hoc super altare. 3. *Valoris*, Illud valoris & pretii infiniti, hoc verò finiti, at inter finitum & infinitum datur differentia infinita. 4. *Finis*, Illud ad solvendum pretium redemptionis, hoc ad illud applicandum & repræsentandum. 5. *Essentiæ*, Illud proprie consistit in morte & passione Christi, hoc verò in ejus commemoratione, quia Christus non moritur amplius. 6. *Hominum pro quibus offeruntur*, Illud pro omnibus Electis, tam Veteris quàm Novi Testamenti, hoc verò dicitur tantùm offerri pro fidelibus Novi. 7. *Sacerdotum offerentium*, In illo solus Christus, In isto Christo adduntur Sacerdotes Vicarii. Illud Christus obtulit in terris in statu infirmitatis, Hoc verò in cœlis quà glorioſus, 8. *Victimæ oblatæ*, In illo Christus oblatus, sub propria specie, Sed in isto sub specie alienâ panis & vini; Ibi oblatus est in esse suo naturali, hic in esse suo sacramentali; Illic passibilis fuit & mortalis, Hîc dicitur immortalis & impassibilis, illic visibilis, hîc invisibilis, ibi occupabat spatium magnitudini corporis commensuratum. Hic dicitur esse in puncto indivisibiliter ad modum spirituum. Ne alia jam prosequamur plura discrimina, quæ afferri possent.

sent. Ex quibus liquidò patet discrimen Sacrificii Missatici à Sacrificio Crucis maximum esse, non tantùm ratione modi, sed etiam ipsius essentiæ. Quæst. XXIX.

XVII. v. Ex *natura Sacrificii propitiatorii*, quod requirit necessario sanguinis fusionem, & mortem victimæ. Unde ponere sacrificium incruentum est dicere sacrificium non sacrificium, quia non datur θυσία sine θύειν, nec occisio sine sanguine. Eò faciunt verba Apostoli Heb. 9. 22. Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, *Sine sanguinis fusione non datur remissio.* Et posteà pro eodem sumit Christum offerri, & Christum pati ℣. 24. *Si sæpius Christus debuisset se offerre, sæpius debuisset à condito mundo pati*, quod nititur duabus hypothesibus, 1. Quòd Christus non possit offerri sine passione; unde si offertur in Missa, debet ibi pati & mori. 2. Quòd eadem sit ratio temporum præcedentium adventum Christi, & eorum quæ eum sequuntur, unde si debet offerri sæpius ab ascensione usque ad finem seculi, debuisset sæpius pati à condito mundo: Ut Ergo Christus per quatuor annorum millia non se obtulit, nec cruentè, nec incruentè, Ergo nec offerri debet usque ad finem. Quomodo verò hoc dicere potuisset, si agnovisset aliquam oblationem incruentam, quæ quotidie fieri deberet? Nec reponi hîc debet, quod facit Autor Exposi. doctr. Catho. Apostolo *propositum fuisse tantùm explicare perfectionem sacrificii Crucis, non verò media diversa, quæ Deus nobis dedit ad illud applicandum.* Quia 1. supponitur fallò sacrificium Crucis applicari debere per aliud sacrificium. 2. Apostolum noluisse docere media applicationis sacrificii Crucis, cùm constet hæc non semel proposuisse imprimis cap 9. 13. 14. &cap. 10. 19. 20. 3. quamvis docere voluisset perfectionem sacrificii Crucis, non minus debuisset meminisse oblationis incruentæ, ut ostenderet nullam per eam fieri injuriam oblationi cruentæ.

5. Ex natura Sacrificii propitiatorii.

Heb. 9 22.

℣. 24.

XVIII. v. Ex *perfectione Sacrificii Crucis.* Quod perfectum est omnibus numeris & consummatum, non potest nec debet iterari, quia iteratio imperfectionis est argumentum, ut Apostolus probat ex sacrificiis Leviticis Heb. 10. 4. 5. quæ ideo iteranda erant, quia non poterant accedentes consummare, nec peccata omnino auferre. At *Christus unicâ oblatione in perpetuum consummavit sanctificatos*, Heb. 10. 14. Unde oblatione defunctus non mansit in terra, ut Sacerdotes Leviticí, sed consedit ad dextram Patris in perpetuum ℣. 11. 12. & nihil aliud expectat, quàm ut ponantur hostes sui scabellum pedum ejus ℣. 13. 14. Hinc in Cruce Christus clamat τετέλεσται Jo. 19. ut innuat jamjam consummatum esse opus redemptionis, quod peragere debuit oblatione sui ipsius. Positâ verò illius sacrificii perfectione, tollitur Sacrificii Missatici necessitas. Quorsum enim Christus offerri deberet ulteriùs ad propitiationem peccati, si semel per suî oblationem perfectissimè illam obtinuit? Quid opus sacrificio expiatorio, ubi expiatio jam facta est & reatus sublatus? Ergo vel insufficientiæ arguendum

5. Ex perfectione Sacrificii crucis.

Heb. 10. 14.

Joan. 19.

QUÆST. XXIX. dum est Sacrificium Crucis, vel agnoscenda falsitas Sacrificii Missatici, ut non modò inutilis, sed & injurii & contumelioſi sacrificio Crucis. Frustra dicitur *Missam non præjudicare perfectissimo Crucis sacrificio, quia quicquid fit post illud, non alium in finem instituitur, quàm ad celebrandam ejus memoriam, & applicandam virtutem.* Nam hoc est, vel ἀνύσατα loqui, vel manus dare. Quia applicatio & commemoratio sacrificii, non est sacrificium, ut antea probatum. Nec confundi debent *media acquisitionis salutis, cum mediis applicationis*, Ista quidem necessaria agnoscimus post sacrificium Crucis. Sed non pariter illa. Nec si Sacrificium Christi potuit repræsentari ante ejus adventum per Sacrificia Levitica propriè dicta; Sequitur & post ejus oblationem posse pariter repræsentari per Sacrificium Missaticum propriè dictum. Quia oblatio nondum facta rectè potuit adumbrari per oblationem typicam ad fidem priscorum magis confirmandam; Sed oblatio semel peracta, non opus habet ullâ repræsentatione reali, sed tantùm commemoratione mysticâ & sacramentali. Deinde sacrificia Veteris Testamenti fiebant in alienis victimis puta brutorum, quæ potuerunt victimam cœlestem adumbrare. Sed hîc agitur de oblatione ejusdem victimæ, quæ debeat esse sui ipsius repræsentatio & applicatio, quod implicat.

6. Ex natura veri sacrificii externi.

XIX. VI. Ex *natura veri Sacrificii externi & realis*, quod destructionem rei immolatæ postulat, ut Bellarminus agnoscit, lib. 1. de Miss. cap. 27. At nulla in Cœna datur destructio rei immolatæ. Quid enim destruitur? An *panis*, At negant prolatis verbis substantiam panis superesse? Nec panis substantia destructa potest dici sacrificium externum ἱλαστικὸν. Non *Christus*, qui sub hostia latère dicitur, quia ex quo semel mortuus est, non moritur amplius, sed prorsus est ἀπαθὴς. Non *accidentia*, quia illa nec destrui, nec sacrificari possunt. Non *esse Sacramentale* Corporis Christi, id est esse sub speciebus, ut vult Bellarminus, quia sic non destruitur substantia, sed tantùm respectus aliquis amittitur. At Bellarminus ipse agnoscit non sufficere usum rei tolli, sed necessarium esse substantiam ipsam absumi. Sed in sacrificio rei animatæ, non alia dari potest destructio præter mortem. Christus verò in Sacramento nobis exhibetur, non ad destructionem, sed ad vivificationem, ut cibus cœlestis qui non perit, sed manet in vitam æternam.

7. Nihil est in quo essentia Sacrificii ponatur.

XX. VII. Quia non potest assignari quicquam in Celebratione Missæ, in quo rectè ponatur essentia & ratio formalis sacrificii. Non *in fractione.* 1. Quia Corpus Christi est impassibile, & quod ipsi Adversarii censent integrum manere sub singulis hostiæ particulis. 2. Bellarminus negat fractionem ad essentiam sacrificii pertinere, eo quòd Missa aliquando peragatur sine fractione, ut quum hostia integra cadit in calicem. 3. Christus

fregit

fregit panem ante prolationem verborum, Hoc est Corpus meum, quibus Transubstantiationem fieri fingunt. Non in *oblatione* quæ dicitur Deo fieri, dum Presbyter attollens hostiam à Deo postulat, ut hanc oblationem prono affectu suscipiat; quia eam oblationem non adhibuit Christus nec Apostoli, fatente Bellarmino. 2. Verba hujus oblationis non dicuntur in persona Christi, sed in persona Ministri Ecclesiæ; Sacrificium autem in persona Christi præcipuè offertur. 3. Sacerdos post consecrationem oculos intendens in hostiam sic Deum alloquitur, *Per quem*, nimirum Christum, *hæc omnia*, *Domine*, *bona creas* &c. Ergo non offertur Christus, sed bona quæ nobis à Deo dantur per Christum. Non *in benedictione*. Quia benedicere pani, non est sacrificare panem, vel offerre Deo sacrificium expiatorium pro peccatis. Non in *consecratione*, quæ fiat tacitâ prolatione verborum, *Hoc est Corpus meum*, in qua plerique rationem formalem sacrificii positam volunt. 1. Quia aliud est sacrificium, aliud consecratio hostiæ sacrificandæ. Consecratio sacrificium præcedit, ne res profana & non consecrata Deo offeratur. 2. Quia per hæc verba nihil à Christo Deo Patri est oblatum, sed Apostolis symbola sunt exhibita. 3. In Missa nihil offertur quod sit consecratum; Non *panis*, quia juxta illos desiniteſſe. Non *accidentia*, quia Deo in sacrificium minimè offeruntur. Non *Corpus Christi*, quia consecrari & sanctificari ab homine non potest, cùm ipse Christus nos sanctificet. Non in *manducatione*. 1. Quia manducare non est offerre Deo, sed potius aliquid ab eo accipere. 2. Sacerdos dicitur offerre sacrificium pro populo, & manducat ipse pro se. 3. Sacerdos dicitur repræsentare Christum, Is autem in Eucharistia repræsentatur, ut moriens pro nobis, non ut manducans. 4. Singuli de plebe, qui Christum manducant, forent Sacerdotes. QUÆST. XXIX.

XXI. VIII. Si Christus in Cœna obtulit Corpus suum Deo Patri in Sacrificium sub speciebus panis & vini, Vel hoc factum est *ante prolationem* verborum; Sed hoc dici non potest, quia ex hypothesi Adversariorum nondum Corpus ejus sub illis speciebus erat. Vel in *ipsa prolatione*; Sed neque hoc locum habere potest, quia verba illa non sunt sacrificatoria; Corpus quidem significat materiam sacrificii; Sed verbum *Est*, immolationem seu oblationem significare non potest, cùm significatio propria, non tropica, juxta illos obtineat. Et copulam *Est* proprio sensu significare offerre & immolare nemo dixerit. Vel *post prolationem*, sed jam dederat panem discipulis aut dabat, & illi accipiebant, Et inter dandum pronunciabat illa verba accipite &c. Nec postea recepisse à discipulis legitur, ut Deo offerret in sacrificium. 8. *Quia Christus hostiam obtulit Corpus suum.*

XXII. IX. Innumeræ *absurditates* & *contradictiones* hic emergunt. 1. Sacrificium externum & visibile, & tamen hostia ipsa non videtur. 2. Sanguis funditur, ut in omni sacrificio requiritur, & sanguis non fundi- 9. *A contradictionibus & absurdis.*

QUÆST. XXIX. tur, quia incruentum esse docetur. 3. Corpus verum offerri dicitur Patri, & Corpus non verum, invisibile quippe, impalpabile, incircumscriptum & inextensum. 4. Idem statuitur cum Crucis sacrificio, nec tamen eadem hostia, actio, aut passio ibidem conspicitur. 5. Destruitur res oblata, & non destruitur, quippe quæ non definit esse simpliciter, sed tantùm sub speciebus. 6. Christus semel oblatus, qui tamen identidem offertur, nec desinit ante finem seculi offerri. 7. Sacrificium infiniti valoris, quod tamen valorem nullum nisi millies, millieſque repetitum habet. 8. Christus pro aliis ad auferenda eorum peccata se offerens, & tamen oblatus ab alio ad auferenda peccata jam ablata & remissa. 9. Christus clamans in Cruce consummatum est, Et tamen non consummatus ante finem seculi. Christus Creator omnium, qui à Creatura sua creatur. Isti enim *Creatores sui Creatoris* impiè se profitentur. Mitto alia idgenus portenta, quibus Religio Christiana & Sacræ Cœnæ mysteria Ethnicis, Turcis, Judæis, & aliis infidelibus deridenda & detestanda proponuntur.

10. Ex *Confessione Adversariorum.*

XXIII. 10. Ex *Confessione Adversariorum.* Lombardus 4 Sent. Dist. 12. disertè ait in Sacramento *recordationem fieri illius sacrificii, quod factum est semel.* Et illud *quod consecratur & offertur à Sacerdote vocari sacrificium, & oblationem, quia memoria est, & representatio veri sacrificii, & sanctæ immolationis facta in Ara Crucis.* Sic Thomas 3. p. q. 83. Art. 1. Christus dicitur *immolari in hoc Sacramento duplici ratione.* 1. *Quia ut dicit Augustinus solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt.* 2. *Quia per hoc Sacramentum participes efficimur Dominica passionis.* Nec defuerunt in Concilio varii Theologi & Præsules, qui Sacrificium hoc Missaticum validis rationibus oppugnârunt.

XXIV. Sed omitti non debet res omnium maximè absurda, quòd *Sacrificium* istud, licèt non offeratur Sanctis, *offeratur tamen sæpe in honorum Sanctorum Deo*, ut expressè docet Synodus cap. 3. *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit.* Et Can. 5. anathemate damnat secus docentes. *Si quis dixerit impostaram esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit, Anathema sit.* Mitto quòd discrimen fallò ponitur, inter offerre aliquid alicui, & in honorem alicujus; Cùm ista ex rationis & communis linguæ usu, unum idemque sint, quomodo pro eodem sumitur Templa erigere Deo, vel Creaturis, & in honorem Dei aut Creaturarum. Sed quid absurdius hoc commento? Cum enim in cultu tria ista semper considerentur, Minister sacrificii, Victima oblata, & ille in cujus honorem offertur, ex omnium consensu Victima semper habita fuit in gradu inferiori tanquam minus

minus præstans, Minister ut præstantior, Sed ille in cujus honorem sacrificium offertur longè supra Sacrificium & Sacerdotem positus. Ut in Christo natura humana est Victima, Sacerdos est Christus quà Deus, & homo, Et Deus supremus, in cujus honorem fit oblatio. Sed hìc contraria omnia. Victima est Christus, Sacerdos Presbyter, & Sanctus in cujus honorem fit sacrificium. Victima hìc infinitè elevatur supra Sacerdotem, & illum ad cujus honorem offertur. Et cùm pertendant Christum ipsum quotidie se offerre per manus Sacerdotum, sequetur Christum ipsum se offerre Deo in honorem Sanctorum ad eos honorandos & colendos. Rursus cùm in omni sacrificio Sacerdos fungatur officio supplicis, qui gratiam aliquam petit, Et ille in cujus honorem fit oblatio, sit persona, à qua petitur talis gratia, & victima medium, quô Sacerdos supplex gratiam impetrat ab eo, in cujus honorem oblatio fit; scopus quippe *est impetrare protectionem Sanctorum, & obtinere eorum intercessionem apud Deum*, ut Concilium loquitur; sequitur Christum Filium Dei Deumque benedictum in æternum, supplicis officio fungi apud Sanctos, & offerre Deo Corpus suum in honorem Sancti, ad obtinendam protectionem & intercessionem ejus pro fidelibus, qui sunt in terris, quo nescio, an quid absurdius, & magis impium dici possit. Quæst. XXIX.

XXV. Melchisedecus Gen. 14. obtulit panem & vinum, non Deo in sacrificium & quà Sacerdos, sed Abrahamo in convivium, ad eum reficiendum, & honorandum, quà Rex, munificentiâ Regiâ, ad lætam congratulationem de victoria reportata, ut hìc הוציא notionem induat *producendi* simpliciter, non *offerendi*. Appellatio Sacerdotis, quæ subjicitur, non refertur ad sacrificium aliquod præcedens, sed ad benedictionem sequentem, quam quà Sacerdos illi impertitus est. Et particula ו non est causalis, sed copulativa, ut innuatur fundamentum benedictionis, quam daturus erat, Unde Græci reddunt καὶ ἦν ἱερεύς *Erat autem Sacerdos*, cum quibus faciunt Epiphanius, Hieronymus, eosque sequuti Cajetanus & Vatablus. Nec dici potest vocem כהן participialiter hìc sumi, non nominaliter, ut sit sensus, Melchisedek obtulit panem & vinum, Et ipse sacrificans Deo Altissimo, seu & ipse eo tempore sacrificabat Deo Altissimo, Ideo non legi האל עליון in genitivo, sed לאל עליון in dativo, ut innuatur, Non Sacerdos Dei, sed Deo tunc temporis sacrificans. Quia utcunque כהן participialiter nonnunquam sumatur, hìc tamen nominascit, ut bene observat Doctiss. *Picherellus* in h. l. sacrificans enim apud Heb. est זובח. apud quos nihil est frequentius quàm genitivum per ל exprimere ut passim in Psalm. מזמור לדויד Cætera quæ huc pertinent vide excussa Lo. 14. Qu. 9. par. 23. 24. *Fontes Solutionum.* Gen. 14.

XXVI. Agnus Paschalis non fuit figura Eucharistiæ, sed Christi, veri Agni Dei, qui tollit peccatum mundi Joan. 1. 29. & qui est Pascha nostrum pro nobis immolatum 1. Cor. 5. 7. cui os nullum fractum fuit Joan. 19. 36.

Quæs. XXIX. 1. 19. 36. Locus 1. Cor. 7. 5. non agit de immolatione incruentâ Christi in Cœna, sed de cruenta in Cruce, quia Paulus dicit immolatum esse jam antea scil. in Cruce, non verò immolari quotidie, ut dicendum fuisset. Relinquit ergo Christianis post immolationem semel à Christo factam, festi celebrationem seu epulum, quod sequebatur immolationem, *Pascha nostrum immolatum est, festum ergo agitemus.* Supponit quidem epulum Legale, quod ex victimis brutis & carnalibus constabat, & quod fiebat oraliter, immolationem præcedentem proximè, quia victimæ non poterant diu servari. Sed alia ratio est epuli Evangelici, quod fit mysticè & spiritualiter, ubi caro victimæ jam olim immolatæ semper fidei apponi potest & ab ea manducari. Imò nec semper requisivit immolationem præcedentem actu, sed intentionaliter, aliàs Patres Vet. Testam. non manducâssent Christum, quod tamen ab iis factum. Nec si Eucharistia successit in locum Agni Paschalis, sequitur debere in ea etiam immolationem fieri, quia successit non ut figuratum figuræ, aut sacrificium sacrificio, sed ut figura alteri figuræ correspondens, ut Sacramentum Sacramento, ut ritus novus, veteri, prout multiplex occurrere potest inter utrumque analogia; Non jam in ratione sacrificali, & respectu immolationis, quæ locum hîc nullum amplius habere potest; Sed in ratione sacramentali, & respectu manducationis. Aliàs argumentum Adversariorum potest in ipsos retorqueri, Nam si figuratum figuræ debet respondere, ut Agnus Paschalis fuit sacrificium cruentum, Eucharistia talis esse debet; ut nihil de eo in crastinum asservari debuit; Ita nec de ista.

Malach. 1. 11. XXVII. Quum Malach. cap. 1. v. 11. dicit, *Ab ortu Solis usque ad occasum magnum fore Nomen Dei in Gentibus, & in omni loco oblationem mundam Nomini ejus offerendam esse.* Non voluit prædicere sacrificium Missaticum, quod incognitum fuit Patribus. Sed de spirituali Cultu Dei inter Gentes præconio Evangelii constituendo vaticinatur, sermone cultui Legali accommodato, ut solenne est Prophetis & Apostolis. Paraphrastes Chaldæus, & plures ex Judæis exponunt de invocatione Dei & oblatione mysticâ, & ex Pontificiis Isidorus Clarius, & Vatablus. Hunc autem esse sensum Prophetæ multa evincunt. 1. Quia cultus Novi Testam. oppositè ad Legalem nulla alia habet sacrificia, quàm spiritualia, ad nostram λογικὴν λατρείαν spectantia, in quibus offerendis pii omnes & fideles sacerdotio funguntur 1. Petr. 2. 5. Eodem sensu debet sumi hîc מנחה quod munus vel oblationem significat, ac מקטר quod habetur in prima parte versus, quod *incensum* & *suffimentum* significat, quod allegoricè & mysticè intelligi de suffitu precum non diffitetur Cornelius à Lapide ex Psalm 141. 2. & Apoc. 5. 8. 3. Paulus disertè ad hoc Vaticinium respicit, & ejus verba retinet 1. Tim. 2. 8. ubi vult homines *orare in omni loco*, quod dixerat Malach. in omni loco suffimentum oblatum iri Domino, *Et puras*

manus

manus attollere ad Deum; quod est revera *munus purum* Deo offerre. 4. Quæst. XXIX.
Missa non potest dici *minha*, sive vox ista generaliter sumatur pro quolibet sacrificio etiam cruento, quod & mane & vesperi offerebatur, sive specificè pro oblatione ex simila, oleo & thure, quia nec Missa offertur vesperi, nec ex simila & oleo conficitur.

XXVIII. 3. Quæ tria dicuntur de ista oblatione nim. *novitas*, *mundities*, & *universalitas*, non possunt competere Missæ. Non *Novitas*, quia juxta Adversarios tempore Melchisedeci jam obtinebat, & cultus Leviticus suas quoque oblationes panum, & libamina vini habuit. Non *Mundities*, tum quia species panis & vini, munditiei moralis non sunt capaces, tum quia imaginarium hoc sacrificium quotidè offertur ab hominibus impurissimis. Non *Amplitudo*, quia Missa nec ubivis, nec quolibet tempore, nec à quibusvis offerri potest. Sed optimè conveniunt sacrificiis spiritualibus & mysticis, de quibus potest dici 1. Quòd sint *oblatio nova*, tum respectu Gentilium, apud quos nihil tale antea obtinuerat, tum respectu ipsorum Judæorum, apud quos abolitis & penitus rejectis carnalibus sacrificiis solus cultus Evangelicus retineri debuit, qui rectè novus dicitur, si non quoad rem, at quoad gradum, quia majore cum claritate & efficacia institui debuit, quo sensu Fœdus gratiæ novum dicitur fore sub Novo Test. Jer. 31. Et vetera præterisse dicuntur & nova facta esse omnia in Christo 2. Corint. 5. 18. Et Christus se mandatum novum dare Apostolis testatur Joan. 13. 34. licèt fuerit etiam vetus 1. Joan. 2. 8. 2. Quòd sint *oblatio munda*. Nam λογικὴ λατρεία nostra dicitur θυσία ζῶσα ἁγία, εὐάρεστος θεῷ. Et si quid illi nævi adhuc & scoriarum ex naturæ nostræ corruptione adhæret, id omne tegitur misericordia Dei, & justitiâ Christi. Unde nihil obstat munditiem de illa prædicari, non absolutè & in se secundùm ἀκριβοδίκαιον Legis, sed secundùm quid apud Deum in Christo & secundùm εὐαγγελείαν Evangelicam, quomodo Petrus dicit hostias nostras spirituales esse εὐπροσδέκτους *acceptabiles* Deo cap. 2. 5. 1. quòd oblatio Gentium sit *accepta Deo sanctificata Spiritu Sancto* Ro. 15. 16. quòd Deus iltis sacrificiis delectetur Heb. 13. 15. quòd *manus puras attollere possimus in omni loco* 1. Timot. 2. 8. 3. Quòd *oblatio* debeat fieri ubique, quia ubique Deus est colendus in Spiritu & veritate Joan. 4. 23. oppositè ad cultum Legalem, qui Templo alligabatur. At nunc in omni loco possumus Deum adorare & precari. Ut falsò dicant Adversarii nullum sacrificium dari quòd ubique locorum offeratur æquè ac Eucharistia; Cùm longè universaliùs pateat sacrificium precum, quod est & omnium locorum, & omnium temporum, & omnium fidelium, quod de Missa dici nequit.

XXIX. Oraculum Isaiæ 19. 18. 19. 20. quô prædicit, *Erectum iri Altare* *Is.* 19. 18.
Jehova in Ægypto, ita ut innotescat Jehova Ægyptiis, & colant sacrificio 19.

QUEST. XXIX. *& munere.* Non favet Missæ. 1. Quia agit de *Altari* in singulari, non de altaribus, quæ magno numero occurrunt in Papatu. 2. Loquitur de hostiis & muneribus offerendis uni Deo à Gentilibus ad fidem conversis, quod non aliò potest referri, quàm ad hostias spirituales à fidelibus offerendas sub Novo Testamento 1. Pet. 2. 8. Sic ex stylo Prophetis familiari Cultus spiritualis describitur terminis legalibus. *Lyranus* agnoscit verba posse referri *ad orationes & suffragia Ecclesiæ, quæ dicuntur hostiæ*, Psal. 50. Glossa Interlin. *Hoc altare* censet *denotare fidem, super quæ sacrificamus Deo bona nostra quæ agimus, & dixit colendum Deum hostiis spiritualibus.* Altare ergo non intelligitur materiale, sed *mysticum* & *spirituale* ad sacrificia spiritualia offe-
Isa. 56. 7. 60. 7. renda Isa. 56. 7. & 60. 7. Rom. 12. 1. Et sic nomine altaris velut signi, totum ministerium & cultus Dei publicus denotatur, ut innuatur colendum esse ab Ægyptiis cultu Novi Testamenti; ut tunc colebatur à Judæis apud altare holocausti. Nec si altare dicitur erigendum in loco visibili; Ideo vel ipsum altare, vel sacrificium debet etiam esse visibile, sufficit ut cultus veri Dei & fides Christi statuatur ibi publicè institui & conservari.

XXX. Ubi est Altare corporale & physicum, ibi est Sacrificium propriè dictum. Sed Heb. 13 10. per Altare non intelligitur materiale &
Heb. 13. 10. aspectabile, sed figuratum & mysticum, quod Vet. Test. altare & ritus legales adumbrârunt; nomine signi accommodato rei significatæ. Christus ipse qui Sacerdos est & Victima, est etiam altare nostrum, quia in eo offerimus sacrificium laudis Heb. 13. 15. & quia preces nostras acceptas Deo reddit & sanctificat, ut altare sanctificat victimam. *Christus* autem multifariam dicitur *altare* nostrum. 1. in Cruce per *oblationem* Corporis sui, & propitiationem peccati nostri, & respondet Altari holocaustorum. 2. In *cœlo* per *Intercessionem*, relatè ad Altare suffituum. 3. In mensa ad *Commemorationem* relatè ad cibos victimarum in altari oblatarum, qui apponitur nobis ad alimentum. Non posse autem altare propriè dictum intelligi, quale in Missa requiritur, patet 1. Quia dicitur unum, ubi Pontificii innumera habent. 2. Non dicit Ap. altare, in quo sacrificandum sit, sed ex quo sit manducandum. 3. Altare quod opponitur Judaïco, Ergo non visibile & materiale, sed spirituale. Alias si præcisè urgetur vox altaris, etiam in cœlo saxeum erigendum erit, ex Apoc. 6 9. & 8. 5. & 9. 13. & 14. 18. Ex Pontificiis varii nobis hic adstipulantur, Lyranus, *Habemus altare, id est, Crucem, in qua Christus oblatus est*, apertiùs Aquinas in h. l. *Istud altare, vel est Crux Christi, in qua Christus pro nobis immolatus est, vel ipse Christus in quo & per quem preces nostras Deo offerimus.* Bellarm. locum hunc ideo non urget, lib. 1. de Missa c. 14. quia multi Catholici intelligunt Christum & Crucem.

XXXI. Paulus non vult comparare mensam Eucharistiæ cum Altari Gen-

Gentilium 1. Cor. 10. 21. quia meminit tantùm mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum, non verò altaris, *Non potestis esse participes mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum*, ubi per mensam dæmoniorum non est intelligendum altare Gentilium, in quo idolis sacrificabant, sed mensæ, quæ in Idoleio solemniter instruebatur, & in qua peracto sacrificio idolothyta apponebantur ad epulas & convivium ab Ethnicis in honorem Idolorum stabilitum. Patet quia Apostolus mentionem facit *poculi* ibidem; Sed usus poculi apud Ethnicos nullus fuit ad altare, nec unquam auditum eos bibisse in suis altaribus, bibebant enim mensæ accumbentes, peractis sacrificiis. Unde Athenæus vult μεθύειν, dictum esse quasi μετὰ τὸ θύειν, quoniam post sacrificium solebant convivium agitare & ebrietati indulgere. 2. Licèt Apostolus mensam Domini cum altaribus compararet, non sequeretur in Cœna propriè dictum altare, adeoque sacrificium requiri, comparatio enim non respicit altaris vel sacrificii rationem, sed tantùm ejus communionem & participationem. Paulus enim ostendit argumento ab oppositis petito, Corinthios non posse bonâ conscientiâ interesse conviviis Gentilium, in quibus edebantur idolothyta in honorem idolorum, quia Corinthii sunt facti participes Cœnæ Domini, atque adeò habent cum Christo communionem, & Religionem ejus profitentur, ut qui edebant ex victimis legalibus fiebant κοινωνοὶ altaris, id est, Religionem Judaïcam profitebantur. Quæst. XXIX. 1. Cor. 10. 21.

XXXII. Licèt Sanguis Vet. Testamenti, de quo agit Moses Exod. 24. 8. fuerit sanguis victimarum jam immolatarum, ita ut immolatio præcedere debuerit aspersionem populi; Non sequitur in Eucharistia, ubi fit aspersio istius Sanguinis, fieri debere veram & realem aliquam Christi immolationem. Quia quod refertur à Mose de Sanguinis aspersione super populum & Tabernaculum, impletum esse in Christi morte Apostolus testatur Heb. 9. 19. 20. 26. hanc cæremoniam referendo ad mortem ejus, ut ad suum exemplar. 2. Ut sanguis victimæ immolatæ apud Mosem fuit signum futuræ mortis Christi; Ita vinum consecratum in Novo Testamento symbolum est ejusdem mortis, aut jamjam instantis, ut in prima Cœna, aut præteritæ, ut deinceps. Conferri ergo debent inter se, non ut figura & figuratum, sed ut figuræ duæ analogæ, & sibi invicem respondentes. Aliàs si Eucharistia est complementum illius figuræ veteris, deberet in ea esse sanguis aspectabilis, ut in V. T. aspectabilis fuit sanguis Victimæ, Et sic Eucharistia non esset incruentum Sacrificium. *Exod.* 24. 8. *Heb.* 9. 19. 20. 26.

XXXIII. Mandatum Christi, *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. 19. huc non potest trahi, cùm obliget omnes fideles respectu ejus, quod fecerunt tunc Apostoli, & explicatur à Paulo 1. Cor. 11. 26. per hæc verba, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & biberitis* *Luc.* 22. 19.

hoc

Quæst. XXIX. *hoc poculum, annunciabitis mortem Domini usque quò veniat.* Nec offerri potest Christus in Christi memoriam. Nec facientes Ecclesiæ Ministri in piorum Cœtu quod fecit Christus, aliud censendi sunt facere, quàm Sacramentum Eucharistiæ celebrare, distribuere & administrare secundùm ejus institutionem. Tempus præsens pro futuro rectè ponitur, quia agitur de passione Christi jamjam futurâ, imò & inchoatâ, & quidem respectu fidei, quæ res futuras ut præsentes apprehendit. Verbum *facere* generalem habet significationem, quæ restringenda est pro materia subjecta; & sicubi τὸ facere apud Latinos, & עשה apud Hebræos notat *sacrificare*, hoc fit singulari constructione, & additâ semper vel subintellectâ victimâ, ut apud Virg. *Faciam vitulâ*, supple rem sacram, ut clarè constet & non sit divinandum, qua de re agatur: At apud probatos autores nunquam τὸ ποιεῖν & *sacrificare* æquipollent. Deinde accusativus *hoc* qui additur, refertur ad totam actionem præcedentem; Nimirum ad actus præcedentes benedicendi, accipiendi, frangendi, comedendi &c. in quibus nulla inest vel umbra sacrificii. Quod Estius in 4. Sent. dist. 12. ingenuè agnoscit, *Quod nonnulli Neoterici*, inquit loquens *de Doctoribus Pontificiis, vim faciendam putant in verbo facite, quasi idem significet quod sacrificate*, &c. *Mihi parum solidum videtur, nec apud Veteres Interpretes ea expositio usquam reperitur, nec sanè propositio convenit. Non enim absolutè dicitur* Facite, *sed* Hoc facite, *id est, id quod à me, & à Vobis nunc fit, aut factum est, deinceps vos & vestri successores facite in mei memoriam* &c. *Et Paulus* 1. *Cor.* 11. *Illud facere etiam ad plebem refert edentem & bibentem de hoc Sacramento, quando ait, Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem, Quotiescunque enim manducabitis panem hunc* &c. *In quibus sententiis manifestum est, facere non idem esse quod sacrificare, sed consuetam retinere significationem.*

XXXIV. Ad locum Act. 13. 2. ex quo Missam eruere conantur Sophistæ propter verbum λειτουργεῖν, præter ea quæ dicta sunt Q. 21. parag. 9. adde non magis ex hoc loco elici Sacrificium Missaticum, quàm ex Rom. 15. 16. ex quo discimus qualis fuerit λειτουργία, seu ministerium Apostolorum, nempe κήρυγμα, seu præconium Evangelii. Deinde vox λειτουργίας etiam de plebejis 2. Cor. 9. 13. Ro. 15. 27. de Regibus Rom. 13. 6. de Angelis Heb. 1. 9. 14. prædicatur. An ergo illi censendi sunt in censu Sacerdotum Missaticorum?

XXXV. Licèt manducatio spiritualis Christi non existat nisi per operationem intellectus; Non sequitur non esse realem, sed merè fictitiam & imaginariam. Quia res reales bifariam dicuntur, aliæ quæ existunt per se sine mentis operatione, quales sunt cœlum, terra &c. Aliæ quæ requirunt ad sui existentiam operationem intellectus, ut cognitio Dei, demonstrationes

strationis scientiarum, & sim. quæ sunt operationes intellectus, sed non ideo minus reales sunt. Quæst. XXIX.

XXXVI. Aliud est fideles *in Eucharistia* sumere Corpus & Sanguinem Christi *respectu loci*, & ut supponuntur esse in Sacramento. Aliud sumere illa in Eucharistia resp. *temporis*, id est, dum Eucharistia celebratur. Priori sensu concedimus præsentiam corporalem requiri in Sacramento. Sed non posteriori, quem solum admittimus.

XXXVII. Si quando Patres utuntur vocabulis Oblationis, Victimæ, Immolationis, Missæ, Altaris, Sacrificii, Sacerdotum, Non sequitur eos Pontificiam Missam intelligere, quâ verè & propriè offeratur Deo Christus sub speciebus panis & vini, & quidem in sacrificium verè propitiatorium. Alia enim eos movit ratio ut ita loquerentur, & alio sensu hoc intellexerunt, 1. Ut Christianæ Religionis decus & Sacræ Cœnæ mysterium extollerent, ut Judæorum & Ethnicorum, qui Christianis, quasi omni sacrificio destitutis atheismum impingebant, criminationes diluerent, ac testarentur non carere sacrificio Ecclesiam Christianam, perfectissimo illo Christi in Cruce oblati Sacrificio perpetuò fruentem, ejusque memoriam in publicis Cœtibus, ac precibus in Eucharistiæ celebratione recolentem. Rursus ita loquebantur ex præcipuo fine & scopo Sacræ Cœnæ, nim. publicâ Sacrificii Christi commemoratione, ubi nihil nisi mors ac oblatio Christi in ea repræsentabatur & audiebatur. 3. Ratione precum, hymnorum, & aliorum pietatis exercitiorum, quæ sacrificii nomine apud Scriptores sacros veniunt, quæ ibi offerebantur, quæ sæpe apud Veteres vocantur ἀναίμακτοι θυσίαι, ut Christiani dicuntur sacrificare pro salute Imperatoris *pura prece*. 4. Accedebant ad spiritualia illa sacrificia post secundum à Christo seculum dona & oblationes externæ panis & vini, & aliarum rerum, tum in sacri epuli usum, tum in pauperum alimoniam. Ita Patres sæpe hyperbolicè, & semper ferè tropicè & symbolicè loquuntur juxta illud August. lib. contra F. Manichæum cap. 20. *Hujus sacrificii Caro & Sanguis ante adventum Christi per victimarum similitudinem promittebatur, In passione per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum vero Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Poltea paulatim obsolescente Veritatis doctrinâ, & auctis superstitionis & ignorantiæ tenebris, locutiones figurate transiverunt in proprias, Cœna in Sacrificium, Sacrificium spirituale in crassum & incruentum, Eucharisticum in hylasticum, Pastores in Sacerdotes, Mensæ in altaria, & Corporis Christi signa, portentosâ μεταμορφώσει in ipsum Corpus Christi.

XXXVIII. Porro puriori Antiquitati incognitum fuisse sacrificium Missaticum, clarissimè probatum dedêre plures ex Nostris, qui consulendi, *Mornæus* lib. 3. de Eucharist. cap. 4. 5. &c. *Hospinianus* Histo. Sacramen. lib. 2. & 3. *Albertinus* de Euchar. lib. 2. & 3. Nec opponi de-

QUÆST. XXX.

bent Liturgiæ variæ, Romana Petri, Hierosolymitana Jacobi, Alexandrina Marci, Æthiopica Matthæi, & aliæ idgenus, quia constat vel supposititias esse, vel miserè interpolatas, ut *Riveius* ostendit Criti. S. lib. 1. cap. 3. nec audet diffiteri Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 3. contra Græcos agens.

QUÆSTIO XXX.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

An Cultus Latriæ, seu Adoratio debeatur Sacramento Eucharistiæ? Neg. cont. Pontif.

I. QUæstio ista est ultima de Eucharistia, quæ attingit culmen & ultimum gradum erroris & impietatis Romanæ circa hoc Sacramentum. Grave quidem fuit jam crimen, quòd præsentiâ spirituali non contenti, corporalem invexerunt, ut orali manducationi daretur locus. Quodque figmentum Transubstantiationis excogitârint, per quam Christum præsentem esse finxerunt per conversionem panis in Corpus Christi. Gravius fuit quòd ex Sacramento Sacrificium fecerint hylasticum propriè dictum. Sed gravissimum fuit, quòd hoc Sacrificium in Idolum erexerunt, adorationem ejus severissimè sanciendo. Quod cùm sit maximum Idololatriæ Antichristianæ argumentum, à Nobis intactum prætermitti non debet.

Status Quæstionis.

II. Status Quæstionis non est 1. An Pani & Calici Dominici Corporis & Sanguinis symbolis, suus honos & sua debeatur reverentia, Tum ob Autoris majestatem, Tum ob rerum quas obsignant divinitatem, Tum ob usum, quem in religione habent excellentem & singularem, qualis baptismo, cæterisque Religionis ritibus & signis legitimè exhibetur. 2. Rursus, Non quæritur, An fideles in Sacramenti istius perceptione, Christum totum in Sacramento quidem significatum, at in cœlo sedentem ad dextram Dei, pro mentis & animi affectu adorare debeant. Nam qui religiosè omni tempore debet coli, quidni eo potissimùm momento religiosissimè colatur, quo salutis ab eo acceptæ recordatio singularis peragitur? Sed An cultus iste religiosus exhiberi debeat Sacramento, in quo Christus corporaliter præsens esse creditur? Quod volunt Adversarii, Nos negamus.

III. Synodus Tridentina Sess. 13. cap. 5. mentem suam exponit, *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento exhibeant.* Sacramenti autem no-

nomine intelligi à Pontificiis Corpus Christi cum speciebus panis & vini nemo nescit, dum ergo jubet adorare Sacramentum, jubet adorare species panis & vini cum Christi Corpore. Hoc ipsum verò ita definire non satis habuit, sed insuper eos qui dissentirent, horrendo fulmine velut Christi & Ecclesiæ hostes ferit Cano. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque adeo nec festivâ peculiari celebritate venerandum, nec in Processionibus secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur Populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, Anathema sit.* Licèt verò Canon agere videatur tantùm de adoratione Christi in Sacramento, non verò de adoratione ipsius Sacramenti; Non alio sensu intelligendus est, quàm ex declaratione factâ cap. 5. ubi expressè distinguitur Sacramentum à Christo, dum asserit in Sacramento illo cultu latriæ adorando, Christum præsentem adesse. At in quo quid præsens est; non potest idem esse cum eo, quod in ipso præsens adest. Deinde agit de Sacramento, quod à Domino est institutum. *Nec enim minus est*, inquit, *adorandum, quod fuerit à Domino, ut sumatur, institutum.* Bellarm. hoc confirmat lib. 4. de Euch. cap. 29. *Cultu latriæ dicimus propriè & per se Christum esse adorandum, Et eam adorationem ad symbola etiam panis & vini pertinere, Quia*, ut loquitur lib. de Imag. cap. 25. *Qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quæ illi conjuncta sunt.* Vasquez lib. 2. de ador. disp. 7. c. 1. ait, *Accidentia panis & vini cùm existant non propriâ existentiâ, sed existentiâ Corporis Christi, optimè sub eundem adorationis cultum cadere, quomodo ejus Humanitas & Divinitas eodem motu adorationis coluntur.* Ita quum dicunt Christum esse adorandum in Eucharistia, intelligunt ipsam Eucharistiam, sive Sacramentum esse adorationis objectum, quomodo dicunt se adorare Deum in Imaginibus, quatenus primò eas, deinde Deum per relationem in ipsis adorant, quod patet tum ex eorum praxi quotidianâ, tum ex phrasibus, quibus utuntur, cùm dicunt passim adorare Sacramentum aut Eucharistiam. Quæst. XXX.

IV. Porro adorationem istam diversimodè exhibent, tum solenniter Eucharistiam circumgestando, ad infirmos edito campanulæ sono plebe ad illam se reverenter inclinante, tum in festo anniversario Corporis Christi prompositè ac theatricè circumferendo. Quod Urbanus IV. Pontifex Romanus anno 1264. instituit, incidens in feriam quintam proximam post octavam Pentecostes, de quo Hospin. li. 4. de Hist. Sacra. Hoc verò licèt à variis Pontificiis improbetur Cusano, Crantzio, Cassandro, & ab ipso Henrico III. Galliarum Rege tanquam histrionia, quâ nihil ineptius & insulsius dici possit, habitum sit, ut sibi à Mornæo, cui hoc dixerat, narratum refert

QUÆST. XXX. Bodius in Eph. 6. ℣. 23. 24. Non desinit magna cum pompa & veneratione quotidie celebrari.

V. Nos verò licèt suam reverentiam Symbolis sacris deberi non diffiteamur. Negamus adorationem, quæ summo Deo debetur, quæ à Pontificiis cultu latriæ solet designari, ipsis exhibendam esse; Et quamvis in una, eademque Sacramenti celebratione, simul semelque fiant, distincta tamen altera ab alteris, & inconfusa esse debere censemus, ne signa pro rebus ipsis accipiamus. Sed signis quidem reverentiam, Christo verò soli adorationem tribuamus; ut in baptismo adultorum adoratio Christi cui initiantur, & reverentia erga aquam sacrum mysterii symbolum toto cœlo distincta manent. Ita fatemur Christum ut Deum in secula benedictum, semper & ubique adorandum esse, adeoque in ipsa etiam Eucharistiæ celebratione, in qua anima fidelis debet in Christum tanquam unicum salutis & vitæ Principem pio & prono affectu ferri. Sed negamus propterea ipsum Sacramentum esse adorandum, imò cultum hunc tanquam fœdissimam & detestandam idololatriam, & εἰδωλατρείαν rejicimus.

6 Adoratio Eucharistiæ refellitur.

1. Ex silentio Scripturæ.

VI. Prima ratio petitur Ex *silentio Scripturæ*, Quia adoratio est actus fidei. Fides enim nititur mandato & promissione Dei. At Adoratio Eucharistiæ, nec ullo mandato, nec ulla promissione nititur. De mandato constat ex ipsa Institutione, quæ occurrit apud Evangelistas, ubi mandatum quidem à Christo Apostolis, ut acciperent, ederent, biberent, & facerent hoc in sui memoriam, sed nunquam ut adorarent vel colerent panem. Si verò adoratio non minus est necessaria manducatione, Cur de priore verbum non facit, sed tantùm de posteriore? Atqui de adoratione multò magis monendi erant, quàm de manducatione. Panem enim discipulis ad mensam discumbentibus eo à Domino porrigi ut manducetur, facilè quivis intelligit. Sed ideo dari ut summo latriæ cultu adoretur, nemo per se suspicari potest, quòd nemo sit communis modò sensus non planè expers, qui stultum & absurdum non putet ea quemquam adorare ipsa, quibus vescatur. Quoad promissionem nulla occurrit, sive in institutione, sive extra eam. Nec opponi debet nihil necesse fuisse postquam Christus de pane disertè professus est, hoc esse Corpus suum, præcipere, ut eum adorarent, quòd discipuli ex his Domini verbis satis per se intelligerent. Nam, ut licèt ex eo quod Christus Filius Dei, Deusque super omnia benedictus, satis colligatur eum esse adorandum, non minus tamen sæpius præcipitur ejus adoratio. Ita quamvis ex verbis Christi sponte sequeretur ejus adoratio, non minus tamen necesse fuit fideles de ea disertè admoneri, ne ulla in eorum animis de re tanti momenti supereesset dubitatio. Ut factum à Tridentinis, qui non ideo minus esse adorandum hoc Sacramentum dicunt, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum. 2. Fallò supponitur adorationem colligi ex verbis,

Hoc

Hoc est Corpus meum. Sic enim pariter ex eo quod Ecclesia Corpus Christi dicitur, sequeretur esse adorandam. Nimirum distinguenda sunt ea, quæ propriè de subjecto aliquo dicuntur, ab iis quæ impropriè & symbolicè. Quæst. XXX.

VII. Secundò, Ab *Exemplo Apostolorum*, Quia nusquam legimus Apostolos adorâsse Eucharistiam, quod non erant prætermissuri, si ea Christiani officii pars aliqua esset. Nam si à Christo præceptum intellexissent, ut panis & calix flexis genibus adoraretur, quis dubitat quin mandato obsequentes se præbituri fuerint? atque eò magis, quòd panem & calicem, non ex manu Sacrificuli, sed ipsius Domini acceperint? Si Adversarii, qui hoc à Christo institutum putant, nunquam vident Eucharistiam, quin statim venerabundi, & caput retegant, & genua flectant, & si quis eorum hostiam simplicitèr adorare refugiat, quum ea à Sacerdote vel elevatur, vel aliò defertur, id nefarium esse, & hæresi propinquum pronunciant. Quid si non mortalis Sacerdotis, sed Christi Domini manibus gestatam aspicerent? An non eum, qui non adoratam tali loco transmitteret, hominem impium, & grandis sceleris reum censerent? Jam Apostolos Christi præcepta sanctiùs & religiosiùs quàm Romanos observâsse, nemo negare potest. Unde dubitari non debet, quin si quid hujusmodi Christus præcepisset, statim adoraturi fuissent. Frustra reponitur Apostolos mente semper & corde adorâsse Christum, licèt non externo corporis motu. Quia Quæstio nostra non est de adoratione internâ Christi, cujus necessitatem omnes agnoscimus. Sed de adoratione externâ Sacramenti, quod nec tum, nec unquam leguntur adorâsse Apostoli; licèt Christum adorârint. At si Eucharistia instituta erat ut adoraretur, nulla excusatio purgare eos potuit. Frustra vult Perronius Apostolos sedentes adorâsse, ut olim ex instituto Numæ Romani, & ante eos Græci sedentes Deos suos adoraverint. Nam, id est supponere quod probandum fuit, nec id fecisse vel Romanos vel Græcos constare potest. Et si Poëta adorare sedendo jubet; non de corporis, sed de animi in orando, si ita loqui licet, positurà agitur, dum cultus & oratio fieri jubetur mente, non vagâ, sed fixa, & ut sic dicam, sedente, id est, attentâ, & *hoc*, quod sacra facientes olim apud Romanos monebantur, *agente*. Nec si Maria sinu suo, & Simeon ulnis gestando Christum, eum adorârunt; sequitur & Apostolos id potuisse mensæ accumbentes. Quia non quæritur, An Apostoli mente, animoque & interno cultu Christum venerati sint; quod de Maria & Simeone rectè dicitur. Sed An Apostoli Eucharistiæ cultum illum latriæ externum exhibuerint, quem huic Sacramento Tridentini decernunt, & qui in praxi religiosissimè exhibetur, dum in terram proni, vel in genua procumbentes adorant. Quòd si suam hostiam etiam à sedentibus, aut recubantibus adorari posse existimant, Cur tam servèrè suos omnes, imò &

2. *Ab Exemplo Apostolorum.*

QUÆST. XXX. peregrinos, & à sacris suis alienos, ad eam simulatque tintinnabulo signum datum est, in genua summissos procumbere jubent, & in detrectantes impotenter tanquam in impios desæviunt.

3. *Ex Pauli testimonio. 1. Cor. 11.*

VIII. Tertiò, Ex *Pauli testimonio*, Nam si talis adoratio à Christo præcepta fuisset, & ab Apostolis observata, Qui fit quòd repetens totam Christi institutionem, nullam illius mentionem facit, & rem omnium maximè momentosam omittit, qui tamen profitetur se tradidisse ipsis, quod à Domino acceperat circa hoc mysterium. Atque eò magis debuit hoc commemorare, quòd imprimis faciebat ad arguendum Corinthiorum peccatum, qui non eâ quâ par erat reverentiâ hoc mysterium celebrarent. Fatcor ea quæ ab Apostolo referuntur magnam vim habere ad illi talem venerationem conciliandam. Sed quis dubitat, his omnibus potentius fuisse argumentum petitum ex adoratione à Christo præceptâ, si tale quid mandatum fuisset, & ab Apostolis observatum? nihil quippe ad suam Eucharistiæ dignitatem vindicandam, & Corinthiorum coarguendum & exaggerandum scelus efficacius esse potuit. De quo tamen penitus silet Paulus. Quænam verò istius silentii causa dari potest, nisi quòd nihil tale à Christo institutum fuerit, vel ab Apostolis observatum?

4. *Ex adoratione Deo soli debitâ.*

IX. Quartò, Ex *præcepto de adorando uno & solo vero Deo.* Nam cùm expressè Deus non semel testatus sit, se unum adorandum esse Deut. 6. 13. & Matt. 4. 10. exclusivè ad alia omnia objecta; Nemo non videt non sine gravissimo idololatriæ crimine, Eucharistiæ cultum illum deferri posse, quæ Creatura est, non solus ille & verus Deus. Nam sive Sacramenti ratio formalis ponatur in solis speciebus consecratis, ut volunt *Vasquez*, *Soto*, & alii, sive in compositione ex speciebus & Corpore Christi, quod placet *Bellarmino*, *Becano*, *Suarezio*, nunquam efficietur totum Sacramentum esse solum illum Deum adorandum. Per synecdochen verò accipere Sacramentum pro Corpore Christi, ut *Biel* fingit, & inauditum est, & Concilio Tridentino adversum, quod sancit expressè ipsi etiam Sacramento distinctè à Christo considerato cultum istum deferendum esse.

5. *Ex incertitudine præsentiæ Christi.*

X. Quintò, Ex *incertitudine præsentiæ Christi* ex ipsorum hypothesi. Nam qui Deum & Christum adorat, oportet infallibili fide statuat Deum & Christum esse, quem ut Christum & Deum adorat. At Pontificii certi esse non possunt infallibiliter Christum esse quem adorant. Quia gravissimæ sunt rationes dubitandi juxta ipsorum placita, propter innumeros defectus, qui hîc occurrere possunt. Nam ex illorum principiis, ut Transubstantiatio fiat, constat panem debere esse triticeum, non corruptum, vinum de uvis maturis, & non putridum, & factum penitus acetum, ut habetur in Missal. Ro. p. 31. 32. de defectu circa Miss. 2. Pronunciationem

nem consecrativam fieri debere nec addendo, nec detrahendo, nec mutando, nec transponendo, ut habetur in Canone Missæ. 3. Sacerdotem consecrantem oportere esse ritè ordinatum & baptizatum. 4. Sacramentum non posse confici, nisi adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia. At de conditionibus istis, quotusquisque certus esse potest? Disputationes Pontificiorum super hoc argumento satis produnt in quas redigantur angustias, ut se ab idololatriæ crimine liberent; Imò eò deveniunt, ut conditionem in adoratione vel implicitam, vel explicitam requirant, *Adoro te, si tu es Christus.* Adrianus VI. Quodlibeti. Sect. 10. secutus autoritatem Concilii Constantiensis vult adorari Sacramentum cum dubitatione. *Concilium*, inquit, *Constantiense excusat simpliciter adorantes hostiam non consecratam, quia tacitè implicatur conditio, si consecratio sit ritè facta, Et paulo post sic adoret, Adoro te, si tu es Christus.* Ex quibus constat quàm fluxa sit & lubrica, quàm dubia & fallax de sua adoratione Rom. Ecclesiæ fides, & quanto idololatriæ, etiam ex mente sua, quotidie exponantur periculo. Quæst. XXX.

XI. Quæcunque lenocinia & officiæ afferuntur ab Adversariis ad tegendam idololatriam suam, non possunt eos juvare. Nec *bona intentio*, nec *moralis certitudo*, nec *habitualis conditio*, in quibus latibulis suæ idololatriæ turpitudinem fœdissimam abscondere se posse sperant. Ista enim omnia nihil aliud sunt quàm cæmentum malè temperatum, quò artifices isti Christianorum animas oblinire conantur, sed irrito conatu, ad radios enim veritatis facilè fucus detegitur, & dispalescit. Primò quoad *bonam intentionem*, quotusquisque est, qui non satis nôrit ex Scriptis quâ sacris, quà Ecclesiasticis, tum ex praxi communi, bonam intentionem non excusare, sed superstitionis omnis scaturiginem esse, & facilè sub hoc velo omnem Idololatriam excusari posse? Bonum opus ex regula voluntatis Dei, non ex bona intentione mensurandum est, & bona intentio non ex mero mentis arbitrio, sed ex Verbo Dei judicanda est. Nec Bellarminus hoc diffitetur lib. 2. de amissi. gratiæ cap. 2. *Quia mala intentio*, inquit, *vitiat opus bonum, perperam adversarius colligit, opera mala intentione bona justificari. Nam opus bonum nascitur ex integra causa, malum autem ex quovis defectu oriri potest.* Secundò *moralis certitudo* non magis eos juvat, quia fides quæ requiritur in tali opere non debet niti morali certitudine, quæ rectiùs dicitur conjecturalis incertitudo, sed firmâ persuasione cultus à Deo præscripti. Nec eò pertinet exemplum illius, qui eleemosynam largitur mendico valido morbum simulanti. Quia malè instituitur collatio inter actum primæ Tabulæ, qui ad immediatum Dei cultum pertinet, quemque Deus exigit ut præstemus in spiritu & veritate, ita ut error omnis de persona quæ colitur, læsionem Majestatis supremæ necessariò inferat; Et inter actum secundæ Tabulæ,

Quæst. XXX. balæ, nec tamen immediatè, sed tantùm reductivè ad eam spectantem, nimirum collationem eleemosynæ in pauperem, in qua nullum potest esse idololatriæ periculum; Imò Apostolus vult charitatem non esse suspiciosam 1. Cor. 13. 5. humana certitudo sufficit in iis in quibus nullum est peccati periculum, ut in casu proposito, sed non sufficit, quum est periculum peccati & quidem idololatriæ. Quamvis enim illam certitudinem procul dubio habuerit Johannes, cùm adoravit Angelum, tamen peccavit & ideo reprehensus est. Denique non plus valet ad minuendum Idololatriæ crimen prætextus *actualis*, vel *habitualis conditionis*, quam hîc urget *Thomas*, ut is qui Eucharistiam colit ita sit affectus, ut adorare Eucharistiam nollet, nisi suppositâ Christi præsentiâ. Ubi enim talis conditionis datur vel vola vel vestigium? Et quis credat Filium Dei. qui toties & tam severè monuit fideles abstinendum esse ab omni idololatriâ, Sacramentum Testamenti sui sigillum, tale instituisse, in quo facillimè deceptioni quotidianæ propter pene infinitos defectus possibiles, cultores ejus exponuntur? Ubi nulla certitudo haberi potest Christi præsentiæ, sed præsentissimum Idololatriæ periculum? Quis mulierem à crimine immunem censuerit, quæ adulterum suum sub specie legitimi viri illam adeuntem, admittat in thorum suum sub hac conditione, admitto te si es maritus meus? quia in tali casu nulla conditio potest legitimum reddere impurum concubitum.

6. *Ab absurdo.* XII. Sextò, Ex *absurditate & impietate dogmatis*, quô necessitas imponitur adorandi, quod manducatur, & in stomachum demittitur, & manducandi quod adoratur. Nihil est in tota Pontificiorum Religione, ex quo cultus ille apud ipsos obtinuit, quod Philosophis & infidelibus majorem excitârit quàm hoc in Christianismum contemptum, vel quod illi improbiùs irriserint & petulantiùs exagitârint. Nota sunt verba Averrois Philosophi relata à Perronio lib. 3. de Eucha. cap. 29. *Se sectam Christianâ deteriorem, aut ineptiorem nullam reperire, quam qui sequuntur, ii quem colunt Deum demibus ipsi suis discerpunt & devorant.* Et hoc ipsum Romanis à Turcis etiam hodie vulgò velut fœdissimum propudium objici, referunt varii, qui Peregrinationes Orientales descripserunt, dum vocant eos Θεοφάγους, *Dei manducatores.* Ut sanè quid animo fingi possit, quod à communi mortalium sensu & ratione magis abhorreat, quàm ut homo, non dico id quod mutum atque exanime, quod infirmum, & omnium animalium etiam infirmissimorum injuriis expositum est, sed quod vel ipse, vel alius æquè mortalis comesturus & voraturus est, id ipsum, inquam, adoret, & Deum suum esse censeat? Hoc Balbus Stoicus apud Cicero. lib. 2. de nat. Deor. non ignoravit. *Ecquem*, inquit, *tam amentem esse putas, qui illud quô vescitur, Deum credat esse?*

7. *Ab Antiquitate.* XIII. Septimò, Ab *Antiquitate.* Quia non potest demonstrari hunc Cultum

Cultum Ecclesiæ veteri cognitum fuisse & observatum. Imò multa probant contrarium. Nihil de eo apud priscos Doctores habetur, ut apud Justinum Martyrum, & Tertullianum, qui ne quidem in genua procumbere diebus Dominicis integrum fuisse refert. Nec ullum ejus vestigium occurrit in tribus primis seculis Christianismi, ut solidè demonstrat variis argumentis Celeber. Dallæus lib. 2. de Objecto Cultus Religiosi, qualia sunt. Quòd Eucharistia à veteribus Christianis elevata non sit, & seculo demum sexto elevari cœperit, non ut adoraretur à plebe, sed ut Christi in Cruce elevationem adumbraret. Quòd Eucharistia ad absentes deportari consueverit, absque ulla pompa & cultus insignibus. Quòd festum ei nullum consecraverint. Quòd ei preces vel adorationes nullas dixisse reperiantur. Quòd quibuslibet communicantibus olim integrum fuerit particulas Eucharistiæ domum auferre & recondere. Quòd Christianis Gentiles nusquam θεοφαγίαν objecerint, & quòd invidiosissimum anthropophagiæ crimen sibi objectum refellentes, id simpliciter negant, nec Eucharistiæ negotium uspiam memorant. Quòd ἀφιλατρεία, nec à Paganis, nec à Judæis objecta Christianis fuerit, secus quàm factum fuerit post seculum xi. Et plura alia idgenus, quæ clarissimè docent Cultum hunc ipsis fuisse planè incognitum. Quæst. XXX.

XIV. Octavò, Contra *Circumgestationem Hostiæ* 1. Dicimus repugnare Institutioni Christi, in qua nos facere jussit, quod ipse fecit. At ipse non circumgestandum, sed manducandum panem præbuit. 2. Apostoli nusquam vel circumgestâsse, vel ostentâsse panem Eucharisticum leguntur. 3. Supponit figmentum Transubstantiationis & Præsentiæ realis, quod antea refutatum est. 4. Repugnat mos ille Ecclesiæ non tantùm Apostolicæ, sed etiam Primitivæ, apud quam nullum ejus occurrit vistigium. 5. *Cassander* Consulta. art. 22. fatetur circumgestationem illam præter Veterum morem & methodum, haud ita longo tempore receptam esse; idque ex eo probat, quòd Veteres hoc mysterium tanta in religione & veneratione habuerint, ut non modò ad ejus perceptionem, sed ne ad inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra, & tanti mysterii participatione dignos existimarent, & subjicit, hunc circumgestationis usum citra grave Ecclesiæ damnum, imò cum ipsius lucro omitti posse; Cùm & recens sit, & diu sine ea circumgestatione Sacramento suus honor constiterit, & hodie constare possit. Eò pertinet Epistola Reginæ matris ad Sixtum V. relata ab Illustr. Thuano lib. 28. ubi petit à Pontifice inter alia, *Ut recens & nuper inventum Corporis Dominici festum aboleatur, quod multarum offensionum causam præbeat, & minimè sit necessarium.* 8. *Circumgestatio refellitur.*

XV. Aliud est Christum esse adorandum in Eucharistiæ celebratione. Aliud Eucharistiam ipsam esse adorandam, Nec istud ex illo sequitur. Prius dicimus, sed non posterius. Ut Christus in baptismo præsens est, *Fontes Solutio-num.*

QUÆST. XXX. ut Deus erat præsens ad arcam fœderis, ibique adorari potuit; Nec tamen, vel baptismum, vel arcam fœderis adorandam fuisse quis dixerit. Non statim adoranda sunt omnia in quibus Deus adest, aliàs adorandæ essent omnes Creaturæ, in quibus est præsens Deus. Nec dici potest præsentiam Christi in Eucharistia aliam esse à præsentia Dei in Creaturis, eo quòd in illa sit tantùm unum Suppositum; In istis verò nequaquam. Quia supponitur falsò signa esse hypostaticè unita Christo; Cùm ibi tantùm sit unio parastatica & sacramentalis. Unde colligitur non bene concludi totum Sacramentum ex Christo & symbolis constans esse adorandum, ut totus Christus Mediator est adorandus.

XVI. Licèt Christus esset adorandus ubicunque præsens est; Non sequitur id omne, in quo præsens est, esse adorandum. In omnibus fidelibus Christus habitat, non tamen fideles cum Christo adorandi sunt. Christus in præsepi jacens fuit adorandus, non tamen ipsum præsepe. Ita nec si in Eucharistia esset adorandus, deberet ipsa Eucharistia adorari. Adde quod valde differt præsentia Christi in præsepi à præsentia in Eucharistia; Illic fuit corporaliter, hìc sacramentaliter & analogicè, illic ut locatum in loco, hìc ut signatum in signo, illic visibiliter & apertè, hîc invisibiliter & occultè.

XVII. Non obligamur ad adorandum Deum adoratione externâ, ubicunque adest, sed tantùm ubi adest cum radiis Majestatis gloriosæ, & ubi vult adorari. Aliàs ut Deus est in omnibus creaturis, in lapidibus, in arboribus, & animalibus, adorandus ibi esset. Sic adorare jubemur Deum in cœlis ubi gloriosè se patefacit, adorare debebant Israëlitæ ad arcam, quod erat symbolum illius præsentiæ. Moses adorare jubetur in rubo, ubi Deus se illi patefaciebat. Nec dici potest radios gloriæ humanitatis Christi in Eucharistia non apparere quidem oculis corporis, sed videri oculis animi & fidei; quia maxima gloria humanitatis Christi sit, unitam esse hypostaticè Verbo. Unde supposito quòd ibi præsens sit Christus quoad humanitatem, dubium non esse, quin ibi sit unita Verbo hypostaticè, atque adeò gloriam humanitatis Christi, quæ in ista Unione posita est, fidei esse conspicuam, & necessitatem adorationis inferre. Quia alia ratio est gloriæ Dei essentialis, & internæ, quæ consistit in eminentia Perfectionum ejus; alia gloriæ accidentalis & externæ, quæ posita est in effectu aliquo sensibili, miraculoso & extraordinario, ut visum in rubo, in Arca, & aliis idgenus symbolis præsentiæ Dei. Licèt gloria interna & essentialis sit fundamentum adorationis externæ, non obligat tamen ad exercitium adorationis actualis, nisi conjuncta sit cum gloria externa, id est, effectu aliquo miraculoso & extraordinario, qui in sensus incurrat. Aliàs ut Deus est ubique cum gloria sua essentiali, & in omnibus Creaturis, adorandus ibi esset, quod absurdum.

Quam-

Quamvis ergo Christus cum gloria sua essentiali, & quoad humanitatem unitam Verbo hypostaticè, præsens esset in Eucharistia; non ideo adorandus ibi esset, quia supponitur ibi esse invisibiliter, & sine ullo effectu sensibili gloriæ suæ, quo v. g. distingui possit hostia consecrata à non consecratis. Nam quæ à quibusdam afferuntur de apparitionibus filioli in Eucharistia, vel Carnis loco panis, vel Sanguinis loco vini, tanquam fabulas & inania figmenta idololatrarum rejicimus; quæ ab ipsis Pontificiis ad illusiones diabolicas referuntur. Ut à Biele lect. 51. in Cano. Missæ, Vasquezio disp. 193. c. 2. & aliis. Quæst. XXX.

XVIII. Si præsentia Divinitatis Christi, cum qua Caro est unita hypostaticè, sufficeret ad imponendam necessitatem adorationis; Sequeretur Christum in baptismo non minus ac in Eucharistia esse adorandum. At si præsentia invisibilis Divinitatis Christi, quæ est per se adorabilis, non nos obligat ad adorationem externam in baptismo, Cur humanitas Christi, quæ per se non est adorabilis, sed tantùm propter Unionem cum Verbo, nos obligaret ad adorationem externam in Eucharistia? Nec regeri debet aliquid esse in hostia, quod nos obliget ad adorationem, quod non sit in baptismo; nimirum humanitatem Christi, quæ radii gloriæ locum habeat, quæ non sit in baptismo. Quia radii gloriæ, qui ad adorationem nos obligant in aliquo loco, debent esse sensibiles ibidem, quod de humanitate Christi dici nequit, quæ supponitur ibi esse invisibiliter. Adde quod præsentia humanitatis nihil habet quod ad adorationem magis nos obstringere debeat, quàm præsentia Divinitatis in baptismo, in quo ex confessione Adversariorum non sit nec fieri debet adoratio.

XIX. Israëlitæ tenebantur adorare Deum ad arcam, sed non ipsam arcam. Adorare jubentur in illo loco, sed non illum locum. Ita nos in Eucharistia adoramus Christum, sed non ipsam Eucharistiam. Psalm. 99. 5. Non jubet Deus adorare scabellum pedum, sed *ad scabellum* חשתחוו לַהֲדֹם Nec si Augustinus deceptus editione Latinâ interpretatur hoc de Carne Christi, quæ ex terra est, ideo hoc etiam retinendum. Hæmorrhousa Matth. 9. 20. non adoravit vestimentum Christi, sed tetigit. Tactum illum religiosum quidem fuisse concedimus, sed adorationem fuisse negamus: Sic & nos honorem & reverentiam symbolis tribuendam esse non negamus, sed latriam vel adorationem esse debere negamus. *Psal. 99. 5.* *Matth. 9. 20.*

XX. Distinctiones cultus absoluti, ultimati, intransitivi, directi & formalis, qui Christo in Eucharistia exhibeatur, Et cultus transitivi, indirecti, respectivi, & concomitantis, qui reddatur speciebus Eucharistiæ, non possunt idololatriæ crimen tollere. Quia incognitæ sunt Scripturæ, quæ nullum cultum religiosum agnoscit nisi unicum, qui sit absolutus & directus. 2. Synodus nullis talibus distinctionibus utitur, sed sim-

Quæst. XXX. pliciter jubet adorari Sacramentum. 3. Bellarm. lib. 2. de Imagi. cap. 24. docet esse de essentia latriæ, ut aliquid adoretur propter se, eo quòd latria sit summus cultus, qui debetur Deo vero, ut primo principio omnium rerum, contradictionem autem implicet, ut exhibeatur summus cultus primo principio & propter aliud, quia si principio primo, non propter aliud exhibeatur.

XXI. Non magis eos liberare potest ab Idololatriæ crimine opinio erronea præsentiæ Christi in Eucharistia. Ut crimen hoc excusare conatur *Anto. de Dominis* lib. 7. de Rep. Eccles. cap. 11. Quia per rectam intentionis directionem, qui docent panem non amplius esse panem, sed Corpus Christi, illi non adorant panem, sed ex suppositione, licèt falsâ, Corpus Christi, quod si scirent ibi Corpus Christi non esse, non adorarent. Quia mentis directio, vel falsa suppositio non possunt liberare à peccato; aliàs nemo idololatra posset dici, quia nemo est qui non peccet ex falsa aliqua hypothesi, & bonâ mentis directione. Sic intendebant Israëlitæ Deum verum in vitulo colere, & supponebant ibi esse præsentem, nec minus tamen erant idololatræ. Ita qui Antichristum pro Christo adoraret, supponendo esse Christum, non ideo minus esset idololatra. Ergo licèt Pontificii in sua hypothesi non intendant adorare panem, sed Christum, quem ibi loco panis esse credunt, non ideo minus panem reipsa adorare censendi sunt. Quia hæc falsa hypothesis & erronea intentio oritur ex ignorantia affectata & voluntaria, quæ tantùm abest, ut excusatione sit digna, ut graviorem reatum accersat. Quia non versatur circa rem non revelatam, & quam nosse non teneantur; sed circa rem, quam ex officio scire debent, & quæ satis clarè revelata nobis est in Verbo, ut facile à nobis percipi possit, nisi sponte cæcutire volumus. Nec crimen minui potest ex eo, quod videatur tantùm esse in errore theoretico intellectus. Quia error theoreticus necessariò post se trahit peccatum practicum; aliàs quævis idololatria, etiam crassissima, excusationem mereretur, quia oritur semper ex errore theoretico intellectus. Nullus enim idolum coleret, qui non crederet esse Deum, & nisi sibi præsentem esse imaginaretur.

XXII. Dispar est ratio circumgestationis Arcæ, & Eucharistiæ. Arcæ enim usus licitus, & circumgestatio expresso Dei mandato nititur Jos. 6. 4. 1. Paralip. 13. 1. At de Eucharistiæ circumgestatione nullum verbum occurrit, usus à Christo institutus est, non ut circumgestetur, sed ut manducetur & bibatur.

XXIII. Licèt circumgestatio niteretur aliquâ Ecclesiæ consuetudine, non ideo esset observanda. Quia consuetudo sine veritate, & contra divinam institutionem inducta, error est; Et vetamur quisque facere, quod rectum videtur in oculis nostris, sed quod Deus præcipit. 3. Consuetudo

si qua

si qua est, non est Ecclesiæ Christi, vel Apostolorum, vel primitivæ puQuæst. XXX.
rioris. Serò enim admodum mos ille invaluit in Ecclesia non Orientali, cui incognitus planè est, sed Occidentali Romanâ post seculum demum decimum tertium. Nam in Urbani IV. Bulla, qua festum Corporis Christi sancitur, ejus nulla fit mentio. Et Theodoricus a Niem, qui pluribus Pontificibus à secretis fuit, refert Benedictum XIII. anno 1408. cùm multorum Principum odium in se concitasset, ut vitæ suæ incolumitati prospiceret, hostiam primùm ante se gestare jussisse, quæ ei satellitii loco esset.

XXIV. Quamvis nonnulli ex Nostris Sacramentum genibus flexis recipiant; Non sequitur eos ejusdem criminis reos cum Pontificiis peragi debere. Quia expressè profitentur se non adorare Eucharistiam, sed Christum in cœlo sedentem, & sub symbolis se fidelibus spiritualiter tradentem.

XXV. Quamvis Lutherani præsentiam Christi in Eucharistia asserant, long differt eorum sententia à sententia Pontificiorum, nec ullius idololatriæ rei possunt dici; Ut ex tolerantia, illis oblata, perperam argumentum ducatur ad Syncretismi possibilitatem cum Pontificiis. 1. Quia licèt præsentiam aliquam in Cœna agnoscant, nullam tamen admittunt Transubstantiationem, nullum Sacrificium Missaticum, nullam Communionis sub una specie mutilationem, & alios errores fœdos, quos hic errant Pontificii. 2. Nullam habent Sacramenti adorationem, adeoque error eorum est merè theoreticus, non practicus. Nec potest dici talem cultum ex eorum doctrinâ sequi; Quia, ut antea dictum, ex Christi præsentiâ non potest concludi necessitas Sacramenti adorationis, vel Christi ipsius. Nec si ritè hoc inde posset elici, posset hæc consequentia illis tribui, quam ipsi nec agnoscere, nec admittere se profitentur.

XXVI. Loca, quæ à Patribus petuntur ad adorationem Eucharistiæ probandam, vide fusè & solidè excussa à Dallæo lib. 2. *de Relig. Cultus objecto* c. 16. & lib. 7. *de Cultibus Religios.* per totum, quæ nunc omittimus brevitatis studio; Ex quibus clarissimè patet, nihil extare in Veterum Scriptis ante undecimum seculum, unde adoratio Eucharistiæ colligatur, & innumera esse, quæ contrarium probent.

Q'UÆST. XXXI.

QUÆSTIO XXXI

DE QUINQUE FALSIS PONTIFICIORUM SACRAMENTIS.

An Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Et Extrema Unctio sint vera Sacramenta? Neg. contra Pontificios.

HActenus de veris Sacramentis à Christo institutis actum est. Nunc de quinque falsis à Pontificiis invectis paucis disputandum est, nimirum, *Confirmatione*, *Pœnitentiâ*, *Ordinibus*, *Matrimonio*, & *Extremâ Unctione*, quæ in numerum Sacramentorum reponunt, & sub Anathematis pœnâ ab omnibus recipi volunt.

Status Quæstionis.

II. Non Quæritur de Sacramento *latè* sumpto, vel pro mysterio, vel symbolo aut typo qualicunque rei spiritualis. Sic enim *Omne signum sacrum est Sacramentum*, ut loquitur Augustinus Epist. 5. Et hoc sensu non negamus nomen Sacramenti dari posse pluribus aliis rebus, quàm Baptismo & Cœnæ. Sed agitur de Sacramento *strictè* sumpto pro visibili signo & sigillo fœderis gratuiti, quo sensu duo tantùm esse Sacramenta, contra Pontificios asserimus, Et ea quæ nobis obtrudunt non esse vera Sacramenta pertendimus; quod ex singulorum consideratione patebit.

1. *De Confirmatione.*

III. Primò, quoad *Confirmationem*, Pontificii sic eam describunt, *Confirmatio est Unctio Chrismatis in fronte baptizati adhibita ab Episcopo in formam Crucis, cum ista verborum formulâ. Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris* &c. *Materia* hujus Sacramenti secundùm ipsos est Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo admixtis, adhibitâ Episcopi consecratione. *Forma* posita dicitur in horum verborum pronunciatione. *Signo te signo Crucis* &c. *Minister* est solus Episcopus ordinariè, Sacerdos tantùm ex dispensatione Pontificis. *Suscipientes* soli baptizati. *Effectum* duplicem fingunt, Gratiam nempe gratum facientem, seu donationem Spiritus Sancti ad robur Christianum, qui tantùm datur in baptismo ad remissionem peccatorum. Deinde characterem indelebilem, quò adscribitur confirmatus in militiam Christi, quemadmodum in ejus familiam admittitur baptizatus.

IV. Nos verò loco theatricæ illius scenæ dicimus rectè observari posse

sanctum

sanctum veteris Ecclesiæ morem, ut nempe baptizati in doctrina catecheticâ sedulò instituantur, cùm ad rationis & discretionis ætatem pervenerint. Deinde ut Episcopo, vel Pastori offerantur, ut rationem reddant sui profectus, & ratas habeant promissiones ipsorum nomine dum baptizarentur à Parentibus & Susceptoribus factas. Ut ab Episcopo & Pastore conceptis precibus & cum benedictione dimittantur, & ad usum Eucharistiæ cum reliquis adultis fidelibus admittantur. Sed hoc quicquid est cæremoniæ, Sacramentum esse negamus, multo minus histrionicam Pontificiorum Confirmationem. Quæst. XXXI.

V. Primò. Quia non habet institutionem divinam, ne quidem ut sit, nedum ut Sacramentum dici possit. II. Non *Elementum* sive materiam externam & signum divinitus ordinatum. Nusquam enim legitur mandâsse Christus baptizatos sacro chrismate notari in fronte additis solennibus verbis, *Signo te signo Crucis* &c. inflictâ simul alapâ ad roborandam fidem. Quod post Veteres Canonistas Jesuitæ agnoscunt, & contra Sorbonam tuentur, ut constat ex Scriptis Sirmondi contra Aurelium. Sed non melius substituunt loco chrismatis, *manuum impositionem*, cujus ritus nunquam est à Christo mandatus, nec ut actus Ministri, & ritus communis, imò temporarius & in V. Testamento jam usitatus, potest esse visibile & determinatum signum Sacramenti alicujus. III. *Verbum promissionis* gratiæ de regeneratione Spiritus & remissione peccatorum, quod testificetur & obsignet, nullum edi potest ex toto N. Testamento. IV. *Formula Confirmationis* his verbis concepta, *Signo te signo Crucis* &c. in qua Sacramenti hujus forma collocatur ab Eugenio, prorsus aliena est, tum quia Chrisma hoc externum non est Chrisma salutis, tum quia qui ungit eo chrismate externo, non potest ungere Spiritu Sancto, quò ut chrismate salutis ungimur à solo Deo 1. Joan. 2. 27. 2. Cor. 1. 21. V. Derogat baptismo, quia juxta doctrinam Pontificiorum, sequitur baptismum non efficere nos planè Christianos, cùm tamen jam ante baptizati in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti in Communionem ejus admissi simus, & per baptismum Christo inseramur, & ipsi nomen demus. Deinde sequitur in baptismo non dari Spiritum Sanctum ad robur & augmentum gratiæ. Quasi Baptismo non obsignetur nobis gratia Spiritus S. corroborans, æquè ac sanctificans, & non ungamur in ipso in Prophetas, Sacerdotes & Reges, ad pugnandum cum Diabolo & mundo. *Probatur eam non esse Sacramentum.*

VI. Sacramenti Confirmationis, non magis ritus, quàm nomen ex Scriptura potest ostendi. Apostoli quidem adhibuerunt χειροθεσίαν, seu manuum impositionem Act. 8 15. & 19. 6. sed cùm id factum constet in visibili dispensatione Spiritus Sancti pro Ecclesiæ nascentis conditione, & quidem ex promisso speciali, clarum est ritum extraordinarium, eoque temporarium solùm fuisse, cujus usus unà cum aliis miraculis desiit. Quid quod *Fontes Solutionum.* *Act* 8. 15. & 19. 6.

QUÆST. XXIX. quod chrisma & unctio Sacerdotalis omnino abfuerunt ab Apostolicâ χαρισματικῇ, quam respexisse collationem donorum extraordinariorum Spiritus non obscure colligitur, 1. ex Act. 8. 16. ubi Spiritus iste datur jam baptizatis, quique ideo Spiritus jam facti erant participes. 2. Dicitur Spiritus ille ἐπιπίπτειν *illabi* & irruere ℣. 9. quod Spiritus prophetiæ est proprium, non verò sanctificationis. Et Act. 10. 44. 46. *Cecidisse* dicitur *Spiritus ita ut loquerentur linguis* &c. Nec insolens esse in Scriptura, ut dona extraordinaria visibilia Spiritus, nomine Spiritus simpliciter designentur; vel unus locus Act. 19. 1. contra Bellarminum luculenter docet.

VII. Ut Christus fuit unctus, Ita & nos, qui à Christo Christiani dicimur, ungi debemus. Sed non unctione corporea, sed spirituali, quali Christus unctus est, oleo scilicet lætitiæ supra consortes Psal. 45. 8. Nec si sub Veteri Testamento unctiones variæ dabantur, sequitur & in Novo obtinere debere; quia ritus Judaïci qui typici erant & abrogari debuerunt, in Novo Testamento non sunt convertendi in Sacramenta Christiana; alioqui creseeret in immensum numerus Sacramentorum. Adde quod conferuntur hic dissimilia. Nam unctio Judaïca fuit consecrationis, sed Christiana confirmationis.

2. *Cor.* 1. 21. VIII. Unctio & Confirmatio, de qua Paulus agit 2. Corint. 1. 21. non est materialis, & chrismatica, quæ potest esse vana & inutilis, sed spiritualis & mystica, quæ non potest non esse efficax & salutaris per collationem donorum Spiritus Sancti, qui habet rationem *unctionis*, *sigilli* & *arrhabonis*, quò confirmamur in gratia Dei, & signamur usque ad diem redemptionis. Idem dicendum de Unctione, de qua loquitur Johannes 1. *Jo.* 2. 20. c. 2. 1ª ℣. 20. quæ docet omnia fideles, quæ non est diversi generis ab Unctione ipsius Christi, qui ejus suos participes facit.

IX. Licèt vita spiritualis quotidiè egeat novo effectu gratiæ ad sui incrementum. Non ideo opus est novo Sacramento ad istam confirmationem obtinendam. Nam Spiritus, qui nobis datur in baptismo, est Spiritus roboris, non minus ac gratiæ, qui per efficaciam suam, vitam nobis semel datam confirmat & auget, ut non opus sit novo Sacramento. Maximè cùm Eucharistia etiam instituta sit ad animam roborandam, & vitam spiritualem confirmandam & augendam.

X. Promissio ad Sacramentum requiritur, sed non cujuslibet gratiæ, sed fœderalis & salutiferæ, Fœderatis omnibus communis. Eamque Deus veraciter implet, per media, quæ ipsemet ordinavit, non quæ superstitio humana excogitavit. At promissio gratiæ de Charismatis visibilibus conferendis singularis fuit, & temporaria, quæ proinde nullo Sacramento obsignatur. Promissio Spiritus Paracleti Joan. 14. nulli signo

anne-

annectitur, nec magis singulare constituit Sacramentum, quàm aliæ promissiones, quæ in Evangelio habentur. Quæst. XXXI.

XI. Secundò, Quæritur de *Pœnitentia*, quam Pontificii volunt esse Sacramentum verè & propriè dictum pro fidelibus, quoties post baptismum labuntur in peccata, reconciliandis, à Christo Domino institutum, ut loquitur Concilium Trident. Sess. 14. Cano. 1. Ut verò distinctiùs eorum sententia percipiatur; Observandum 1. Eos Pœnitentiam considerare, vel ut Virtutem, vel ut Sacramentum, quod institutum sit in remedium peccatorum, quæ admittuntur post baptismum, ideo pœnitentiam vocant secundam tabulam, quæ post naufragium peccati à baptizatis admissi superstit. 11. Pœnitentiam distinguere in externam & internam. Internam esse solam mentis conversionem, quam fatentur non esse Sacramentum. Externam esse, quæ forinsecus se prodit, mœrore, confessione, lachrymis, aliisque signis externis. 111. Pœnitentiam istam Sacramenti materiam & formam habere: Illam quidem in tribus actibus pœnitentis, *contritione* cordis, *confessione* oris, *satisfactione* operis. Istam in *absolutione* Sacerdotis, quæ fiat per actum judicialem, quò ab ipso, velut à Judice, sententia remissionis peccatorum renuncietur, & non tantùm per nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse pœnitenti peccata. *De Pœnitentia. Sententia Pontificiorum.*

XII. Nos verò 1. Distinguendam censemus Pœnitentiam, quatenus est, vel interna & privata in foro conscientiæ, vel externa & publica in foro Ecclesiæ, quarum hæc illi vel contestandæ, vel excitandæ, vel promovendæ duntaxat debet inservire. Quo sensu *Pœnitentes* olim in Veteri Ecclesia distinguebantur à *Fidelibus*, qui jus habebant Communionis sacrorum, dum illi ab illa suspensi erant per potestatem Clavium, donec per varia, atque publica humiliationis exercitia, communi Exomologesis nomine ut plurimùm expressa, sufficienter reparato scandalo, eadem potestate iterum publicè reciperentur & admitterentur. 11. Veram & salutarem pœnitentiam tribus actibus constare. 1. *Contritione*, seu tristitiâ secundùm Deum, quæ oritur, non tam ex timore servili & metu pœnæ, quàm ex timore filiali, & amore virtutis, per veram & seriam detestationem peccati, ejus magnitudine, gravitate, & fœditate ex Dei Lege, & beneficiis, & nostro officio bene pensitatis. 2. *Confessione*, quæ fit apud Deum in foro conscientiæ, cui soli peccatur, Psal. 51. 6. & qui solus potest peccata, vel condonare, vel punire, quæ est tum interna, tum externa, quæ tribus actibus constat. Primus in *accusatione nostri*, qui complectitur, tum peccatorum nostrorum enumerationem, & omnium circumstantiarum, quæ faciunt ad exaggerandam peccati gravitatem ad nos humiliandos, tum peccatorum ignotorum deprecationem Psal. 19. 13. Secundus in *condemnatione*, quæ consistit in pleno sensu sui demeriti, & justitiæ pœnarum, quibus peccatur *Et Orthodoxorum.*

Quæst. XXXI. tor se dignum judicat. Tertius denique in *deprecatione pœnarum*, & imploratione gratiæ & misericordiæ Dei in Christo. 3. *Emendationis propositio*, & novæ vitæ studio, quæ potissima est ejus pars, absque qua cæteræ non tam sunt inutiles, quàm exitiales. 111. Agnoscimus Lapsos, à quibus Ecclesia publicum offendiculum est passa, peccatum suum coram Ecclesia confiteri debere, ut postquam idonea dederint pœnitentiæ suæ testimonia, Ecclesiæ reconcilientur & admittantur ad pacem & communionem Ecclesiæ & sacrorum ejus. Sed negamus ad id necessariam esse Absolutionem judicialem Sacerdotis.

Status Quæstionis. XIII. Hinc Status Quæstionis facilè colligitur. 1. Non quæritur, An pœnitentia sit necessaria ad veniam peccatorum obtinendam? quod utrinque est in confesso, ut Bellarminus falsò & per calumniam nobis impingat errorem Novatianorum lib. 1. de Pœni. c. 9. qui veniam negandam statuebant pœnitentibus, eò quod pœnitentiam Sacramentum esse negemus. Quia aliud est negare pœnitentiam esse Sacramentum, aliud negare dandam esse veniam pœnitentibus. 2. Non quæritur, An detur aliquod Sacramentum pœnitentiæ? Baptismum enim tale Sacramentum esse pertendimus; Sed An pœnitentia sit tale Sacramentum à baptismo distinctum? Quod negamus. 111. Non quæritur, An Confessio peccatorum graviorum possit & debeat fieri in Ecclesia ad scandali reparationem? Et An qui fratrem offendit, teneatur culpam suam apud ipsum agnoscere & deprecari, ut præcipit Christus Matth 5. 23. Et An qui gravi aliquo vel pluribus peccatis conscientiam suam gravatam sentit, fratribus fidis ea exponere possit, solatium precum & consilii ab iis petiturus, quò videtur respicere Jacobus, Jac. 5. 16. atque imprimis fideli alicui Dei Servo, cujus est vulnera animarum curare, jacentes conscientias erigere, & afflictas recreare, & ab eo tum absolutionem à crimine, tum consilium expetere, quo in posterum à peccato cavere, & pestilentem vitii habitum paulatim exuere possit. Hoc enim ultro largimur, Et Calvinus noster lib. 3. Instit. cap. 4. S. 12. luculenter testatur his verbis: *Ergo*, inquit, id *officii sui unusquisque fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur & afflictatur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio nequeat, non negligere quod illis à Domino offertur remedium, nempe ut ad se sublevandum privatâ confessione apud Pastorem suum utatur, ut ad solatia sibi adhibenda privatim ejus operam imploret. Cujus officium est publicè & privatim populum Dei Evangelicâ doctrinâ consolari. Verùm eâ moderatione semper utendum est, ne ubi Deus nihil certum præscribit, conscientia certo jugo alligetur. Hinc sequitur ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantùm commendetur, qui eâ se habere opus intelligent. Deinde ne ipsi qui eâ utuntur pro sua necessitate ad enumeranda omnia peccata, vel præcepto aliquo co-*

cogantur, vel arte inducantur, sed quoad interesse suum putabunt, ut soli- Quæst. XXXI.
dum consolationis fructum referant. Sed quær. An jure divino necesse sit ad salutem peccata omnia sua, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam peccator habet, in aurem Sacerdotis confiteri, etiamsi ea occultissima sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa? Quod Innocentius III. in Concilio Lateranensi ante annos quadringentos primùm sanxit, Et exinde Tridentini Patres confirmârunt. Nos verò negamus.

XIV. Rationes sunt 1. Quia in omni Sacramento verè & propriè dicto reperitur signum sacramentale, At in pœnitentia nullum occurrit. Nec actiones pœnitentis, aut Sacerdotis ejus rationem habere possunt. 1. Quia omne signum sacramentale debet esse visibile, ut contradistinguatur Verbo. 2. Signum administratur à Pastoribus legitimis, quod dici non potest de operationibus pœnitentis, aut Sacerdotis absolventis, nam Contritio est quid internum, quod non incurrit in sensus, nec est elementum, nec significat gratiam Dei per similitudinem, nec à Pastore administratur, sed à pœnitente præstari debet, quod etiam de Confessione & Satisfactione dicendum. Deinde absolutio judicialis nulla est, præter eam, qua absolvimur in Dei judicio, Ministris Ecclesiæ nulla tribuitur judicialis, sed tantùm ministerialis, posita in exercitio disciplinæ per Verbi dispensationem, quæ non est elementum, sed ipsum Verbum quod elemento contradistinguitur. *Pœnitentiam non esse Sacramentum probatur. 1. Quia non datur signum.*

XV. 11. Quia nulla datur promissio sacramentalis signo annexa. Nam promissio gratiæ, quæ fit pœnitentiæ aut pœnitentibus, aut est simplex in Verbo Evangelii, aut insuper annexa tum Sacramento baptismi, qui dicitur resipiscentiæ, tum etiam Sacræ Cœnæ, quæ in remissione peccatorum dispensatur. III. Quia Pœnitentia non fuit Sacramentum sub Vet. Test. ut agnoscunt Adversarii. Ergo nec sub Novo, quia par est utriusque ratio in essentialibus; aliàs secùs reconciliati fuissent Patres V. Test. quàm fideles Novi. Nec regeri debet non fuisse collatam Ministris potestatem remittendi peccata, quæ fuit collata Apostolis. Nam & Nathan annunciavit remissionem Davidi pœnitenti. Et Isaias, Jeremias, Ezechiel & alii Prophetæ prædicârunt remissionem peccatorum. IV. Pœnitentia prout definitur à Pontificiis, abducit peccatorem à fide obedientiæ, passionis ac satisfactionis Christi ad fiduciam propriarum actionum, à Deo peccatorem justificante ad Sacerdotem hominum peccata judicantem. Obscurat veram doctrinam de Justificatione, de vi & efficacia baptismi. Judicium Dei de peccatis transfert ad Sacerdotis humanum quoddam & politicum tribunal. *2. Non datur promissio sacramentalis.* *3. Quia confessio auricularis non potest admitti.*

XVI. *Confessio auricularis*, quæ inter actus pœnitentis reponitur, non potest admitti. 1. Quia nec à Christo instituta, nec ab Apostolis,

QUÆST. XXXI. vel uſpiam obſervata, vel præcepta & commendata cuiquam legitur, quod omnino tamen factum oportuit, ſi ea ad ſalutem abſolutè neceſſaria fuit. 2. Quia Scriptura Veteris Teſtamenti paſſim omni fideli contrito & verè pœnitenti remiſſionem peccatorum pollicetur abſque ulla prævia tali confeſſione. Cùm enim una, immutabilis, conſtans, atque æterna ſit divinorum Oraculorum mens, neceſſe eſt, vel iſta ad nos minimè pertinere, vel non alia à nobis quàm à Veteribus exigere. 3. Quia multis peccata remiſſa leguntur ſine tali confeſſione, ut mulieri peccatrici Luc. 7. 48. Paralytico Matth. 9. 2. Zachæo Luc. 19. 8. 9. Publicano Luc. 18. 13. Petro Matth. 26. 75. 4. Quia talis confeſſio eſt impoſſibilis propter ignorantiam peccatorum, *delicta ſua quis intelligit?* Pſalm. 19. 13. 5. Quia eſt conſcientiarum carnificina, & deſperationis laqueus, qui hominem in difficultates inexplicabiles inducit, tum quia vel diſtinguere neſcit inter peccata mortalia & venialia, vel nunquam certus eſſe poteſt de juſto & ſufficienti conſcientiæ ſcrutinio, vel de impetrata remiſſione, quæ ab intentione Sacerdotis, quæ illi ignota eſt, pendet. Quod non diſſimulant varii ex Pontificiis, ut Caſſander Conſult. art. 11. & B. Rhenanus præfat. in lib. Tertull. de pœnit. 6. Quia eſt tyrannidis Papalis primarium fulcrum, quò non modò Clerus autoritatem, & potentiam formidabilem ſibi conciliat, opes in immenſum corradit, ſed in arcana Familiarum & Regnorum penetrat, & vitam Principum & Regum in evidens periculum adducit, dum creditur, *præſtare omnes Reges occidi, quàm vel ſemel ſigillum Confeſſionis revelari*, quæ fuit Bineti Jeſuitæ vox, relata à Caſaubono in epiſt. ad Eudæmo-Joh. Denique eſt omnis impuritatis ſchola, & μελέτη ἀναιδυντίας, *exercitatio impudentiæ*, 2. Timoth. 3. 6. 7. in qua *peccandi ratio & modus potius, quàm confitendi diſcitur*, ut bene *Canus* obſervat Relect. de pœnit. cap. 6. quem hujus impudentiæ puduit. Quò pertinent ſcandaloſæ quæſtiones, quas Caſuiſtæ Confeſſoribus injungunt, de quibus agunt *Tolerus*, *Sanchez*, *Navarrus*, & alii.

4. Quia tres actus pœnitentis non ſunt materia ſacramenti.

XVII. IV. Tres actus pœnitentis non poſſunt eſſe materia iſtius Sacramenti. Non *contritio cordis*, quia ſenſibilis non eſt. Non *confeſſio oris*, quæ poteſt eſſe fallax & mendax, & quæ ſolis verbis exprimitur. Non *ſatisfactio operis*, quæ cùm abſolutionem, adeoque & perfectionem Sacramenti ſequatur, ad iſtius eſſentiam pertinere non poteſt. Quid quod tres iſti actus poſſunt obſervari in pœnitentia Judæ proditoris, in μεταμέλειᾳ, quæ dolorem cordis ſignificat, in peccati confeſſione, dicendo Sacerdotibus, *Peccavi prodito ſanguine innoxio*; Et in reſtitutione 30. nummorum, quæ ſatisfactionis fuit loco.

5. Abſolutio Sacerdotalis non poteſt eſſe forma.

XVIII. V. *Abſolutio Sacerdotalis* verbis conceptis, non poteſt eſſe forma Sacramenti. Tum quia de illa nihil habetur, vel in Scriptura, vel

in

in praxi Apostolorum, Tum quia ipsimet de illa forma dubitant, & variè disceptant. Tum quia illa absolutio non tam est solutio, quàm ligatio, propter mulctas & pœnas quæ imponuntur. Tum quia absolutio vel remissio peccatorum nequit esse forma istorum actuum, qui sunt in pœnitente. Tum denique quia absolutio illa judicialis est solius Dei & incommunicabilis ulli creaturæ, Luc. 5. 21. Isa. 43. 15. Mich. 7. 18. Matth. 6. 12. Nam qui peccata remittit, debet esse καρδιογνώστης, qui peccata cordis, quæ sub sensum non cadunt, cognoscat, animarum & conscientiarum Dominus, qui pœnas iis convenientes irroget. Quæst. XXXI.

XIX. Absurdè ad pœnitentiæ Sacramentum referuntur loca Matth. 16. 19. & 18. 17. 18. Et Joan. 20. 23. Quia nulla ibi materiæ seu signi sacramentalis fit mentio; Nec Apostoli, quibus hæc dicta sunt, uspiam ejusmodi Sacramentum administrârunt, in quo ipsi peccatorum in aures sibi demurmuratorum, & satisfactionis, vel contritionis merito expiatorum, Judices se gesserint. Sed non alio verba Christi pertinent, quàm ad ministerium reconciliationis, & sanctæ disciplinæ exercitium Servis Dei commissum; juxta quod *ligant* & retinent peccata impœnitentibus & scandalosis, Et eos, si exigat ædificatio Ecclesiæ, donec resipuerint, à Sacramentis arcent. *Solvunt* verò & remittunt peccata ministerialiter, tum pœnitentibus & credentibus in communi annunciando per Christum remissionem peccatorum, tum etiam in speciali eos recipiendo iterum ad Sacramenta, qui post suspensionem aut excommunicationem veræ & sinceræ pœnitentiæ signa dederint. *Fontes Solutionum.* Mat. 16. 19. & 18. 17. 18. Joan. 20. 23.

XX. *Absolutio* Ministris Evangelii commissa, non est *Judicialis*, qualis est Judicis vel Domini. Sed *Ministerialis*, qualis sit partim per prædicationem Evangelii, quæ consistit in ejusmodi remissione, seu illius præconio & ministerio, tum in exercitio disciplinæ Ecclesiasticæ, prout subordinata est ipsi prædicationi Evangelii, quæ non aliter se habet, quam illa declaratio, quâ qui ante erat leprosus, declaratur mundus; Seu qualis est præconis, qui gratiam Magistratus alicui annunciat ex officio. Nec Clavium potestas aliud infert, quia non sunt Claves principales Domini, quæ soli Christo tribuuntur, Apoc. 1. 18. & 3. 7. Sed ministeriales, quales sunt Oeconomi & Ostiarii.

XXI. Ex Act. 19. 18. nihil colligi potest pro Confessione auriculari. 1. Quia dicuntur quidem multi Credentium venisse confitentes, & annuntiantes actus suos, sed nihil dicitur de confessione secretâ factâ in aurem Pauli; nec an singula peccata sua confiterentur. Sed hoc potest optimè referri, vel ad celebrationem Dei, quòd eos ex tam alta infelicitatis & maledictionis abysso per Christi sui gratiam eruere, & verâ luce donare dignatus esset, opera tenebrarum & impios & nefarios actus seu *Act. 19. 18.*

Quæst. XXXI. magicas vanitates, & diabolicas præstigias, quibus antea dediti erant declarando & seriò detestando. Vel potest referri ad confessionem realem, quam edebant, tales actus publicè damnando, & libros impios, quibus addicti erant, flammis tradendo. Vel ad confessionem generalem & indefinitam talium peccatorum, sine eorum specifica & singulari enumeratione, nec in aurem unius hominis, sed publicè apud omnes qui aderant. *Cajetanus* in h. l. dicit describi confitentes facta sua in genere, publicè, nec fuisse confessionem sacramentalem, sed professionem pœnitentiæ vitæ præteritæ.

Jac. 5. 16. XXII. Confessio, de qua loquitur Jacob. cap. 5. 16. non potest esse sacramentalis & auricularis. 1. Quia agitur de confessione mutuâ offensarum, *Confitemini alii aliis offensas vestras.* Romana planè est alterius generis, quâ scilicet laïci peccata sua Sacerdotibus enumerent, non autem Sacerdotes sua vicissim laïcis. 2. Jacobus confessionem vult fieri, ut alii pro aliis mutuò precentur, quia statim addit, *Orate alii pro aliis, ut sanemini*, unde constat non alia de causa præcipere Jacobum, ut peccata alia aliis confiteamur, nisi ut ad obtinendam à Deo peccatorum remissionem, & curationem, alii aliorum precibus juvemur. Sed longè aliter rem se habere in Confessione Romanâ constat, quæ eo fit, ut à peccatis confessis, non vi precum Sacerdotis, sed ejus autoritate & judicio prætorio absolvamur. Intelligit ergo Jacobus vel mutuam offensarum confessionem, quæ fieri debet fratribus ab invicem ab obtinendam ab iis pacem & veniam, vel peccatorum confessionem, quæ fit homini fideli, ut is, cognito morbo nostro, consilio & precibus suis nos juvet. Nobis hîc adstipulantur ex Pontificiis varii, *Cajetanus*, *Scotus* in 4. Sent. dist. 17. *Maldonatus*, *Gagnaus*, *Carthusianus*, & alii.

XXIII. Confessio, quam exigebat Johannes ab iis, qui veniebant ad *Matth. 3. 6.* baptismum suum Matth. 3. 6. non fuit sacramentalis, quia præcessit baptismum, nec etiam in ea fiebat specialis peccatorum enumeratio, Nam ad Johannem dicitur exivisse tota Hierosolyma, & omnis Judæa ℣. 5. Sed tantùm in genere, & indefinitè. Nam qui se multa ac magna peccata admisisse in genere dicit, non minus sua peccata confitetur, quàm qui ea figillatim ac particulatim explicat, ut *Maldonatus*, *Emanuel Sà*, & alii agnoscunt.

1 Joan. 1. 9. XXIV. Johannes 1. cap. 1. 9. jubet confiteri peccata, non Sacerdoti, sed Deo, qui fidelis est & justus, ut nobis remittat; cui David confessus est Psal. 32. 5. Deinde confessio ista non aliò pertinet, quàm ut peccatores nos fateamur; non verò ut figillatim omnia peccata nostra cum suis circumstantiis recenseamus.

XXV. Aliud est *satisfacere Ecclesiæ* per pœnitentiam publicam, & pœnas Canonicas, quæ ab ea imponebantur ad reparationem scandali. Aliud *satisfacere Deo*, pro peccatis commissis per opera laboriosa ad eorum remissio-

remissionem obtinendam. Prius fieri posse & debere concedimus juxta disciplinæ Ecclesiasticæ Canones, & olim factitatum esse non diffitemur. Sed posterius nec posse, nec debere fieri pertendimus, tum quia talis satisfactio est impossibilis, tum quia est injuria perfectissimæ Satisfactionis Christi, & ἀυτάρκους cum gratuita remissione peccatorum, ut fusè probatum est Loc. XIV. Q. 12. de Perfectione Satisfactionis Christi. Quæst. XXXI.

XXVI. Aliud est asserere necessitatem pœnitentiæ etiam externis operibus testandæ, quibus satisfiat pœnis ab Ecclesia impositis. Aliud velle talia opera esse justas compensationes offensarum, & propriè dictas satisfactiones subordinatas satisfactioni Christi, quæ peccata, vel eorum temporales pœnas saltem propriè redimant. Prius damus. Sed Posterius negamus Pontificiis. Vide *Dallæum de Pœnis & Satisfactionibus.*

XXVII. III. Sacramentum est *Extrema Unctio*, quæ confertur iis, qui in extremo vitæ periculo sunt constituti, eum in finem, ut peccatorum, si quæ adhuc sint expianda, reliquiæ abstergantur, morbi leniùs ferantur, tentationibus Satanæ faciliùs resistatur, & sanitas corporis interdum etiam restituatur. Ejus materiam volunt esse oleum ab Episcopo consecratum, formam positam esse in hac verborum formula, quâ utuntur Sacrificuli in ungendis ægris. *Per sanctam istam Unctionem, & pissimam suum misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccâsti per visum, auditum* &c. Personam conferentem dicunt esse solum Sacerdotem, Suscipientem solum baptizatum eumque jam confessum, absolutum, & de vita periclitantem, ab hac enim arcentur Excommunicati. Partes Corporis septem ungendas designant oculos, aures, nares, os, manus, renes & pedes, quinque quidem priores, quia in iis est sedes quinque sensuum, renes verò propter concupiscentiam, pedes denique propter executionem, aut vim progressivam. Synodus Triden. Sess. 14. Canon. 1. de Extrema Unctione. *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere & propriè Sacramentum à Christo Domino Nostro institutum, & à Beato Jacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema sit.* Et Cano. 2. *Si quis dixerit, Sacram Infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia Curationum, Anathema sit.* *De Extrema Unctione.*

XXVIII. Nos Unctionem quandam infirmorum vigente miraculorum dono, ab Apostolis usurpatam fuisse hunc in finem, ut externo hoc signo valetudo corporis restitueretur laborantibus, agnoscimus. Sed vel institutam, vel insinuatam, vel commendatam eam esse Ecclesiæ, ut sit ordinarium Novi Testamenti Sacramentum ad producendum effectus illos à Synodo memoratos. Negamus.

XXIX.

QUÆST. XXXI. *Probatur non esse Sacramentum.* 1. *Quia non extat ejus institutio in Scriptura.*

XXIX. Rationes sunt. 1. Quia nullibi extat in Scriptura Sacramenti istius institutio, vel à Christo, vel ab Apostolis facta. Nam apud Marcum institutam fuisse, ne ipsa quidem Synodus sustinuit affirmare, sed tantùm *insinuatam*, quia eo tempore nondum erant instituti Sacerdotes. Non habet elementum ab ipso mandatum, quicquid de oleo olivarum, & per illud unctione Adversarij dicant; Vel verbum promissionis de gratia spirituali, cum Unctio Apostolica duntaxat ad reficiendas vires & recuperandam valetudinem comparata fuerit. Denique non fuit ritus ordinarius & perpetuus in Ecclesia, sed charisma extraordinarium ætate Apostolorum symbolicè adhibitum, exinde verò usurpari desitum cessantibus miraculis.

2 *Quia deest materia & forma.*

XXX. 11. Quia nec materia nec forma, nec ritus istius Sacramenti Verbo definita sunt. Non *materia*, quia Verbum Dei nuspiam meminit sanationis per oleum ex olivis confectum ab Episcopo consecratum. Non *forma*, de qua ipsi Adversarij mirè dissident, An certâ verborum formulâ recitari debeat enunciativè, an deprecativè, an optativè. At veri Sacramenti forma, non in oratione, & verborum flexu, sed in similitudine externi signi & rei signatæ consistit. Non *ritus ungendi* in oculis, auribus, naribus &c. de quo altum est in Scriptura silentium.

Marc. 6. 13.

XXXI. Locus Marci 6. 13. de Unctione ægrotorum ex ipso Bellarmino lib. de Extre. Uncti. cap. 2. non favet sententiæ Pontificiorum. 1. Quia illa unctio solùm aut præcipuè relata fuit ad curationem morbi corporalis. Sacramenta autem pertinent ad curationem animæ. 2. Quia Apostoli promiscuè quosvis ægrotos curârunt, Sacramentum autem illud non confertur nisi extremè laborantibus. 3. Quia Apostoli sine discrimine baptizaros & non baptizatos inungebant. At Ecclesia non inungit nisi baptizatos. 4. Clarum est Unctionem Apostolicam apud Marcum memoratam fuisse miraculosam, & pertinuisse ad curationem morborum. Ideo conjungitur cum potestate prædicandi Evangelium, & ejiciendi dæmonas. Unde dicuntur *egressi*, *Evangelium prædicâsse*, *dæmonia multa ejecisse*, *& multos ægrotos sanâsse*. Eadem ratione data est potestas curandi morbos, quâ dæmonia ejiciendi, mortuos suscitandi, leprosos mundandi, &c. Ergo mandatum fuit singulare & temporarium, eos solùm spectans, qui donum illud miraculosum sanationum acceperant, ejusque sibi conscii erant.

Jacob. 5. 14. 15.

XXXII. Non magis illis favet locus Jacobi 5. 14. 15. quia *Cajetanus*, *Maldonatus*, & alii fatentur eandem describi unctionem, quæ apud Marcum habetur, quia eadem utrobique res, eadem rei causa, eadem materia, idem finis & effectus. 2. Unctio ista Apostolica à Pontificia multum differt, quia illa ad corporis sanationem referebatur, ista verò non item. Jacobus inungi jubet quosvis ἀσθενοῦντας. At Papistæ non inungunt nisi mori-

moribundos. Jacobus induci jubet plures Presbyteros. Papistæ non adhibent nisi unum Sacerdotem. Unctio Jacobi pro fine habuit absoluto curationem morbi, conditionato verò remissionem peccatorum, quæ non tribuitur propriè unctioni, sed τῇ ἐυχῇ τῆς πίστεως *orationi fidei*, Sed Papistica invertit hunc ordinem, & alium insuper finem fingit, ut æger spirituali auxilio muniatur adversus metum mortis. Denique hic habetur mandatum Unctionis, & signum, sed temporarium utrumque, quod duraret tantisper, dum charisma sanationum in Ecclesia cessaret. Cæterum promissio sanitatis non ita est absoluta, ut inferat necessitatem non moriendi, debet enim tacita hæc conditio intelligi, sanatum iri ægrum, si ita expediat, ut ista promissio temporalis limitanda sit voluntate divinâ eventum variè dispensante. Quæst. XXXI.

XXXIII. Non necesse fuit Sacramentum speciale instituere pro morientibus seu egredientibus è mundo, ut ingredientibus & progredientibus Baptismus & Cœna instituta erant. Quia ita sunt instituta ingredientibus & progredientibus, ut fructus eorum non sit momentaneus, nec restringendus ad id tempus quô celebratur, sed ad totam vitam & usque ad ipsam mortem. 2. Deus morienti Stephano adfuit sine ullo speciali Sacramento, & veteri Ecclesiæ Deus optimè providerat, etsi nullum legatur institutum Sacramentum speciale pro morientibus.

XXXIV. iv. Sacramentum sunt *Ordines*. Ita vocant Pontificii Gradum eminentem in Ecclesia, Et eos vulgò faciunt septem, quatuor minores, *Ostiariorum*, *Lectorum*, *Exorcistarum*, & *Acolytorum*. Tres majores, *Hypodiaconorum*, *Diaconorum*, & *Presbyterorum*, Octavum addunt nonnulli, puta Ordinem *Episcoporum*, quos à Presbyteris sejungunt. Singulis his Ordinibus proprios assignant ritus, propriamque materiam, & formam, & distincta munia. *De Ordinibus.*

XXXV. Nos agnoscimus à Christo institutos Ordines, non tantùm Apostolorum, Prophetarum, & Evangelistarum, qui pridem desiêre; Sed etiam Pastorum, Doctorum, Presbyterorum, & Diaconorum, quos in politia nostra Ecclesiastica retinemus. Sed negamus hos Ordines institutos in hunc finem, ut sint Sacramenta Novi Testamenti.

XXXVI. Primò, Quia nullum est signum & Elementum corporale. Nam ad impositionem manuum quod attinet, non potest pro signo haberi. 1. Quia non est elementum, sed actio. 2. Est communis cum Confirmatione, & multis aliis, & locum jam habuit sub Veteri Testamento. 3. Non est à Christo instituta ullo mandato, sed est cæremonia libera, quæ legitur quidem usurpata, sed non instituta; quod autem usurpatum est, non statim debet dici institutum. Sic lotio pedum & insufflatio in Apostolos à Christo sunt usurpatæ Joan. 13. & Jo. 20. tamen non sunt propter- *Ordines non esse Sacramenta probatur.*

QUÆST. XXXI. ea institutæ. 3. Manuum impositio non pertinet ad omnes Ordines, sed ad quosdam tantùm.

XXXVII. Secundò, Omne Sacramentum Novi Testamenti habet promissionem gratiæ justificantis. Sed Ordines nullam talem habent. Nec contrarium probatur ex 1. Timot. 4. 14. ubi donum dicitur datum Timotheo per impositionem manuum. Quia non agitur de gratia sacramentali, id est, cui significandæ & obsignandæ Sacramenta sunt destinata, quæ posita est in beneficio justificationis & sanctificationis; Sed de *gratia officii*, seu Ministerii Ecclesiastici, quæ nihil aliud est, quàm autoritas publicè docendi in Ecclesia, quam Paulus vocat διδασκαλίαν & διακονίαν, & dona ad illud munus exercendum necessaria, qualia sunt linguarum, & cœlestis sapientiæ cognitio, & alia quæ Episcopum faciunt διδακτικὸν, id est, docendi peritum.

1. Tim. 4. 14.

XXXVIII. Tertiò, Omne Sacramentum est specie unum, quod non multiplicatur, nisi ratione numeri. Sed ordo non est unus specie, quia numerantur ad minimum septem, non tantùm numero, sed & specie differentes, quæ enim differunt materiâ & formâ, illa specie differunt.

XXXIX. Mandatum quod allegatur ad probandam institutionem Ordinis non huc pertinet. Quia vel est expressum & speciale, Act. 13. 2. Sed alienum ab instituto, ut omnes loci circumstantiæ docent; Cùm Paulus & Barnabas ibi nec Ordinem, nec ejus Sacramentum susceperint. Vel est implicitum & generale Act. 20. 28. Ephes. 4. 11. 12. ex quo divina ministerii Ecclesiastici institutio convenienter asseritur. Sed ordinatio sacramentalis nihilo rectiùs concluditur, quàm Apostolatus & Prophetia Novi Test. Sacramentis accensentur.

Act. 13. 2.

Act. 20. 28. Eph. 4. 11. 12.

De Matrimonio. Probatur non esse Sacramentum.

XL. v. Sacramentum est *Matrimonium* ex Conc. Triden. Sanctione Sess. 24. Cano. 1. Sed hic pariter desiderantur omnia requisita Sacramenti. 1. Institutio divina, cùm constet à prima Creatione ordinatum esse ad generis humani propagationem, à quo fine non deflexit in Novo Testamento Matth. 19. 4. 5. 2. Elementum, quod sit signum sacramentale à Christo ordinatum. 3. Verbum promissionis gratiæ, matrimonio peculiariter annexum, ut per illud confirmetur & applicetur. 4. Usus ordinarius & perpetuus in sola Ecclesia Novi Test. cùm matrimonium jure Naturæ & Gentium infidelibus & fidelibus sit commune, & utrique Ecclesiæ conveniat.

XLI. Secundò, Matrimonium nullam habet materiam sacramentalem; nec conveniunt inter se Pontificii in ea assignanda. Nonnulli volunt consensum mutuum esse materiam. Alii personas contrahentes pro materia statuunt. At utrorumque sententia est absurda. Prior quidem, quia materia Sacramenti debet esse aliquid visibile externum, talis verò non est consen-

sensus, qui est internum quid. Posterior etiam, quia si personæ contrahentes sunt materia Sacramenti, tum idem erit materia Sacramenti, & recipiens Sacramentum, quod est absurdum. Quæst. XXXI.

XLII. Tertiò, Matrimonium non est instrumentum, quò applicetur gratia justificans, quia deberet esse omnibus commune. At secundùm Pontificios non est omnibus commune. Nec per matrimonium confertur gratia justificationis. Quod Paulus ait mulierem salvatum iri per τεκνογονίαν 1. Tim. 2. 15. Non evincit gratiam salutarem per matrimonium tanquam signum sacrum dari; Sed non aliò spectat, quàm ad consolandas mulieres contra τεκνογονίας cruciatus, qui illi loco pœnæ propter seductionem infligantur, ut sciant mulieribus piis & in fide permanentibus, cruciatus istos non amplius illis fore signum iræ divinæ, vel impedituros salutem suam; Imò Deum procuraturum, ut in ipsa τεκνογονίᾳ experiantur testimonium singulare gratiæ divinæ erga se. 1. Tim. 2. 15.

XLIII. Locus Pauli Eph. 5. 32. perperam detorquetur ad matrimonium humanum, quod ipse disertè interpretatur de Christi cum Ecclesia Conjugio mystico, quod evincunt, tum forma exclamationis, habens πάθος admirationis, tum series antecedentium à ℣. 26. 27. Vox *mysterii* malè per Sacramentum redditur, quia vox illa non signum, sed rem signatam spiritualem usitatè declarat in Scriptura. Et latiùs patet quàm Sacramentum strictè dictum, nam non quodvis Mysterium potest dici Sacramentum, sed illud demum, quod gratiam salutis offert Verbo promissionis, & symbolo externo divinitus instituto confirmat. Ephes. 5. 32.

XLIV. Quicquid repræsentat rem sacram, non statim est Sacramentum. Sic enim Sol & alia idgenus Christum repræsentantia essent Sacramenta. Nec quicquid habet annexam promissionem gratiæ alicujus, est Sacramentum; aliàs eleemosyna & oratio essent Sacramenta. Deinde promissio gratiæ annexa matrimonio, temporalis est de semine suscipiendo, non sacramentalis.

Quæst. XXXI. tor se dignum judicat. Tertius denique in *deprecatione pœnarum*, & implorationegratiæ & misericordiæ Dei in Christo. 3. *Emendationis propositio*, & novæ vitæ studio, quæ potissima est ejus pars, absque qua cæteræ non tam sunt inutiles, quàm exitiales. III. Agnoscimus Lapsos, à quibus Ecclesia publicum offendiculum est passa, peccatum suum coram Ecclesia confiteri debere, ut postquam idonea dederint pœnitentiæ suæ testimonia, Ecclesiæ reconcilientur & admittantur ad pacem & communionem Ecclesiæ & sacrorum ejus. Sed negamus ad id necessariam esse Absolutionem judicialem Sacerdotis.

Status Quæstionis. XIII. Hinc Status Quæstionis facilè colligitur. 1. Non quæritur, An pœnitentia sit necessaria ad veniam peccatorum obtinendam? quod utrinque est in confesso, ut Bellarminus falsò & per calumniam nobis impingat errorem Novatianorum lib. 1. de Pœni. c. 9. qui veniam negandam statuebant pœnitentibus, eò quod pœnitentiam Sacramentum esse negemus. Quia aliud est negare pœnitentiam esse Sacramentum, aliud negare dandam esse veniam pœnitentibus. 2. Non quæritur, An detur aliquod Sacramentum pœnitentiæ? Baptismum enim tale Sacramentum esse pertendimus; Sed An pœnitentia sit tale Sacramentum à baptismo distinctum? Quod negamus. III. Non quæritur, An Confessio peccatorum graviorum possit & debeat fieri in Ecclesia ad scandali reparationem? Et An qui fratrem offendit, teneatur culpam suam apud ipsum agnoscere & deprecari, ut præcipit Christus Matth. 5. 23. Et An qui gravi aliquo vel pluribus peccatis conscientiam suam gravatam sentit, fratribus fidis ea exponere possit, solatium precum & consilii ab iis petiturus, quò videtur respicere Jacobus, Jac. 5. 16. atque imprimis fideli alicui Dei Servo, cujus est vulnera animarum curare, jacentes conscientias erigere, & afflictas recreare, & ab eo tum absolutionem à crimine, tum consilium expetere, quo in posterum à peccato cavere, & pestilentem vitii habitum paulatim exuere possit. Hoc enim ultro largimur, Et Calvinus noster lib. 3. Instit. cap. 4. S. 12. luculenter testatur his verbis: *Ergo*, inquit, id *officii sui unusquisque fidelium esse meminerit, si ita privatim angitur & afflictatur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio nequeat, non negligere quod illi à Domino offertur remedium, nempe ut ad se sublevandum privatâ confessione apud Pastorem suum utatur, ut ad solatia sibi adhibenda privatam ejus operam imploret. Cujus officium est publicè & privatim populum Dei Evangelicâ doctrinâ consolari. Verùm eâ moderatione semper utendum est, ne ubi Deus nihil certum præscribit, conscientiæ certo jugo alligemur. Hinc sequitur ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantùm commendetur, qui eâ se habere opus intelligent. Deinde ne ipsi qui eâ utuntur pro suæ necessitate ad enumerandà omnia peccata, vel præcepto aliquo*

co-

cogantur, vel arte inducantur, sed quoad interesse suum putabunt, ut solidum consolationis fructum referant. Sed quær. An jure divino necesse sit ad salutem peccata omnia sua, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam peccator habet, in aurem Sacerdotis confiteri, etiamsi ea occultissima sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa? Quod Innocentius III. in Concilio Lateranensi ante annos quadringentos primùm sanxit, Et exinde Tridentini Patres confirmârunt. Nos verò negamus. Quæst. XXXI.

XIV. Rationes sunt 1. Quia in omni Sacramento verè & propriè dicto reperitur signum sacramentale, At in pœnitentia nullum occurrit. Nec actiones pœnitentis, aut Sacerdotis ejus rationem habere possunt. 1. Quia omne signum sacramentale debet esse visibile, ut contradistinguatur Verbo. 2. Signum administratur à Pastoribus legitimis, quod dici non potest de operationibus pœnitentis, aut Sacerdotis absolventis, nam Contritio est quid internum, quod non incurrit in sensus, nec est elementum, nec significat gratiam Dei per similitudinem, nec à Pastore administratur, sed à pœnitente præstari debet, quod etiam de Confessione & Satisfactione dicendum. Deinde absolutio judicialis nulla est, præter eam, qua absolvimur in Dei judicio, Ministris Ecclesiæ nulla tribuitur judicialis, sed tantùm ministerialis, posita in exercitio disciplinæ per Verbi dispensationem, quæ non est elementum, sed ipsum Verbum quod elemento contradistinguitur. *Pœnitentiam non esse Sacramentum probatur. 1. Quia non datur signum.*

XV. 11. Quia nulla datur promissio sacramentalis signo annexa. Nam promissio gratiæ, quæ fit pœnitentiæ aut pœnitentibus, aut est simplex in Verbo Evangelii, aut insuper annexa tum Sacramento baptismi, qui dicitur resipiscentiæ, tum etiam Sacræ Cœnæ, quæ in remissione peccatorum dispensatur. 111. Quia Pœnitentia non fuit Sacramentum sub Vet. Test. ut agnoscunt Adversarii. Ergo nec sub Novo, quia par est utriusque ratio in essentialibus; aliàs secùs reconciliati fuissent Patres V. Test. quàm fideles Novi. Nec regeri debet non fuisse collatam Ministris potestatem remittendi peccata, quæ fuit collata Apostolis. Nam & Nathan annunciavit remissionem Davidi pœnitenti. Et Isaias, Jeremias, Ezechiel & alii Prophetæ prædicârunt remissionem peccatorum. 1v. Pœnitentia prout definitur à Pontificiis, abducit peccatorem à fide obedientiæ, passionis ac satisfactionis Christi ad fiduciam propriarum actionum, à Deo peccatorem justificante ad Sacerdotem hominum peccata judicantem. Obscurat veram doctrinam de Justificatione, de vi & efficacia baptismi. Judicium Dei de peccatis transfert ad Sacerdotis humanum quoddam & politicum tribunal. *2. Non datur promissio sacramentalis.*

XVI. *Confessio auricularis*, quæ inter actus pœnitentis reponitur, non potest admitti. 1. Quia nec à Christo instituta, nec ab Apostolis, *3. Quòd confessio auricularis non potest admitti.*

QUÆST. XXXI. vel uſpiam obſervata, vel præcepta & commendata cuiquam legitur, quod omnino tamen factum oportuit, ſi ea ad ſalutem abſolutè neceſſaria fuit. 2. Quia Scriptura Veteris Teſtamenti paſſim omni fideli contrito & verè pœnitenti remiſſionem peccatorum pollicetur abſque ulla prævia tali confeſſione. Cùm enim una, immutabilis, conſtans, atque æterna ſit divinorum Oraculorum mens, neceſſe eſt, vel iſta ad nos minimè pertinere, vel non alia à nobis quàm à Veteribus exigere. 3. Quia multis peccata remiſſa leguntur ſine tali confeſſione, ut mulieri peccatrici Luc. 7. 48. Paralytico Matth. 9. 2. Zachæo Luc. 19. 8. 9. Publicano Luc. 18. 13. Petro Matth. 26. 75. 4. Quia talis confeſſio eſt impoſſibilis propter ignorantiam peccatorum, *delicta ſua quis intelligit?* Pſalm. 19. 13. 5. Quia eſt conſcientiarum carnificina, & deſperationis laqueus, qui hominem in difficultates inexplicabiles inducit, tum quia vel diſtinguere neſcit inter peccata mortalia & venialia, vel nunquam certus eſſe poteſt de juſto & ſufficienti conſcientiæ ſcrutinio, vel de impetrata remiſſione, quæ ab intentione Sacerdotis, quæ illi ignota eſt, pendet. Quod non diſſimulant varii ex Pontificiis, ut Caſſander Conſult. art. 11. & B. Rhenanus præfat. in lib. Tertull. de pœnit. 6. Quia eſt tyrannidis Papalis primarium fulcrum, quô non modò Clerus autoritatem, & potentiam formidabilem ſibi conciliat, opes in immenſum corradit, ſed in arcana Familiarum & Regnorum penetrat, & vitam Principum & Regum in evidens periculum adducit, dum creditur, *præſtare omnes Reges occidi, quàm vel ſemel ſigillum Confeſſionis revelari*, quæ fuit Bineti Jeſuitæ vox, relata à Caſaubono in epiſt. ad Eudæmo-Joh. Denique eſt omnis impuritatis ſchola, & μελέτη ἀναιδείας, *exercitatio impudentiæ*, 2. Timoth. 3. 6. 7. in qua *peccandi ratio & modus potius, quàm confitendi diſcitur*, ut bene *Canus* obſervat Relect. de pœnit. cap. 6. quem hujus impudentiæ puduit. Quò pertinent ſcandaloſæ quæſtiones, quas Caſuiſtæ Confeſſoribus injungunt, de quibus agunt *Toletus*, *Sanchez*, *Navarrus*, & alii.

4. *Quia tres actus pœnitentis non ſunt materia ſacramenti.*

XVII. IV. Tres actus pœnitentis non poſſunt eſſe materia iſtius Sacramenti. Non *contritio cordis*, quia ſenſibilis non eſt. Non *confeſſio oris*, quæ poteſt eſſe fallax & mendax, & quæ ſolis verbis exprimitur. Non *ſatisfactio operis*, quæ cùm abſolutionem, adeoque & perfectionem Sacramenti ſequatur, ad iſtius eſſentiam pertinere non poteſt. Quid quod tres iſti actus poſſunt obſervari in pœnitentia Judæ proditoris, in μεταμέλεια, quæ dolorem cordis ſignificat, in peccati confeſſione, dicendo Sacerdotibus, *Peccavi prodito ſanguine innoxio*; Et in reſtitutione 30. nummorum, quæ ſatisfactionis fuit loco.

5. *Abſolutio Sacerdotalis non poteſt eſſe forma.*

XVIII. V. *Abſolutio Sacerdotalis* verbis conceptis, non poteſt eſſe forma Sacramenti. Tum quia de illa nihil habetur, vel in Scriptura, vel

in

in praxi Apostolorum, Tum quia ipsimet de illa forma dubitant, & variè disceptant. Tum quia illa absolutio non tam est solutio, quàm ligatio, propter mulctas & pœnas quæ imponuntur. Tum quia absolutio vel remissio peccatorum nequit esse forma istorum actuum, qui sunt in pœnitente. Tum denique quia absolutio illa judicialis est solius Dei & incommunicabilis ulli creaturæ, Luc. 5. 21. Isa. 43. 15. Mich. 7. 18. Matth. 6. 12. Nam qui peccata remittit, debet esse καρδιογνώστης, qui peccata cordis, quæ sub sensum non cadunt, cognoscat, animarum & conscientiarum Dominus, qui pœnas iis convenientes irroget. Quæst. XXXI.

XIX. Absurdè ad pœnitentiæ Sacramentum referuntur loca Matth. 16. 19. & 18. 17. 18. Et Joan. 20. 23. Quia nulla ibi materiæ seu signi sacramentalis fit mentio; Nec Apostoli, quibus hæc dicta sunt, uspiam ejusmodi Sacramentum administrárunt, in quo ipsi peccatorum in aures sibi demurmuratorum, & satisfactionis, vel contritionis merito expiatorum, Judices se gesserint. Sed non alio verba Christi pertinent, quàm ad ministerium reconciliationis, & sanctæ disciplinæ exercitium Servis Dei commissum; juxta quod *ligant* & retinent peccata impœnitentibus & scandalosis, Et eos, si exigat ædificatio Ecclesiæ, donec resipuerint, à Sacramentis arcent. *Solvunt* verò & remittunt peccata ministerialiter, tum pœnitentibus & credentibus in communi annunciando per Christum remissionem peccatorum, tum etiam in speciali eos recipiendo iterum ad Sacramenta, qui post suspensionem aut excommunicationem veræ & sinceræ pœnitentiæ signa dederint. *Fontes Solutionum.* *Mat. 16. 19. & 18. 17. 18.* *Joan. 20. 23.*

XX. *Absolutio* Ministris Evangelii commissa, non est *Judicialis*, qualis est Judicis vel Domini. Sed *Ministerialis*, qualis sit partim per prædicationem Evangelii, quæ consistit in ejusmodi remissione, seu illius præconio & ministerio, tum in exercitio disciplinæ Ecclesiasticæ, prout subordinata est ipsi prædicationi Evangelii, quæ non aliter se habet, quam illa declaratio, quâ qui ante erat leprosus, declaratur mundus; Seu qualis est præconis, qui gratiam Magistratus alicui annunciat ex officio. Nec Clavium potestas aliud infert, quia non sunt Claves principales Domini, quæ soli Christo tribuuntur, Apoc. 1. 18. & 3. 7. Sed ministeriales, quales sunt Oeconomi & Ostiarii.

XXI. Ex Act. 19. 18. nihil colligi potest pro Confessione auriculari. 1. Quia dicuntur quidem multi Credentium venisse confitentes, & annuntiantes actus suos, sed nihil dicitur de confessione secretâ factâ in aurem Pauli; nec an singula peccata sua confiterentur. Sed hoc potest optimè referri, vel ad celebrationem Dei, quòd eos ex tam alta infelicitatis & maledictionis abysso per Christi sui gratiam eruere, & verâ luce donare dignatus esset, opera tenebrarum & impios & nefarios actus seu *Act. 19. 18.*

QUÆST. XXXI. magicas vanitates, & diabolicas præstigias, quibus antea dediti erant declarando & seriò detestando. Vel potest referri ad confessionem realem, quam edebant, tales actus publicè damnando, & libros impios, quibus addicti erant, flammis tradendo. Vel ad confessionem generalem & indefinitam talium peccatorum, sine eorum specifica & singulari enumeratione, nec in aurem unius hominis, sed publicè apud omnes qui aderant. *Cajetanus* in h. l. dicit describi confitentes facta sua in genere, publicè, nec fuisse confessionem sacramentalem, sed professionem pœnitentiæ vitæ præteritæ.

Jac. 5. 16. XXII. Confessio, de qua loquitur Jacob. cap. 5. 16. non potest esse sacramentalis & auricularis. 1. Quia agitur de confessione mutuâ offensarum, *Confitemini alii aliis offensas vestras.* Romana planè est alterius generis, quâ scilicet laïci peccata sua Sacerdotibus enumerent, non autem Sacerdotes sua vicissim laïcis. 2. Jacobus confessionem vult fieri, ut alii pro aliis mutuò precentur, quia statim addit, *Orate alii pro aliis, ut sanemini*, unde constat non alia de causâ præcipere Jacobum, ut peccata alia aliis confiteamur, nisi ut ad obtinendam à Deo peccatorum remissionem, & curationem, alii aliorum precibus juvemur. Sed longè aliter rem se habere in Confessione Romanâ constat, quæ eo fit, ut à peccatis confessis, non vi precum Sacerdotis, sed ejus autoritate & judicio prætorio absolvamur. Intelligit ergo Jacobus vel mutuam offensarum confessionem, quæ fieri debet fratribus ab invicem ab obtinendam ab iis pacem & veniam, vel peccatorum confessionem, quæ fit homini fideli, ut is, cognito morbo nostro, consilio & precibus suis nos juvet. Nobis hîc adstipulantur ex Pontificiis varii, *Cajetanus*, *Scotus* in 4. Sent. dist. 17. *Maldonatus*, *Gagnæus*, *Carthusianus*, & alii.

XXIII. Confessio, quam exigebat Johannes ab iis, qui veniebant ad *Matth. 3. 6.* baptismum suum Matth. 3. 6. non fuit sacramentalis, quia præcessit baptismum, nec etiam in ea fiebat specialis peccatorum enumeratio, Nam ad Johannem dicitur exivisse tota Hierosolyma, & omnis Judæa ℣. 5. Sed tantùm in genere, & indefinitè. Nam qui se multa ac magna peccata admisisse in genere dicit, non minus sua peccata confitetur, quàm qui ea figillatim ac particulatim explicat, ut *Maldonatus*, *Emanuel Sà*, & alii agnoscunt.

1 Joan. 1. 9. XXIV. Johannes 1. cap. 1. 9. jubet confiteri peccata, non Sacerdoti, sed Deo, qui fidelis est & justus, ut nobis remittat; cui David confessus est Psal. 32. 5. Deinde confessio ista non aliò pertinet, quàm ut peccatores nos fateamur; non verò ut figillatim omnia peccata nostra cum suis circumstantiis recenseamus.

XXV. Aliud est *satisfacere Ecclesiæ* per pœnitentiam publicam, & pœnas Canonicas, quæ ab ea imponebantur ad reparationem scandali. Aliud *satisfacere Deo*, pro peccatis commissis per opera laboriosa ad eorum remissio-

remissionem obtinendam. Prius fieri posse & debere concedimus juxta disciplinæ Ecclesiasticæ Canones, & olim factitatum esse non diffitemur. Sed posterius nec posse, nec debere fieri pertendimus, tum quia talis satisfactio est impossibilis, tum quia est injuria perfectissimæ Satisfactionis Christi, & ἀσύστατος cum gratuita remissione peccatorum, ut fusè probatum est Loc. XIV. Q. 12. de Perfectione Satisfactionis Christi. Quæst. XXXI.

XXVI. Aliud est asserere necessitatem pœnitentiæ etiam externis operibus testandæ, quibus satisfiat pœnis ab Ecclesia impositis. Aliud velle talia opera esse justas compensationes offensarum, & proprie dictas satisfactiones subordinatas satisfactioni Christi, quæ peccata, vel eorum temporales pœnas saltem propriè redimant. Prius damus. Sed Posterius negamus Pontificiis. Vide *Dallæum de Pœnis & Satisfactionibus.*

XXVII. III. Sacramentum est *Extrema Unctio*, quæ confertur iis, qui in extremo vitæ periculo sunt constituti, eum in finem, ut peccatorum, si quæ adhuc sint expianda, reliquiæ abstergantur, morbi leniùs ferantur, tentationibus Satanæ faciliùs resistatur, & sanitas corporis interdum etiam restituatur. Ejus materiam volunt esse oleum ab Episcopo consecratum, formam positam esse in hac verborum formula, quâ utuntur Sacrificuli in ungendis ægris. *Per sanctam istam Unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccâsti per visum, auditum* &c. Personam conferentem dicunt esse solum Sacerdotem, Suscipientem solum baptizatum eumque jam confessum, absolutum, & de vita periclitantem, ab hac enim arcentur Excommunicati. Partes Corporis septem ungendas designant oculos, aures, nares, os, manus, renes & pedes, quinque quidem priores, quia in iis est sedes quinque sensuum, renes verò propter concupiscentiam, pedes denique propter executionem, aut vim progressivam. Synodus Triden. Sess. 14. Canon. 1. de Extrema Unctione. *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse verè & proprie Sacramentum à Christo Domino Nostro institutum, & à Beato Jacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema sit.* Et Cano. 2. *Si quis dixerit, Sacram Infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia Curationum, Anathema sit.* De Extrema Unctione.

XXVIII. Nos Unctionem quandam infirmorum vigente miraculorum dono, ab Apostolis usurpatam fuisse hunc in finem, ut externo hoc signo valetudo corporis restitueretur laborantibus, agnoscimus. Sed vel institutam, vel insinuatam, vel commendatam eam esse Ecclesiæ, ut sit ordinarium Novi Testamenti Sacramentum ad producendum effectus illos à Synodo memoratos. Negamus.

XXIX.

QUÆST. XXXI. *Probatur non esse Sacramentum.* 1. *Quia non existat ejus institutio in Scriptura.*

XXIX. Rationes sunt. 1. Quia nullibi extat in Scriptura Sacramentii istius institutio, vel à Christo, vel ab Apostolis facta. Nam apud Marcum institutam fuisse, ne ipsa quidem Synodus sustinuit affirmare, sed tantùm *insinuatam*, quia eo tempore nondum erant instituti Sacerdotes. Non habet elementum ab ipso mandatum, quicquid de oleo olivarum, & per illud unctione Adversarij dicant; Vel verbum promissionis de gratia spirituali, cum Unctio Apostolica duntaxat ad reficiendas vires & recuperandam valetudinem comparata fuerit. Denique non fuit ritus ordinarius & perpetuus in Ecclesia, sed charisma extraordinarium ætate Apostolorum symbolicè adhibitum, exinde verò usurpari desitum cessantibus miraculis.

2 *Quia deest materia & forma.*

XXX. 11. Quia nec materia nec forma, nec ritus istius Sacramenti Verbo definita sunt. Non *materia*, quia Verbum Dei nuspiam meminit sanationis per oleum ex olivis confectum ab Episcopo consecratum. Non *forma*, de qua ipsi Adversarij mirè dissident, An certâ verborum formulâ recitari debeat enunciativè, an deprecativè, an optativè. At veri Sacramenti forma, non in oratione, & verborum flexu, sed in similitudine externi signi & rei signatæ consistit. Non *ritus ungendi* in oculis, auribus, naribus &c. de quo altum est in Scriptura silentium.

Marc. 6. 13.

XXXI. Locus Marci 6. 13. de Unctione ægrotorum ex ipso Bellarmino lib. de Extre. Uncti. cap. 2. non favet sententiæ Pontificiorum. 1. Quia illa unctio solùm aut præcipuè relata fuit ad curationem morbi corporalis. Sacramenta autem pertinent ad curationem animæ. 2. Quia Apostoli promiscuè quosvis ægrotos curârunt, Sacramentum autem istud non confertur nisi extremè laborantibus. 3. Quia Apostoli sine discrimine baptizaros & non baptizatos inungebant. At Ecclesia non inungit nisi baptizatos. 4. Clarum est Unctionem Apostolicam apud Marcum memoratam fuisse miraculosam, & pertinuisse ad curationem morborum. Ideo conjungitur cum potestate prædicandi Evangelium, & ejiciendi dæmonas. Unde dicuntur *egressi*, *Evangelium prædicâsse*, *dæmonia multa ejecisse*, *& multos ægrotos sanâsse*. Eadem ratione data est potestas curandi morbos, quâ dæmonia ejiciendi, mortuos suscitandi, leprosos mundandi, &c. Ergo mandatum fuit singulare & temporarium, eos solùm spectans, qui donum illud miraculosum sanationum acceperant, ejusque sibi conscii erant.

Jacob. 5. 14. 15.

XXXII. Non magis illis favet locus Jacobi 5. 14. 15. quia *Cajetanus*, *Maldonatus*, & alii fatentur eandem describi unctionem, quæ apud Marcum habetur, quia eadem utrobique res, eadem rei causa, eadem materia, idem finis & effectus. 2. Unctio ista Apostolica à Pontificia multum differt, quia illa ad corporis sanationem referebatur, ista verò non item. Jacobus inungi jubet quosvis ἀσθενοῦντας. At Papistæ non inungunt nisi

mori-

moribundos. Jacobus induci jubet plures Presbyteros. Papistæ non adhibent nisi unum Sacerdotem. Unctio Jacobi pro fine habuit absoluto curationem morbi, conditionato verò remissionem peccatorum, quæ non tribuitur propriè unctioni, sed τῇ εὐχῇ τῆς πίστεως *orationi fidei*, Sed Papistæ invertit hunc ordinem, & alium insuper finem fingit, ut æger spirituali auxilio muniatur adversus metum mortis. Denique hic habetur mandatum Unctionis, & signum, sed temporarium utrumque, quod duraret tantisper, dum charisma sanationum in Ecclesia cessaret. Cæterum promissio sanitatis non ita est absoluta, ut inferat necessitatem non moriendi, debet enim tacita hæc conditio intelligi, sanatum iri ægrum, si ita expediat, ut ista promissio temporalis limitanda sit voluntate divinâ eventum variè dispensante. Quæst. XXXI.

XXXIII. Non necesse fuit Sacramentum speciale instituere pro morientibus seu egredientibus è mundo, ut ingredientibus & progredientibus Baptismus & Cœna instituta erant. Quia ita sunt instituta ingredientibus & progredientibus, ut fructus eorum non sit momentaneus, nec restringendus ad id tempus quô celebratur, sed ad totam vitam & usque ad ipsam mortem. 2. Deus morienti Stephano adfuit sine ullo speciali Sacramento, & veteri Ecclesiæ Deus optimè providerat, etsi nullum legatur institutum Sacramentum speciale pro morientibus.

XXXIV. iv. Sacramentum sunt *Ordines*. Ita vocant Pontificii Gradum eminentem in Ecclesia, Et eos vulgò faciunt septem, quatuor minores, *Ostiariorum*, *Lectorum*, *Exorcistarum*, & *Acolytorum*. Tres majores, *Hypodiaconorum*, *Diaconorum*, & *Presbyterorum*, Octavum addunt nonnulli, puta Ordinem *Episcoporum*, quos à Presbyteris sejungunt. Singulis his Ordinibus proprios assignant ritus, propriamque materiam, & formam, & distincta munia. *De Ordinibus.*

XXXV. Nos agnoscimus à Christo institutos Ordines, non tantùm Apostolorum, Prophetarum, & Evangelistarum, qui pridem defiêre; Sed etiam Pastorum, Doctorum, Presbyterorum, & Diaconorum, quos in politia nostra Ecclesiastica retinemus. Sed negamus hos Ordines institutos in hunc finem, ut sint Sacramenta Novi Testamenti.

XXXVI. Primò, Quia nullum est signum & Elementum corporale. Nam ad impositionem manuum quod attinet, non potest pro signo haberi. 1. Quia non est elementum, sed actio. 2. Est communis cum Confirmatione, & multis aliis, & locum jam habuit sub Veteri Testamento. 3. Non est à Christo instituta ullo mandato, sed est cæremonia libera, quæ legitur quidem usurpata, sed non instituta; quod autem usurpatum est, non statim debet dici institutum. Sic lotio pedum & insufflatio in Apostolos à Christo sunt usurpatæ Joan. 13. & Jo. 20. tamen non sunt propter- *Ordines non esse Sacramenta probatur.*

QUÆST. XXXI. ea institutæ. 3. Manuum impositio non pertinet ad omnes Ordines, sed ad quosdam tantùm.

XXXVII. Secundò, Omne Sacramentum Novi Testamenti habet promissionem gratiæ justificantis. Sed Ordines nullam talem habent. Nec contrarium probatur ex 1. Timot. 4. 14. ubi donum dicitur datum Timotheo per impositionem manuum. Quia non agitur de gratia sacramentali, id est, cui significandæ & obsignandæ Sacramenta sunt destinata, quæ posita est in beneficio justificationis & sanctificationis; Sed de *gratia officii*, seu Ministerii Ecclesiastici, quæ nihil aliud est, quàm autoritas publicè docendi in Ecclesia, quam Paulus vocat διδασκαλίαν & διακονίαν, & dona ad illud munus exercendum necessaria, qualia sunt linguarum, & cœlestis sapientiæ cognitio, & alia quæ Episcopum faciunt διδακτικόν, id est, docendi peritum.

1. Tim. 4. 14.

XXXVIII. Tertiò, Omne Sacramentum est specie unum, quod non multiplicatur, nisi ratione numeri. Sed ordo non est unus specie, quia numerantur ad minimum septem, non tantùm numero, sed & specie differentes, quæ enim differunt materiâ & formâ, illa specie differunt.

XXXIX. Mandatum quod allegatur ad probandam institutionem Ordinis non huc pertinet. Quia vel est expressum & speciale, Act. 13. 2. Sed alienum ab instituto, ut omnes loci circumstantiæ docent; Cùm Paulus & Barnabas ibi nec Ordinem, nec ejus Sacramentum susceperint. Vel est implicitum & generale Act. 20. 28. Ephes. 4. 11. 12. ex quo divina ministerii Ecclesiastici institutio convenienter asseritur. Sed ordinatio sacramentalis nihilo rectiùs concluditur, quàm Apostolatus & Prophetia Novi Test. Sacramentis accensentur.

Act. 13. 2.

Act. 20. 28. Eph. 4. 11. 12.

De Matrimonio. Probatur non esse Sacramentum.

XL. v. Sacramentum est *Matrimonium* ex Conc. Triden. Sanctione Sess. 24. Cano. 1. Sed hic pariter desiderantur omnia requisita Sacramenti. 1. Institutio divina, cùm constet à prima Creatione ordinatum esse ad generis humani propagationem, à quo fine non deflexit in Novo Testamento Matth. 19. 4. 5. 2. Elementum, quod sit signum sacramentale à Christo ordinatum. 3. Verbum promissionis gratiæ, matrimonio peculiariter annexum, ut per illud confirmetur & applicetur. 4. Usus ordinarius & perpetuus in sola Ecclesia Novi Test. cùm matrimonium jure Naturæ & Gentium infidelibus & fidelibus sit commune, & utrique Ecclesiæ conveniat.

XLI. Secundò, Matrimonium nullam habet materiam sacramentalem; nec conveniunt inter se Pontificii in ea assignanda. Nonnulli volunt consensum mutuum esse materiam. Alii personas contrahentes pro materia statuunt. At utrorumque sententia est absurda. Prior quidem, quia materia Sacramenti debet esse aliquid visibile externum, talis verò non est con-

sen-

sensus, qui est internum quid. Posterior etiam, quia si personæ contrahentes sunt materia Sacramenti, tum idem erit materia Sacramenti, & recipiens Sacramentum, quod est absurdum. Quæst. XXXI.

XLII. Tertiò, Matrimonium non est instrumentum, quô applicetur gratia justificans, quia deberet esse omnibus commune. At secundùm Pontificios non est omnibus commune. Nec per matrimonium confertur gratia justificationis. Quod Paulus ait mulierem salvatum iri per τεκνογονίαν 1. Tim. 2. 15. Non evincit gratiam salutarem per matrimonium tanquam signum sacrum dari; Sed non aliò spectat, quàm ad consolandas mulieres contra τεκνογονίας cruciatus, qui illi loco pœnæ propter seductionem infligantur, ut sciant mulieribus piis & in fide permanentibus, cruciatus istos non amplius illis fore signum iræ divinæ, vel impedituros salutem suam; Imò Deum procuraturum, ut in ipsa τεκνογονίᾳ experiantur testimonium singulare gratiæ divinæ erga se. 1. Tim. 2. 15.

XLIII. Locus Pauli Eph. 5. 32. perperam detorquetur ad matrimonium humanum, quod ipse diserte interpretatur de Christi cum Ecclesia Conjugio mystico, quod evincunt, tum forma exclamationis, habens πάθος admirationis, tum series antecedentium à ℣. 26. 27. Vox *mysterii* malè per Sacramentum redditur, quia vox illa non signum, sed rem signatam spiritualem utitatè declarat in Scriptura. Et latiùs patet quàm Sacramentum strictè dictum, nam non quodvis Mysterium potest dici Sacramentum, sed illud demum, quod gratiam salutis offert Verbo promissionis, & symbolo externo divinitus instituto confirmat. Ephes. 5. 32.

XLIV. Quicquid repræsentat rem sacram, non statim est Sacramentum. Sic enim Sol & alia idgenus Christum repræsentantia essent Sacramenta. Nec quicquid habet annexam promissionem gratiæ alicujus, est Sacramentum; aliàs eleemosyna & oratio essent Sacramenta. Deinde promissio gratiæ annexa matrimonio, temporalis est de semine suscipiendo, non sacramentalis.

LOCUS VICESIMUS
DE NOVISSIMIS.

QUÆSTIO PRIMA.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

An futura sit Mortuorum resurrectio novissimo die?
Affirm.

I. ABSOLUTA Sacramentorum Tractatione, postremus supereſt labor, ut Operi noſtro tandem colophonem imponamus, ut de *Noviſſimis* dicamus. Per illa verò intelligimus, quæ ſub Mundi finem contingere debent, quibuſque claudetur hujus Seculi duratio, quam æterna felicitas piorum, & impiorum calamitas ſequetur.

Tractatio de Noviſſimis neceſſaria.

II. Tractationis iſtius neceſſitas & utilitas eſt longè maxima: Nam ſi ex dicto Syraci. cap. 7. ℣. ult. memoria noviſſimorum noſtrorum, id eſt, mortis nobis impendentis, maximum eſt adverſus peccata remedium, *Memorare noviſſima tua in ſermonibus tuis, & in æternum non peccabis.* Quantò potius hoc de noviſſimis Mundi dicendum? Nullum ſcilicet efficacius eſt peccati prophylacticum, & bonorum operum incentivum iſta meditatione, quæ animis noſtris imprimit. 1. Terræ & terrenorum omnium contemptum 1. Cor. 7. 31. Heb. 13. 14. 2. Cœli cœleſtiumque bonorum deſiderium 2. Corint. 5. 1. 2. 6. 8. peccati odium, & ſanctitatis ſtudium 1. Pet. 4. 7. 2. Pet. 3. 11. 12. 3. Divini Nominis, coram quo ſiſtendi ſumus, venerationem & metum 2. Corint. 5. 20. 4. Omnium ærumnarum, quæ brevi finiendæ ſunt, lenimen & ſolatium Luc. 21. 25. Act. 3. 19. quia erit tempus *redemptionis* Luc. 21. 18. refrigerii & *reſtitutionis omnium* Act. 3. 19. 20.

III. *Noviſſima autem tempora*, quæ Heb. dicuntur אחרית הימים, & Græcè ἔσχατοι καιροὶ, vel ἡμέραι diverſimodè in Scriptura ſumuntur; Vel

latè

latè pro fine alicujus Gentis, vel hominis ut Gen. 49. 1. *Congregamini, ut annuncicm quæ ventura sunt vobis* ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν novissimis diebus, id est, futuris sub finem Reipublicæ Judaïcæ. Ita sumitur hæc vox Deut. 4. 30. & 31. 29. de Babylone dicitur Isa. 47. 7. *Non recordata es novissimi tui*, id est, finalis excidii & παντελείας. Sic sæpe apud Danielem fit mentio novissimorum temporum c. 2. 28. 44. & 8. 19. Vel *strictè* pro tempore adventus Messiæ in Carnem, quo sensu passim apud Prophetas *novissimi dies* sumuntur, & apud Johannem 1. 2. 18. Filioli *novissimum tempus est*, quia tempus Evangelii est novissima & ultima dispensatio Dei, quæ est quædam mundi renovatio, & quasi rerum omnium perfectio, post quam nulla alia revelatio est expectanda, sed sola æternitas. Aliquando *strictiùs* sumuntur pro postremo intervallo istiùs dispensationis, quod præcedere debet finem mundi, quo sensu Paulus 1. Tim. 4. 1. loquitur de novissimis temporibus. *Strictissimè* pro fine mundi & consummatione seculi, quo sensu sumitur Joh. 6. 39. 40. 44. 54. & 12. 48. 1. Pet. 1. 5. hinc tuba Dei, quæ in fine mundi sonare debet, vocatur *novissima* tuba 1. Cor. 15. 51. Et ita à nobis jam sumuntur.

Quæst. 1.
Gen. 49. 1.
1. Jo. 2. 18.
1. Tim 4. 1.
Jo. 6. 39. 40. 44. 54.
1. Pet. 1. 5.
1. Cor. 15. 51.

IV. Variè autem novissima ista à Theologis recensentur. Communiter referuntur ad quatuor isto Disticho comprehensa.

Mors tua, Judicium postremum, gloria Cœli,
Et dolor inferni, sunt meditanda tibi.

Sed hîc omittitur *Mortuorum resurrectio*, & *Seculi consummatio*. Nos missâ consideratione Mortis, de qua actum alibi, ad quatuor Capita referemus, 1. Ad *Mortuorum resurrectionem*. 2. *Seculi consummationem*. 3. *Judicium extremum*. 4. *Vitam, & Mortem æternam*.

V. Quoad primum, *Resurrectio* de qua agitur, Non est *metaphorica*, scil. liberatio à calamitatibus & periculis extremis, quæ sæpe nomine mortis veniunt in Scriptura, de qua intelligenda sunt loca Is. 26. 14. Amos. 5. 2. & 14. Ezech. 37. 1. 2. 3. &c. Non *mystica* & *spiritualis mentis*, quæ est regeneratio & conversio ad Deum, de qua Ephes. 2. 4. & 5. 14. & Col. 2. & 3. 1. quæ est resurrectio prima, de qua Apoc. 20. 6. Sed *propria* & *corporalis Carnis*. Non particularis eorum, qui suscitati sunt vel in Veteri, vel in Novo Testamento. Sed universalis omnium hominum tam piorum quàm impiorum, quæ debet fieri novissimo die, quæ distinguitur in resurrectionem ad vitam & felicitatem, quæ dicitur κατ' ἐξοχὴν, & eo sensu tribuitur fidelibus, qui vocantur *Filii resurrectionis* Luc. 20. 36. & resurrectionem ad mortem & condemnationem seu opprobrium æternum Dan. 12. 1. Joan. 5. 29. De qua Resurrectione jam agimus. Cujus primò *Veritatem* & necessitatem. 2. *Objectum* & modum probabimus.

Resurrectio alia metaphorica.
alia propria.
De qua agitur.

QUÆST. I. VI. Doctrina de Resurrectione maximæ est utilitatis. 1. Quia est *proprium Ecclesiæ κειμήλιον*, Ethnicis ignotum, & solo Verbo revelatum, propria fides Christianorum. 2. Est *omnis solidæ consolationis fundamentum*, Unde spes & resurrectio mortuorum conjunguntur Act. 23. 6. & 24. 14. & 1. Cor. 15. 19. Nam si non datur Resurrectio, vana fides, falsi testes invenimur &c. Tertull. lib. de Resur. Carnis. *Resurrectio mortuorum, fiducia Christianorum.* 3. Est efficacissimus ad pietatem stimulus, Cyrillus Catech. 18. ἡ ἀνάστασις ἐστι ῥίζα πάσης ἀγαθοεργίας.

Necessitas Quæstionis. VII. Necessitas Quæstionis magna, ad confirmandum primarium istud fidei nostræ Caput contra Libertinos & Epicureos, qui ab omni ævo tam intra, quàm extra Ecclesiam, mortuorum resurrectionem vel negârunt, vel in dubium revocârunt. Athenienſibus Resurrectio fuit λῆρος λέγω Act. 17. 32. Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 7. Mortuorum resurrectionem vocat *puerilia deliramenta*, & addit, *quæ malum illa dementia, ulcisci vitam mortemque?* Cæcilius apud Minut. Feli. in Octa. *Christiani aniles fabulas adstruunt, Renasci se ferunt post mortem, & cineres & favillas, nescio quâ fiduciâ mendaciis suis invicem credunt.* In Ecclesia tam Veteris quàm Novi Testamenti, Epicurei & hæretici varii Resurrectionem negârunt, quales illi de quibus Is. 22. 13. *Edamus, bibamus, cras moriemur.* Et Sap. 2. 1. 2. 5. *Non est remendium adversus mortem, nec cognitus est ullus qui ab inferis reverterit*, dicunt impii, *ἀυτοσχεδίως nati sumus, & post hoc erimus, quasi non fuissemus.* Sadducæi dicebant non esse Resurrectionem Mat. 22. 23. Act. 23. 6. In Ecclesia Corinthiaca erant, qui eam negabant 1. Cor. 15. Hymenæus & Philetus ad resurrectionem spiritualem omnia referebant, quam ideo jam factam esse volebant 2. Tim. 2. 18. In primitiva Ecclesia eam negârunt *Simoniani* teste Irenæo lib. 1. cap. 19. & August. de hær. cap. 1. quos sequuti sunt *Saturninus, Basilides, Carpocrates, Gnostici, Marcionitæ, Manichæi*, & alii hæretici. Quibus omnibus Ecclesia Orthodoxa opponit clypeum Scripturarum, quæ veritatem istam invictè demonstrant.

VIII. Hic verò ante omnia distinguere debemus inter *Fundamentum*, quô fides Resurrectionis nititur, & *Argumenta*, quibus eadem fides confirmatur. *Fundamentum* unicum est Voluntas Dei omnipotens, Verbo revelata. *Argumenta* verò multiplicia, quæ partim ex Scriptura, partim ex ratione petuntur. Ex quibus alia sunt primaria & apodictica, alia secundaria & probabilia, alia quæ Resurrectionem in genere probant tam bonorum, quàm malorum, alia quæ agunt tantùm de resurrectione piorum, sed quæ necessariò post se trahit resurrectionem impiorum.

Resurrectio mortuorum probatur 1. ex Job. 19. 25. IX. Prima ratio petitur Ab *Oraculis Scripturæ*, quæ tam in Veteri quam in Novo Testamento hoc evincunt. Primum extat Jobi 19. 25. *Scio Redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum.*

rum. Et postquam vermes confoderint istud, evigilante me, tunc carne meâ me visurum esse Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Quæ verba ita clarè mysterium hoc explicant, ut Hiero. ad Pamma. dixerit, *Nullum tam apertè post Christum, quam Jobum ante Christum de Resurrectione loqui.* LXX. per אחר intelligunt Christum, per stare super pulverem, ipsam Resurrectionem. Targum vertit פריקי *Redemptor meus.* Rationes variæ ad vindicias istius loci adductæ sunt P. II. Loc. XII. Quæst. V. parag. 19. quibus addimus 1. Solennem præfationem Jobi ostendere se de re gravissima loqui. *Utinam scribantur in libro stylo ferreo verba mea.* At si de restitutione sanitatis tantùm loqui voluisset, quid opus fuisset tam magnificâ præfatione, & scriptione adeò firmâ ad æternam recordationem? 2. Sublimis ejus sermo satis docet cogitationes ejus supra mundum hunc aspectabilem, & temporale aliquod commodum evectas fuisse. Non amplius luget & queritur, sed quasi novâ spe exhilaratus, ad quamcunque subeundam aleam magis quàm antea confirmatus ex certa resurrectionis persuasione loquitur. *Novi*, inquit, id est, certò & indubitanter teneo: Quod de restitutione temporali dicere non potuit, de qua toties desperaverat, & quam non nisi conditionaliter expectare potuit. 3. Ex verbis *stabit super pulverem*, quæ ad restitutionem corpoream non pertinent, sed optimè ad Resurrectionem referuntur. 4. Dicit se *visurum Deum oculis suis*, quod respectu hominis suscitati illustris erat fidei actus, sed de homine ab ærumnis liberato supervacaneum erat, quia res talis erat, ut de ea nemo dubitare posset. Nec obstat quòd addit se oculis suis visurum, & non alium, quasi de re quæ ipsum solum spectaret loqueretur. Quia visionem sibi tribuendo in particulari, non de aliis negat, sed innuit se in proprio corpore quod ceciderat, & non in alieno resurrecturum, & Deum visurum. Qu æst. I.

X. 11. Oraculum ex Psalm. 16 9. *Caro mea requiescet sub spe* (scil. resurrectionis, *quia* additur v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Licèt verò locus iste primariò & directè respiciat Christum & ejus resurrectionem, ut Petrus probat Act. 2. nec possit quoad plenum complementum competere Davidi, qui vidit corruptionem. Tamen nihil obstat, imò æquum est secundariò referre ad Davidem, & spem quam fovebat resurrectionis, Tum propter resurrectionem Christi, à qua nostra est inseparabilis. Tum quia verba ipsa, vel nullo modo ad Davidem pertinent, quod dici nequit, vel important fiduciam liberationis à morte. Sic enim caro dicitur non visura corruptionem, non quòd absolutè non esset corrumpenda, sed quòd à corruptione esset liberanda, ut mortem non videre dicitur, qui ex morte in vitam revocatur Jo. 8. 51. 111. Ex Ps. 17. 15. *Ego in justitia videbo faciem tuam, & satiabor similitudine tuâ, cum excitatus fuero.* Opponit David *Ps.* 16. 9.

Ps. 17. 15.

se

Quæst. I. se imbecillem & miserum potentibus & opulentis mundi, de quibus dixerat ℣. præcedenti, & vanæ eorum felicitati veram felicitatem suam, seu spem futuræ vitæ. Ego verò non quæram transitorias has divitias, quibus me ingurgitem, sed justè & pie vivam in hoc seculo, ut in futuro videam faciem tuam, & eâ satier, cùm excitatus fuero, & à morte evigilavero per resurrectionem.

Is. 25. 7. XI. IV. Ex Is. 25. 7. *Mors absorbenda* dicitur *vis vitæ*, quod Paulus refert ad resurrectionem 1. Cor. 15. 54. per quam revera mors absorbenda est in victoriam, id est, in æternum. Christus quidem per resurrectionem suam victoriam jam quoad se de morte reportavit, sed hoc fiet quoad nos demum perfectè novissimo die, quò ultimus ille hostis destruendus erit. v. Is. 26. 19. ubi sic loquitur Propheta, *Vivent mortui tui, interfecti tui resurgent.* Per antithesim ad ea quæ dicta fuerunt ℣. 14. de hostibus Ecclesiæ, *Mortui sunt, & non reviviscent*, non oppriment nos ultra isti, sed æterna mors eos manet. Jam loquens de fidelibus dicit aliam fore eorum sortem, victuros scilicet & resurrecturos post mortem. Licèt verò possit hæc promissio referri ad liberationem ex ærumnis, & ex captivitate, ulteriùs extendenda est ad potissimam liberationem, quæ in resurrectione mortuorum consistit. Propheta scilicet totum Christi Regnum ab initio usque ad finem complectitur, cùm spes vincendi mundum hunc transiliat, & ad æternitatem feratur. VI. Ezech. 37. ubi proponitur visio de ossibus mortuis & aridis, & eorum resurrectione. Quamvis verò dubium non sit, quin respexerit in ea Dominus ad captivitatem Babylonicam, & ad liberationem ex ea futuram, ut exponitur ab eo ℣. 11. 12. *Fili hominis, ossa hæc universa domus Israël, ipsi dicunt, aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & excisi sumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris* &c. Non in eo substitit Dominus, sed ulteriùs progreditur usque ad resurrectionem ultimam, cujus admirabile præludium & speculum in ista visione proponitur. Quod patet primò ex emphatica descriptione, vix enim alius datur Scripturæ locus, in quo forma & modus resurrectionis tam emphaticè describatur. 2. Ex subjecti amplitudine, quia Spiritus dicitur venturus à quatuor mundi plagis ad vivificanda illa ossa ℣. 9. 3. Ex beneficiorum divinorum subordinatione, quia restitutio temporalis non potuit solidam & constantem consolationem afferre fidelibus, nisi conjungeretur cum beneficiis spiritualibus, & novissimâ resurrectione, quæ omnium debet esse corona & complementum. Sic Prophetæ in Oraculis varia beneficia complectuntur sibi invicem subordinata, & sub uno symbolo multa simul adumbrant, quæ Ecclesiæ variis & remotissimis etiam temporibus debent contingere. Tertulli. de Resurr. Car. cap. 29. susè hoc exponit. Justinus in qu. & resp. ad Orthod. q. 45. Hiero. in h. l. Aug. lib.

lib. 10. de Gene. ad lite. cap. 5. VII. Daniel 12. 1. 2. *Multi de his qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in ignominiam sempiternam.* Ubi clarum est, quicquid Porphyrius afferat in contrarium, agi de Resurrectione ultima, in qua debet dari piorum & impiorum discretio, non temporalis, sed æterna, quoad vitam æternam, & quoad mortem & opprobrium æternum. Quò Christus respicit manifestè Joan. 5. 28. 29. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & procedent qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui verò mala fecerint in resurrectionem judicii.* Exceptiones Adversariorum vide discussas Parte II. Q. 5. parag. 20. Huc etiam pertinet locus Ose. 13. 14. relatus à Paulo 1. Cor. 15. 54. ad resurrectionis veritatem confirmandam. *De manu vel potestate inferni redimam eos, Ero pestis tua, ò mors, Ero excidium tuum, inferne.* Quomodocunque enim hoc Oraculum explicetur, negari non potest, liberationem à morte & inferno proponi hic, ut beneficium Christi in gratiam Electorum, ut Paulus eò illud refert.

Quæst. 7. Dan. 12. 1. 2. Joan. 5. 28. 29. Ose. 13. 14.

XII. Clariùs verò hoc mysterium in Novo Testamento nobis revelatur. Christus sæpe hoc docet Matth. 22. 31. & 25. 32. Joan. 5. 28. 29. & 6. 39. 40. 41. & 11. 24. 25. 26. Apostoli passim illius meminerunt, Act. 4. 2. & 17. 18. & 23. 6. & 24. 15. Paulus subindè nos revocat ad hoc fidei & spei nostræ fulcrum, & ex professo de eo agit toto capite 15. primæ ad Corinthios, & 1. Thess. 4. Apocalypsis illud non semel confirmat cap. 20. 5. 6. 12. 13. Ut nihil opus sit in eo probando immorari.

XIII. 11. Ratio petitur à *Resurrectione Christi.* Quia positâ resurrectione Christi, nostra sponte sequitur, quæ ab ea est inseparabilis 2. Cor. 4. 14. *Scimus quòd qui suscitavit Jesum, etiam nos per ipsum suscitabit.* 2. Thessal. 4. 14. *Si credimus quòd Christus resurrexit, sic & Deus, eos qui dormiunt per Jesum, adducet cum eo.* Rom. 8. 11. *Si Spiritus illius qui suscitavit Jesum à mortuis in vobis habitat, Ille qui suscitavit Jesum, vivificabit corpora vestra mortalia, per Spiritum suum habitantem in vobis.* 1. Corint. 15. 12. *Si Christus prædicatur resurrexisse à mortuis, quomodo dicunt quidam, non dari resurrectionem? Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Hinc Veteres vocant resurrectionem Christi *exemplum spei nostræ, clavem sepulchrorum nostrorum, & pignus nostræ resurrectionis.* Si quæratur ratio istius connexionis, multiplex dari potest. 1. Ratione *meriti*, Christus est Redemptor noster, non animarum modò, sed & corporum, Ergo corpora suscitare debet, ut cum animabus vitâ à Christo acquisitâ donentur, unde *Redemptio Corporum* à fidelibus expectatur Rom. 8. 22. Aliàs nec redemisse corpora nostra dici posset, nec mortem in victoriam absorpsisse. 2. Ratione *efficaciæ*, Ex Capitis & membrorum nexu;

2. à Resurrectione Christi. 2. Cor. 4. 14. 2. Thess. 4. 14. Rom. 8. 11. 1. Cor. 15. 12.

Quæ 1. Christus resurrexit, ut Caput Ecclesiæ, Ephes. 1. 20. *Deus suscitavit Christum à mortuis, & dedit ipsum Caput super omnia Ecclesiæ.* Si Ergo Caput resurrexit, quidni etiam membra sua post se trahet? quale enim esset illud Corpus, cujus Caput esset vivum, Membra autem mortua? *Imò quia vivo*, inquit Christus Jo. 14. 19. *Vos etiam vivetis*, quia *est resurrectio & vita*, id est, ejus fundamentum & principium. *Ut in Adamo omnes moriuntur*, id est, causam mortis trahunt, Ita *in Christo omnes vivificantur*, tam meritoriè, quàm effectivè. Huc pertinet typus primitiarum, ex quibus sanctificabatur massa; unde Paulus ait 1. Cor. 15. 20. *Christum resurrectione sua factum primitias dormientium*, quia ipse primus propriâ virtute resurrexit, & facit etiam ut resurgâmus. 3. Ratione *dominii*. Quia ideo resurrexit Christus, ut esset Dominus & Rex Ecclesiæ suæ Rom. 14. 9. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuis, & viventibus dominaretur.* Quale verò foret dominium, si subditi in morte manerent? Hæc verò ἀντίθεσις Domini bifariam spectari potest, vel ratione fidelium, quorum ita est Dominus, ut sit etiam Pater, vel ratione impiorum, quorum est Dominus & Judex. Unde necessitas resurrectionis utrorumque pendet; Fidelium quidem à Christo, ut Redemptore & Capite, quatenus debet esse Servator Corporis sui; Impiorum verò à *Christo Judice*, qui unicuique debet reddere quod suum est. Hinc Paulus Act. 17. 30. *Deus statuit diem, in quo judicaturus est Orbem in justitia, per Virum in quo statuit, suscitando eum à mortuis.* Et 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet coram Tribunali Christi, ut reportet in corpore, qua unusquisque fecerit, sive bonum, sive malum.* 4. Ratione *communionis* mutuæ, quæ inter Christum & nos intercedit, quæ facit ut conformitas dari debeat inter utrosque. Ut quod in Capite factum est, ad illius exemplum fiat etiam in Membris, & quod de Membris negatur, negetur etiam de Capite. Hinc fit, ut Apostolus non modò ex positione resurrectionis Christi, nostram etiam deducat, Sed etiam ex negatione resurrectionis nostræ inferat negationem resurrectionis Christi, 1. Cor. 15. 13. *Si non datur resurrectio mortuorum, Christus etiam non resurrexit*, quia Caput non potest esse sine Membris.

1. Cor. 15. 20.

3. Ex Fœdere Dei.

XIV. Tertiò, Ex *Fœdere Dei*, Quod cùm perfectam felicitatem & vitam æternam necessariò importet, non potest impleri in nobis, nisi cum immortalitate animorum, detur etiam resurrectio corporum, ut homo totus beneficia fœderis participet in æternum. Quò pertinet ipsa Fœderis formula, *Ego sum Deus tuus*, ex quâ Christus argumentatur contra Sadducæos Matth. 22. 32. tanquam efficacissima ad illis os obturandum, *De resurrectione verò mortuorum, non legistis, quod vobis dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi, Deus autem non est Deus mortuorum, sed viventium.* Vide quæ de hoc loco dicta sunt P. II. Lo. 12. Q. 2. parag. 32.

XV.

XV. Quartò, Ex *Justitia Dei*, quæ bonis præmia, & malis pœnas etiam in corpore quod peccavit, persolvi jubet. Cùm verò actiones sint totius suppositi, & suæ etiam sint partes corporis organici, in utroque actionum genere par est hominem totum, non partem hominis, præmio, vel pœnâ affici. Quod cùm in hac vita non semper fiat, ubi bonorum malorumque fata sæpe confusa sunt, post hanc vitam suscitatis corporibus hoc fieri necesse est 2. Cor. 5. 10. *Omnes sistemur coram Tribunali Christi, ut reportet unusquisque quæ in corpore fecerit sive bonum sive malum.* Et 2. Thessal. 1. 6. 7. *Justum est reddere apud Deum vicissim iis, qui vos affligunt, afflictionem, vobis verò qui affligimini, relaxationem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo.* Quæst. I. 4. *Ex Dei justitia.*

XVI. Quintò, A *Conditione corporum nostrorum.* Quia cùm corpora nostra facta sint Templa Spiritus Sancti 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. & jam glorificari cœperint per resurrectionem & ascensionem Christi, fieri non potest, ut dispereant, & in tenues auras abeant, sed necesse est ut maneant in æternum Spiritus Sancti Sacraria. Ad quod etiam Sacramentorum usu consecrantur, dum in Baptismo datur symbolum sepulturæ & resurrectionis cum Christo, & in Cœna cibo cœlesti pascimur, qui non perit, sed manet in vitam æternam, Joan. 6. 54. *Qui manducat Carnem meam, & bibit Sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo ipsum ultimo die.* 5. *à conditione corporum nostrorum.* Joan. 6. 54.

XVII. Sextò, Ab *Exemplis* eorum, qui jam suscitati sunt tam in Veteri, quàm in Novo Testamento. In Veteri Test. filius viduæ Sareptanæ suscitatus ab Elia 1. Reg. 17. 21. filius Sunamitidis ab Elisæo 2. Reg. 4. Homo excitatus ad contactum ossium Elisæi cap. 13. In Novo Testamento filia Jaïri in lecto decumbens Matth. 9. 29. filius viduæ Naïn, qui jam efferebatur Luc. 7. 25. Lazarus jam in sepulchro fœtens Joan. 11. ut postremum miraculum semper fuerit illustrius præcedente. Hæc verò omnia, & alia idgenus illustria fuerunt resurrectionis novissimæ præludia. 6. *Ab exemplis.*

XVIII. Septimò, Ab *Absurdis*, quæ contrariam sententiam premunt, quæ Paulus urget 1. Cor. 15. 13. 14. 15. *Nam si non datur resurrectio, Ergo Christus non resurrexit; Si Christus non resurrexit, prædicatio nostra vana est, invenimur falsi testes, vana erit fides vestra, erimus adhuc in peccatis nostris, qui dormiunt in Domino perierunt.* ℣. 19. *Si in hac vita tantùm in Christo speramus, miserrimi omnium hominum sumus.* ℣. 30. *Si mortui non resurgunt, ut quid periclitamur omni hora?* ℣. 32. *Si secundùm hominem cum bestiis pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus & bibamus, cras moriemur* &c. Sic securè indulgere poterunt carnalibus concupiscentiis peccatores, cùm nulla metuenda sint post hanc vitam supplicia. Quæ omnia cùm sint absurdissima, absurdum etiam illud ex quo deducuntur. Uno verbo Resurrectionis negatio, est totius Christianismi, omnis fidei, pietatis, & spei eversio. 7. *Ab Absurdis.* 1. Cor. 15. 13. 14. 15.

Quæst. 1. XIX. Licèt Natura Resurrectionem non doceat, varias tamen subinde nobis exhibet imagines, quæ ejus possibilitatem & credibilitatem adstruunt. Plantæ, quæ tempore hyberno mortuæ apparent, verno revirescere & suo modo reviviscere videntur. Semen in terram jactum post putrefactionem exurgit & nascitur, quod simile affertur à Paulo 1. Cor. 15. 36. Hinc Minutius Felix in Octavio. *Vide adeò quàm in solatium nostri Resurrectionem futuram omnis Natura meditatur. Sol demergit & nascitur, astra labuntur & redeunt, flores occidunt & reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta revirescunt; Ita corpus in sepulchro ut arbores in hyberno occultant virorem ariditate mentitâ. Expectandum nobis Corporis nostri ver* &c. Tertull. in Apolo. c. 48. *Deus corpus hoc Mundi voluit esse signatum Resurrectionis exemplum in testimonium nobis. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt, sydera defuncta virescunt, & tempora ubi finiuntur, incipiunt. Tu homo tantùm, non verò Dominus morientium & resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas?* Et de Resurr. Carnis cap. 12. *Dies moritur in noctem, & tenebris usque quaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique justitium est quies rerum. Ita Lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole eadem & integra & tota universo Orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, donec nox reviviscat cum suo & illa suggestu* &c. *Revoluuntur hyemes & æstates, & verna & autumna cum suis roribus, moribus, fructibus* &c. Varia leguntur idgenus apud Patres, quibus imaginem resurrectionis nobis exhiberi pertendunt.

Fontes Solutionum.

XX. Aliud est non resurgere ad vitam, & non stare in judicio. Aliud simpliciter non resurgere. De Impiis bene dicitur quòd non resurgent ad vitam Is. 26. 14. vel stabunt in judicio Ps. 1. 7. Non quòd non debeant resurgere ad judicium, sed quia non consistent coram Deo, sed causâ cadent, ideo erit quidem ipsis cum piis communis ἀνάστασις, sed non στάσις, quia non poterunt stare coram Filio hominis Luc. 21. 35. Nec stabunt in cœtu Justorum, sed erunt tanquam paleæ, quas projicit ventus à facie terræ, ideo non consistent in judicio, sed instar quisquiliarum dispergentur Ps. 1. 8.

Is. 26. 14. Psal 1. 7.

XXI. Quamvis naturaliter à privatione totali ad habitum non detur regressus; Quò respicit Jobus dicens cap. 14. 10. 11. 12. *Vir moritur debilitate fractus, cumque expiravit homo ubinam est? Abeuntibus aquis, ut flumen exsiccatum exarescit; Ita vir cum occubuit non resurgit usque dum non erunt cœli, non excitabuntur viri*, scil. naturæ viribus, *nec expergiscentur ex somno suo.* Datur tamen supernaturaliter efficaciâ primæ Causæ, quæ aliarum causalitatem suppliere potest. Nam si Deus primi

Job 14. 10. 11. 12.

Adami

Adami Corpus ex pluvere terræ fabricare potuit, quidni Deus eadem supernaturali & infinitâ potentiâ hominum Corpora ex pulvere terræ excitare poterit? Quæst. 1.

XXII. Quum Eccles. 3. 10. dicit similem eventum esse hominis & bestiæ, ostendit quid appareat sensibus, & quoad externam speciem de homine mortuo. Non autem quid credendum sit de Corporum resurrectione. Notatur necessitas mortis, quæ ex æquo imminet omnibus, sed non ideo negatur veritas Resurrectionis. *Eccles.* 3. 10.

XXIII. *Caro & sanguis*, vel notant *naturam & substantiam* corporis, vel *infirmitatem & miseriam vitæ præsentis*, vel *statum animalitatis*, quem comitantur necessitas cibi, potus, somni, quietis &c. Vel *corruptionem* & peccatum. Priori sensu rectè dicitur Carnem & sanguinem posse hæredare Regnum Dei, quia hæc ipsa Caro quæ cecidit debet resurgere, & Corpus hoc fieri conforme Corpori glorioso Christi Phil. 3. 21. Sed juxta duas posteriores *φύσεις* vere dicit Paulus Carnem & sanguinem non posse hæredare Regnum cœlorum. Et quòd *Deus destructurus sit ventrem simul cum escis* 1. Cor. 6. 13. Non quòd non amplius extiturum sit corpus cum suis membris; Sed quòd non ad fragilem istum usum, sed ad totius compositi decus & integritatem solùm supererunt. Ut hic mortalis & animalis corporis conditio mutanda tantùm dicatur, non verò ipsa carnis substantia, quæ utrobique eadem manere debet. 1. Cor. 15. 50. 1. Cor. 6. 13.

XXIV. Objectionibus quæ à corporei pulveris disjectione, brutorum & Anthropophagorum carnis humanæ voratione petuntur, Verbis Servatoris abundè satisfieri potest, *Erratis, nescientes Scripturas, nec potentiam Dei.* Ista enim ratiocinia humana ex ignorantia Scripturarum, & summæ ac infinitæ potentiæ Dei oriuntur. Quisquis enim firmiter persuasus est de utroque, facilè retundet istiusmodi cavilla. Sanè si res ex viribus humanis æstimaretur, negotium facessere possent. Sed cùm hoc sit Dei opus, cujus scientiam nihil effugere, cujus potentiam nihil remorari potest, quis hoc impossibile censeat? Tam facile est Deo restituere mortuis sua corpora, eaque secernere ab omnibus aliis corporibus etiam ipsorum Anthropophagorum, qui alios voraverint, quàm facile fuit primi Adami corpus ex pulvere formare, vel ex nihilo omnia educere. Si diligens & solers Paterfamilias probè novit, ubi quidque repositum sit in ædibus suis, quamvis amplissimis, quidni Deus, cujus infinita est tum sapientia, tum potentia, nôrit, ubi corporum nostrorum materia lateat, cùm ipsi longè minor sit universus Orbis, quàm cuivis homini angustissima quæpiam theca vel capsula? Potest igitur istâ omnipotentiâ solo nutu revocare quicquid uspiam vel à bestiis voratum, vel in cineres versum, vel in humorem solutum, vel in aquas mersum, vel in auras exhalatum; Nec ullus est sinus aut specus, latibu-

Quæst. 1. latibulumve, quod Creatoris aut lateat notitiam, aut effugiat potentiam. Ut enim nihil in nihilum evanescit, semperque saltem exiguus cinis, qui novi corporis continet semen, remanet, & quem quocunque terrarum sparsum & jactatum, natura saltem gremio ac sinu suo tenet; ita repetenti Deo reddit. Quò pertinent ista Tertulliani de Resurrect. Carnis cap. 63. *Non sola anima seponitur, habet & caro suos sinus, in aquis, in ignibus, in altitudinibus, in bestiis, cùm in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur, si etiam ipsa vasa defecerint, cùm de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repræsentetur.* Adde quod nec ad ejusdem corporis essentiam necesse est, ut omnes ejus pulviculi numerentur, & in ejus reformatione reconcinnentur. Sufficit præcipuas & solidiores partes manere. Nam & quotidie partes alias de corpore perire, alias accedere, & tamen eundem manere hominem videmus.

XXV. Quoad Anthropophagos, quomodo caro mortui hominis, quæ alterius viventis, eamque absumentis fit caro, restitui possit ei, unde sumpta, nobis difficilius est quærere, quàm Deo facere. Nam præterquam quòd nunquam omnis substantia corporis vorator, nec in substantiam devorantis transit, quidni Deus per sapientiam, cujus viæ sunt imperveſtigabiles, & per potentiam, quam nihil eorum superat, quæ contradictione non implicantur, primigeniam illam Anthropophagi carnem, fame exhaustam, & in auras exhalatam reparare, & eam quæ ad farciendum & supplendum famelici illius defectum, in cibum assumpta & absumpta fuit, ab eodem tanquam æs alienum, repetere, eique, unde quasi mutuo sumpta fuit, refundere & redhibere queat, & ab injustis raptoribus ereptam, primis, justisque possessoribus restituere? ut loquitur Aug. de C. D. lib. 22. cap. 20. Si Chymici possunt flores & plantas ex earum cineribus excitare, vel aurifices ex ære Corinthiaco pretiosum à vili, & metalla à se invicem secernere, quantò faciliùs Deus pulverem nostrum aliis creaturis permixtum separare, & Corpori suo [illegible] poterit?

XXVI. Licèt tam pii, quàm impii sint resurrecturi, diversa tamen futura est resurrectio utrorumque, tam quoad causam quàm quoad modum. Illa quidem fiet à Christo Mediatore, ut Capite per efficaciam Spiritûs vivifici Rom. 8. 11. ad immortalitatem gloriæ. Ista verò à Christo, ut Filio Dei, Domino ac Judice per virtutem Omnipotentiæ & Justitiæ, ad pœnas æternas, in qua impii immortalitatem & incorruptibilitatem physicam obtinebunt, sed ad majorem pœnam, ut in æternum patiantur, & sic sentiant se mori, ut nunquam moriantur, non tantùm per pœnam damni, sed & per pœnam sensûs acerrimam, cujus non erit finis.

XXVII. Licèt resurrectio Carnis, quæ ponitur in Symbolo, sit resurrectio

rectio piorum, quæ facit ad nostram consolationem, & quæ fructus est communionis Sanctorum, & remissionis peccatorum, & antecedens vitæ æternæ. Non ideo negatur resurrectio impiorum, quæ ex prima necessariò pendet, & quæ etiam in articulo Judicii ultimi includitur. Quæst. I.

XXVIII. Cæterùm ita asserimus universalem omnium hominum resurrectionem, ut ab ea excipi velimus eos, qui tempore adventus Christi superstites sunt futuri, quosque ideo non suscitandos esse ex morte, quam sensuri non sunt, sed transmutandos tantùm dicimus ex Paulo 1. Cor. 15. 51. 52. *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes transmutabimur*, quod confirmatur clariùs 1. Thess. 4. 15. 16. *Mortui in Christo resurgent prius, deinde nos vivi rapiemur cum ipsis in nubibus in occursum Christi.* Ideo homines judicandi distinguuntur in vivos & mortuos Act. 10. 42. & sæpius Spiritus Sanctus hortatur ad vigilantiam, sobrietatem & preces, ne Christi adventus inopinos nos opprimat, ut faciet impios Luc. 12. & 21. Matt. 24. 1. Thessal. 5. quod dici non posset, nisi quidam superstites futuri essent. 1. Cor. 15. 51. 52. 1. Thess. 4. 15. 16.

XXIX. Paulus Heb. 9. 29. dicens, *Omnibus hominibus statutum esse mori*, loquitur de communi conditione mortalium in hac vita, non autem de singulari exemtione & privilegio superstitum in fine mundi. Et ut manet lex illa semel moriendi, etsi pauci quidam miraculo suscitati, bis mortui sint. Ita mutatio superstitum illam non tollit aut abolet, præsertim cùm ista mutatio instar mortis, eique analoga futura sit. Heb. 9 29.

XXX. Caro & Sanguis non possunt hæredare Regnum cœlorum citra mutationem; sed quæ fiet vel per resurrectionem mortuorum, vel per transformationem viventium. Constat autem ista transmutatio depositione mortalitatis, & assumptione immortalitatis, cum discrimine quod observari debet inter pios & impios, quod in utrorumque resurrectione proponi solet.

QUÆSTIO II.

An Eadem numero Corpora, quæ mortua sunt, resurrectura sint? Affir. cont. Socin.

I. QUæstio movetur à Socinianis, qui pertendunt Corpora suscitatorum, sine carne & sanguine fore, & illam ipsam Carnem, quam circumferimus, ratione essentiæ, non esse resurrecturam. *Mori debet Corpus hoc quod habemus, ut aliud novum inde nascatur.* Socin.

Quæst. II. Socin. in resp. ad Puccium. Sic Smalcius de Divinit. Chr. cap. 13. *Corpora hæc, quæ nunc circumferimus, resurrectura non credimus, sed alia nobis danda esse ab Apostolo edocti sumus.* Unde verba Symboli ita vult intelligi. *Credo id iterum futurum, quod olim caro fuit.* Et contra Frantz: *Stante eo, quòd Corpora nostra futura sint gloriosa, impossibile est Corpora talia olim extitura, quæ carnem & sanguinem habeant, toto enim genere differunt Caro, Sanguis, & Spiritus.*

Status Quæstionis. II. Non Quæritur, An eadem Corpora quoad *qualitates & conditiones* futura sint? Fatemur enim magnam mutationem passura esse, ut non amplius animalia, corruptibilia, infirma, misera, & mortalia, sed spiritualia, incorruptibilia, fortia, gloriosa, & immortalia futura sint, ut Apost. 1. Cor. 15. fusè docet. Sed *quoad substantiam*, An eadem numero semper sint mansura? Quod nolunt Sociniani, Nos affirmamus.

Probatur eadem fore Corpora. 1. Ex natura resurrectionis. III. Rationes sunt 1. Ex *natura Resurrectionis.* Quia negatâ identitate numericâ Corporum in resurrectione, Negatur ipsa Resurrectio; Nam illud quod cecidit, dicitur tantùm resurgere ἀνάστασις ἐστι δὲ πίπτοντος πεπτωκότος στάσις. *Ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari* inquit Hiero. adver. Erro. Joh. Hieroso. Ut ergo solum Corpus cadit, quum moritur, unde πτῶμα ἀπὸ τῦ πίπτειν; Ita solùm debet resurgere. Jam si illa Corpora nobis dantur, vel è cœlo delata, vel è nihilo creata, Non possunt dici resurgere, quia nunquam ceciderunt. Nec dici potest eundem manere hominem, licet idem non sit Corpus. Quia non potest dici idem Suppositum, nisi quod constat iisdem partibus essentialibus.

2. A Justitiâ Dei. IV. Secundò, A *Justitiâ Dei*, quæ exigit, ut non aliud peccet, aliud puniatur, aliud certet, & aliud coronetur. Sed ut illud ipsum Corpus, quod peccavit, puniatur, ut illud ipsum Corpus, quod hîc Templum gratiæ fuit, sit Templum gloriæ in cœlis, quod non fieret tamen, si alia darentur nobis Corpora. Sic enim donarentur gloriâ, de qua nulla illis facta est promissio, nulla spes injecta, nullæ primitiæ concessæ. Et impiorum Corpora iis addicentur cruciatibus in æternum, quos nullis suis peccatis, nullis malefactis merita sunt, quo nihil absurdius dici potest, nihil à genio virtutum divinarum magis abhorrens, quasi Deus vel non posset idem numero Corpus cuique restituere, vel justè posset in novo & alieno Corpore remunerari aut punire.

3. A Scripturâ. V. Tertiò, A *Scripturâ*, quæ ita loquitur de Resurrectione, ut identitatem Corporis numericam necessariò supponat. Sic Paulus dicit, *Omnes nos sistendos Tribunali Christi, ut quisque reportet in Corpore suo quodcunque fecerit sive bonum sive malum.* Si reportat in Corpore suo, Ergo corpus idem utrobique manere debet. Ita 1. Cor. 15. dicit, Oportere

2. Cor. 5. 10.

τὸ φθαρτὸν induere ἀφθαρσίαν, Non dicit tantùm τὴν φθορὰν in abstracto, sed in concreto τὸ φθαρτὸν veluti digito in corpus suum respiciendo. Quomodo verò posset dici induere immortalitatem, nisi remaneret quoad substantiam illud ipsum Corpus, quod seminatur in corruptione & infirmitate, & resurrecturum est in incorruptione & gloria v. 43. 44. Sic. Phil. 3. 20. 21. Paulus dicit, *Corpus nostrum vile transformandum, ut sit conforme Corpori Christi glorioso.* Quomodo verò si perit in æternum? transmutatio nonne debet subjectum idem supponere, quod ex statu infirmo & vili transeat ad statum glorioſum & sublimem, ut ταπεινώσει succedat δόξα? Quæst. II. 1. Cor. 15. 53. Phil. 3. 20. 21.

VI. Quartò, A *Resurrectione Christi*; Ut Christus resurgens, idem recepit Corpus quod antea habuerat, & eandem Carnem quam assumserat, in qua mortuus est, nam quod semel sumsit nunquam deponit Ps. 16. 10. Joan. 2. 19. Act. 2. 31. Unde notanter dicit Luc. 24. 39. *Ego ipse sum.* Talis debet esse resurrectio nostra; non alia debent esse Corpora ab iis, quæ in terram projecta sunt, ut non aliud Corpus datum est Christo ab eo, quod antea habuerat. 4. *A Resurrectione Christi.*

VII. Quintò, A *Piorum conditione*, Corpora fidelium per fidem facta sunt membra Corporis Christi mystici, cibata sunt Corpore & Sanguine ejus ad vitam æternam, sanctificata sunt & facta Sacraria Spiritus Sancti 1. Cor. 3. 16. & 6. 15. Ergo eadem Corpora in vitam revocari debent. Aliàs sequetur Membra Corporis Christi ex parte perire, & Templa Spiritus Sancti destrui & nunquam restaurari. An vero est rationi consentaneum; ut locus qui Deo sacer fuit, in quo habitare dignatus est, & quem Sanctitatis suæ consortem fecit, funditus exscindatur, ut ex ruderibus nunquam exurgat? Rursus eadem debet esse conditio fidelium in singulari, quæ totius Ecclesiæ in universali. At Ecclesia non potest interire, nec portæ inferorum possunt adversus eam prævalere, Ergo nec adversus fideles, quod fieret tamen si eorum Corpora penitus interirent, nec unquam resurgere deberent. 5. *A Piorum conditione.*

VIII. Quum beati dicuntur fore ἰσάγγελοι Luc. 20. 36. intelligitur similitudo aliqualis, non æqualitas per omnia, non per identitatem naturæ, sed per convenientiam qualitatum & gloriæ, & præcipuè quoad immunitatem à conjugio, qui scopus est Christi. *Fontes Solutionum.* Luc. 20. 36.

IX. Corpora dicuntur fore *cœlestia* 1. Cor. 15. 48. non origine & essentia, sed domicilio & sede, *spiritualia*, non substantia & natura, quia implicat corpus fieri spiritum, & dari corpus quod non sit materiale, sed qualitatibus & dotibus. Peribit caro quoad *esse morale* & qualitativè, sed remanebit quoad *esse physicum* & essentialiter. Tollentur defectus omnes à corporibus, quibus in hac mortalitate fuerunt obnoxia, sed eorum essentia non destruetur, donec beentur immortalitate, gloria, splendore, agilitate, similibusque dotibus, quæ illis erunt pro ornamento & vestibus, sed manebunt semper quoad substantiam, 1. Cor. 15. 38.

QUÆST. II. materiata, quanta, visibilia, extensa, suis dimensionibus constantia, loco commensurata, ut qui gloriam daturus est, non sit ablaturus naturam. Aug. de Civi. Dei lib. 13. cap. 22. *Spiritualia erunt Justorum Corpora post Resurrectionem, non quia Corpora esse desistent, sed quia Spiritu vivificante subsistent.*

1. Cor. 15. 37. X. Cùm Apostolus dicit 1. Cor. 15. 37. Quod seminatur, non vivificari, nisi prius moriatur, & corpus quod futurum est, non seminari, sed nudum granum; Non vult innuere diversa fore Corpora numero, quomodo spica quæ oritur, alia est numero à grano nudo quod seritur. Aliàs inde sequeretur Corpus, quod Christus post Resurrectionem accepit, aliud esse numero ab eo, quod habebat antea, quia eadem similitudo tritici usurpatur

Joan. 12. 24. à Christo in simili casu Joan. 12. 24. *Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, Si autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Ex similitudine ergo seminis non substantiæ diversitas, sed tantùm diversa Corporum qualitas inferri potest. Itaque quod dicitur, *Non Corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum*, hoc sensu intelligendum est, ut non tale Corpus quale seminatur resurgat. Bifariam enim potest accipi τῦτο, vel ratione essentiæ, vel ratione qualitatum. Ita scopus Apostoli est ostendere necessitatem mortis & putrefactionis ante vivificationem, & mutationem Corporum ex mortalitate & corruptione in immortalitatem & incorruptionem; Ut granum in terram projectum ex arido & mortuo fit viride & vivum. Simile ergo Apostoli non debet extendi extra ejus scopum, qui vult duntaxat probare, non ita corpus terræ mandatum putrescere & corrumpi, quin instar seminis inde resurgat novis donatum conditionibus. Aliàs si ad vivum resecaretur, deberent etiam ex uno corpore plura etiam nasci, ut ex uno grano plura exurgunt.

XI. Operatio Agentis infiniti & omnipotentis perperam exigitur ad normam operationum naturalium, & agentium finitorum. Licèt ergo diversarum operationum, cujusmodi sunt generatio & reparatio; diversi termini sint secundùm substantiam in agentibus finitis; Non statim respectu Dei. Deinde quamvis interrumpatur τὸ εἶναι compositi respectu mutationis, non tamen interrumpitur secundùm se vel respectu principiorum essentialium, quæ eadem permanent.

XII. Licèt partes organicæ non debeant amplius supereſſe ad usum & operationem, quo sensu dicitur Deus aboliturus escas & ventrem 1. Cor. 6. 13. supererunt tamen ad integritatem & ornamentum.

QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

Quæst. III.

An præter universalem Resurrectionem detur particularis Sanctorum, vel Martyrum, quæ mille annis ultimam præcessura sit? Neg.

I. COntroversia hæc movetur à Chiliastis, qui ut pertendunt Regnum aliquod millenarium Christi cum Sanctis ante consummationem seculi fore. Ita volunt Sanctos & præcipuè Martyres suscitandos, ut cum Christo Regno illo potiantur.

II. Hìc verò ante omnia distinguendi sunt *Chiliastæ*, qui diversi sunt ordinis. Alii *crassiores*, qui in hoc fidei Capite, quod est de Regno Christi & resurrectione ad illud errant exitialiter; statuentes Sanctos ante novissimum diem suscitandos à Christo ad Regnum terrenum & voluptuarium, in quo Judæis in terram suam postliminio introductis, & cultu Levitico restituto, omnes per universum Mundum fideles per mille annos omni deliciarum corporearum genere fruituri, multitudine uxorum, festis ac conviviis perpetuis beandi & exhilarandi sint usque ad universalem Resurrectionem. Cujus sententiæ primus author perhibetur fuisse *Cerinthus*, teste Eusebio lib. 3. cap. 25. & August. de hæres. cap. 8. qui cùm esset Judaïcis erroribus adhuc imbutus, opinionem ipsorum de Regno Christi mundano adoptavit, & propagare conatus est, & non paucos habuit Sectatores. *Chiliastæ duplices.* *Alii crassiores.*

III. Sed prærer Chiliastas istos crassiores, qui ab omnibus ferè explo- duntur hodie; Alii sunt subtiliores & *moderatiores*, qui Regnum quidem Christi millenarium urgent sub finem seculi, sed citra terrenas delicias, & restaurationem politiæ Judaïcæ. In quo particularis debeat fieri Sanctorum & præcipuè Martyrum resurrectio ante universalem, ut regnent cum Christo per mille annos. Ubi post certamina finita, futura est magna pax & felicitas Ecclesiæ, magna divinæ & humanæ in terris sapientiæ abundantia, publica de Mundo Victoria & Triumphus, Judæorum conversio, Gentium etiam remotissimarum aggregatio, hæresium & sectarum abolitio, Antichristi destructio, & totius Ecclesiæ alta & secura quies. Inter eos agmen ducere videtur *Papias* Episcopus Hierapolitanus, Johannis, non Apostoli, ut falsò creditum, sed Presbyteri cujusdam auditor, qui sub finem Trajani vixit, ut bene observat Baronius, exigui judicii, ut loquitur Eusebius, qui dogma hoc velut acceptum ex traditione Johannis, neglectis Scripturis Apostolicis, ut queritur idem Eusebius, docuit, *Millenarios quosdam* *Alii moderatiores.*

QUÆST. III. *annorum post resurrectionem mortuorum futuros, in quibus Regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debeat.* Quem secuti sunt varii ex Patribus *Justinus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Apollinarius*, *Lactantius*, & alii. Quamvis verò nonnulli ex iis, aliquid de fermento Cerinthianorum retinuisse videantur, quoad felicitatem terrenam & corpoream, & in specie Lactantius; Certum tamen plerosque nihil hic terrenum & carnale finxisse, sed spiritualia omnia: Hinc August. de C. D. lib. 20. c. 7. sejungit *Patrum opinionem* à Cerinthiana hæresi *spiritualium deliciarum* mentione. Et Tertull. lib. 3. cont. Marci. cap. 14. *Sanctos in Hierosolyma ex spiritualium bonorum affluentia refovendos esse significat.* Et Irenæus Cerinthum hæreseos accusat lib 3. cap. 3. Non defuerunt etiam, qui hoc nostro seculo Chiliasmum reducere voluerunt, quales inter Euangelicos *Piscator*, qui in Apo. 20. asserit, *Solos Martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecturos, & mille annos cum Christo in cœlo regnaturos, deinde vero reliquos homines ex morte in vitam revocandos.* Quem sequuntur *Alstedius*, *Josephus*, *Medus*, *Petrus Launæus*, & alii.

Probatur non dari Regnum Christi in terra.

IV. Quamvis verò magnum discrimen inter duplicem istam opinionem intercedat, & prior longè sit periculosior posteriori, & meritò hæretica dicatur. Posterior tamen, quæ quorundam Doctorum fuit χυρία δόξα, ut error & nævus, non sine gravibus causis, rejecta est hactenus ab Ecclesia.

V. Quia verò duo sunt præcipua istius sententiæ fundamenta. Primum quod Christus mille annis ante judicium Regnum glorioſum & tranquillum erecturus sit in terra. Alterum quod ante illud Regnum debeat fieri Sanctorum vel saltem Martyrum resurrectio, ut cum Christo regnent. Vanitas utriusque paucis retegenda est. Primò quoad *Regnum*, nullum tale expectandum esse patet.

1. Quia adventus Christi conjungitur cum Judicio.

1. Quia Scriptura duorum tantùm adventuum Christi meminit, in carne, & in gloria, ad patiendum, & ad regnandum, & postremum passim conjungit cum ultimo judicio, neć alium agnoscit, nisi illustrem, quô Dominus cum celeusmate, cum voce Archangeli, & cum tuba descendet de cœlo, resurgentibus mortuis primùm, deinde superstitibus immutatis, & juxta cum mortuis in occursum ejus in aëre raptis, nec secuturo Regno aliquo millenario terrestri, sed vitâ æternâ beatis donandâ, & supplicio æterno impiis irrogando. Loca sunt varia Act. 1. 11. & 3. 21. 1. Cor. 15. 25. 26. 52. 1. Thess. 4. 16. 17. Heb. 9. 26. Quomodo vero hæc toties & tam præcisè dici potuissent, si præter duos illos adventus, tertius illustris esset futurus? Nec regeri debet adventum visibilem Christi novissimo die non obstare, quominus & alius sit adventus specialis & invisibilis in gratia & virtute, quomodo sæpe Deus dicitur venire in Scriptura. Nam quamvis adventus spiritualis & invisibilis locum habere possit, nec diffiteamur Christum sæpe sic venire ad suos. Idem dici non potest de glorioso

& il-

& illustri, qui sit cum παρατηρήσει, ad stabiliendum Regnum temporale & visibile, quale hic fingitur. Quæst. III.

VI. 2. Quia Christus debet in cœlis manere usque ad ultimum diem. *Oportet*, inquit Petrus Act. 3. 21. *ut Christum cœli capiant, usque ad tempora restitutionis omnium*; Si in cœlis manere debet usque ad tempora restitutionis omnium, Quomodo ante illam restitutionem dicitur in terram descensurus ad tale Regnum stabiliendum? Quod confirmatur Oraculo Ps. 110. 1. *Sede ad dextram meam donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, quod Apostolus ita exponit 1. Cor. 15. 25. 26. *Oportet eum regnare, donec posuerit hostes ejus scabellum pedum suorum, hostis ultimus qui abolebitur erit mors.* Unde necessariò colligitur Sessionem ejus ad dextram Patris, & Regnum ejus in cœlis tam diu duraturum; Scriptura enim nullam sessionem Christi ad dextram Dei novit, nisi in cœlis. 2. *Quia Christus debet manere in cœlo usque ad restitutionem omnium.* Act. 3. 21. Ps. 110. 1. 1. Cor. 15. 25. 26.

VII. 3. Si Christus mille annis ante finem Mundi est venturus, finis seculi cognitus erit, & tempus ultimi Christi adventus. Quod tamen incognitum esse omnibus Creaturis, & ipsi Filio hominis expressè testatur Christus Marc. 13. 32. *De die illo & hora, nemo novit, ne Angeli quidem in cœlis, nec ipse Filius hominis, sed tantum Pater.* Confirmatur ex eo quòd Christus dicitur venturus instar latronis de nocte, quum non expectatur Apoc. 3. 7. Unde toties Christus & Apostoli hortantur fideles ad vigilantiam & sobrietatem, ne incauti deprehendantur Matt. 24. & 25. 1. Thessal. 4. & 5. Cur verò tam sollicitè nobis esset vigilandum ad expectandam rem, quam certò novimus nondum futuram, quia Regnum hoc nondum præteriit? Rursus, Quomodo Paulus posset dicere peccatores securè obdormientes in peccatis suis incautos opprimendos esse, *Quum dicent pax, pax, Tum repentinum exitium eos assequetur, nec effugient*, 1. Thess. 5. 3. Si tempus istius adventus debet esse perspectum. 3. *Quia finis mundi esset cognitus.* Marc. 13. 32.

VIII. 4. Quia *Conditio piorum* in hac vita afflictissima, persecutionibus & calamitatibus obnoxia, convenire nequit Regno pacatissimo & felicissimo. Deus ad Crucem eos vocat tanquam ad vexillum Christi, sub quo Ecclesia militare debet in terris, & fideles nullam sibi requiem constantem polliceri possunt. Loca ubique sunt obvia Matth. 16. 24. *Si quis pone me venit, sibi renunciet, & crucem suam assumat* &c. Joan. 16. 33. *In mundo afflictionem habebitis*, & Act. 14. 22. *Per multas tribulationes oportet ingredi in Regnum cœlorum.* 2. Tim. 3. 12. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Rom. 8. 17. *Si patimur cum Christo, cum ipso glorificabimur.* Verum est tempora Ecclesiæ non semper æquè turbida & mala esse, aliquando pacatiora & tranquilliora esse, aliquando alcyonia largiri Ecclesiæ suæ Deum, & fidelibus requiem aliquam concedere à gravioribus persecutionibus. Interim nec illa pacata 4. *Quia conditio piorum illi repugnat.*

QUÆST. III. & lætiora tempora carent absolutè omni cruce & calamitate, nec ullum tempus adeò felix est & aureum, quin crux & persecutio subinde expectanda sit. Si verò talis est Ecclesiæ militantis conditio, quomodo dici potest expectandum esse Regnum aliquod pacatum & glorioſum, ubi fideles altâ pace & gaudio sint fruituri? Nec reponi potest, 1. Hæc intelligenda esse de tempore, statum illum pacatum Ecclesiæ antecedente. Quia ubi Scriptura non limitat, nostrum non est limitare. Jam certum est Spiritum Sanctum quoties ita loquitur, non ad quædam tantùm tempora respicere, sed omnium seculorum statum complecti, & proponere crucem tanquam conditionem inseparabilem à Christianismo, quamdiu sumus in terra, & propriam Euangelii, quod ideo dicitur *Verbum Crucis*. 2. Crucem non obstare, quominus Ecclesia possit aliquâ pace frui, ut visum fuit tempore Constantinorum, & Theodosiorum. Quia licet Ecclesia fruatur aliquâ pace, brevis est & momentanea, præ diuturnis & gravibus, quibus vexatur, persecutionibus. Adde quod si in quibusdam membris suis alicubi floret & tanquillitate gaudet; In aliis alibi affligitur & luget. Sed si daretur tempus mille annorum, quô Ecclesia tota, & non tantùm quædam illius pars, pace & felicitate frui deberet, Quomodo diceretur Crux ejus character, vel posset esse Ecclesia conformis Christo Capiti suo, qui per afflictiones consecratus est? Rursus quomodo Christus & Apostoli ad consolandos fideles contra tales ærumnas utuntur semper spe gloriæ & felicitatis æternæ in cœlis, nunquam verò consideratione pacis & felicitatis in terra futuræ? quod non parum contulisset ad leniendos eorum animos? Cur nihil dicunt de longo illo intervallo, quô immunis debet esse Ecclesia Christi à tali calamitate? Et quum Paulus 2. Thessal. 1.5.7.8. dicit, *Justum est apud Deum reddere afflictionem illis qui vos affligunt, afflictis vero requiem nobiscum, cum Christus revelabitur cœlitus cum Angelis potentiæ suæ.* Cur non dicit requiem illam jam inchoatum iri, & memorabili duraturam intervallo jam ab hac vita, si tale quid futurum credidisset?

5. Novissima tempora tale regnum excludunt.

IX. 5. Quia novissima tempora, quæ immediatè ultimum Christi adventum debent præcedere, ita describuntur, ut ab aureo Regni millenarii seculo longè sint aliena. Talia sunt tempora, in quibus vix fidem Christus sit inventurus in terra Luc. 18.8. quæ futura sint similia diebus Noæ, in quibus securitas carnalis regnatura est Matt. 24. 37. quibus homines futuri sunt ambitioſi, avari, superbi *&c.* qui habebunt speciem pietatis, veram ejus vim abnegabunt 2. Tit. 3. 1.2. quibus pii cum impiis & hypocritis permixti manere debent usque ad finem, ut dicitur in parab. zizaniorum Mat. 13. quæ omnia convenire non possunt statui puro & pacato Ecclesiæ sub tali Christi Regno.

X. 6.

X. 6. Si Christus tale aliquod Regnum erecturus fuit ante ultimum judicium, proculdubio de eo Apostolos suos monuisset, & Apostoli rem tanti momenti ad solatium Ecclesiæ non omisissent. Sed nusquam videmus, vel Christum, vel Apostolos ullam ejus mentionem facere. Nam quæ loca afferri solent eò non pertinere postea probabitur. Quænam verò istius silentii potest ratio? An quod ignotum ipsis fuerit? Sed quomodo potuerunt ignorare, quod à Prophetis jam supponitur prædictum, & à Christo ipso patefactum? An quod consultum non judicarent fidelibus aperire? Sed si tot alia mysteria revelárunt, Cur hoc tacuissent, quod non minus necessarium erat cognitu, imò quod magis faciebat ad gloriam Christi & solatium Ecclesiæ? Quæst. III. 6. *Quia nec Christus nec Apostoli istius Regni meminerunt.*

XI. 7. Quia cogitatio de Regno Christi terreno corda terræ affigit, ad quam nimis propendemus, & revocat à desiderio cœli & rerum cœlestium, ad quas ægrè evehimur, & ad quas ideo Scriptura perpetuò nos evocat, Sic Christus proponit persecutionem patientibus mercedem in cœlis repositam Matt. 5. 12. Et Paulus vult ut quæramus quæ sunt sursum Col. 3. 1. ubi sedet Christus ad dextram Dei, ut non cogitemus de illis quæ sunt super terram, quia mortui sumus, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, at quando Christus, qui est vita nostra, apparebit, tunc apparebimus cum illo in gloria. Cur verò vita fidelium dicitur abscondita cum Christo in Deo, & demum apparitura in apparitione Christi novissimo die, Si vita illa debet revelari longè ante finem mundi in Regno Sanctorum? 7. *Quia avocat nos à cœlesti desiderio, & in terram retrahit.*

XII. 8. Quia Regnum Christi in terris spirituale est & internum, non visibile & mundanum Joan. 18. 36. Luc. 17. 20. Nec mundana felicitas uspiam fidelibus promissa est, Imò crux & ærumnæ passim denunciantur 2. Tim. 3. 12. ut in iis tolerandis opus sit perseverantiâ usque ad finem, & quamdiu durabit hoc seculum, tam diu duratura sit persecutorum violentia, & piorum patientia. Unde spes salutis tantum fidelibus promittitur in hac vita, res verò ipsa futuræ vitæ reservatur Rom. 8. 24. 2. Cor. 5. 7. In qua demum peccatum, & omnes peccati pœnæ, cum morte penitus aboleri debent Apoc. 21. 4. 8. *Quia Regnum Christi non est de hoc mundo.* *Joan.* 18. 36. *Luc.* 17. 20.

XIII. Altera hypothesis Chiliastarum de Resurrectione particulari Martyrum, non minus est falsa. 1. Quia Scriptura unius tantùm resurrectionis corporalis meminit, nusquam autem duplicis, unius, quæ sit particularis quorundam, alterius quæ sit universalis omnium. Imò non semel asserit, omnes mortuos unâ resurrectione, tubâ & voce Archangeli suscitandos esse, alios quidem ad vitam æternam, alios ad opprobrium æternum. Joan. 5. 28. *Venit hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, & prodibunt, qui bona fecerint in resurrectionem vitæ, qui mala vero egerint:* *Contra resurrectionem Martyrum.* *Joan.* 5. 28.

QUÆST. III. *rint in resurrectionem condemnationis.* Et Jo. 6. 48. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Ego vero eum suscitabo novissimo die.* A qua Martyres excipi non possunt, quia crediderunt in Filium Dei. Quomodo verò ita universaliter loqui posset Scriptura, si potior pars fidelium longè ante suscitanda est? Confirmatur ex iis locis, ubi resurrectio piorum & impiorum conjungitur in ultimo die Dan. 12. 1. 2. Matt. 25. 31. Joan. 5. 28. Act. 24. 15. 1. Thess. 4. 15.

1. Cor. 15. XIV. Secundò, Idem probatur ex 1. Cor. 15. ubi Apostolus loquitur *de Resurrectione*, quæ fieri debet *in fine seculi*, quia loquitur de ea, quæ sequi debet ultimi hostis, nimirum mortis, destructionem, & post quam debet esse finis v. 24. *Ut in Adamo omnes moriuntur, Ita in Christo omnes vivificantur. Sic quisque in suo ordine, primitiæ id. Christus, deinde qui sunt Christi in ejus adventu, postea erit finis* &c. Ubi Martyres comprehendi patet. 1. Quia omnes vivificandi dicuntur in adventu ejus. 2. Ex v. 30. ubi à Martyribus communis istius resurrectionis argumentum petit. *Si non sit resurrectio, cur periclitamur in singulas horas? in dies morior per gloriationem nostram, quam habeo in Christo. Si secundùm hominem adversus bestias pugnavi in Epheso, quæ mihi utilitas, si mortui non excitantur?* 3. Ex v. 57. *Ecce mysterium vobis dico, non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* Ubi per eos qui *non dormiunt*, non possunt intelligi Martyres, quia constat eos in Domino dormire, sed illi quos vivos dies Domini deprehendet, *qui immutandi sunt ad sonitum tubæ*, cum quibus dormientes debent excitari ad eandem tubam. 1. Thes. 4. 15. *Nam ad vocem Archangeli, & tubam Dei resurgent primùm, deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in occursum Domini.* Ubi Paulus tam mortuos quàm vivos, quibus se ipsum etiam accensèt, omnes simul in adventu novissimo Christi vel suscitandos, vel immutandos asserit. Quomodo verò hoc dicere potuit, si persuasum habuisset, aliam fore resurrectionem ante ultimum istum diem?

XV. Tertiò, Ab *Absurdis*, quæ opinionem istam sequuntur. 1. Supponitur Resurrectio quædam futura ante ultimum Christi adventum, contra fidem Scripturæ, quæ nullius meminit nisi novissimo die futuræ. 2. Fingitur status Ecclesiæ militantis in adventu Domini tranquillus & triumphans, contra Oracula quæ illum fidem vix inventurum in terra clamant, & sic confunditur status viæ & patriæ, & militiæ perpetuæ sedes, qualis est terra piis, in locum triumphi perperam commutatur. 3. Interponitur intervallum mille annorum inter interitum Antichristi, & Mundi dissolutionem, quem tamen prædicat Paulus illustri adventu Servatoris esse conficiendum. 4. Proponitur status Martyrum, qui facit potius ad gloriam & felicitatem eorum deprimendam, quàm ad augendam. Nam qui suscitabuntur, vel morituri denuò erunt, & sic à vita cœlesti & glorioſa traducentur ad statum

tum mortalitatis; Vel non sunt morituri, & sic conditio eorum longè minus felix futura erit præcedente, quia mutabitur cœlum cum terra. Rursus quis dixerit, An uxores ducturi sint & liberos procreaturi? An cœlibes mansuri, an terrena possessuri, & aliis mortalium conditionibus obnoxii futuri? An verò ἰσάγγελοι sint futuri? Quorum omnium cùm altum sit in Scriptura silentium, eo ipso verum esse figmentum colligitur. Adde quod cum Ecclesia quamdiu est in mundo egeat semper Verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, & precibus ab obtinendam peccatorum remissionem, dicendum erit Martyres huic necessitati adhuc subjici. Quomodo verò hoc statui potest, siquidem perfectè sanctificati censentur, utpote jam in cœlum admissi. Quæst. III.

XVI. Palmarius, qui afferri solet locus ad probandam particularem Sanctorum & Martyrum resurrectionem ex Apocal. 20. 4. 5. 6. non potest huic opinioni favere. 1. Quia locus est Propheticus, symbolicus, obscurus, controversus, & variis interpretationibus obnoxius, qui non potest solus fundare opinionem, quæ pugnat cum pluribus aliis expressis Scripturæ locis. 2. Non agitur de Corporibus, sed de *Animabus* occisorum, Johannes dicitur vidisse *animas* interfectorum, non dicit εἶδον τὰς πεπελεκισμένους ἄνας ἀντας, *vidi securi percussos suscitatos in Corporibus suis*, sed εἶδον ψυχὰς *vidi animas*. Ad personas ergo & corporum resurrectionem hæc extendere non fas est. Quamvis enim anima sæpe per synecdochen totum hominem significet, hoc tamen loco tropica locutio ad incertum dogma stabiliendum temerè non est recipienda. 3. Non dicuntur propriè Martyres revixisse, sed tantum *vixisse*, non dicit Johannes ἀνέζησαν, sed simpliciter ἔζησαν *vixerunt*, nimi. vitâ beatâ & gloriosâ in cœlis, contra quam opinabantur hostes Ecclesiæ per stultum judicium, occisi enim judicati sunt miserè periisse, sed occisio ipsis vita, & oppressio Regnum cum Christo fuit. Nec si dicuntur regnaturi cum Christo, statim intelligitur eos regnaturos esse in terra, cum optimè dici possit eos regnaturos cum Christo in cœlis. *Fontes Solutionum.* Apoc. 20. 4. 5. 6.

XVII. *Resurrectio prima*, de qua loquitur Johannes, non potest esse corporalis. 1. Quia prima dici non posset, cum eam tot aliæ tam in Veteriquàm in Novo Testamento præcesserint. Nec juvat excipere illas paucorum fuisse, istam verò plurimorum fore. Quia non agitur de resurgentium numero, sed de resurrectionis qualitate, & ordine. 2. Resurrectio prima debet respondere morti primæ. At *mors prima*, ut notum, non est mors corporis, sed animæ per peccatum. Ergo resurrectio prima non est corporalis, sed spiritualis & mystica animæ ex morte peccati ad Deum conversæ, quod videtur insinuare velle Joh. quum non ait simpli. Beatus qui habet partem in prima resurrectione, sed *beatus sanctus, qui partem habet in prima resurrectione*, ut innuat istam primam resurrectionem in sanctitate consistere, quæsæpe resurrectio vocatur in Scriptura Eph. 2. 5. & 5. 14. 3. Ea tantum intelligitur resurrectio, quàm

QUÆST. III. nisi quis habeat, mors secunda in eum potestatem habet. Dum enim beatus dicitur, qui partem habet in resurrectione prima, quia mors secunda in eum potestatem non habet, eo ipso innuitur, eos omnes & solos, qui partem habent in resurrectione primâ, beatos fore. Hoc autem dici non potest de resurrectione corporali Martyrum, aliàs sequeretur pios, qui suscitandi sunt novissimo die, non fore beatos; sed valet tantùm de resurrectione spirituali.

XVIII. Ut *ligatio Satanæ* per mille annos coincidit cum mille annis, quibus Martyres cum Christo regnaturi sunt; Si constet millenarium ligationis Satanæ jam elapsum esse, eo ipso patebit regnum mille annorum jam præteriisse, nec amplius esse expectandum. Undecunque autem ista ligatio Satanæ inchoetur; Vel à *Servatoris Incarnatione*, ut quibusdam placet, quo tempore fortis à fortiori ligatus est, & ei erepta sunt vasa, & è tenebris in Regnum lucis translata Matt. 12.29. Vel ab *ejus passione & morte*, ut aliis visum, in qua ligatus est Satan per Christum, erepto ei Chirographo, quod nobis contrarium erat, & contrito ejus Capite, & triumpho de illo acto Col. 2. 14.15. Heb. 2.14. Vel in *Excidio Hierosolymitano*, cum aliis, ne legalium obsolera reverentia Euangelii cursum quovis modo impediret. Vel denique in *Constantini M. Imperio*, ut pluribus probatur, quo tempore liberum Christianis concessum est Religionis exercitium, effectumque, ut Satanæ non amplius liceret apertè & impunè Gentes seducere, & per grassantem Imperatorum gentilium sævitiam persequi. Undecunque inquam ista ligatio inchoetur, liquet tempus hoc jamdudum præteriisse, nec in posterum esse amplius expectandum. Licet autem in istis intervallis non ita ligatus fuerit Satan, quin varia adhuc mala Ecclesiæ intulerit; non desinit tamen Oraculum istud complementum suum sortiri. Quia *ligatio* ista non debuit esse *absoluta*, sed *limitata*; non ut omnino nihil ageret, non tentaret amplius Gentes, nec occultis ageret cuniculis, nec ad βάθη sua recurreret, aut per Vicariam bestiam sub devotionis & Ecclesiæ larvâ incolas terræ inebriaret. Sed *ne seduceret Gentes*, id est, tam liberâ grassatione, ut antea fecerat, Paganos & hostes Ecclesiæ dementando, & idololatriæ philtris, vel persecutionum violentiâ fideles desolando.

XIX. Quamvis verò visio ista referatur à Johanne post dejectionem Bestiæ & Pseudo-Prophetæ in stagnum ignis, id est, post excidium Antichristi, quod refertur cap. 19. Non sequitur, rem ita ordine temporis evenire debere. Quia alia ratio est historiæ, quæ continuam exhibet rerum gestarum seriem, alia prophetiæ, ubi temporis ordo non semper observatur, nec semper posterius fit, quod posterius narratur. Unde utcunque ordine visionis præcesserit Bestiæ præcipitatio, non inde tamen infertur eam ordine temporis præcessisse. Et quod dicit Johan. καὶ εἶδον, *& vidi*, non μετὰ ταῦτα *post hæc vidi*, ut

ut aliàs, satis arguit, narrari tantùm continuatam visionem, non continuatam historiam. Sic scilicet Spiritus Sanctus, postquam narravit judicium Dei contra Meretricem & Bestiam c. 18. & 19. Jam ad perfectæ victoriæ demonstrationem voluit describere judicium adversus primarium Ecclesiæ inimicum, Satanam videlicet & Draconem, cujus Regni suffraganeus est Antichristus. Hoc verò Judicium absolvit geminâ captivitate, temporariâ unâ, mille annos duratura, altera æterna & perpetua v. 9. 10. Quæst. III.

XX. Cæterùm quod & quale sit hoc Christi cum Sanctis Regnum, tutiùs ignoratur, quàm curiosiùs inquiritur, & temerè definire præsumitur. Faciliùs enim est ostendere quid non sit, quàm quid sit, explicare. Et cùm Regnum istud non incommodè possit referri, vel ad Regnum Beatorum & Martyrum in cœlo, vel ad Regnum spirituale fidelium in terra, vel ad utrumque simul, nihil necesse fuit ad Oraculi istius expositionem Regnum temporale millenarium ante finem seculi contra tot Scripturæ loca comminisci.

XXI. Oracula prophetica perperam ad Regnum aliquod visibile & externum trahuntur, quæ mysticè & allegoricè de Regno spirituali Christi intelligenda sunt, hic inchoato in gratia, & complendo in gloria, juxta stylum propheticum, quô res spirituales sub typo & involucro rerum corporearum solent describi, quod circumstantiæ variæ in singulis locis evincunt. Alias si quis τὸ ῥητὸν hîc voluerit urgere, sequetur terrenam Jerosolymam iterum ædificandam, Sacrificia legalia denuo esse offerenda, & totum cultum Leviticum jam abrogatum, restituendum. Tenenda est ergo hic regula, Ut quemadmodum Prophetæ cultum Novi Test. describunt verbis ad Legalem V. T. cultum propriè pertinentibus, & ex eo desumptis: Ita quoque Regnum Christi spirituale depingunt vocabulis rerum terrenarum ex statu Ecclesiæ sub V. T. petitis, quæ proinde typicè & metaphoricè sunt intelligenda. Et ut Apostoli verbis hujus seculi describunt sæpe res futuri; Ita Prophetæ verbis V. Test. describunt res Novi. Et cùm Regnum Christi, quod in Ecclesia administrat, duplex sit, nimir. gratiæ & gloriæ, Prophetæ utriusque descriptionem sæpe conjungunt, ut eorum verba rectè possint intelligi de Regno gratiæ, & beneficiis quæ *inchoativè* dantur hic fidelibus, & de Regno gloriæ, & bonis, quæ Ecclesiæ in futura vita *consummativè* danda sunt.

XXII. Dan. 2. 44. non agitur de regno temporali & millenario, sed de spirituali & cœlesti. 1. Quia agitur de Regno æterno, quod in secula debet manere, & non dissipari. 2. De Regno quod inchoari debuit cùm sisteretur Christus coram Antiquo dierum cap. 7. 13. id. postquam Christus ad dextram Patris evectus est, qui dedit illi Imperium & dominationem in omnes populos, & omnem potestatem in cœlo & terra Mat. 28. 19. & Eph. 1. 21. 3. Sancti dicuntur Regnum accepturi c. 7. 18. tum in Christo Capite, in quo sedent in cœlestibus Eph. 2. 6. *Dan.* 2. 44. & 7. 13. 14.

QUÆST. IV. & à quo facti sunt Reges & Sacerdotes, qui debent sedere in ejus Throno, & potestatem habere in Gentes Apoc. 2. 26. & 3. 21.

QUÆSTIO IV.

DE CONSUMMATIONE SECULI.

An certi aliquid & determinati haberi possit de Tempore Consummationis seculi? Et An signa quædam eam præcedere debeant? Prius Neg. Posterius Affir.

I. SEcundum *Novissimum*, quod Resurrectionem mortuorum excipit, est finis Mundi, & *Consummatio seculi*. Dicitur *finis Mundi*, quia finiet & ultimam clausulam imponet Mundo & rebus mundanis. Et *Consummatio seculi* Mat. 13.40. quia consummare debet omnia, quæ ad statum hujus vitæ pertinent, & claudere durationem seculi præsentis, ut locus fiat æternitati. Distinguitur à *plenitudine temporum*, in qua Christus venisse dicitur Gal. 4. 4. nimi. in complemento temporum & dierum à Prophetis notatorum de adventu Messiæ in mundum.

Mat. 13,40.

Gal. 4. 4

Status Quæstionis.

II. Non quæritur De *Veritate* & *Certitudine* istius Consummationis. Quamvis enim & jam olim reperti sint, & nunc etiam reperiantur intra & extra Ecclesiam ἐμπαίκται irrisores & Epicurei, qui nec initium mundi, nec finem agnoscere volunt, sed ejus æternitatem asserunt, quod Plinio, Porphyrio, Aristoteli, Proclo, & aliis Philosophis tribuitur. Et à Petro 2. c. 3. de Libertinis & Epicureis novissimorum temporum dicitur. Tanta tamen est Oraculorum sacrorum hac in parte evidentia & certitudo, quæ interitum Mundi, non minus ac Creationem prædicant, & Gentiles ipsi ita perspicuè hoc agnoverunt, ut non opus sit in eo probando immorari. Ovidius lib. 1. Metamor. fab. 9. hoc testatur.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quò mare, quò tellus, correptaque regia cœli,
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et Lucret. lib. 5.

Una dies dabit exitium, multosque per annos
Sustentata ruet moles, & machina Mundi,
Nec me animus fallit, quum res nova miraque menti
Accidit, exitium cœli terræque futurum.

Sed

Sed quæritur de ejus *Tempore*, An aliquid certi & determinati de eo dici possit, ut notetur in quem millenarium & annum, Mundi finis cadat? Quæst. IV.

III. Scio varios esse, qui in arcana Dei illotis pedibus perrumpentes, vel in Astrorum dispositione, vel ex Prophetiarum detorsione, vel ex aliis rationibus audent definire & diem & annum. Et jam tum Apostolorum tempore erant, qui id auderent determinare, qui ideo carpuntur à Paulo 2. Thess. 2. 2. Et notum est non paucos novissimis istis temporibus, hoc tentâsse, aliis citiùs, aliis seriùs diem illum signantibus, quos recensere nihil attinet.

IV. Sed ut experientia docuit, erràsse quotquot finem Mundi assignârunt ante nostra tempora; Ita nihil certius statuendum de iis, qui certum aliquem annum vel in hoc seculo, vel in sequentibus præcisè definire audent. Nam quàm certum est Mundi finem & consummationem seculi indubiam esse ex Decreto Dei. Tam verum est illius tempus omnibus esse ignotum, vel ex universa Scriptura liquit, ut temerariæ sit curiositatis illud velle vel indagare, vel definire, quod & Angelos beatos, & ipsum Filium hominis in carne versantem latêre ipsemet profitetur. *De die illo & horâ nemo novit, nec Angeli, nec Filius hominis, sed Pater* Marc. 13. 32. *Vigilate quia nescitis quo die & quâ horâ venturus sit Filius hominis* Matt. 25. 13. Luc. 21. 34. 35. 1. Thess. 5. 3. Alibi Christus ipse expressè prohibet in hoc inquirere, quum Apostolis, quærentibus quando restituturus esset Regnum Israëli, *Vestrum*, inquit, *non est nosse tempora, quæ Deus posuit in sua potestate*, Act. 1. 7.

Annum & Diem Consummationis seculi ignotum esse probatur.

Marc. 13. 32.

Matt. 25. 13.

Act. 1. 7.

V. Non sine gravissimis causis Christus voluit hoc nos latere ad frænandam curiositatem nostram, & excitandam vigilantiam, ut in perpetuo Dei timore viveremus, nec securitati carnali indulgeremus. *Latet unus dies, ut observentur omnes dies.* Hilar. lib. 9. de Trini. *Ignoratio non ad errorem necessariò facit, sed ad perseverantiam, Nec negatum id est ad detrimentum, quod ignoratum tribuit incrementum, ut scientiæ securitas negligentiam fidei dissimulata non exerceret, sed præparationem irremissam expectatio indefinita retineret.* Ambros. lib. 5. de Fide. *Nobis scire non proderat, & dum certa futuri Judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis speculâ collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat, non enim prodest scire, sed metuere, quod futurum est.* Aug. Epist. 80. ad Hesy. *Deus noluit prædicari, quod videbat non utiliter sciri, Quod ergo Dominus nos scire noluit libenter nesciamus. Non appetamus habere cognitum, quod Deus voluit esse secretum*, ut loquitur Prosper lib. 1. de Voca. Gent. cap. 8. *Nescire, quæ nesciri voluit sciendi summus Magister, erudita est insciti a. Horam ultimam*, inquit Gregor. hom. 13. in Euang. *Dominus noster ideo nobis voluit esse incognitam, ut*

QUÆST. IV. *semper esset suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.* Quod ergo alii tribuunt curiosæ temporis indagationi, illud rectiùs à nobis impenditur piæ ad hunc diem præparationi. Unde fideles describuntur, quòd parati sint ac vigilent, quia nescíunt, qua hora sit venturus Dominus ipiorum Matt. 24. 42. & 44. Quòd sint lumbi ipsorum præcincti & lucernæ ardentes Luc. 12. 35. Quòd vigilent omni tempore, ut digni reddantur fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis Luc. 21. 36. & alia id genus 1. Thess. 5. 6. Apo. 16. 15.

VI. Atque hinc patet quid judicandum sit de Traditione vulgò dicta *Domus Eliæ*, quæ habetur in Tr. Sanhedrim & apud Gal. li. 4. de Arc. Verit. Catho. cap. 20. quæ statuit *bis mille annos inanitatis, bis mille Legis, & bis mille Messiæ futuros*, post quos futurus sit finis & magnum Sabbathum, quam propugnat Menasse Ben-Israël proble. 25. de Creati. ad quam videntur accedere multi ex Patribus Irenæ. lib. 5. hær. cap. 23. Lactan. lib 7. Justin. cap. 14. Hila. cap. 13. in Matth. & alii qui hac conjectura nituntur, ut tot chiliades durationi Mundi usque ad ejus consummationem assignentur, quot dies ejus Creationi, usque ad diem quietis concessi fuerunt, quia mille anni apud Dominum sunt unus dies, & vice versa Ps. 90. 4. & 2. Pet. 3. 8. scilicet hanc conjecturam esse meram Thalmudicam, quæ nullo Scripturæ nititur fundamento. Nec Mosi aut Petro in locis allatis propositum est hexaemeron Creationis cum duratione Mundi componere, sed docere, quòd apud Deum spatia temporis non sint iisdem momentis metienda, quô apud homines, cùm ipsi extra omnem temporis successionem posito, omnia sint in simplicissimo τῷ νῦν præsentissima.

VII. Sed gravius hîc errant Pontificii, qui ne Antichristum domi agnoscant, talem eum somniant, qui immediatè ante adventum Christi sit regnaturus per tres annos cum dimidio, & à cujus eversione usque ad Christi adventum non nisi dies quadragintaquinque sint superfuturi, ut audacter definit Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 8. 9. 17. Greg. de Valentia to. 4. Comm. disp. 11. quæst. 2. *Dicendum inter Antichristi mortem, & Christi adventum ad Judicium, adeoque Mundi consummationem, brevissimum temporis intervallum futurum, nempe quadraginta quinque dierum* &c. Nam præterquam quod plurima de Antichristo dicuntur in Scriptura, & ab illo videntur expectare Pontificii, quæ tam exiguo temporis spatio peragi non possunt, & jam Pauli tempore mysterium Iniquitatis operabatur 2. Thess. 2. 7. hoc figmento concesso sequeretur posse præsciri & definiri per tres annos integros tempus Judicii contra disertam Christi vocem.

VIII. Quamvis verò tempus istius Consummationis nemini mortalium cognitum sit, non desinit tamen habere sua *Signa* diagnostica, ex quibus licet saltem conjicere non procul abesse. Quò pertinent

tinent varia Scripturæ loca, quæ propinquitatem istius temporis asserunt, *Finis omnium prope est*, inquit Petrus 1. cap. 4. 7. *Sobrii estote & vigilate in precibus.* Et Jac. 5. 8. *Patienter expectate, & confirmate corda vestra, nam adventus Domini prope est.* Non quòd reipsa tempore Apostolorum jam venire deberet, multa enim prius contingere debebant, & præcipuè ἀποστασία & revelatio Mysterii iniquitatis, de qua loquitur Apostolus 2. Thess. 2. Sed tum quia parati esse debemus omni tempore ad Christum excipiendum, & ita vivere ac si quolibet die venturus esset, ne incauti deprehendamur, quia *in quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet novissimus dies, quia qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur*, ut loquitur Aug. Ep. 50. Tum quia longè propior erat quàm antea, siquidem tempus N. Testamenti est novissimum, post quod nulla alia dispensatio est expectanda. Tum propter brevitatem temporis, quod præ æternitate habet rationem momenti. Quòd si jam tempore Apostolorum finis omnium appetebat; quanto magis nunc, ubi videmus quotidie impleri signa istius adventus?

Quæst. IV.

1. Pet. 4. 7. Jac. 5. 8.

IX. *Signa* autem ista vel sunt communia, vel sunt propria & specialia. *Communia* ea dicuntur, quæ à Christo recensentur Matt. 24. & Luc. 21. quæ ita referuntur ad Hierosolymæ excidium, ut ad finem etiam Mundi pertineant. Ut enim Apostoli de utroque Christum interrogaverant conjunctim, *Quando illa futura essent*, scili. quæ de eversione Templi prædixerat, & *quodnam signum adventus ejus, & consummationis seculi futurum*, existimantes scili. in secundo demum Christi adventu Hierosolymam, & Templum esse evertendum. Ita Christus ad utrumque respondet, & varia miscet, quæ tam ad excidium Urbis, quàm ad finem Orbis pertinent, quæ ita ad Hierosolymorum destructionem respiciunt primò, ut extendantur etiam secundariò ad statum temporum, quæ consummationem seculi præcedere debent, quibus haud dissimilia contingere debent. Qualia sunt 1. Pseudoprophetarum & Seductorum multitudo Matt. 24. 5. 24. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 4. 3. 2. Petr. 2. 2. Apoca. 13. 8. 14. & 14. 8. & 16. 13. 2. Totius Orbis per bella, seditiones, pestilentias & terræ motus conturbatio Matt. 24. 6. 7. 8. Marc. 13. 7. 8. Luc. 21. 9. 10. 11. 3. Horribilis Piorum persecutio Matt. 24. 9. 16. Marc. 13. 9. 12. Luc. 21. 12. 13. 16. Apoc. 11. 7. & 13. 7. & 17. 6. 4. Extrema morum corruptio, & securitatis supinæ, & projectæ impietatis inundatio Matt. 24. 12. *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, & ℣. 37. 38. 39. Luc. 17. 26. 27. 28. & seq. & 18. 7. quod Paulus confirmat loquens de moribus corruptissimis hominum sub finem seculi 2. Tim. 3. 1. 2. 3. 4. 5. & Petrus 2. cap. 3. 3. 5. Universalis per totum terrarum Orbem Euangelii prædicatio Matt. 24. 14. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in universo Orbe*

Signa adventus Christi, alia sunt communia.

in

Quæst. IV. *in testimonium Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Marc. 13. 19. Quæ omnia jam maxima ex parte impleta esse, & quotidie impleri cæcus est qui non animadvertit. Quis enim non videt bella ex bellis seri, Seductores & Pseudoprophetas passim grassari, ut quacunque ratione pios à veritatis tramite abducant, & in perditionis barathrum secum trahant? Immanem quotidie excitari persecutionem adversus fideles Christi Servos, & Bestiam ac Draconem bellum crudelissimum Sanctis inferre, & nihil non moliri, sive vi sive dolo malo ad eos delendos? quod tristitia hæc, quibus vivimus tempora, & decumani fluctus, quibus navicula Christi agitatur, & tantùm non obruitur, satis clamant. Denique ubique regnare impietatem & securitatem, ut mundus sub mole vitiorum fatiscere videatur, & brevi Liberator sit expectandus?

Specialia. Antichristi revelatio. 2. *Thess.* 2. 3.

XI. Præter communia signa dantur etiam *propria* & specialia varia, præcipuè *Antichristi revelatio*, & summa Veritatis, quæ secundùm pietatem est, in Ecclesia Christiana corruptio, de qua loquitur Paulus 2. Thes. 2. 3. Cùm enim quidam turbarent eos, quasi jam instaret dies Domini, Paulus ostendit non debere eos propterea commoveri, quia non venturus sit, nisi post adventum Apostasiæ & revelationem hominis peccati. *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam* supple non veniet, *nisi venerit primùm Apostasia, & revelatur homo peccati, filius ille perditionis, quem Dominus assumet Spiritu oris sui, & illustrs adventu suo abolebit:* Quod signum jam impletum esse per Antichristum Rom. sedentem in Templo Dei, & se ostentantem pro Deo, res ipsa clamat, Et nos alibi probatum dedimus. Hanc verò Antichristi revelationem excipere postea debuit ejusdem attritio & destructio, quæ paulatim debuit procedere, & revera processit per *Spiritum oris Christi*, id. per Euangelii æterni præconium, in Ecclesiæ Reformatione, per quam Imperium ejus tyrannicum non parum est accisum & labefactatum, donec penitus conficiatur in illustri adventu Christi 2. Thess 2. 8.

2. *Judæorum Conversio.* Rom. 11. 12 15.16.

XII. Secundò, *Judæorum Conversio*, cujus mentio fit à Paulo Rom. 11. 12. 15. 16. *Quod si eorum offensa est opulentia Mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium, quanto magis plenitudo ipsorum? Nam si abjectio eorum est reconciliatio Mundi, quæ erit assumptio, nisi vitæ ex mortuis? Nolim enim vos ignorare, fratres, Mysterium hoc, ut ne sitis apud vos ipsos sapientes, obdurationem ex parte Israëli evenisse, tantisper dum plenitudo Gentium introierit, & ita totus Israël servabitur.* Hæc enim expressiora sunt, quàm ut spectare possint illorum Judæorum ad Euangelium conversionem, quæ facta legitur tempore Apostolorum. Eò pertinet quod 2. Corint. 3. 16. dicit Apostolus auferendum esse velamen Israëli, cùm conversus fuerit ad Dominum. Accedit ratio fœderis cum illa Gente initi, quod cùm sit æternum, non potest fieri, quin Deus usque ad consummationem

2. Cor. 3. 16.

seculi

seculi habiturus sit in illa Gente suos Electos, quos suo tempore adducturus est ad Christum. Ideo Paulus ibidem ℣. 28. dicit, *Eos hostes esse secundùm Euangelium propter nos, sed secundùm Electionem dilectos propter Patres; quia dona Dei & Vocatio sunt sine pœnitentia.* Huc referenda sunt varia illa Oracula Veteris Testamenti, quibus restauratio eorum promittitur, tam apud Mosem, quàm apud Prophetas. Licèt enim illa respexerint liberationem à Captivitate Babylonicâ, & ab aliis calamitatibus, quibus obnoxii debuerunt esse, ulteriùs tamen respicere ad conversionem Judæorum loca inspicienti clarum est. QUÆST. IV.

XII. Qualis autem & quanta futura sit ista Conversio, An nationalis & universalis omnium, An particularis quorundam. An simultanea, An successiva. Et quomodo, quibus mediis, & quo tempore processura sit, tutiùs ignoratur, quàm temerè definitur, Spiritu Sancto hoc mysterium sigillo suo obsignante. Sufficiat ergo scire memorabilem fore Judæorum ante finem seculi conversionem, non quæ cunctos convertat, sed quæ multos, quibus adaptari possit totius Israëlis denominatio. Licèt non constet nobis, nec quo modo, nec quando præcisè futura sit. Ut in id potissimùm incumbendum sit, ut eam promoveamus non modò doctrinæ sanæ præconio, sed & purioris vitæ exemplo, ne nostra conversatio obduratis istis Judæis sit scandalo, qui plerumque ex professorum vita doctrinam æstimant, nec persuasum habent illos de Deo rectè sentire, qui tam licenter ipsius præcepta violant. Qui enim fieri potest, ut inter Pontificios maximâ ex parte versantes, & ex quorum horrendâ idolomaniâ Christianismum æstimant, non occallescerent potius in dies, quàm oculos ad lucem aperirent? Unde mirum videri non debet mysterii istius impletionem tardiùs hodie procedere, & velamen adhuc super corda eorum manere.

XIII. Qualiscunque autem futura sit eorum vocatio, non somnianda est cum variis ulla politiæ Judaïcæ restitutio in terra Canaan, contra expressa Christi verba Matth. 23. 38. *Ecce domus vestra vobis relinquetur deserta.* Et Matth. 24. 2. *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissolvatur.* Adde quod hæc politia durare debuit tantùm usque ad Christum Gen. 49. 10. Dan. 9. 26. 27. Heb. 9. 10. Matth. 24. 15. quia causæ talis institutionis jam deficiunt, nimirum distinctio populi Judaïci ab aliis Gentibus, sedes doctrinæ & Ecclesiæ, quæ in omnes Gentes propagata est, adumbratio Christi, & Mysteriorum Novi Testamenti, quæ Corpore manifestato non potest amplius locum habere. Denique si Deus voluisset instaurare istam politiam, non passus esset eam tanto tempore per sexdecim & amplius secula aboleri, & Tribus confundi inter se, ut non ampliùs certò scire possint, quicquid illi garriant, ad quam tribum & familiam pertineant.

QUÆST. IV. XIV. Nec loca, quæ afferri solent à Judæis, hoc evincere possunt. Non Deut. 30. 2. 4. 5. Quia est promissio restitutionis facta resipiscentibus exu-
Deut. 30. 2. 4. 5. libus; quæ completa est partim in reditu ex Babylone, partim in vocatione
Dan. 7. 27. ad Christum 1. Pet. 1. 1. Jaco. 1. 1. Non Dan. 7. 27. Quia describitur Regnum Christi, quod propriè est ipsius tanquam Capitis, sed per communicationem gratiæ est fidelibus, tanquam membris cum Christo commune, qui regnabunt cum ipso, 2. Timot. 2. 11. ut facti sunt Reges in
Mich. 4. 6. ipso Apoc. 1. 6. Non Mich. 4. 6 Quia prædicit non modò Deum regnaturum in Ecclesia, sed etiam Ecclesiam, quæ describitur sub notione Jerosolymæ, cum ipso regnaturam, mirantibus Gentibus, quod jampridem in
Ezech. 40. Ecclesia Novi Test. completum est per Christum. Non Ezech. 40. & seq. cap. Quia visio intelligitur de promissione restitutionis, non tam corporalis, quàm spiritualis, Ecclesiæ, hìc inchoandæ in terris, in cœlo autem perficiendæ, quia ex Esra, Nehemia, Aggæo, Zacharia, & Malachia constat, instaurationem, quæ hìc promittitur, non fuisse post captivitatem, & ante Christum impletam. Nec post Christum fuisse tam splendidam conditionem Ecclesiæ, ut repræsentatur. Ergo aut nulla est impletio, aut tantùm spiritualis. Sic promissio quæ habetur c. 43. 7. quod Deus æternùm habitaturus sit inter filios Israël, non potest explicari de Israële carnali. Nec
Ezech. 47. 1. aquæ fluent ex Templo cap. 47. 1. possunt accipi de aquis elementaribus. Ergo instauratio spiritualis per Christum adumbrata fuit allusivè ad Tem-
Isa. 59. 20. plum Herosolymitanum, quod ejus fuerat typus. Non Isa. 59. 20. Quia si ex Sion Vindex expectari debet à Judæis; Non ideo fit, ut Regnum terrenum ipsis conferat, sed ut avertat impietates à Jacobo, ut ex pacto auferat peccatum & cæcitatem, ut cum fidelibus uniantur, non ut sceptrum porrigat, quò
Rom. 11. in illos dominium exerceant. Non Rom. 11. Quia licèt conversio Judæorum promittatur expresè, non tamen instauratio Politiæ Judaicæ; Nam ut Gentes coaluerunt cum Judæis in unam Ecclesiam; Ita Judæi uniri debent cum Gentibus, quod similitudine oleæ confirmari potest, cui insiti sunt & nativi rami, & insititii ex oleastro. Non debet ergo statui separatos fore Judæos à Gentibus. Imò Christus Joan. 10. 16. & Apost. Eph. 2. & 4. cap.
Apoc. 21. unitatem fore declarant Gregis & Ecclesiæ. Non visio Joh. Apoc. 21. &
& 22. 22. Quia eadem allusione describitur status Ecclesiæ triumphantis, quæ est cœlestis origine, fundata hìc per Apostolos super Christum, cui Reges fasces suos submittunt.

XV. Ad hæc signa referri debent, quæ à Christo futuræ dicuntur mutationes in Cœlo, Sole, Lunâ, & Stellis, ante ultimum suum adventum. *Nam post compressionem illorum dierum, Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum, & Stellæ cadent è cœlo, & potestates cœlorum concu-*
Matt. 24. 29. *tientur*, Matt. 24. 29. Quibus paria leguntur Marc. 13. 24. 25. & Luc. 21. 25. 26.

25. 26. Quæ non tam propriè, quàm mysticè & allegoricè more propheti- Quæst.
co intelligenda esse, collatio cum libro Apocalypsis ostendit, ubi similes lo- IV.
cutiones occurrunt, quum agitur de mutationibus factis ad apertionem sexti
sigilli cap. 6. 12. 13. *Sol factus est ater instar sacci cilicini, & Luna instar* Apoc 6. 12.
sanguinis, Et Stellæ cœlorum ceciderunt &c. Et c. 8. 10. 11. 12. *Ad clan-* 13.
gorem tertiæ & quartæ tubæ cecidisse dicitur è cœlo stella magna, quæ absin- & 8. 10.
thium dicitur, & percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia 11. 12.
pars Stellarum, ut obscuraretur tertia pars eorum. Et cap. 9. 2. *Obscuratur*
Sol & aer a fumo putei. Et cap. 12. 3. 4. *Draco cauda dicitur trahere ter-* cap. 12. 3. 4.
tiam partem Stellarum cœli, quas abjecit in terram. Quibus verbis allegoricè magnæ mutationes & corruptelæ futuræ designantur, tam in Ecclesia, quàm in Republica. Vel tristissimæ populorum clades, & magna Dei judicia, quæ cùm sint Judicii universalis præludia, iisdem quoque phrasibus non incommodè designantur. Quæ cùm Spiritus S. noluerit ulteriùs explicare, nostrum non est penitiùs scrutari.

XVI. Non magis quàm Signum concomitans, de quo agit Matth. 24. Mat. 24. 40.
40. *Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc omnes Tribus terræ*
plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa: In quo Interpretes frustra se fatigant. Pontificii quidem sine fundamento referunt ad signum Crucis, vel Crucis effigiem, quæ Christum ad judicium venientem præcessura sit, tanquam trophæum & insigne regium, quò de Diabolo & mundo triumphavit. Sed alii longè commodiùs volunt intelligi, vel Filium ipsum hominis in nubibus apparentem, & in signum mortalibus datum Isa. 11. 10. quo modo signum Circumcisionis vocatur ipsa Circumcisio Roman. 4. 11. cui favet quòd signo omisso, Filius tantùm hominis ponitur in reliquis Euangelistis, & in sequenti hujus versus parte. Vel tubam quæ ultimo die canet, 1. Corint 15. 51. 52. quæ & ipsa signum dicitur, & signum dare. Vel radios gloriæ & majestatis summæ, qui tunc coruscare debent, ut mox hoc signum videtur describi, qui testabuntur Christum, qui jam contemtus erat, Dominum esse cœli & terræ. Vel denique ignem illum, quò conflagrare debet mundus. Sed satius hîc est ἀσάφειαν, quàm temerè quicquam asserere.

XVII. Cùm ergo Spiritus Sanctus tempus Christi adventus signis quibusdam designare voluerit, ad excitandam vigilantiam nostram, ut attenti semper ad opera Dei essemus, ipsum autem annum, aut diem expressè notare noluerit; Nostrum non est futura, quæ Deus in manu sua posuit, invadere, & arcana quæ Deus sibi soli servavit, curiosius rimari. Omni potius studio maturandus est precibus & pœnitentiæ ac pietatis praxi Domini adventus, ut depositò rerum terrenarum & mundanarum affectu, quicquid adhuc supersit temporis rebus seriis & cœlestibus impendamus, ne otiantes nos & incom-

QUÆST. IV. positos dies ille deprehendat, *Cùm hæc omnia*, inquit Petrus 2. c. 3. 11. 12. *dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatis officiis, expectantes & accelerantes adventum diei Dei?* Et ubi Ecclesia vetus orabat pro *mora finis* Imperii Romani, quod adventum Antichristi remorari debebat. Nos contrà, cum Spiritu & Sponsa hac seculorum fæce, & luctuosissimo Ecclesiæ laborantis, & tantùm non sub crucis onere fatiscentis, statu, ingeminatis votis & suspiriis exclamare debemus, Ναι ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

QUÆSTIO V.

Qualis futurus sit Mundi interitus? An per ultimam conflagrationem sit annihilandus, An verò instaurandus & renovandus?

I. UT Quæstio ista est Problematica, & ex numero illarum, in quibus licet ἐπέχειν, & salvâ veritate & charitate dissentire. Sententiæ variæ Theologorum expendendæ sunt, & quid probabilius videatur exponendum.

Status Quæstionis. II. Ad Statum Quæstionis, Observandum 1. Non Quæri de Consummatione seculi & de fine Mundi quoad τὸ ὅτι; An debeat fieri? hoc enim utrinque est in confesso. Sed de formâ & modo quoad τὸ πῶς. Quomodo fieri debeat? 2. Non quær. An fieri debeat per ignis conflagrationem: Hoc enim ita expresè Scriptura tradit, ut nemo Christianus de eo ambigere possit aut debeat. *Cælum & terra*, inquit Petrus 2. cap. 3. 7. *reservantur igni.* v. 10. *Cæli magno impetu transibunt, Elementa calore solventur, terra autem, & quæ in ea opera sunt exurentur*, & v. 12. *Cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Nec hoc absolutè ignotum fuit ipsis Ethnicis, ut antea visum ex Ovidio. 3. Non quær. An mutatio aliqua debeat fieri in Mundo? Agnoscunt omnes cœlum & terram & corpora iis contenta, mutationem magnam sub finem seculorum passura esse. Sed Quæritur, An mutatio illa sit futura substantialis, An accidentalis? Vel An Cœlum & terra sint obnoxia futura totali corruptioni vel annihilationi, An verò alterationi tantùm, & quidem perfectivæ per peculiarem renovationem? Quidam prius statuunt, Alii posterius.

III. Licèt verò neutrius sententiæ fautores perstringendos censeamus, nec anxiè cum quoquam litigandum esse credamus, in quæstione, quæ salvâ fidei analogiâ in utramque partem disceptari potest, & suum pondus esse argumentis, quæ urrinque in medium afferantur. Non diffitemur tamen probabiliorem nobis & solidioribus rationibus nixam

nixam videri eorum sententiam, qui stant pro Mundi renovatione. Cujus fundamenta varia possunt afferri, tum ex Scriptura, tum ex ratione.

IV. Primò ex variis Scripturæ locis, quæ istam renovationem important. Psal. 102. 26. 27. *Opus manuum tuarum sunt Cœli, Ipsi peribunt, & Tu perstabis, & omnia ista sicut vestimentum veterascent, veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur, Tu autem ipse, & anni tui non deficient.* Ubi interitus Mundi & Creaturarum declaratur verbo *alterandi, mutandi*, quæ non abolitionem designant vel annihilationem, sed mutationem tantùm, nec enim vel vestes annihilantur, vel illa quæ veterascunt aut senescunt, nec omnis mutatio annihilatio. Et ut vestimentum veterascens mutationem & instaurationem exigit, sic & Cœlum tunc temporis. • Sic etiam ostendere voluit Psaltes æquè facilem Deo esse renovationem illam, ac homini mutationem & refectionem vestis. *Epiphan.* hær. 64. rectè docet Scripturæ morem esse instaurationem in melius interitum appellare, eo quòd prior forma conversione illa pereat. Nec si hìc opponitur Creatura Creatori, vel immutabilitas aut mutatio actualis cœlorum immutabilitati Dei, sequitur modum illum oppositionis necessariò concludi ex verbis Psaltis, quô Cœli perire penitus debeant. Satis enim est Cœlos & mutabiles esse ab extrinseco, respectu potentiæ Dei, & actu mutationem aliquam passuros, ut opponantur Creatori, nec mutando unquam, nec mutabili, apud quem nulla prorsus παραλλαγὴ, aut conversionis obumbratio.

Quæst. V. *Probatur Renovatio Mundi* 1. *Ex Scriptura Ps.* 102. 26. 27.

V. 11. Ex. 2 Pet. 3. 7. 10. 11. 12. ante allato, unde varia petuntur argumenta ad renovationem Mundi probandam. 1. Ex collatione cum priore Mundo, diluvio obruto ℣. 7. *qui tunc erat Mundus periit.* Alius Mundus dicitur qui periit, ab eo qui ex diluvio emersit, sed non redactione in nihilum, sed repurgatione. 2. A forma interitus & instaurationis, *præteribunt Cœli* ℣. 10. id est solvetur eorum compages, ut explicatur ℣. 12. *Elementa liquescent*, ut metalla in igne, *Terra exuretur*, & in cineres quasi redigetur, & sic fiet novum Cœlum & nova Terra, ut immediatè subjicitur ℣. 13. At hæc mutationem inferunt, non annihilationem. Nec si dicitur *Cœlum reservari in diem perditionis*, hoc referendum ad Cœlos ipsos, sed ad perditionem hominum impiorum, de quibus agitur. Adde quod ἀπώλεια non semper annihilationem & totalem interitum designat, sed mutationem tantùm quandam, quomodo prior Mundus aquâ inundatus dicitur ἀπωλέσθαι ℣. 6. Aliud verò stridore præterire, dissolvi & exuri, Aliud annihilari & totaliter interire; Quæ igne liquescunt & exuruntur non solent annihilari; Imò à scoriis tantùm & fæcibus repurgantur, ut in re metallica metallum non annihilatur, sed purgatur, & purius exit excoctum igne. 2. *Ex* 2. *Pet.* 3. 7. 10. 11. 12.

VI. 111. Ex Rom. 8. 19. & seq. Renovatio Mundi multifariam colligitur. *Vanitati res creatæ subjectæ sunt, non suâ sponte, sed* 3. *Ex Rom.* 8. 19.

QUÆST. V. *propter eum qui subjecit, sub spe quòd & ipsa vendicabuntur ex servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei; Scimus enim omnes res creatas unà suspirare & parturire ad hoc usque tempus* &c. Ex quibus constat liberandam tantùm esse Creaturam à vanitate cui hic subjecta, adeoque sequuturam aliquando ejus ἐλευθέρωσιν, non φθορὰν aut ἀφανισμὸν. Duplex enim *terminus* ponitur vindicationis, à *quo* nimi *servitus corruptionis*, & *ad quem* nimi. libertas & ἀφθαρσία. Atque ita refellitur eorum glossa, qui statuunt sufficere ad vindicationem, si Creatura abolita desinat servire impiis hominibus. Κτίσις autem non potest hic designare fideles, ut aliis videtur. Nam præterquam quod insolitum est fideles vocare κτίσιν simpliciter sine ulla additione, Paulus apertè eam à fidelibus & filiis Dei distinguit; hortatur enim fideles, ut patienter ferant afflictiones præsentes, & dilationem gloriæ futuræ, exemplo Creaturæ gementis, quæ avidè & exerto capite illam expectans, ejusmodi spe velut sustentari & erigi videtur. Confirmatur ex v. 22. Ubi meminit Apostolus πάσης κτίσεως *omnis Creaturæ*, quod de fidelibus dici absurdum, & quod v. 23. apertè distinguit istos Creaturæ gemitus à gemitibus fidelium, *Non solùm verò*, scilicet omnis Creatura gemit, sed & ipsi *qui primitias Spiritus habemus, & nos ipsi in nobis gemimus.* Nam hoc ad Apostolos solos restringere absurdum, cùm constet hoc beneficium primitiarum Spiritus non esse ipsis peculiare, sed commune omnibus fidelibus, qui ut primitiæ sunt Creaturarum Jac. 1. 18. ita donantur à Deo primitiis Spiritus, quod Chrysost. optimè notat. Τί ἐστὶ, inquit, καὶ αὐτὴ? οὐχὶ σὺ μόνος, ἀλλὰ καὶ ὁ σὸς καταδεέστερον, καὶ ὁ μετέχει λογισμῶ δὲ αἰσθήσεως, καὶ τοῦτο σοὶ κοινωνήσει τῶν ἀγαθῶν. Denique scopus Apostoli hoc evincit, qui est per ἐπίτασιν exaggerare magnitudinem gloriæ revelandæ in Dei filiis, quod melius non potuit fieri, quàm dicendo tantam esse illius excellentiam, ut ipsæ Creaturæ inanimæ videantur exerto velut capite suspirare & anhelare ad lætam rerum omnium catastrophem, & id facturæ essent, si aliquis illis sensus ineset. Ut ergo Deus indidit Creaturæ ardens & constans desiderium vindicationis & instaurationis; Ita tandem vindicabitur, quia Deus nihil facit frustra, & docet Apost. hoc expletum iri.

VII. Quæ hic opponuntur ab iis qui aliam amplectuntur sententiam, nostram non evertunt. Non quòd isti *Creaturæ* tribuantur *gemitus*, *suspiria*, *spes*, ἀποκαραδοκία, quæ Creaturæ rationali tantùm conveniunt. Quia licèt propriâ locutione non possint competere creaturis inanimatis, nihil obstat tamen illis tribui figuratè & per prosopopæiam, quæ usitatissima est Scriptoribus sacris, ut quum cœli & terra audire jubentur Isa. 1. 1. Deut. 32. 1. Montes exultare, & amnes trepidare dicuntur Psal. 114. Jerem. 45. 6. Osc. 13. 14. Supra cæteros autem Paulus amat προσωποποιεῖν, nunc Legem, nunc peccatum, nunc mortem, & hic naturam rerum aspectabilem.

bilem. Non quod illi *vanitas & servitus corruptionis* tribuitur, quæ de creaturis non bene dicatur. Quia vanitas ista & servitus corruptionis optimè ad rerum inconstantiam & mutabilitatem refertur, quomodo Eccles. 1. 2. omnia mundana vocat *vanitatem vanitatum*. Vel ad defectionem & corruptionem, cui obnoxiæ sunt, ad idolorum cultum, & labores serviles, quibus se impendi sinunt in obsequium hominis, ad maledictionem, cui obnoxiæ factæ sunt propter hominis peccatum. Non quod Creatura dicitur *subjecta vanitati, non sponte, sed propter eum qui subjecit*. Quia quamvis hoc propriè non competat nisi Creaturæ, vel sensu, vel judicio & ratione præditæ, impropriè tamen extendi ad inanima nihil vetat, ut ἐκούσιον sit quod est secundùm inclinationem cujusque rei, quà res omnes appetunt suam conservationem, & corruptionem ac destructionem fugiunt, ἀκούσιον verò quod est contrarium isti inclinationi. Ut doceat Creaturam illam servitutem non sibi attraxisse, vel accersivisse statum illum, sed illam ob hominem obnoxiam factam esse maledictioni à Deo Judice. Non quod additur desiderium creaturæ ferri *in libertatem filiorum Dei*, quæ exponitur de *adoptione seu redemptione Corporis, quæ propria sit fidelium*. Quia verba ista εἰς ἐλευθερίαν, non notant terminum mutationis creaturæ, quasi gloriæ & adoptionis filiorum Dei particeps esse debeat, sed terminum spei duntaxat, & tempus quò liberanda est à vanitate & corruptione, nimirum eo temporis momento, quo filii Dei in gloriosam libertatem sunt asserendi, ut εἰς ἐλευθερίαν, ponatur pro ἐν ἐλευθερίᾳ. Quomodo nutrix alumni sui ad regnum evecti gloriâ ex parte fruitur, ut Chrysost. hoc simili utitur, vel domus Regis ornatur ad majorem Regis gloriam. Ita ἐλευθερία ἡ δόξης, poni potest pro ἐλευθερία ἔνδοξος. Ut liberatio eadem utrobique & in filiis Dei, & in Creaturis occurrat quoad genus, sed longè diversa quoad speciem. Quæst. V.

VIII. iv. Ex Isa. 65. 17. *Ecce ego creo novos cœlos & novam terram, & non memorabuntur priores, nec ascendent supra cor*, ad quæ Petrus respiciens cap. 3. 2. 13. *Sed cœlos novos & terram novam expectamus, in quibus justitia habitat*. Et Apocal. 21. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abierat, & mare non amplius extabat*. Licèt enim hoc Prophetæ Oraculum directè & primò respiciat restitutionem Gentis Judaïcæ ex captivitate Babylonica, cujus magnitudinem stylo prophetico describit, tantam & tam admirandam dicens mutationem superventuram, ut quasi nova rebus omnibus facies inducenda sit, & cœlum ac terra, imò totus mundus quasi innovari videatur, quod exponit ℣. 18. *Ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium*. Licèt inquam eò primò respiciat, non restringenda tamen mens Prophetæ ad illam externam restitutionem, sed extendenda ad Regnum spirituale Messiæ, in quo & per quem nova velut facies toti mundo 4. Ex Is. 65. 17. Apoc. 21. 1.

QUÆST. V. mundo affulsit; Ecclesiæ præsertim, quæ post illius adventum, in novum quendam statum transferri debuit 2. Cor. 5. 17. Ut verò liberationes omnes corporeæ typi fuerunt spiritualium, temporales æternarum; Verba
Apoc.21.1. ista Spiritus Sanctus refert Apoc. 21. 1. ad ἀποκατάστασιν mundi secuturum sub finem seculorum. Nec tamen illis annihilatio mundi prioris indicatur, sed mutatio tantùm, quod patet ex interpretatione Petri, qui verba illa allegat 2. Pet. 3. 13. & ex collatione primi mundi destructionis, quæ facta est non per totalem abolitionem, sed per ejus repurgationem à sordibus suis, & renovationem.

IX. Nec obstare potest. 1. Quod dicuntur creari *novi cœli & nova terra.* Quia verbum creandi sæpe de instauratione dicitur Eph. 2. 10. 2. Cor. 5. 17. Psalm. 51. 12. Deinde *nova* dicuntur sæpe quæ *renovantur* Joan. 13. 34 *mandatum novum*, Gal. 6. 15. *nova creatura.* Ita hic novi cœli & nova terra dicuntur, non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid, quoad novum & repurgatum mundi statum. 2. Quod *nulla futura dicitur recordatio priorum.* Quia ex stylo Scripturæ removetur memoria veterum, ubi majora & potiora succedunt, vel ubi succedunt læta & prospera tristibus, tunc absorbenda dicitur, imo extinguenda memoria omnis priorum; quod hic locum habere patet ex v. 16. *Quia oblivioni tradita sunt angustia priores.* 3. Quod *cœlum & terra* dicuntur *abitura* Apoc. 21. 1. Quia non dicuntur abitura quoad substantiam & materiam, multò minùs annihilanda, sed quoad formam & statum, nam illud abit, quod aliam formam induit, aliam faciem; Sic rectè abire dicitur mundus, quia χῆμα & figura ejus præterit. Mutatio verò qualitatum, aut status, non infert interitum absolutè, & secundùm omnia; sed secundùm quid & comparatè. Hoc Aretas bene observat in Apocal. Τῦτο, inquit, ὑ τὴν ἀνυπαρξίαν ὑλῶν φθορᾶς, ἀλλὰ τὸν ἀναλλοιωσμὸν τὸν ἐπὶ τὸ βέλτιον. Sufficit tantùm mutationem quandam intercedere memorabilem, ut phrasibus istis sit locus, licèt species non definiatur.

Act. 3. 21. X. Huc possunt referri verba Petri Act. 3. 21. ubi agit de restitutione omnium, cùm ait, *Oportere Christum cœlo capi usque ad ἀποκατάστασιν πάντων restitutionem omnium.* Jam si restituenda sunt omnia, non ergo anni-
1 Cor. 7. 31. hilanda. Et Pauli 1 Cor. 7. 31. quam ait τὸ σχῆμα *figuram hujus mundi præterire*, ut doceat nihil in mundo solidi esse & permanentis, sed statum & speciem externam fluxam & transitoriam, quæ aliquando mutari debet, metaphorâ desumtâ à theatro, sive à scenis comicis aut tragicis, quæ subitò cum personis mutantur. Aliud verò est figuram & statum externum mundi præterire, & mutari, Aliud verò substantiam ipsam perire funditus & annihilari.

XI. Rationes variæ possunt probabiles afferri. 1. A *Dominio hominis*

hominis in Creaturas, fidelibus promisso Psalm. 8. 5. 6. quod cum in hac vita plenè non restituatur, hoc demum fieri debet in altera. Quæst. V. II. Ex *justitiæ æquitate*. Creaturæ in hac vita præstiterunt homini obsequium & ministerium; æquum ergo est, ut renovationis aliquando percipiant præmium. Quæ causa est, cur Apost. vindicationem creaturæ, cum redemptione finali hominis conjungat Rom. 8. 22. 23. III. A *remotione causæ proximæ ad remotionem effectûs*. In fine seculi tolletur causa proxima vanitatis, corruptionis, & servitutis creaturarum, videlicet peccatum. Ergo etiam *effectus*, nimirum ipsa vanitas & servitus, à qua liberari debent creaturæ. IV. Ab *utilitate & fructu*. Quia ut Mundus creatus est ad prædicandam Dei gloriam, & virtutes ejus tanquam in speculo lucidissimo manifestandas, nec plenè & perfectè in hac vita finem hunc assequatur propter hominis vitium; Necesse est dari tempus aliquod, quô creatura fini illi inserviet, cui condita est, ut nimir. illustret Sapientiam, Potentiam, Gratiam, & Justitiam Conditoris sui. v. Parum credibile videtur, Deum tot nobilissima corpora, tam eximiâ luce, tot dotibus excellentibus à se instructa destructurum; Dei potius est aliena opera destruere, quàm sua; Nec bonum boni est corruptivum. Sufficit destructio illorum, quæ in mundo vel mala sunt, vel deformia, nec Deum autorem habent.

XII. Locus Jobi 14. 12. quum ait, *Et homo obdormit, nec resurget, donec non fuerint cæli, non evigilabunt nec expergiscentur è somno suo*; Non favet totali Mundi abolitioni. Quia ita innui potest hominem non resurrecturum, usque dum non erunt cœli, scilic. veteres & exteriores, quia expectamus cœlum novum. Vel negativè, ut homo nunquam resurrecturus dicatur, nimir. ex se & virtute suâ, & secundum ordinem naturæ in vitam præsentem, quò respiciunt etiam verba v. 15. *Quum moritur vir, An revicturus est?* Nec tamen putandum est eum absolutè negare Resurrectionem ex virtute divinâ, quam alibi tam disertè asserit. *Fontes Solutionum.* *Job.* 14. 12.

XIII. Aliud est deficere ut fumum, & veterascere ut vestimentum, Aliud penitus corrumpi & annihilari. Prius dicitur de Cœlis Is. 51. 6. sed non posterius. Nec enim vel fumus annihilatur, vel vestimentum veterascens, sed materia tantùm utriusque induit aliam formam. Sensus ergo Prophetæ est, salutem & justitiam Dei firmiorem & stabiliorem futuram cœlo & terrâ, æternam quippe & immutabilem, cum & cœlorum potestates sint concutiendæ, & terra igne expurganda. *Is.* 51. 6.

XIV. Συντελεία τοῦ αἰῶνος notat quidem finem durationis Mundi, & status secularis, sed non interitum totalem & annihilationem. Imò συντελεία designat potius τελείωσιν & complementum, quod Syris dicitur ܫܠܡܐ, quàm abolitionem. Hesychio συντέλεσθαι συμπληρῶσθαι. Glos. συντελεία τὸ πλήρωμα. *Matt.* 5. 18.

XV. Loca Matt. 5. 18. & 24. 35. Luc. 21. 33. non dicunt simpliciter & 24. 35. *Luc.* 21. 33.

QUÆST. V. pliciter & absolutè præteritura cœlum & terram, sed comparatè per collationem rei impossibilis, aut nunquam futuræ, tanquam facilioris, quasi dicat Christus, Cœlum & terra citius interibunt, quàm verba mea. Nec si absolutè sumerentur, faverent totali Mundi abolitioni: quia verbum παρελθεῖν non refertur ad abolitionem substantiæ, sed conditionis tantum caducæ. Nam verba Christi petita sunt ex Psalm. 102. 27. ubi verbum *pereundi* exponitur per verbum *mutandi*. Atque ita satis sibi constat oppositio, si dicamus mutabile opponi immutabili, præterituros scil. cœlos & terram secundum aliquid sui, cum verba Domini immutabilia planè & æternæ veritatis sint futura.

Apoc. 10. 5. 6. XVI. Ex eo quod Angelus jurat Apo. 10. 5. 6. *Tempus non fore amplius*. Non potest interitus totalis Mundi colligi. Quia ista non æquipollent. Nec ex cessatione motus cœlestium Corporum, minus ex cessatione commensurationis durationis rerum secundum illum motum, sequitur illarum ἀφανισμὸς. Sublato ergo discrimine annorum, mensium, dierum, & durationis interciſæ & variabilis, sequetur æternitas variationis omnis expers. Cessare ergo poterit ille ordo temporis, qui obtinet & subservit generationi & corruptioni rerum sublunarium, & juxta quem hominum negotia solent dispensari, quamvis non cessabit rerum creatarum continuata duratio. Potest etiam intelligi, Vel *tempus pœnitentiæ*, quod Deus antea hominibus ad conversionem concesserat, Vel *tempus tenebrarum*, ignorantiæ, afflictionum Ecclesiæ, & tyrannidis Antichristi, ut innuatur tale non fore tempus, quale fuerat antea, ærummosum scil. calamitosum ac pessimum.

Apoc. 20. 11. XVII. Quod dicitur Apoc. 20. 11. *Cœlum & terram à conspectu sedentis in throno aufugisse, nec locum illis amplius inventum fuisse*. Non importat totalem eorum interitum, sed tantum disparitionem secundum priorem formam, per quam pristina species, status & figura Mundi ita præteritura sunt, ut locus non inveniri debeat ipsis amplius, adeoque nec priori cœlo aut terræ, sed novo cœlo & novæ terræ divinâ virtute innovatis. Sic intelligit August. lib. de Civ. Dei cap. 14. *Peracto judicio*, inquit, *tum esse desinet hoc cœlum, & hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum & terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic Mundus*. Adde quod ex locis istiusmodi figuratis & propheticis, ubi omnia sunt mystica & allegorica, quæ proinde magna cum sobrietate tractanda sunt, perperam argumenta propria ducuntur, quasi literaliter essent intelligenda.

XVIII. Cessante omni fine, eoque adæquato, cessat etiam res ipsa, propter quam est condita. Sed licèt in consummatione seculi cessaturus sit finis Mundi, qui erat, ut hominis viatoris esset domicilium, & via ad Deum tanquam in speculo contemplandum; Non cessaturus

cessaturus est quoad omnia, quia Petrus monet cœlos novos, & terram novam fore sedem justitiæ, quia in iis justitia, id est, homines justi habitabunt. Poterit ergo duplex esse finis, summus quoad Deum, quia remanebunt ut æternæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis monumenta, quæ gloriam Dei prædicabunt, & subalternus quoad homines beatos, quia creaturæ superstites futuræ sunt nostræ spiritualis contemplationis & oblectationis secundaria quædam exercitamenta. Nec si ignotus esset nobis finis rei alicujus, in primis quoad statum seculi futuri, quia maxima ex parte nobis est absconditus, ideo statim negandum est hæc vel illa suum finem habere posse. Quæst. V.

XIX. Ex cessatione temporis, non potest colligi Mundi annihilatio. Sufficit enim durationem dari, etsi non interruptam nec intercisam intervallis illis periodicis, quibus hic locus. Tempus enim propriè est hujus seculi, quod mensuratur tempore, non futuri, quòd si res physicæ cum tempore desinerent, quid fieret de homine, & corpore ejus elementari?

XX. Quamvis verò mutationem Mundi certò futuram statuamus, & mutationem, per quam Creatura liberanda est à servitute corruptionis, quæque proinde non futura sit annihilatio βελτίωσις potius & ἀποκατάστασις, *restauratio* & *innovatio*; Modum tamen illius nobis incognitum esse profitemur, nec ad quas Creaturas extendi debeat, licèt probabilis sit eorum opinio, qui bruta, plantas, & alia idgenus Corpora mixta & corruptibilia, necessaria ad vitam animalem, destruenda putant, & in corpora elementaria ex quibus constata sunt resolvenda. Nec curiosiùs ista perscrutanda esse arbitramur, quæ ut Deus nos latere voluit, & tutò ignorantur & periculosè definiuntur, quorum cognitio certa expectanda demum felici illo die, quô talis instauratio futura est.

QVÆSTIO VI.

De Judicio Extremo.

An Judicium Extremum expectandum sit, Et Quale illud sit futurum?

I. TErtium Novissimum est *Judicium Extremum*, quod Christus in Consummatione seculi erga vivos & mortuos à Tubâ Dei, & voce Archangeli excitatos & congregatos exercere debet, cujus *veritas* & *modus* est expendendus.

QUÆST. VI. II. Hic verò ante omnia obſervandum. 1. Non quæri de *Judicio* Dei, quatenus in genere ſumitur pro ejus *regimine* & gubernatione, quo ſenſu *Pater dicitur omne judicium dediſſe Filio*, Joan. 5. 22. id eſt, ut exponitur Joan. 3. 35. quatenus *dedit omnia in manus ejus*, & cap. 17. 2. *Quod dedit ei poteſtatem omnis carnis.* 11. Nec de Judicio quatenus ſignificat collectionem & gubernationem Eccleſiæ, quo reſpectu dicitur Meſſias annunciaturus *judicium Gentibus* Iſa. 42. 3. id eſt, rectam cultus divini rationem, & mandata Dei apud Pſaltem paſſim *judicia Dei dicuntur* Pſalm. 119. 111. Nec de *Judicio paterno* Dei ergafideles, quum illos exercet variis caſtigationibus & flagellis, quo ſenſu Petrus dicit 1. cap. 4. 17. *Judicium Dei incipere à domo ſua.* IV. Nec de *Judicio Pœnali*, quod Deus immittit ſubinde in impios ad ulciſcenda eorum ſcelera, cujus varia exempla extant in Scriptura, & quotidie obſervantur; quale fuit Judicium tremendum Dei in incolas primi Mundi per diluvium, Judicium Sodomæ & Gomorrhæ, Pharaonis & Ægyptiorum, Cananæorum, Babyloniorum, & aliorum, quorum crimina ſuppliciis horrendis ultus eſt, quæ ad meras caſtigationes paternas referre abſurdum eſt, cùm certum ſit ſupplicia iſta juſtiſſimas fuiſſe ſcelerum ipſorum pœnas, quibus Deus ut juſtus Judex in ipſis ulciſci ea incipit in hac vita, & quæ ſunt tanquam præludia pœnarum infernalium & æternarum, quæ ipſos manent poſt hanc vitam. V. Nec de *Judicio particulari*, occulto, & partiali, quod quiſque mortalium experitur poſt mortem reſpectu animæ, de quo Paulus ait Heb. 9. 27. *Statutum eſſe omnibus, ut ſemel moriantur, poſtea verò ſequi judicium.* Sed agitur de *Judicio univerſali*, publico, & viſibili totius Generis humani, quod ſolenniter fieri debet in conſpectu Univerſi, quod Paulus *judicium æternum* vocat Heb. 6. 2. quia ab eo pendet æternitas felicitatis, vel miſeriæ.

Status Quæſtionis. *Jo.* 5. 22. 3. 35. *Iſa.* 42. 3. 1. *Pet.* 4. 17. *Heb.* 9. 27. *Heb.* 6. 2.

Probatur Judicii veritas 1. *Ex Scriptura.* III. Hujus Judicii veritatem & certitudinem Scriptura innumeris in locis aſſerit & confirmat Eccleſ. 12. 16. *Omne opus Deus ipſe adducet in judicium cum omni re occultâ, ſive bonum ſive malum.* Prophetia Enochi relata à Juda v. 14. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus facere judicium contra omnes, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum* &c. Act. 17. 31. *Deus ſtatuit diem, quó judicaturus eſt Orbem habitabilem in juſtitia, per Virum quem determinavit.* Matth. 12. 35. *De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii.* Et cap. 13. 41. *In conſummatione ſeculi mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in ſtagnum ignis & ſulphuris, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et cap. 16. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua.* Et cap. 25. Integer proceſſus extremi iſtius judicii deſcribitur. 2. Cor. 5. 10. *Oportet nos omnes*

Eccl. 12. 16. *Jud.* 14. *Act.* 17. 31. *Matt.* 12. 35. *Cap.* 25. 2. *Cor.* 5. 10.

ſiſti

fisti coram Tribunali Christi, ut quisque referat in corpore suo, quodcunque fecerit, sive bonum, sive malum, 2. Tim. 4. 1. *Testificor coram Deo & Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos per adventum & regnum ejus* &c. Loca sunt innumera idgenus, quæ passim occurrunt. Quæst. VI. 2. Tim 4. 1.

IV. 11. Illud exigit *Providentia & Justitia Dei*, quæ vult ut bonis bene, malis verò male sit. Cùm verò hoc in hac vita sæpius non accidat: Imò pii affligantur & omni malorum & ærumnarum genere exerceantur, Impii verò prosperè agant & exultent omni bonorum copiâ affluentes, necesse est novissimum & universale dari judicium, quô impiis merita supplicia, piis verò gratuita præmia reddantur. *Justum est*, inquit Apostolus 2. Thessal. 1. 7. 8. *Reddere iis qui vos affligunt afflictionem, & vobis qui affligimini relaxationem nobiscum, cum revelabitur Dominus Jesus de cœlo cum Angelis potentiæ suæ.* 2. Ex Providentia & justitia. 2. Thess. 1. 7. 8.

V. Hoc comprobat & testatur *uniuscujusque Conscientia*, quæ dum Christus abest, vicario in homines judicio fungitur, quatenus in ea thronum suum erexit Deus, in quo judicium fert de singulis hominis operibus, *Gentes ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis. simul attestante illorum conscientiâ, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus. In eo die, cùm judicabit Dominus occulta hominum juxta Euangelium meum*, Rom. 2. 15. 16. Quod Gentiles ipsi non ignorârunt, *Magna vis est conscientiæ*, inquit Cicero pro Milone, *& magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint*, & pro Roscio, *Sua quemque fraus & suus terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit, suæ malæ cogitationes, conscientiaque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticaque furiæ, quæ, dies, noctes, parentum pœnas à conscelleratis filiis repetant.* Unde verò terrores isti & conscientiæ aculei, nisi ex metu judicii divini? Nisi enim ejusmodi judicium superesset, conscientiæ testimonium frustraneum foret. 2. Ex hominum conscientia. Rom. 2. 15. 16.

VI. 1v. Huc facit *saniorum Gentilium confessio*, qui hoc non obscurè agnoverunt. Ad quid enim aliud possunt pertinere; quæ de Rhamnusia Dea fandi & nefandi ultrice fingunt, de Æaco, Minoë, & Rhadamanto apud Inferos judicaturis? umbram scilicet quandam veritatis de futuro post hanc vitam judicio viderunt, quam multiplici falsorum figmentorum caligine involverunt. Athenagoras in legat. pro Christianis, *Plato quidem*, inquit, *Minoëm, & Rhadamantum judicaturum, & puniturum malos dixit. Nos autem sive Minos sit, sive Rhadamantus aliquis, sive etiam horum pater, ne eum quidem ipsum effugiturum Dei judicium arbitramur.* 4. Ex Gentilium confessione.

VII. *Judex* Christus erit in illa ipsa natura visibili, in qua fuit pro nobis condemnatus. Quamvis enim potestas judiciaria sit commu-

QUÆST. VI. communis toti Trinitati, exercebitur tamen specialiter per Filium incarnatum. Judicium ipsi à Patre traditum dicitur Matth. 28. 18. & Joan. 5. 22. Act. 10. 42. & 17. 31. utpote Ecclesiæ suæ Regi, Electorum suorum Vindici, Impiorum & contumacium Ultori severissimo, omnium Domino, quorum illud gratiæ, hoc potentiæ est, utrumque ad munus Mediatoris pertinet; Quod imprimis faciet, tum ad piorum majorem consolationem, qui pro Judice habituri sunt Patronum, fratrem, & Advocatum, tum ad majorem impiorum terrorem & confusionem, dum videbunt gloriosè regnantem, quem barbarè & crudeliter persecuti sunt. Utraque autem Christi Natura hìc concurrere debet ad muneris istius exercitium. Ex Natura divina cœlestis autoritas, imperium, & sapientia manant, ad cordium secreta & tenebras perscrutandas; sententiam de Genere humano pronunciandam, & eam sine ulla provocatione exequendam. Quà homo verò visibili majestate in nubibus, tanquam in Tribunali conspicuus apparebit, se Judicem exhibebit, & sententiam latam in omnium conspectu pronunciabit. Ideo Joan. 5. 22. Christus ait, *Patrem neminem judicare, sed omne judicium dedisse Filio, & potestatem illi dedisse judicium faciendi*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, id est, vel, *quia*, siquidem qui Filius Dei est, idem est Filius hominis, adeoque aptus judicio illi exercendo; Vel *quatenus* est Filius hominis, naturam scilicet ostendens, vel Personam ratione naturæ limitans, cujus respectu potestas ista judiciaria illi commissa est, nam respectu Naturæ divinæ, non opus habuit illi dari, quod jam habebat: Nisi malimus, quod satius videtur, per *Filium hominis*, non tam humanam naturam, quàm *Munus Mediatorium* designari; Vel potius Personam eo munere instructam; ut hæc appellatio eò utplurimum respicit.

Matt. 28. 18. Act. 10. 42. & 17. 31. Joan. 5. 22.

1. Cor. 6. 12. VIII. Quamvis autem Caro Christi sive humana natura in ipso veniat in consortium illius potestatis, & ad illius exercitium, quatenus ὁρατῶς & ἀνθρωπικῶς debet peragi, sit necessariò collatura quod suum est; Perperam tamen Ubiquitarii præsidium suæ causæ in eo quærunt. Nam etsi omne judicium quoad illius visibile & sensibile exercitium conveniat Christo, quà homini; infinita tamen potentia, quæ ad talem judiciariam potestatem ritè exercendam requiritur, non est subjectivè humanitatis, sed tantùm Divinitatis illius; nec ad humanam restringi potest ea potestas, quæ est totius Personæ.

IX. Si Sanctis & piis communiter hoc judicium tribuitur, ut 1. Cor. 6. 2. ubi Apostolus ait, *Sanctos mundum, & Angelos judicaturos.* Et Apocal. 20. 4. *Throni videntur, super quibus sedent Sancti & Martyres, quibus datum est judicium.* Id non debet intelligi quasi potestas judiciaria, quæ solius est Christi, ipsis formaliter competat. Sed 1. *communicativè & participativè in Christo Capite suo mystico*

1. Cor. 6. 2. Apoc. 20. 4.

mystico, cum quo dicuntur vivificari, resuscitari, & sedere in cœlestibus Eph. 2. 6. quia honor Capitis redundat in omnia Membra, sic Apoc. 3. 21. Victori promittitur sessio in throno Christi. 2. *Approbativè*, & quoad *assensum*, quia Christo Judici propriè dicto suffragabuntur, & ejus sententiam calculo suo comprobabunt, & illi publicè subscribent Apoc. 19. 1. *Audivi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium Alleluya, laus & gloria & virtus Deo nostro, quia vera & justa sunt ejus judicia.* 3. *Comparativè* respectu eorum, qui condemnabuntur Matth. 12. 40. 47. 4. *Testificativè* quia de bonis operibus piorum, imprimis de beneficentia & charitate sibi præstitis testimonium ferent, ut ex operum fructibus fides in corde latens toti mundo manifestetur. Quò Christus respiciens Luc. 16. 9. *Facite vobis*, inquit, *amicos ex mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in tabernacula æterna.* Ita Sancti rectè dicuntur judicaturi mundum, quia futuri sunt veluti assessores Christi, qui illi assidebunt in condemnatione impiorum, quod non obstat, quin & ipsi à Christo judicandi sint. Quòd si aliquando dicuntur in judicium non venturi Joan. 3. 18. & 6. 54. hoc intelligitur de Judicio condemnationis, quod non extimescunt, qui credunt peccata per Christum sibi esse remissa, & sciunt nullam esse condemnationem iis qui sunt in Christo Rom. 8. 1.

Quæst. VI.

Apoc. 19. 1.

Luc. 16. 9.

Joan. 3. 18. & 6. 54.

X. Eò etiam referri potest, quod dicit Christus de Apostolis, quòd sunt *sessuri super* 12. *thronis, & judicaturi* 12. *tribus Israëlis*, Mat. 19. 27. Quamvis enim hoc respicere possit autoritatem supremam, quam Apostoli habituri erant in Ecclesia ratione doctrinæ, quæ debebat esse regula & fundamentum fidei, ex qua judicium fieri debuit de veritate aut falsitate cujusvis doctrinæ; Nihil obstat tamen illud extendere ad dignitatem quam habituri sunt in cœlis exaltati ad communionem gloriæ Regni Christi, supra ipsam Ecclesiam duodecim tribuum nomine designatam. Imò verba ipsa apertè eò ducunt, quia agitur de tempore, quò Christus sessurus dicitur in throno gloriæ suæ, quod ultimo die demum impleri debet, & de dispositione Regni Christi, seu communione bonorum ejus, assidendo scilicet mensæ ejus, & edendo & bibendo cum eo, quod perfectè & plenè demum fieri debet in cœlis.

Mat. 19. 27.

XI. *Objectum Judicii* est tum *personale*, tum *reale*. *Personale* sunt 1. Creaturæ rationales, tam Angeli, quàm homines. *Angeli* quidem & in specie *mali*, qui reservantur ad judicium magni diei Jud. 6. 2. Pet. 2. 4. Vincula enim, quæ nunc sunt ad custodiam, tunc erunt ad pœnam, & quæ nunc laxiora sunt, tunc erunt gravissima & arctissima. *Homines* verò omnes, tam pii, quàm impii cujuscunque ordinis, sexus, ætatis, conditionis, & status, parvi & magni, nobiles ignobiles, Reges Subditi, servi liberi, omnium locorum, & temporum, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt, ut nullus illi

Jud. 6. 2. Pet. 2. 4.

QUÆST. VI. illi subduci possit, tam vivi quàm mortui, *omnes enim sistemur*, 2. Corint. 5. 10. Apoc. 20. 12. *Reale* sunt tum eorum *opera* Matt. 25. Eccles. 12. 14. 2. Cor. 5. 10. Tum *verba*, quia de verbo otioso etiam reddenda erit ratio Mat. 12. 35. Tum ipsæ *cogitationes*, Rom. 2. 15. 16. *In die quò Deus revelabit occulta cordium.* Et 1. Cor. 4. 5. *Nolite judicare ante tempus, quoad usque venerit Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

XII. Forma Judicii consistit in *causæ cognitione, sententiæ pronunciatione, & executione.* Prima pars quæ est *causæ cognitio*, non difficilis erit. Tum propter Judicis omniscientiam, qui scrutator est cordium & renum, & coram quo omnia etiam occultissima sunt nuda & resupinata, Heb. 4. 13. Tum propter conscientiæ lumen, quæ nihil secretum esse patietur. Atque huc pertinet apertio *librorum*, de quibus Daniel loquitur c. 7. 2. Libri aperti sunt Apo. 20. 12. qui antea clausi erant & obsignati, ut ex illis judicium fiat, quales sunt, 1. *Liber Providentiæ & Omniscientiæ Dei* universalis & amplissimus, qui omnes omnino Creaturas complectitur; earum causas, actiones & effectus, ubi fixus cuique vitæ & mortis terminus, ubi sunt fata Regum, Regnorum, & Rerumpublicarum, & omnium hominum, ubi scriptum est quid quisque boni vel mali fecerit, Psal. 139. 16. & 56. 9. Malac. 3. 12. 2. *Liber Conscientiæ*, in quo opus Legis scribitur, & quicquid à singulis boni vel mali sit gestum, Ro. 2. 16. 3. *Liber Vitæ & Prædestinationis*, Apoc. 20. 12. Ex quo constat, quinam sint scripti ad vitam, seu electi, & quinam ad judicium & mortem, seu reprobi Jud. 4. 1. Petr. 2. 8. 4. *Liber Scripturæ*, ex qua judicandi sunt illi omnes, quibus revelata est. Apocal. 20. 12. *Vidi mortuos magnos & parvos, stantes in conspectu Dei, & libri aperti sunt; & alius liber apertus est qui est liber vitæ, & judicati sunt mortui ex iis, quæ conscripta sunt in libris secundum opera ipsorum.*

Dan. 7. 2. *Apoc.* 20. 12. *Ps.* 139. 16. & 56. 9. *Rom.* 2. 16. *Apoc.* 20. 12. *Jud.* 4. 1. *Pet.* 2. 8. *Apoc.* 20. 12.

XIII. Atque hinc potest intelligi, Quænam debeat esse *norma Judicii* istius, nimirum *Revelatio*, quæ hominibus data est: Ut illi *qui sine Lege*, scilicet scriptâ, *peccarunt, sine Lege* etiam scriptâ, sed non sine Lege cordibus impressâ *judicentur*, Rom. 2. 12. Qui sub Lege seu dispensatione legali vixerunt, ex illa etiam œconomia judicentur. Illi verò ad quos Euangelium pervenit, ex Euangelio. Ut enim Deus nihil ab homine exigit, nisi juxta revelationis ipsi datæ mensuram. Ita juxta tres ejus species procedere debet ejus judicium. Cum Ethnicis juxta revelationem naturalem, & ea quæ ex libro Naturæ vel Conscientiæ cognosci possunt. Cum Judæis juxta legalem œconomiam, & V. T. Scripturam. Cum Christianis verò juxta revelationem gratiæ, & Euangelium N. T. De quo judicio speciatim Christus agit Matt. 25.

XIV. Unde patet eos errare, qui pertendunt solum Euangelium esse

esse normam istius judicii, ut de fide & incredulitate hominum sententia ferri debeat; Et Gentiles ipsi ex hac norma judicandi sint. Cùm enim hoc ipsis revelatum non fuerit, quomodo ex Verbo ipsis incognito possent judicari? Nec hic dicendum Vocationem per Opera sufficisse iis, qui Verbo Euangelii caruerunt. Quia aliud est vocari ad Deum Creatorem. Aliud ad Deum Redemptorem; Aliud habere τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod ex operibus Naturæ & Providentiæ disci potest. Aliud τὸ πιστὸν, & Sapientiam absconditam in mysterio, quæ ex solo Verbo Euangelii potest percipi; Cujus præconium, etsi generale fuerit ad omnes Gentes indiscriminatim, oppositè ad Vetus Testamentum, nunquam tamen universale absolutè fuisse, vel ex magna Ethnicorum multitudine, qui adhuc hodierno die in tenebris Paganismi jacent, luculenter colligitur, ut suo loco probatum. Quæst. VI.

XV. Quod Apostolus Rom. 2. 16. dicit Deum *judicaturum esse secundùm Euangelium suum*, non infert Euangelium fore normam istius Judicii quoad Gentiles, de quibus loquitur, quam exprimit per opus Legis scriptum in conscientiâ. Sed tantùm confirmat veritatem & certitudinem judicii futuri per Christum exercendi ex Verbo à se prædicato, provocat ergo ad Euangelium, non ut doceat secundùm quid Deus judicaturus sit, sed per quem. Nec si incredulitas affertur, ut causa damnationis eorum, qui sunt in Ecclesia, & quibus prædicatum est Euangelium Joan. 3. 18. Sequitur id dici posse de iis, qui Verbo caruerunt. Vel hoc intelligendum erit *negativè* tantùm, quia si fidem habuissent, non periissent, non *positivè*, quasi esset causa propriè dicta & per se. *Rom.* 2. 16. *Joan.* 3. 18.

XVI. Causæ cognitionem sequetur *Sententiæ promulgatio*, initio facto ab absolutione bonorum, quia pronior est ad misericordiam, quàm ad iram, quam excipiet impiorum condemnatio, quæ statim executioni mandabitur, ad majorem piorum consolationem, qui lætabuntur in Dei vindicta Ps. 58. 11. Sic Judicis apparebit *Autoritas* in colligendo, *Scientia* in discernendo, *Justitia* in decidendo, & *Potentia* in exequendo. *Nemo poterit*, inquit Chrysost. in 1. Thess. 4. *Judicis istius potestatem effugere, sapientiam fallere, æquitatem flectere, judicium retractare.* Et August. lib. 3. de Fid. & Symb. *Ille Judex nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœnitentia, vel satisfactione mitigatur.* Apud ipsum nulla locum habebit *excusatio*, quia ipsa conscientia accusabit, cujus testimonium nemo negare poterit; nulla *tergiversatio*, quia revelabuntur occulta tenebrarum; nulla *provocatio*, vel *appellatio*, quia Judex est supremus & infallibilis; nulla *deprecatio*, quia est inexorabilis; nulla *dilatio*, quia sententia promulgata statim executioni mandabitur.

XVII. Porro si quæritur hîc, An peccata piorum æquè ac impiorum revelanda sint? Respondemus nobis negativam probabiliorem

Quæst. VI. biliorem videri. I. Propter Judicem, qui cùm pro nobis plenissimè satisfecerit, & nunc in cœlis pro nobis intercedit, tunc venturus est ut Redemptor & Servator, non ad exprobranda suis peccata sua, sed ad implendas in iis suas promissiones, & manifestandam gratiæ suæ admirabilitatem. II. Processus judicii cum piis talis est, ut mentio quidem fiat bonorum operum, sed non malorum, Matth. 25. non audiunt pii peccatorum suorum publicationem, sed charitatis & beneficentiæ enumerationem. III. Gratuita Dei misericordia non vult amplius recordari peccatorum nostrorum, sed ea projicit post tergum suum; at quod Deus semel tectum voluit in hac vita, non revelaturus est in altera. IV. Si peccata revelarentur, cederet hoc in ignominiam & confusionem piorum, à quibus debet exulare, cùm in eum finem rediturus sit Christus, ut glorioſus sit in Sanctis suis, & admirabilis in Credentibus.

XVIII. Licèt verò omnes in universum homines judicandi sint; Non sequitur propalanda esse piorum peccata, quia ita distributivè judicabuntur, ut alii præmia, alii pœnas ferant. Nec opus est tali revelatione ad majorem illustrationem gloriæ, justitiæ, & misericordiæ. Quia justitia Dei non patefit in piis propriè, sed in Christo, quem præstitit Deus placamentum Rom. 3. 25. Et misericordia illustratur sufficienter absque illa speciali recensione & enumeratione peccatorum, quia nihil sibi, sed omnia Deo & Christo tribuunt Matth. 25.

XIX. Cæterùm, ut hoc Judicium visibile debet esse & in sensus incurrens, opera hìc potissimùm attenduntur, quæ extrinsecus apparent, ut de sententiæ æquitate omnibus constet, non verò tantùm motus animi interni, qui soli Deo & hominum conscientiæ patent. Licèt verò omnia in universum opera in judicium adducenda sint, peculiariter tamen fit mentio operum charitatis & misericordiæ, Tum quia charitas est complementum Legis, quæ inter cætera bona opera maximè eminet, & quorum est radix. Tum quia primus est & præcipuus fidei fructus, in quo ejus veritas cognoscitur, *Fides enim est per charitatem operans.* Tum quia maximè congruit judicio, quod exerceri debet; Cùm enim homines misericordiam Judicis ex æquo imploraturi sint, æquissimum erit judicium, quod secundùm misericordiam ab ipsis factam, vel neglectam, exercebitur. *Nam judicium sine misericordia erit ei, qui non præstiterit misericordiam* Jacob. 2. 13.

XX. Licèt verò in hoc Judicio rependi debeat unicuique *secundùm opera sua* quoad qualitatem, ut bonis bene, malis malè sit. Non tamen eadem erit bonorum & malorum operum relatio ad præmium & pœnam. Nam mala quidem opera erunt propriè causa meritoria pœnæ, quæ impiis infligenda est. Sed non eadem est ratio bonorum, quæ nullam rationem meriti possunt habere, ut suo loco

visum

visum, sed afferentur non ut causæ, sed tantùm ut consequentia, testimo- Quæst. VI.
nia, & effectus fidei, & gratiæ, quam in Christo sunt consecuti. Ita ut particula causalis γάρ, quæ hic ponitur, non sit *causalis*, quæ causam meritoriam vitæ notet, sed tantùm *ratiocinativa*, quæ rationem à posteriori sententiæ à Christo latæ indicet, ut innuatur non *meritum* operum, sed *qualitas* operantium, non *quare* & *propter quid*, sed *qualibus* Regnum assignandum sit. Nec si ista particula habet vim causalem in condemnatione impiorum, ideo & in absolutione justorum parem vim habere debet. Quia longè differunt hac in parte mala opera, quæ & nostra sunt, & indebita, atque ita verè meritoria sunt, & bona, quæ & debita sunt omni modo, nec à nobis proficiscuntur, sed à Deo. Reddet ergo Deus κατὰ τὰ ἔργα fidelibus, sed non διὰ τὰ ἔργα, *secundum*, sed non *propter*, ex justitia fidelitatis & constantiæ, non ex justitia distributivâ propriè dictâ. Vera causa enim adjudicati Regni petenda est ex Patris cœlestis misericordia, qui benedictis suis filiis Regnum ab æterno paratum sub titulo hæreditatis daturus est in Christo, qui ipsam illis acquisivit ex mera gratia sua, non ex ullo ipsorum merito, quod & ipsi agnoscunt. Vide quæ dicta sunt P. II. Loc. XVII. Quæst. V. parag. 26. 27. &c. Cæterùm sententia ista absolutoria fidelium non tam erit *justificatio* eorum *à priori*, quæ fit tantùm ex fide, & intimatur in hac vita ipsis in foro conscientiæ per Spiritum Sanctum, quàm ejus *declaratio à posteriori* ex operibus, tanquam fidei indiciis & argumentis, de qua vide Par. II. Loc. XVI. Quæst. VII. parag. 2.

XXI. De *Loco Judicii* nihil determinati Scriptura tradit, nec opus est illum scrutari. Quid Pontificii de *Valle Josaphat* somniant, ad Judæorum, à quibus hoc mutuati sunt, deliria pertinet. Nec locus Joel. 3. 2. huc perti- *Joel.* 3. 2.
net, *Congregabo*, inquit, *omnes Gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, ut disceptem ibi cum eis pro populo meo.* ℣. 12. *Et excitabuntur & ascendent* ℣. 12. *Gentes in Convallem Josaphat, Nam ibi sedebo ad judicandas omnes istas Gentes undique, dicens, Immittite falculam, nam maturuit messis.* Quia sermo est allegoricus de Ecclesia Dei ex improviso liberandâ, eodem modo, quô olim Josaphato insignem indulserat victoriam de Moabitis & Ammonitis circa clivum Tzitzi in extremitate Vallis, in fronte deserti Jeruelis, de qua agitur 2. Chro. 20. 16. Alludit ergo ad insigne illud Dei judicium, & cladem hostium Ecclesiæ, ut memoria mirabilis illius liberationis, fideles in bonam spem erigeret, ut vetera typi erant edendorum in N. Testamento. Itaque Vallis Josaphat non ponitur pro loco certo, sed in genere pro omni loco, ubicunque Deus in hostes Ecclesiæ judicia debebat exercere, quomodo olim in dicto loco insignem Josaphatus de hostibus populi Dei reportaverat victoriam.

XXII. *Tempus* istius Judicii Deo soli certum & notum, nulli

QUÆST. VI. si verò creaturæ revelatum, & Deus hoc ita celare voluit ad fidem & spem hominum exercendam, ad securitatem carnalem excutiendam, ad vigilantiam ac sobrietatem promovendam. Beati illi, quorum auribus Tuba ista terribilis resonat semper, *Mortui surgite, & venite ad judicium.* Et quibus perpetuò obversatur Judicis istius in Judicium venientis præsentia, ne ad ejus intuitum confundantur cum impiis Apo. 6. 16. sed ut digni inveniantur stare coram Filio hominis.

QUÆSTIO VII.

DE INFERNO ET MORTE ÆTERNA.

An Detur Infernus? Et quænam sint ejus pœnæ, An damni tantùm, An etiam sensus?
Affir. Poster.

I. SEntentiæ Judicis promulgationem sequetur ejus *Executio*, quæ respectu Impiorum fiet per dejectionem ipsorum in Infernum, ubi torqueri debent in æternum cum Diabolis. Respectu verò Piorum per evectionem in Cœlum, ad vitæ æternæ gaudia. De quo duplici hominum fine, tam vitæ, quàm mortis æternæ, aliquid etiam dicendum est. Et primò de Inferno, seu Morte æternâ.

Infernus varia denominationes. *Luc.* 16. 23. *Gehenna.* *Matt.* 5. 22. 29.

II. Infernus Hebr. שאול, Græcis ἅδης dicitur, de cujus vocis multiplici significatione diximus. Par. II. Loc. XIII. Quæst. XVI. parag. 3. Nobis hic sumitur pro *loco damnatorum*, quo modo sumitur Luc. 16. 23. Ejus synonyma varia occurunt in Scriptura אבדון Prov. 15. 11. seu perditio, & 27. 20. *Gehenna* Mat 5. 22. 29. Voce ducta à Valle filiorum Hinnom, in qua impii Israëlitæ horrendâ idololatriâ, Idolo Ammonitarum Molocho ex κακοζηλίᾳ, ut creditur, sacrificii Abrahami, vel imitati crudelem Phœnicum superstitionem, solebant infantes miseros, vel per ignem traducere, vel candentibus statuæ Molochi brachiis innixos horrendis cum cruciatibus ustulare, circumstrepentibus interim tibiis, & tympanis, ne dolore expressus clamor exaudiretur. Unde nomen תופת illi à תף tympano inditum. Hinc Rex Josias in detestationem immanis illius idolomaniæ, locum illum contaminare cœpit cadaveribus & ossibus humanis, quibus exurendis continuus ignis reperiebatur 2. Reg. 23. 10. Unde non mirum si locus fœdus, & cruciatui ignis destinatus, & abominationibus variis infamis ad tormenta inferni designanda

est

est adhibitus. *Vermis rodens*, & *ignis ἀσβεστος* Marc. 9. 44. *Tenebræ exteriores*, ubi est fletus & stridor dentium Matth. 22. 13. *Ignis æternus*, paratus Diabolo & Angelis ejus Matt. 25. 41. *Stagnum ignis & sulphuris* Apoc. 19. 20. *Æterna damnatio* Heb. 6. 2. *Lacus & torcular iræ* Apoc. 14. 19. *Ira ventura* Matt. 3. 5. *Mors secunda & æterna*, & aliæ appellationes. QUÆST. VII.

III. Quærere, *An sit Infernus*, supervacaneum ducimus. Quicquid Epicurei & Athei, qui illum pro mero figmento & inani simplicium terriculamento habent, dicere possint. Tot enim Scripturæ locis asseritur, totque rationibus sive à Justitiâ Dei, sive à Legis maledictione, sive à peccati turpitudine & demerito, sive à conscientiæ terroribus & cruciatibus, petitis, confirmatur, ut summæ sit non modò impietatis, sed & amentiæ illum in dubium vocare, vel negare, nimisque magno suo malo experturi sunt illi derisores ejus veritatem & diritatem. *Dari Infernum probatur.*

IV. Quid sit verò, seu in quo pœnarum infernalium ratio consistat, non facile est definire. Certum debet esse & constans non esse meram *annihilationem*, ut vellent Sociniani, vel *pœnam damni*, quasi in simplici bonorum privatione consisterent sine ullo malorum sensu. Utrumque enim hîc concurrere ad impiorum tormenta augenda extra dubium est. Hinc Scriptura modò *privativè* & στερητικῶ. per remotionem omnis boni, modò *positivè* & θετικῶς pœnas illas describit. *Mala* στερητικὰ sunt separatio à Deo & Christo, & privatio divinæ visionis, in qua posita est Beatorum felicitas, separatio ab Angelis, & Beatis, inter quos & damnatos dicitur esse μέγα χάσμα, privatio lucis, gaudii, gloriæ, felicitatis ac vitæ, & bonorum omnium qualiacunque illa sint. *Positiva* verò *mala* sunt multiplicia, quæ per dolores & cruciatus, per tormenta, per planctum & luctum, per clamores & ululatus, per fletum & stridorem dentium, per vermem rodentem, per ignem comburentem, & alia idgenus adumbrantur, quæ mala omnis generis tam in animam quàm in corpus inferre solent. *In quo pœnæ infernales consistant? Non in damno tantùm, sed & in sensu.*

V. An verò ignis, quô torquendi sunt impii tam animo quàm corpore, futurus sit *materialis* & corporeus, controvertitur. Pontificii quidem statuminando fictitio Purgatorio igni, quem eundem cum infernali quoad speciem, sed gradu tantùm & duratione diversum volunt, illud asserere non dubitant, animasque eo torqueri sentiunt. Sed alii longè verius negant, & metaphoricè seu allegoricè exponi volunt de gravissimis angoribus conscientiæ, & desperatione. 1. Quia agitur de igne, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, At corpus non potest agere in spiritum, cùm non possit agere sine contactu vel mediato vel immediato, quod non cadit in spiritum. Nec dicendum, si anima per se & suâ naturâ non possit ab igne affici, per consensum tamen & sympathiam cum corpore id posse. Quia anima, ut præcipua scelerum causa, immediatè & per se puniri debet, non tantùm sympatheticè. *An ignis infernalis futurus sit corporeus?*

Quæst. VII. Nec si objectum corporeum agit in animam objectivè & virtualiter, sequitur id posse physicè & formaliter.

VI. 2. Variæ aliæ phrases, quibus pœnæ infernales describuntur, non tam propriè, quàm allegoricè sunt intelligendæ, quum exprimuntur per *tenebras exteriores*, *vermem*, *stridorem dentium*, *catenas caliginis*, *stagnum sulphuris*, *carcerem*, & *abyssum*, & per alias idgenus, quibus futura supplicia adumbrantur, quæ alioquin, nec cum animæ nostræ conditione, nec inter se conveniunt; Sed quæ omnes tristissimam & acerbissimam conditionem impiorum exprimunt. Eadem ratione Ignis intelligendus est metaphoricus, non proprius.

VII. 3. Si bona cœlestia sub dulcissimarum rerum symbolis depinguntur, quæ non propriè, sed mysticè & figuratè sunt intelligenda, ut cum mentio fit sinus Abrahæ, accubitus in Regno cœlorum cum Patriarchis, Paradisi, Arboris vitæ, Thesaurorum, Coronarum, & simil. Quidni pariter figuratè loquutum censeamus Spiritum Sanctum in descriptione malorum oppositorum, ut dirissima tormenta per ignem, qui intensissimos dolores creare solet, adumbrentur?

VIII. Licèt verò animas damnatorum igne aliquo materiali cruciandas esse non censeamus; Corpora tamen in ignem aliquem physicum dejicienda esse, & in æternum ustulanda & torquenda, nolumus negare, toties id asserente Scripturâ; Quamvis, qualis ignis iste sit futurus, & quænam ejus natura & conditio, nos lateat. *Cujusmodi sit ignis infernalis*, inquit Aug. lib. 20. de Civit. Dei cap. 16. *hominum scire arbitror neminem.* In id ergo potius enitendum omni curâ, seriæ conversionis studio, ut ignem illum fugiamus, nec unquam quis ille sit maximo nostro malo experiamur, quam ut de natura illius otiosè disputando, ignem hunc, contentionis gladio, ultra quàm par est, cum Scholasticis fodicemus.

Pœnarum infernalium adjuncta sunt 1. *Inæqualitas.* *Matt.* 11. 22. *Luc.* 12. 47. 48. *Mat.* 23. 14.

IX. Pœnarum verò istarum infernalium varia adjuncta possunt observari. Primò *inæqualitas* pro varia delictorum ratione, quæ variis locis Scripturæ adstruitur Matth. 11. 22. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorum in die judicii, quàm Urbi illi.* Et Luc. 12. 47. 48. *Ille servus, qui novit voluntatem Domini, & non paratus est, neque facit secundum voluntatem ipsius, cædetur multis plagis, qui verò non noverit, facit verò digna plagis, cædetur paucis.* Et Matth. 23. 14. *Propter hoc accipietis κρίμα περισσότερον.* Ratio etiam hoc suadet. Quia pœna respondere debet culpæ, ex justitiæ distributivæ ordine. At culpa est inæqualis, peccata enim alia aliis sunt graviora. Ergo & pœnæ debent esse inæquales, ut Deus reddat unicuique quod suum est, & secundùm opera sua. *Inæqualitas* autem non est attendenda ratione extensionis, seu durationis, quia debitur ubique pœnarum æternitas, ut jamjam dicetur.

dicetur, sed ratione *intensionis*, seu gravitatis. Non ratione speciei, sed ratione graduum. Quæst. VII.

X. 11. Est *pœnarum magnitudo & intensio*, quæ tanta debet esse, ut nec mente concipi, nec verbis exprimi queat. Tum quoad *multitudinem & universalitatem*, quatenus non in corpore tantùm, sed in anima, nec in una modò illius parte, aut istius facultate, sed in omnibus cruciabuntur, ut in omnibus peccârunt. Nec unâ tantùm specie doloris & cruciatus, sed in omnibus, qui excogitari possunt. Et quidem eâ intensione & gradu, qui maximus potest esse juxta statum damnatorum. Ideo per res quasque tristissimas, & acerbissimas solent exprimi, per *vermem rodentem*, & *ignem* perpetuò *ardentem*, per *fletum & stridorem dentium*, per *tormina & dolores parturientis*, per *opprobrium*, confusionem & ignominiam, per *augustiam*, & cruciatum dirissimum, & per alia idgenus vocabula, quæ tormentorum ineffabilium, quæ illi tam animo quàm corpore sunt passuri, ideam aliquam, sed imperfectam omninò exhibent. Quæ omnia satis superque evincunt falsitatem figmenti eorum, qui pœnas impiorum in annihilatione & ἀϊνυπαξίᾳ constituunt. Quorsum enim describerentur per dolores & cruciatus acerbissimos, si mera debet esse pœna damni, aut annihilatio? Quorsum Christus diceret de homine ad pœnas infernales damnato, *melius futurum fuisset illi homini, si non natus esset?* Matt. 26. 24. Nec dici potest mortem & ignem æternum appellari, non sui, sed effectus ratione, quòd illum in eum statum redigat, unde negant redire quemquam. Nam sic non hominibus tantùm, sed & brutis mors æterna immineret, & denuncianda esset. 2. *Pœnarum magnitudo & intensio.* *Mat.* 26. 24.

XI. 111. Est *pœnarum duratio*, & *extensio*, non modò in earum *continuitate* non interruptâ, quatenus nullum habituri sunt damnati quietis & relaxationis intervallum à dirissimis illis tormentis, sed cruciabuntur die & nocte Apoc. 14. 12. & 20. 10. sed etiam in earum *perpetuitate*, & *æternitate*, quæ erit mortis ipsius quædam veluti immortalitas, Unde *opprobrium æternum ignis æternus & inextinguibilis*, *mors æterna* dicitur. Ita peccati demeritum infinitum pœnâ durationè infinitâ utcunque plectitur. Atque eò justiùs, quod, ut nunquam peccare in Deum desinent; Ita nec à Deo plecti, & ut manebit semper culpæ reatus, nec ullo piaculo extinguetur, quia nullus pœnitentiæ dabitur locus, sed semper Judicis odio insano peccatores flagraturi sunt, & in mediis flammis illi maledicturi. Ita Ira Dei justissima scelerum ultrix manebit super ipsos in æternum. Unde orietur *desperatio*, & *fremitus*, tanquam consequens inevitabile, quia nullus ex illo reterrimo carcere dari debet exitus. 3. *Duratio & extensio.* *Apoc.* 14. 12. & 20. 10.

XII. Hinc patet vanitas commenti Origenis & Origenistarum, qui præposterè misericordes, Diabolo & impiis certum pœnarum terminum statuunt, quem ubi impleverint, ex iis tandem sint liberandi.

Cùm

Quæst. VII. Cùm enim toties Scriptura æternitatem istarum pœnarum asserat, & eam componat cum æternitate absoluta gaudiorum Beatorum. Quis æternitatem hìc limitatam somniare potest? Nec magnitudo & infinitas misericordiæ hìc opponenda. Quia pertinet ad vasa misericordiæ, non iræ, ad beatos, non damnatos, judicium enim sine misericordia erit illi, qui non exercuerit misericordiam. Nec tempus misericordiæ debet esse seculum futurum, sed tantùm præsens, quia tunc clausa erit janua, nec ullus dabitur veniæ locus.

QUÆSTIO VIII.

De Vita Æterna.

An Vita Æterna constituenda sit in Visione Dei, An in ejus Amore, & Gaudio? Et sub quibus Symbolis describi soleat, & quare?

I. MOrti æternæ, quæ damnatos manet, opponitur *Vita æterna*, complementum scil. & coronis omnium Christi beneficiorum, cujus levis σκιαγραφία, & brevis delineatio nostro quoque Operi coronidem imponet: Si modò licet humano penicillo adumbrare tantum bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cujusquam cor ascendit, ascendetque, donec nos voti compotes, eò ascendamus, & cognoscamus quemadmodum cogniti sumus, nec amplius per fidem ambulemus, sed per aspectum.

Vita æterna diversimodè sumitur. 1. Joa. 11. & 5. 20. Joa. 12. 50. & 17. 3. & 6. 54. 1. Joa. 5. 13.

II. *Vita æterna* hic non sumitur metonymicè pro Christo vitæ æternæ autore, ut sæpe hoc nomine designatur 1. Joan. 1. 1. *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem.* Etc. 5. 20. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Nec pro *via ad vitam*, quo sensu mandatum Patris dicitur vita æterna Joan. 12. 50. Nec pro vitæ istius initio: quomodo cognitio Dei & Christi dicitur vita æterna Joan 17. 3. & vita spiritualis gratiæ dicitur vita æterna, quam jam pii habere dicuntur Joan. 6. 54. 1. Joan. 5. 13. quia vita gratiæ non differt nisi gradu à vita gloriæ, gratia enim nihil aliud est, quàm gloria inchoata, ut gloria est gratia consummata. Sed sumitur hic propriè pro statu felicissimo Beatorum, in quo perfectam habituri sunt omnium malorum, tam corporis quàm animi liberationem, & omnium bonorum in illa Sanctorum communione aggregationem, jucundissimamque, ac sempiternam frutionem, quæ jam in anima inchoatur statim

statim post mortem, & post resurrectionem plenè in homine integro quoad animam & corpus consummabitur. Quæst. VIII.

III. Licèt verò summum hoc bonum revera sit ἀκατάληπτον & ἀνεκλάλητον nobis in hac miseriarum valle, utcunque tamen possumus illud describere, Scripturæ facem nobis hìc prælucentem sequentes. Atque hìc ante omnia distinguenda est *Beatitudo objectiva*, & *formalis*. Illa est solus Deus, penes quem unum conditiones omnes summi boni reperiuntur, quia est bonum universale, perfectum, & infinitum, quod abundè sufficit satiando desiderio nostro, constans & æternum, quodque ideo summè est desiderabile. Quò pertinent loca varia Scripturæ, quæ felicitatem omnimodam in uno Deo inveniri affirmant Gen. 15. 1. Psal. 16. 5. & & 36. 10. & 42. 1. 2. 73. 26. 28. Joan. 17. 3. 1. Cor. 15. 28. *Beatitudo formalis* posita est in nobilissima animæ operatione circa Deum tanquam summum suum bonum, per quam illi arctissimè unitur, & indesinenter ac in æternum adhæret. *Beatitudo Beatitudo objectiva & formalis.*

IV. Operationem dicimus potius quàm habitum, quia operatio est ultima hominis perfectio, ad quam habitus ipsi ordinantur; Sed *operatio* ista non debet esse transiens, sed *immanens*, non sensitiva, sed *intellectiva*, quia ut versatur circa perfectissimum & nobilissimum objectum, debet etiam esse nobilissima & perfectissima; tum etiam quia nulla est sensus operatio, quæ Deum attingere possit, qui est Spiritus, & quem nemo vidit unquam, nec videre potuit. Licèt enim operatio sensitiva utcunque concurrat antecedenter ad beatitudinem in statu viæ; cùm fides sit ex auditu; tamen non potest in patria ad id concurrere nisi consequenter, quatenus ex animi felicitate gloria redundat in corpus, & perficientur etiam operationes sensitivæ, quæ in cœlis locum sunt habituræ.

V. Si quæritur ulteriùs, Cujusnam facultatis animæ sit operatio, An intellectus, An voluntatis? Scholastici hìc in partes abeunt. Alii cum *Thoma* volunt esse intellectum, & statuunt beatitudinem in visione Dei consistere. Alii verò cum *Scoto* voluntatem, qui ideo felicitatem in ejus amore collocant. Sed utrique in eo peccant, quod dividunt conjungenda, & seorsim volunt sitam esse felicitatem, vel in visione, vel in amore, cùm conjunctim in visione & amore Dei versetur. Ut nec visio sine charitate, nec charitas sine visione, sed visio cum charitate, & charitas cum visione formam ejus constituat. Quod Scriptura docet, cùm eam modò per *visionem* 1. Cor. 13. 13. 2. Cor. 5. 7. 1. Joan. 3. 2. modò per *charitatem* & omnimodam sanctitatem 1. Joan. 4. 16. 1. Cor. 13. 13. describit. *An in visione, An in amore consistat?*

VI. Sed ut plenius felicissimum istum statum assequamur, Tria hìc conjungenda censemus, quæ in beatitudine indivulsè inter se cohærent, *Visionem*, *Amorem*, *Gaudium*; ex quibus efflorescit *Gloria* illa ineffabilis, quâ fulgere debent Beati in æternum propter summi *Tria hìc concurrere probatur. Visionem, Amorem, Gaudium.*

QUÆST. VIII. summi boni fruitionem; Ut enim beatitudo ista est perfectio plena & ultima, quæ perficit animam & singulas ejus facultates; Ita requirit operationem omnium potentiarum sublatis omnibus imperfectionibus, id. perfectam visionem, perfectam dilectionem, & perfectam fruitionem, & ex ea summum gaudium & consolationem. *Visio* Deum ut summum bonum contemplatur. *Amor* ad illum fertur, & illi unitur arctissimè. Et *Gaudium* illo fruitur, & in eo acquiescit. Visio intellectum perficit, Amor voluntatem, Gaudium conscientiam. *Visio* respondet *fidei*, quæ est hypostasis rerum speratarum, & demonstratio invisibilium, quæ tunc mutabitur in visionem, quia non jam per fidem ambulabimus, sed per aspectum, Deum facie ad faciem intuentes. *Amor* consummatus, quô Deo uniemur, respondebit *charitati* inchoatæ, quæ cor sanctificat. *Spei* verò respondet *gaudium*, quod rei speratæ fruitionem comitatur. Visio amorem gignit, quia Deus non potest videri, quin ametur. Amor gaudium post se trahit, quia non potest possideri, quin gaudio perfundat. Visio opponitur ejectioni damnatorum ex ejus facie, & tenebris densissimis ignorantiæ in quibus jacent. Amor odio furentissimo, quô eum prosequuntur. Gaudium desperationi & fremitui horrendo, qui orietur ex tormentorum acutissimorum, quæ sentient, multiplicitate, continuitate, & æternitate.

1. Cor. 13. 12. Matt. 5. 8. Joa. 17. 26. 1. Joa. 4. 16. VII. Si aliquando Scriptura videtur felicitatem & vitam æternam, vel in Visione Dei collocare, ut 1. Cor. 13. 12. Matt. 5. 8. & alibi, Vel in amore, ut Joan. 17. 26. & 1 Joan. 4. 16. Vel in gaudio, ut Matt. 25. 21. Apoc. 21. 4. hoc non est intelligendum exclusivè, sed synecdochicè, quia cùm tria ista sint inter se indivulso nexu conjuncta, uno posito, cætera etiam supponuntur, nam ut visio post se trahit necessariò amorem & gaudium; ita gaudium necessariò supponit visionem & amorem.

Quænam sit visio Dei beatifica? VIII. Ut verò distinctiùs de tribus istis partibus aliquid dicamus; *Visio beatifica* importat perfectissimam & clarissimam Dei, & rerum divinarum cognitionem, qualis potest in Creaturam finitam cadere, oppositam cognitioni imperfectæ & obscuræ, quæ hic per fidem habetur, quod 1. Cor. 13. 9. eximiè docet Paulus 1. Cor. 13. 9. *Nos hic ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; Sed quum venerit perfectio, tum quod est ex parte abolebitur.* Et ℣. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, sed tunc facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, sed tum cognoscam ut cognitus sum.* In hac vita cognitio nostra est tantùm *specularis*, quæ imagines quidem rerum nobis in speculo Operum, vel Verbi exhibet, sed non res ipsas. Nec tantùm specularis, sed & *ænigmatica*, quia sub ænigmate plerumque, id. sub velo figurarum obscurarum mysteria proponuntur, quod imperfectionem cognitionis nostræ auget. Sed tunc, nimirum in altera vitæ æon dabitur locus amplius, vel speculo, vel ænigmati, quia *facie ad*

ad faciem videbimus. Cognitio illa ænigmatica & specularis cessatura est, ut locum faciat *visioni intuitivæ*, quæ rem ipsam remoto omni velo apprehendet, non eminus & retro, sed coram, non obscurè & involutè, sed clarissimè & distinctissimè, non ex parte, sed plenissimè, quæ respondebit cognitioni Dei de nobis, *cognoscam ut cognitus sum* 1. Cor. 13. 12. servato tamen discrimine inter Creatorem & Creaturam, ut notetur tantùm similitudo, non æqualitas. Quæst. VIII.

IX. Quia verò de ista Visione Dei variæ moventur Quæstiones, An fieri possit oculis corporeis? Et An immediatè ipsam essentiam Dei visuri sint Beati? Paucis observamus. I. Visionem aliam esse ocularem, sensibilem, & externam. Aliam mentalem, intellectualem, & internam. II. Aliam esse naturalem rationis, aliam supernaturalem, & spiritualem fidei. III. Aliam symbolicam & ænigmaticam, Aliam intuitivam & beatificam. IV. Aliam apprehensivam, & inadæquatam, Aliam adæquatam & comprehensivam.

X. Hoc posito dicimus 1. Deum seu essentiam divinam oculis corporeis nec visum iri, nec videri posse. Primò quia invisibilitatem Scriptura inter essentiales & immutabiles Dei proprietates enumerat, & non modò actus, sed etiam potentia videndi ipsum hominibus derogatur, loca sunt Col. 1. 15. 1. Tim. 1. 17. & 6. 16. Hebr. 11. 27. Exod. 33. 20. Secundò Deus est Spiritus incorporeus & simplex, qui proinde sub sensum corporis cadere non potest, quia potentia non fertur extra suum objectum. Tertiò visio in altera vita succedet fidei 2. Cor. 5. 7. At ista est mentalis & intellectualis, non sensualis. Denique nec tota essentia potest ita videri, quia nulla est proportio inter facultatem & objectum, inter finitum & infinitum. Nec pars, quia sic divisibilis & mortalis fieret. *Deus non potest videri oculis corporeis.* *Col.* 1. 15. *1. Tim.* 1. 17. & 6. 16. *Heb.* 11. 27. *Exod.* 33. 20.

XI. Huic sententiæ non obstat locus Jobi 19. 25. ubi Jobus dicit se visurum Deum oculis suis. Quia agitur hic de Deo non *simpliciter*, sed *incarnatim* considerato, nimir. de illo, qui Goël dicitur, id est, de visione Filii Dei incarnati respectu naturæ humanæ. Idem sensus est loci 1. Joan. 3. 2. Non magis huic errori favent alia loca, ubi agitur de visione Dei Psal. 16. 11. & 17. 15. & 1. Cor. 13. 12. quia loquuntur de visione mentali metaphoricè, ut ex locorum circunstantiis patet. Vel de visione symbolica in operibus Rom. 1. 20. aut in assumtis corporibus Gen. 32. Exod. 33. Isa. 6. *Job.* 19. 25. *1. Joa.* 3. 2. *Ps.* 16. 11. *& 17. 15. 1. Cor.* 13. 12. *Rom.* 1. 20. *Gen.* 32. *Exod.* 33. *Isa.* 6.

XII. Quamvis oculi per resurrectionem fiant spirituales, quoad qualitates, non ideo mutantur in Spiritus, sed corporei manent, ut Corpus ipsum licèt fiat spirituale, semper est corpus. Nec si non minus distat Deus infinitè ab intellectu creato, quàm à visu corporeo; sequitur, si intellectus creatus per lumen supernaturale elevatur ad Deum intuitivè cognoscendum, Et visum corporeum posse elevari ad Deum cognoscendum quoad essentiam. Quia longè dispar est ratio. 1. Nam Deum mentaliter videri docet Scriptura, non

QUÆST. VIII.

ra, non ocularitèr. 2. Deus naturâ est cognoscibilis, non autem visibilis. 3. Facultas potest elevari supra gradum suum naturalem per gratiam supernaturalem, sed non supra speciem suam & objectum illi analogum.

Deus non videtur visione comprehensiva.

XIII. 11. Deum visione *adæquatâ & comprehensivâ* à Creaturâ videri non posse, sed tantùm *inadæquatâ & apprehensivâ*, quia finitum non est capax infiniti, & hoc sensu verè dixit Damascenus ἀκατάληπτον esse τὸ θεῖον. Et sicubi Beati comprehensores dicuntur, non hoc intelligendum relatè ad visionem, quasi Deum possent comprehendere, sed relatè ad curriculum & stadium; quia absoluto cursu metam comprehendisse, id. attigisse dicuntur Phil. 3. 13. 14.

Phil. 3. 13. 14.

Deus sola visione spirituali videri potest.

XIV. III. Deum solâ visione spirituali & internâ videri posse ab homine, in hac quidem vita per lumen gratiæ, & per cognitionem specularem fidei. In altera verò visione intuitivâ & beatificâ longè perfectiori, & per lumen gloriæ. An verò anima ipsam Dei essentiam immediatè sit visura, An ejus tantùm aliquod ἀπαύγασμα, seu fulgorem, & gloriam vitæ alteri convenientem. Quia Scriptura non nobis aperit: Ita nec nostrum est quicquam de eo temerè definire; Eò vel magis, quòd visio Dei sit ex earùm rerum genere, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, Et Deus de cujus visione agitur, lucem habitet inaccessam, quam nemo hominum vidit nec videre potest. Probabilior tamen nobis videtur sententia, quæ asserit Dei essentiam immediatè à Beatis attingi non posse, ut videatur sicuti est, propter summam, quæ inter finitum & infinitum intercedit disproportionem & distantiam. Nec quod dicitur de *Visione facie ad faciem* huic obstat, quia notat tantùm clariorem cognitionis divinæ modum, præ cognitione fidei, ut jam dictum.

XV. Hanc intellectus perfectionem per visionem beatificam; Non minor excipiet *voluntatis consummatio* per omnimodam sanctitatem, & per purissimam ac intensissimam charitatem, ex immenso illo lumine, & cœlesti ejus intuitu oriundam, per quam ita Deo adhæsuri sumus immutabiliter, ut in ipsum quodammodo transformandi simus per Naturæ divinæ participationem, quo sensu Psal. 17. 13. dicit David *Se satiatum iri similitudine Dei, quum evigilaverit.* Et Christus Joan. 17. 23. petit pro fidelibus, ut sint *in unum consummati* scil. per charitatem, & v. 26. ut *dilectio, qua Pater ipsum dilexit, sit in ipsis, & ille in ipsis.* Ideo Paulus charitatem cæteris præfert virtutibus & donis 1. Cor. 13. 8. 13. eò quòd *nunquam excidat.* Nam Prophetiæ evanescent, linguæ cessaturæ sunt, & cognitio evanescere debet, imò & fides ipsa & spes, quæ hìc manent in via, mutandæ sunt in patria, illa quidem in aspectum, hæc verò in fruitionem. Sed charitas in æternum est mansura. Amor autem iste non imperfectus & languidus erit, qualis charitas, quæ hic in animis nostris ingeneratur per Spiritum Sanctum, quæ nun-

Ps. 17. 13. & Joa. 17. 23. 26.

1. Cor. 13. 8. 13.

nunquam absolutè purgata est à sordibus concupiscentiæ & ab amore sui, sed erit desæcatissimus & perfectissimus, qui nihil amabit nisi Deum, vel in Deo. Ex quo postea manat *perfecta similitudo* Beatorum cum Deo, quæ est complementum desideriorum, & perfectæ eorum beatitudinis, ad quam tendit, & in qua consummatur Dei fœdus, quæ nihil aliud est quàm effusio & ἀπορροὴ quædam Divinitatis in animas Beatorum, quæ ipsis imaginem omnium perfectionum suarum communicabit, quantum in Creaturam cadere possunt. Quæst. VIII.

XVI. Tertia pars felicitatis erit *Gaudium*, quod ex Dei visione & amore, & per amorem fruitione manabit, non leve & momentaneum, non falsum & impurum, quale est mundanum, quod in tristitiam & dolorem statim mutatur. Sed verum, purum, ineffabile, & æternum, quod nemo tollet à nobis Joan. 16. 23. 1. Pet. 1. 6. quod per satietatem gaudiorum, lætitiam æternam, & absterſionem omnis lachrymæ exprimitur Psal. 16. 11. 25. 8. Apoc. 21. 4. Oritur autem ex Dei ipsius possessione, quod ut summum est bonum, omnigenorum bonorum universalitatem & perpetuitatem complectitur. Ubi quicquid desiderabitur, aderit, nec quicquam desiderabitur, quod non deceat. Ubi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. *Ipseque erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15. 28. quatenus lucem suam, charitatem, sanctitatem, lætitiam, gloriam, vitam, & omnium bonorum plenitudinem in Beatos immediatè effundet, in iisque habitabit in æternum Apoc. 21. 4. Hic Deus in gratia se communicat suis mediatè per Verbum & Sacramenta, nec plenè, sed ex parte dona sua impertitur. Sed tunc immediatè se ipsum communicabit Beatis, nec ex parte tantùm, sed plenè & ὅλως *omnia* erit, quoad *universalitatem bonorum*, quæ ad omnimodam felicitatem requiri possunt, & in *omnibus* quoad universalitatem subjectorum, quia in omnibus beatis bona ista omnia indivisim largietur. Huc pertinet, quod dicitur Apoc. 21. 22. 23. *Non vidi in Civitate Templum, quia Deus omnipotens & Agnus est ejus Templum. Non opus habet Sole vel Luna ad illuminandum, quia gloria Dei eam illuminat, & Agnus est ejus lampas.* Joa. 16. 23. 1. Pet. 1. 6. 1. Cor. 15. 28.

XVII. Ex hac verò Dei communione nascetur *Gloria* illa admirabilis, quâ Beati induentur tam quoad animam, quàm quoad corpus. Et quoad illam quidem, per perfectam cognitionem & sanctitatem, quoad istud verò, per omnis miseriæ, labis, & cujuscunque infirmitatis remotionem, non tantùm, quæ ex peccato ortum duxit, sed etiam quæ ex vitæ animalis conditione obtinuisset in statu innocentiæ, & incorruptionis ac spiritualitatis communicationem, quoadutrumque, quoad beatam immortalitatem, quâ homo totus fruiturus est in communione Dei in æternùm, quam Paulus vocat 2. Cor. 4. 18. βάρος αἰώνιον δόξης καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, *Pondus* 2. Cor. 4. 18.

QUÆST. VIII. *dus æternum gloriæ excellentissima*, sub quo mens ita fatiscit, ut silentio & admiratione meliùs exprimatur quàm eloquio.

XVIII. Quia verò ineffabilis ista beatitudo nec mente concipi, nec verbis exprimi potest; Ideo ut qualemcunque ejus ideam nobis exhibeat Scriptura, diversimodè illam describere solet; Modò *negativè* per absentiam omnis mali, tum culpæ, tum pœnæ. Modò *positivè* per præsentiam & fruitionem omnis boni. Ibi nec peccatum dabitur ullum, nec peccati causa, nulla peccati effecta & consequentia, calamitates, dolores, cruciatus, nec mors tam temporalis quàm æterna. Eò respiciunt loca Scripturæ, in quibus describitur piorum felicitas per remotionem omnium malorum Isa. 25. 3. *Auferet Deus omnem lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi.* Et 32. 17. *Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ quies & securitas usquæ in sempiternum.* Etc. 35. 20. *Fugiet dolor, & metus.* Etc. 49. 10. *Non esurient, nec sitient, non percutiet eos æstus & Sol, quia Miserator eorum teget eos, & ad fontes aquarum ducet eos.* Et cap. 65. 16. *Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis nostris.* v. 19. *Non audietur amplius in populo meo ultrà vox fletus & vox clamoris.* Quibus respondent ista in Apoca. cap. 7. 16. 17. *Non esurient, nec sitient, nec cadet super ipsos Sol, nec ullus æstus, quia Agnus, qui est in medio throni, pascet eos, & deducet ad vivos fontes aquarum, & absterget omnem lachrymam ab oculis ipsorum.* Etc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, mors non erit ultrà, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit amplius, quia prima abierunt.* Unde *requies* vocatur ab omnibus vitæ ærumnis & laboribus. Sed parum esset omni malo privari, nisi adesset præsentia & plenitudo omnis boni, sive honesti, sive utilis, sive jucundi, ut nihil sit quod ultra desiderari possit. Ibi lux erit sine tenebris, gaudium sine dolore, pax sine bello, gloria sine ignominia, tranquillitas sine labore, securitas sine timore, veritas sine mendacio, felicitas sine miseria, divitiæ sine paupertate, & vita sine morte: Augustin. in Solil. cap. 35. *Intra in gaudium sine tristitia, quod continèt omnem lætitiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum, ubi erit vita vitalis, dulcis, & amabilis, semperque memorialis, ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo & Deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, gaudium extra quod non est gaudium &c. Quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te?* Plures sunt idgenus Vitæ æternæ descriptiones apud ipsum. Sic Cyprianus Serm. de Ascens. Domi. *Non gustabunt quàm suavis sit Dominus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica, nihil iis deerit, nihil aberit, omne desiderium*

desiderium eorum Christus præsens implebit &c. *Deus erit omnia in omnibus, & illius præsentia omnes animæ & corporis implebit appetitus.* Prosper in Epigr. Quæst. VIII.

Semper erunt quod sunt æterna gaudia vitæ
Gaudendi quoniam causa erit ipse Deus.

XIX. Non tantùm per absentiam omnis mali, & præsentiam omnis boni, describitur felicitas, sed allegoricè etiam sub symbolis rerum quarumcunque præstantissimarum, dulcissimarum, utilissimarum, & quæ maximo solent esse apud homines in pretio, adumbrari solet, ut qualiscunque ejus idea animis nostris exhibeatur. Sic scilicet Scriptura per miram συγκατάβασιν se accommodare nobis solet, & loqui בלשון אדם linguâ hominum; nam si Deus hominibus divina & cœlestia, divinis & cœlestibus verbis aperiret, non posset ab iis intelligi: Itaque tum propter infirmitatem nostram, tum propter altitudinem rerum ipsarum verba nostra Deus mutuatur. Et ut Gratia legalibus; Ita Gloria terrestribus figuris designatur, dum sub imagine illarum rerum, quæ primæ vel præcipuæ in suo genere sunt, aut existimantur ab hominibus, felicitatem æternam Scriptura nobis exhibet; quæ non seorsim sunt spectandæ, sed ἀθρόως & conjunctim, ut in earum conjunctione tantæ felicitatis aliqualis, sed imperfecta semper & rudis habeatur delineatio. Hinc quia omne boni genus in tres species solet dividi, *honestum*, *utile*, & *jucundum*, sub triplici illa χέσει solet sæpissimè adumbrari, modò sub idea *Regni* & dignitatis, modò *divitiarum* & *thesaurorum*, modò *deliciarum* omnis generis, quæ omnia sub uno *Gloriæ* nomine comprehenduntur. Hinc aliàs pro majestate Principum & Magistratuum sumitur. Jud. 8. aliàs pro opibus & facultatibus, quia divites iis gloriari solent, quò Paulus respexisse videtur, quum loquitur de *divitiis gloriæ* Eph. 3. 16. id est, excellentibus, aliàs verò pro pulchritudine ac specie amabili, ut gloria camis, gloria siderum, gloria liliorum, id. splendor insignis & lux magnifica, quæ pulchritudinis speciem facit, quia pulchritudo in lumine imprimis consistit. Hinc Sponsa dicitur *gloriosa intus*, id est, pulchra & formosa Psal. 45. Et *Ecclesia gloriosa* Eph. 5. 27. quia triplici illo bonorum genere coronatur & gaudet.

XX. Rursus, Quia nihil gratius solet esse *luce*; Gloria & gratia sub imagine lucis passim adumbratur, *In lumine tuo videbimus lumen* Psal. 36. 10. Isa. 60. 1. *Surge, illuminare, nam lux tua venit.* Ut imperium Diaboli est potestas tenebrarum; Ita Regnum Dei est *Regnum lucis*, Col. 1. 14. *Hæreditas est Sanctorum in luce.* Apoc. 21. 23. *Civitas non eget Sole vel Lunâ, ut luceant in ipsa, quia gloria Domini illuminavit illam, & Agnus est ejus candela.* Quia nihil optabilius *pace & quiete*, Ibi erit pax æterna, & quies Domini. Quia nihil dulcius *convivio*, & quidem *nuptiali*, hinc sæpe vita æterna notatur per convivium, in quo sedebunt Beati cum Abrahamo, *Psal.* 36. 10. *Isa.* 60. 1. *Col.* 1. 14.

QUÆST. VIII. hamo, Isaaco, & Jacobo Matth. 8. 11. Psal. 65. 5. Isa. 25. 6. Apoc. 3. 20. & per nuptias Agni Apoc. 19. 7. in quibus consummari debet matrimonium mysticum Christi cum Ecclesia, & per convivium nuptiale filii Regis Luc. 14. Matth. 22. 1. Quia nihil utilius est *thesauris*, & opibus, nihil quod majori ardore consectentur filii seculi; proponitur nobis identidem sub imagine thesaurorum, divitiarum, & omnigenarum opum Ephes. 1. 14. Apoc. 21. 11. Jerusalem cœlestis tota auro & gemnis radiare dicitur Apoc. 21. 11. Quia nihil augustius & magnificentius est *Regno*, *Corona*, & *Throno*. Nihil frequentius est, quàm ut sub ista idea nobis gloria exhibeatur, tanquam Regnum Dei, Regnum cœlorum Matth. 25. Col. 1. 14. Ut Corona vitæ, Apoc. 3. 20. justitiæ, & gloriæ immarcescibilis, ut Sessio in throno Christi Apoc. 3 20. 21. Quia nihil suavius est *hæreditate* & domo, parata nobis dicitur hæreditas in- 1. Pet. 1. 5. corruptibilis & æterna in Cœlis 1. Pet. 1. 5. & domicilium æternum & 2. Cor. 5. 1. ἀχειροποίητον 2. Cor. 5. 1. Nihil in cœlo illustrius Sole, beati fulgebunt instar Solis in Regno Patris, Matth. 13. Nihil pulchrius in terra horto frugiferis arboribus consito, & in specie paradiso, Vita æterna paradisus erit, in quo arbor vitæ Christus erit in medio Apoc. 2. 10. & 22. 2. ferens fructus singulis mensibus. In mundo nihil majus & glorioſius Regno; Et Beati Reges sunt futuri. Nihil venerabilius Sacerdotio, Beati futuri sunt Reges & Sacerdotes, βασιλικὸν ἱεράτευμα 1. Pet. 2. 5. Non quòd vita æterna eadem ista bona, quæ in terris habentur, datura sit; sed ut innuatur nihil tam glorioſum & magnificum, tam jucundum & suave, tam utile & commodum, tam pulchrum & splendidum, excogitari posse, quod cumulatissimè non simus habituri in cœlis, in Dei ipsius summi nostri boni possessione. Sed longè perfectius & nobilius, longè durabilius & constantius, quia istis omnibus bonis addetur perpetua duratio & interminabilis æternitas. Ideo Lux dicitur, sed æterna, Regnum, sed cœleste, Hæreditas, sed incorruptibilis, Corona, sed ἀμάραντος Domus, sed ἀχειροποίητος, Convivium, sed divinum, Paradisus, sed cœlestis, lætitia & gaudium, sed ineffabile, & quod nunquam auferetur, Thronus, sed inconcussus, Thesaurus, sed tutissimus, quem nec fures eripere, nec tinea exedere potest, Gloria, sed solida & immutabilis, præ qua gloria omnis mundana, nihil aliud est quàm fumus & vanitas vanissima.

XXI. Huc pertinent etiam varii Typi, quibus Spiritus Sanctus felicitatem adumbrare voluit, qualis fuit *Terra Canaan* fluens lacte & melle, quæ aptissima fuit imago Terræ viventium & Canaanis cœlestis, quæ omni bonorum copiâ abundatura est. 2. *Jerosolyma* Civitas, cujus structura, status, gloria, & commoda prædicantur, sed quæ longè perfectiùs in Gloria futura sunt, quæ sub nomine Jerosolymæ cœlestis describitur, in qua spiritualiter impletur, Apoc. 21. quicquid de terrena olim dicebatur, ut fusè ostenditur Apoc. 21. 3. *Mosis Taber-*

Tabernaculum, & *Templum Salomonis* Psal. 84. 1. Eph. 2. 21. Apoc. 11. 19. & 21. 3. in quo umbra fuit Templi gloriæ, & Tabernaculi cœlestis, ubi Beati cum Deo sunt commoraturi Apoc. 21. 3. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit ipsorum Deus.* Non peregrinaturi sunt à Domino, sed Deus cum eis erit, & habitabit cum ipsis intimè, individuè & perpetuò, & ut ipsi populus ejus erunt, qui apertè & purissimè ipsum colent, ita Deus erit ipsorum Deus, eos amplectetur in filios, tutabitur, salvabit & glorificabit, & omnia sua, & se ipsum ipsis communicabit in æternum. In hoc augustissimo æternitatis Templo, quod extra Deum non quærendum est, siquidem Deus ipse & Agnus sunt istud Templum Apo. 21. 22. Ministerium, & cultus externus non amplius locum habitura sunt, desinet ænigmatica, specularis, & imperfecta Dei cognitio, immediata ejus fruitio supplebit omnia. Ibi veritas *Arcæ fœderis* dabitur Apo. 11. 19. in Christo, in quo, ut in Arca Deus præsens & propitius est, Lex impleta, & fœdus Dei ratum efficitur per propitiationem ab ipso factam; Et *Cherubinorum* gloriæ in societate Angelorum; *Candelabri* in Luce Agni Apoc. 21. 23. *Altaris aurei* in Intercessione Christi, & sacrificiis Eucharisticis, quæ in æternùm offeruntur Apoc. 1. 6. *Mensæ* in Dei communione & fruitione, quâ satiabimur ejus similitudine, & eo pascemur in æternum. 4. *Sabbathum*, quod fuit typus æterni sabbathi in cœlis peragendi, in quo Beati animâ & corpore à peccatis, calamitatibus & miseriis hujus vitæ requiescent in Deo Isa. 66. 23. *Erit sabbathum ex sabbatho*, & Heb. 4. 9. *Relinquitur sabbathismus populo Dei*, nimirum veris fidelibus Deo fœderatis supererit sabbathismus, non tantùm Euangelicus gratiæ, per pacem conscientiæ, & cessationem à peccati operibus servilibus; sed etiam cœlestis & æternus, ubi post confectos hujus vitæ labores debet dari æterna requies ab omni opere malo, & relaxatio ab omni miseria cum omni gaudio & tranquillitate. Alia plura idgenus symbola mittimus, quæ proponuntur in Apocalysi, *ut Manna absconditum, Calculi albi, Arboris vitæ, Vestimentorum alborum, Palmarum in manibus, pastionis copiosissimæ, & fontium vivarum aquarum*, quibus potandi sunt Beati. Ex quibus omnibus Spiritus Sanctus demonstrare vult statum illum fore omnis generis bonorum aggregatione & copiâ felicissimum.

Quæst. VIII.

Psal. 84. 1. *Eph.* 2. 21. *Apoc.* 11. 19. & 21. 3.

Apoc. 21. 22.

Cap. 11. 19.

Isa. 66. 23. *Heb.* 4. 9.

XXII. Porro ad augendam gloriam & magnitudinem istius felicitatis non parum facit. 1. Quòd *Deus se totum communicabit Beatis.* Bona terrena adeò sunt exigua, ut non possint pluribus dari, quin minuantur, eripitur alteri quod sibi quisque acquirit; non est hoc injustitia, sed bonorum nostrorum pusillitas, inquit *Seneca.* Sed ut bonum, quod possident Beati, est infinitum, communicatur omnibus totum indivisim; felicitas unius, aliis non præjudicabit, ut eadem lux tota omnibus & singulis sese communi-

QUÆST. VIII. cat; Ita & Lux æterna Beatis. *Deus tuus totum tibi erit*, inquit Augustinus in Psalm. 36. *Possidebit te totum integrum, totus integer. Totum habebis, & totum alius, quia tu & ille unum eritis.* 11. Quòd *idem bonum omnis generis gaudia producet, & satisfaciet omnibus desideriis.* Creaturæ qualescunque sint, quia finitæ, finitum etiam & limitatum usum habent, nec possunt mederi omnibus malis, vel procurare omnia bona. Lux illuminat, sed non nutrit, Cibus nutrit, sed non tegit, Vestes tegunt, sed non sanant, Medicamina sanant, sed non protegunt. Sed Beati in Deo invenient quicquid ipsis necessarium est, nam ut infinitus est, & fons inexhaustus omnium bonorum, habet etiam unde satisfaciat omnium necessitatibus, & desideriis. Idem qui illuminat, pascit, sanat, protegit, ditat, & omnia in omnibus operatur. 111. Quod *nec desiderium felicitatis anxietatem, nec fruitio tædium parit.* Cætera bona non possunt desiderari sine anxietate, quæ desiderantem excruciat; nec possideri sine fastidio. Absentia eorum nos torquet, & præsentia fastidit, quia eorum imperfectionem & vanitatem agnoscimus, & omne desiderium habet indigentiam, & dolorem comitem. *Ad quodcunque me convertero*, inquit Augustinus, *vilescit adeptum, quamvis accenderit desideratum.* Sed summum bonum sine anxietate desideratur, sine fastidio possidetur. *Sicut desiderium pœnam non generat, nec satietas fastidium parit. Deus non vilescit præsens, si amatur absens, necesse est ut plus habeat adeptio, quàm formabat cogitatio.* Augustinus sic idem alibi. *Est in eis desiderium, nec pœnam generat, quia desiderium omne transit in gaudium, dum præsto est quicquid optatur, & quicquid desideratur abundat.*

XXIII. Atque hinc perfectio beatitudinis oritur, quæ omnem defectum & miseriam excludit, omne tædium & fastidium aufert, & ita plenè appetitum satiat, ut extra illam nihil ulterius quærere, vel desiderare possit, quia in summi boni possessione acquiescit. Omne enim bonum, quod est infra summum, non potest perfectè beare, quia habet semper in se alicujus boni defectum, nec excludit omne tædium. Sed bonum infinitum appetitum explet & satiat cumulatissimè, quia Deum possidendo omnia possidet. Ideo per *satietatem gaudiorum & lætitiarum* in plurali describitur Ps. 16. 11. ad plenitudinem bonorum designandam, quæ est in fruitione Dei. *Fecisti nos Domine ad te.* inquit Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. *& irrequietum est cor nostrum, nisi quiescat in te.* Accedit cum plenitudine & *universalitate* bonorum, eorum tum *continuitas*, quæ nullam interruptionem, vel variationem, nec ad momentum patietur, propter continuam & constantem Dei fruitionem, tum *æternitas*, quæ nullum finem & terminum habitura est, quia æternam Dei æterni communionem dabit. Præsens hæc vita cum omnibus bonis suis fluxa est & momentanea, umbra fugiens, fumus deficiens, vapor citò transiens, flos egrediens, & statim exarescens. Sed cœlestis, constans

erit

erit & interminabilis, salus erit æterna, lætitia sempiterna, pondus æternum gloriæ supra modum excellentis, *pondus*, ut opponatur brevitati bonorum, & malorum præsentium, *pondus æternum* per antithesim afflictionum brevium & momentanearum hujus vitæ. Quæst. VIII.

XXIV. Cæterùm quæcunque adhibeantur symbola à rebus terrenis petita ad felicitatem istam adumbrandam, ea allegoricè usurpari, & mysticè intelligi debere semper observandum est; Ne hîc cum Mahumete fingamus delirium felicitatis terrenæ & carnalis, quæ habitura sit splendissima palatia, regales epulas, vestes sericas, choreas, annulos aureos, & paradisum terrestrem quibusvis voluptatibus & deliciis carnalibus circumfluentem, quod non semel in Alcorano suo tradit. Quæ brutorum sunt potius, quàm hominum, & ita absona sunt, & veræ hominum rationalium beatitati adversa, ut ea proposuisse sit refutasse.

QUÆSTIO IX.

Quænam sint Dotes & Qualitates Corporum glorificatorum?

I. Licèt in genere de beatissimo Vitæ æternæ statu superiori Quæstione dictum sit. Quia potest quæri in specie de felicitate Corporum glorificatorum, seu de Dotibus & qualitatibus, quæ illis competent, De istis etiam pauca subjicienda sunt, quatenus ex Verbo Dei habentûr.

II. Atque hîc in genere dicimus. Primò *Gloriam* Corporum posse spectari, Vel *negativè*, quoad eorum ἀπολύτρωσιν, seu Redemptionem, de qua Paulus Rom. 8. 23. per quam sunt vindicanda ab omni corruptione, mortalitate, peccato, miseriâ, vanitate ac omnibus malis, quibus per peccatum obnoxia facta sunt, quod Apostolus explicat per ἐλευθέρωσιν ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς, καὶ τῆς ματαιότητος, *liberationem à servitute corruptionis, & vanitate* Rom. 8. 21. à corruptione & vanitate, cui nunc obnoxia sunt, & servili ministerio quod exhibere tenentur hominibus. Vel *positivè* in *transformatione* gloriosa, ad similitudinem Corporis Christi glorioši, non ad substantiam mutandam, sed tantùm secundùm qualitates, quo sensu verbum μεταδχηαίτζεθατί, quô utitur Paulus Philip. 3. 21. sæpe sumitur pro accidentali tantùm mutatione. Rom. 12. 2. 1 Cor. 4. 6. 2. Cor. 11. 13. 14. 1. Pet. 1. 14. sicut & χῆμα propriè significat speciem & habitum externum 1. Cor. 7. 31. Philip. 2. 7. Hoc sensu Christus dicitur coram discipulis μεταμορφωθεὶς Matth. 17. 2. quando facies

Gloria Corporum spectatur in genere. 1. negativè Rom. 8. 23.

Phil. 3. 21.

QUÆST. IX. ejus instar Solis splendebat, non quòd substantia corporis fuerit abolita, sed *quia species vultus ejus facta fuit alia* Luc. 9. 18.

In specie quoad dotes, quæ sunt

III. Secundò in specie in *Dotibus* & qualitatibus variis, quæ illis competent, quas alii plures, alii pauciores enumerant, ad denarium numerum quidam, ad septenarium verò alii restringentes. Communiter Scholastici eas ad quatuor revocant, quæ sunt totidem lucis dotes, quæ in corporibus Beatorum fulgebunt, nimirum *claritatem*, *impassibilitatem*, *subtilitatem*, & *agilitatem*. Quæ non malè respondent quatuor qualitatibus, quas Apostolus tribuit Corporibus glorificatis 1. Cor. 15. 43. 44. 45. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute, seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Incorruptioni respondet impassibilitas, gloriæ claritas, virtuti agilitas, & spiritualitati subtilitas de quibus singulis aliquid dicendum est juxta Apostoli ordinem.

1. *Incorruptio.*

IV. Prima qualitas, quæ ipsis tribuitur, est ἀφθαρσία *Incorruptibilitas*, quæ consistit. 1. In *Immortalitate*, quatenus neque secundùm partes corrumpi, neque secundùm totum dissolvi poterunt, quia quod mortale est, à vita absorbebitur 2. Cor. 5. 4. & 1. Cor. 15. 54. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo scriptus, absorpta est mors in victoriam.* Eò pertinet, quòd *mors & infernus* dicuntur *mitti in stagnum ignis*, Apoc. 20. 14. id est, penitus deleri & extingui, ne ullam amplius in Beatos habeant potestatem, & quod cap. 21. 4. dicitur quòd *mors amplius non erit.* Ratio petitur ex remotione causæ; Mors est effectum peccati; At tunc peccatum erit planè expiatum & expurgatum. Ita erunt Beati in bono confirmati, ut non possint peccare, & ita in vita confirmati, ut non possint mori, ad instar Christi, qui semel mortuus peccato, non moritur amplius, sed vivit Deo Rom. 6. 9. & Angelorum, *Non poterunt ultra mori*, inquit Christus Luc. 10. 36. *æquales enim sunt Angelis.*

1. Cor. 15. 54.

Apo. 20. 14.

V. Hæc autem corporum immortalitas probè distinguenda est. 1. A *Dei immortalitate*, qui *solus dicitur habere immortalitatem*, 1. Tim. 6. 16. quia per essentiam & à se ipso per absolutam & omnimodam moriendi impossibilitatem immortalis est; Sed Beati per gratiam ex beatifica Dei visione. 11. Ab *Adami immortalitate*, quæ erat potentia non moriendi. August. lib. 22. de Civ. Dei cap. 30. *Prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori.* Sed ista erit absoluta moriendi impotentia. Illa limitata, quia ut poterat non peccare, poterat etiam non mori, si non peccasset; Sed quia Beati non poterunt amplius peccare, Ita nec poterunt mori.

1. Tim. 6. 16.

Prior

Prior immortalitas moriendi actum tollit, sed potentiam omnem moriendi saltem remotam non excludit. Posterior verò utrumque abolet. 3. Ab *Immortalitate Angelorum & animarum.* Illi enim, & istæ immortales sunt per gratiam Creationis, & propter immaterialem & spiritualem suam essentiam. Sed Corpora Beatorum erunt immortalia per singularem Dei dispensationem, & perfectam imaginis divinæ restaurationem. 4. Ab *immortalitate damnatorum*, qui in æternùm dicuntur vivere, ut in æternùm moriantur, *quærent mortem*, quæ finem imponat ipsorum tormentis, *sed mors fugiet ab ipsis*, Apoc. 9. 6. ita ut immortalitas ipsorum nihil aliud sit, quàm immortalitas pœnæ & mortis ipsius, sed Beatorum immortalitas erit ad gloriam & felicitatem. Illa non eximet à passionibus, quia non minus animabus quàm corporibus torquebuntur, sed ista conjuncta erit cum impassibilitate. Quæst. IX.

VI. Ad hanc immortalitatem pertinet *Impassibilitas*, per quam nullis omnino passionibus internis, aut externis erunt obnoxia. Non *internis*, quia nullus amplius erit in ipsis fomes concupiscentiæ, nulla peccati macula, nullum inordinatum πάθος, sed modis omnibus erunt pura & incontaminata. Hoc sensu Paulus dicit carnem & sanguinem non posse hæredare Regnum cœlorum, id est, quoad vitiositatem, aut miseriam. Non etiam *externis*, quia nihil erit amplius, quod passionem, aut dolorem aliquem ipsis inferre possit, divina irradiatio ea ab omni periculo, necessitate & malo tuta præstabit; *Non esurient, nec sitient amplius, nec cadet super illos Sol, nec ullus æstus* Apoc. 7. 16. *Mors non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra* cap. 21. 4. Ita nec ab intrinseco, nec ab extrinseco poterunt quicquam pati, perfecta sanitas & ἕυεξία ab omni morbo eos liberabit, & plena malorum omnium remotio, & bonorum possessio, ab omni miseria & periculo immunes reddet. Apoc. 7. 16. & 21. 4.

VII. Secunda qualitas, quam Apostolus tribuit corporibus glorificatis, est δόξα, seu *Claritas*, opposita ignominiæ. *Seminatur ἐν ἀτιμία, sed resurgit ἐν δόξα*, quæ alibi per splendorem, & lucem describitur. *Electi dicuntur fulsuri sicut Sol in Regno Patris* Matth. 13. 43. & 1. Cor. 15. 41. *Alia claritas dicitur esse Solis, alia Stellarum.* Ut verò ignominia notat vilitatem naturæ humanæ variis defectibus obnoxiæ, & præcipuè interitui. Ita gloria ista consistet in splendore & pulchritudine corporum, per quam fulgida, & coruscantia erunt instar Stellarum & Solis, oculis mortalibus vix aspectabilia. Cujus præludium & specimen quoddam in Mose sub Veteri Testamento fuit exhibitum Exod. 34. 29. cui ex colloquio cum Deo, tanta luce & splendore facies collustrata est, ut coactus sit velum faciei imponere, quia Israëlitæ non poterant in ejus fulgorem ἀτενίσαι. Idem specimen, sed longè illustrius sub Novo in Christi transfiguratione datum est, in qua facies ejus resplenduit sicut *Sol*, & *vestimenta* 2. *Claritas & gloria.* 1. Cor. 15. 41. Exo. 34. 29.

QUÆST. IX. *ejus facta sunt candida* Matth. 17. 2. Manabit autem ille splendor, tum à beata visione Dei, quem videbimus facie ad faciem, tum ab aspectu glorioso Christi in Regno suo exaltati; Et nihil aliud erit quàm gloriæ Dei irradiatio, ex qua fulgida reddentur corpora. Et sanè si radii Solis per vitrum, crystallum, & alia diaphana corpora penetrant, quidni radii Solis justitiæ corpora glorificata penetrarent, & præfulgida redderent? Ad istam gloriam pertinet restitutio Corporum, non in perfecta sanitate tantùm, sed & in integritate omnimoda, ut si quid habuerint mutili, reficiatur, & in ea statura resurgant, quæ glorioſis corporibus, & perfectissimis operationibus animæ beatæ in illis apprimè conveniat, quia in statu optimo & perfectissimo nihil imperfectionis superesse debet.

3. *Potentia* 1. Cor. 15. 44. VIII. Tertia qualitas est *Potentia & virtus* 1. Cor. 15. 44. *Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute.* Ut *Christus crucifixus est ex infirmitate, & vivit ex virtute Dei. Ita & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei* 2. Cor. 13. 4. Virtus autem ista posita erit, tum in Corporum robore, quæ valida erunt & robusta, ad quidvis efficiendum, quod quidem à Creatura effici potest, tum in agilitate & velocitate, quâ se promptissimè movere poterunt de loco in locum, ascendere, vel descendere, ut vel exemplo Christi clarum est. Utraque verò pendet ex causarum infirmitatis remotione; Quia nihil quicquam erit vel interius, vel exterius, quod sanitatem, robur, ac firmitatem corporum glorificatorum labefactare poterit, sed liberata ab inutili pondere carnis, plena erunt spirituum, adeoque agilia & velocia ad operationes suas promptè exercendas. Antea erant fragilia, infirmitatibus variis, & vicissitudinibus obnoxia, sed tunc futura sunt vegeta, firma, & fortia, ad munia sua ritè obeunda.

4. *Spiritualitas.* 1. Co. 15. 45. IX. Quarta est *Spiritualitas*, seminatur ψυχικὸν *animale*, resurgit πνευματικὸν *spirituale* 1. Cor. 15. 45. *Corpus animale* vocatur, cui vitam animalem præstat anima, quæ indiget cibo, potu, vestibus, quam per carnalem generationem propagat, & quæ cum brutis ipsis est communis, quodque per naturales animæ operationes regitur & sustentatur. *Spirituale* verò, quod præditum est qualitatibus spiritualibus, nec indiget amplius potu, cibo, vestimentis ad sustentationem vitæ istius animalis necessariis. Spiritualitas ergo ista non respicit ipsam corporis substantiam, quasi in spiritum transmutandum esset, sic enim non amplius corpus posset dici, sed spiritus, sed ratione qualitatum, primò quatenus corpora ab omnibus terrenis fæcibus & sordibus perfectè repurgabuntur, omnes sensus puriores, omnes motus & actus perfectiores reddentur. Deinde quòd eximentur à necessitatibus vitæ hujus animalis, somni, quietis, cibi, potus, medicaminum, vestium & similium, quibus quotidie egemus ad vitæ nostræ sustentationem, sed ἰσάγγελα futura sint Luc. 20. 36. Denique

nique quòd perfectè se subjicient Spiritui Sancto, & animæ per eum regenitæ, & sic spiritualibus tantùm actionibus vacabunt. Cujus causa erit perfecta regeneratio, tam corporis quàm animæ. Quæst. IX.

X. Unde perperam Sociniani ex hac spiritualitate colligunt, Corpora carne & sanguine, cute, & ossibus, & partibus organicis destituta. Quia aliud est esse spiritum, aliud esse spirituale, illud *substantivè* tantùm intelligi potest, hoc etiam *qualitativè*. Fingere autem vel spiritum corporeum, vel corpus spirituale substantive est oppositum in appositio statuere. Nec si Beati ἰσάγγελοι dicuntur fieri per resurrectionem Mat. 22. 30. hoc ad substantiam corporis spectat, sed tantum ad ejus dotes & gloriam.

XI. Sed nec ex ista spiritualitate possunt Ubiquistæ elicere illocalitatem, invisibilitatem, impalpabilitatem, & penetrabilitatem Corporum glorificatorum, ut serviant hypothesi suæ; quasi nec locò circumscribantur amplius, nec sub aspectum vel tactum cadant, vel penetrari ab invicem possint. Cum enim retineant semper naturam veri corporis, & istæ sint proprietates ejus inseparabiles, clarum est non posse talia illis tribui sine contradictione. Ut enim corpus est extensum, eo ipso debet esse circumscriptum, & quantum, certo locatum spatio, visibile, tactile, impenetrabile, & suis dimensionibus constans. Nec contrarium colligitur, Vel ex *spiritualitate* corporis, quia etsi qualitatum mutationem inferat, non abolet tamen veram corporis naturam & substantiam, ut diximus. Vel ex *Corporis Christi glorificatione*, quæ gloriam quidem illi tribuit, sed naturam non abstulit, ut suo loco visum. Vel ex *conformitate cum Angelis*, quæ immortalitatem, ἀγαμίαν, & similes Beatorum accidentales dotes spectat, sed non corporis substantiam, & proprietates ejus essentiales, aliàs mutandum esset in spiritum. Vel ex *subtilitate & agilitate corporum*, quia qualiscunque sit, non debet evertere corporis naturam, à qua extensio, localitas, & impenetrabilitas sunt inseparabiles.

QUÆSTIO X.

An dentur Gradus Gloriæ. Et utrum par futura sit in Cœlis Gloria, An verò impar & inæqualis?

I. QUæstio de Gradibus Gloriæ jam olim acriter disceptata fuit inter *Hieronymum & Jovinianum*, quorum iste inæqualitatem gloriæ ex inæqualitate meritorum, Ille verò æqualitatem ejus asserebat. Hodie

QUÆST. X. die dupliciter potest tractari, vel prout nobis intercedit cum Pontificiis, vel prout agitatur inter ipsos Orthodoxos. Cum illis quæstio necessaria est & de fide; Cum istis verò problematica, in qua potest dari dissensus salvâ fide & charitate.

Pontificiorum sententia de gradibus gloriæ & Aureolis.

II. Pontificii inæqualitatem gloriæ asserunt ex inæqualitate meritorum, quam illi instar fundamenti substernere solent. Hinc *Aureolarum* nata opinio apud ipsos, quas assignant certis hominum ordinibus, nimirum *Virginibus*, *Doctoribus*, & *Martyribus*, per quas notari volunt, ut Thomas observat quæst. 96. supplem. part. 3. gaudium quoddam de operibus, quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habent, & esse quid additum *aureæ* seu præmio essentiali, id est, gaudio, quô quis de conjunctione ad Deum gaudet. Alii volunt esse coronam specialem gloriæ, quâ Virgines, Doctores, & Martyres, vel heróïcà virtute, vel singulari certamine nobiles præ aliis in terra, donabuntur in cœlis. Et cùm pugnæ debeatur corona, ubi specialis ratio pugnæ, ibi deberi specialem coronam, quæ dicatur Aureola; *Virginibus* deberi propter singularem victoriam contra Carnem; *Martyribus* propter victoriam passionum Martyrii, & causam pugnæ; *Doctoribus* propter victoriam, quam obtinent adversus Diabolum per prædicationem & doctrinam. Nec inter se consentiunt Adversarii de dignitate istarum Aureolarum, An aureola Virginum sit potissima, An Martyrum? An unus eandem aureolam habeat intensiùs alio, & de aliis pluribus idgenus, circa quæ movent ζητήσεις μωρὰς & ἀπεράντους, quas illis relinquimus.

Refutatur.

III. Nos verò licèt non negemus dari gradus gloriæ, ut postea dicetur, figmentum Aureolarum istarum tanquam vanissimum procul esse volumus, ut jam à nobis observatum est Par. II. Quæst. V. sub finem, ubi variis rationibus oppugnata est meritorum omnium doctrina. Quibus addimus 1. perperam Doctores istos ἐμβατεύειν εἰς ἃ μὴ ἑωράκασι, temerè & præcisè determinando ea quæ Spiritus Sanctus expressè testatur oculum non vidisse, aurem non audivisse, & in cor hominis non ascendisse. 2. Si aureolæ consistunt in gaudio de operibus, quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habent, omnibus Beatis debent esse communes, quia omnes excellentem de Diabolo, mundo, peccato victoriam reportant. Rursus si Beati summo & infinito gaudio fruuntur, quod aliâ omnia absorbet, de conjunctione sua cum Deo, quomodo adjicitur longè minus & inferius pro peculiari præmio, gaudium scil. de operibus suis? Quartò excellens victoria, non tantùm quoad rem, sed etiam quoad gradum rei in omni virtute reperitur, quæ sibi opposita vitia domat, unde totidem aureolæ essent constituendæ, quot virtutes.

IV. Loca Scripturæ, quæ afferuntur, non huc pertinent. Nec Isa. 56. 5. 6. ubi *Eunuchis in domo sua & in muris suis locum & nomen melius*

Isa. 56. 5. 6.

melius quàm filiorum & filiarum datum se pollicetur Dominus. Quia locus agit non de præmiis Virginum, sed de Vocatione Gentilium, & Eunuchorum, qui excludebantur olim ex cœtu populi Deut. 23. 1. 2. 3. & qui per Euangelium habituri erant jus filiorum Dei, quod est nomen melius, quàm filiorum. Non Dan. 12. 3. Quia hinc bene colligitur differentia quædam gloriæ inter Doctores & fideles. Sed non sequitur talem diversitatem fore ex meriti diversa proportione. Non *diversitas certaminis*, quia cùm omne qualecunque sit, & martyrium ipsum sit debitum Deo, eò vocante, imperfectum, & opus gratiæ nullum mereri potest præmium, nedum cæteris excellentius, licèt Deus speciali gratiâ possit illud remunerari aliquo gloriæ gradu supra cætera bona opera. Quæst. X. Dan. 12. 3.

V. Sed quæstio ista inter Orthodoxos aliter instituitur. Nam qui gradus gloriæ ponunt, longè abeunt à Pontificiis; quia tales gradus non censent dari inæqualibus hominum meritis, quod omnes ex æquo negant contra Pontificios, sed ex mera Dei liberalitate & misericordiâ, ita ut & beatitudo ipsa, & gradus beatitudinis gratis dentur. Non Quæritur ergo, An detur inæqualitas gloriæ, ex inæqualitate meritorum? & An gradus ejus oriantur ex gradibus sanctitatis, & perfectionis Sanctorum in hac vita tanquam causa eorum meritoriâ? Quod utrique constanter negant. Sed tantùm, An detur aliqua inæqualitas in gloria Beatorum, & An varii sint ejus gradus? Secundò, Non Quæritur de *beatitudine objectivâ*, quæ in omnibus eadem erit, nimi. Deus summum bonum omnibus Beatis commune; Sed de *formali*, non quidem quoad *essentialia*, quæ consistunt in Dei visione ac fruitione, quæ futura sunt æqualia. Sed quoad *accidentalia*, quæ beatitudinis essentiam comitantur vel consequuntur. Tertiò constat inter omnes, Eandem fore Beatorum omnium felicitatem, Tum respectu *objecti*, quia ut jam diximus beatitudinis objectum commune omnibus erit Deus, Tum respectu *subjecti*, quia omnes animæ potentiæ, & omnia corporis membra cœlesti gloriâ donabuntur, Tum ratione *durationis continuæ & æternæ*, quæ eadem erit in omnibus, Tum ratione *securitatis*, quia omnes Beati æqualiter certi erunt nullum amittendæ felicitatis sibi imminere periculum, Tum ratione *immunitatis ab omni malo*, quia ex æquo omnes ab omnibus malis & periculis erunt liberati, Tum ratione *satietatis*, quia omnes plenissimè & perfectissimè satiabuntur illâ gloriâ, quæ unicuique à Deo obtinget. Id unum ergo quæritur. An præter identitatem gloriæ in istis, detur inæqualitas in aliis, sive in testimonio, quod Christus Beatis perhibebit, sive in animæ & corporis ornamentis, sive in aliis rebus, quæ ad essentiam felicitatis non pertinebunt, Quod negant varii, Nos probabilius censemus.

VI. Primò, Quia loca Scripturæ non pauca id non obscurè videntur innuere. 1. Daniel. 12. 3. *Erudientes splendebunt sicut splendor* Dan. 12. 3. *Gradus gloriæ probantur 1. ex*

QUÆST. X. *splendor firmamenti, & justificantes multos, quasi Stella in sempiterna sæcula.* Ubi Doctoribus qui per מַשְׂכִּילִים intelliguntur, promittitur peculiaris gloria supra salvandos; Licèt enim vox etiam intransitivè sumatur nonnunquam, & posset hìc sumi, ut factum à LXX. qui vertunt per συνιέντες *intelligentes* seu doctos, & prudentes, satius tamen videtur eam sumere *transitivè* propter sequens membrum, ubi res eadem ex more Prophetarum exprimitur diversis verbis, pro *Doctoribus*, qui alios erudiunt in cognitione Dei, qui dicuntur etiam מַצְדִּיקֵי *justificantes* multos, quia scilicet monstrant viam consequendi justitiam Christi, & institutione & doctrinâ suâ media ad justitiam adipiscendam ordinata ostendunt & applicant, & imprimis ducendo ad fidem, quâ justificamur. Ita Ministris ut instrumentis secundariis tribuitur, quod primariò & principaliter ad Deum pertinet, quo sensu alibi dicuntur *salvare* alios 1. Tim. 4. 16. Gratis verò supponitur nihil aliud dici his verbis à Propheta de Doctoribus, quàm quod dictum fuerat ℣. 2. de piis omnibus. Nam clarum est amplius aliquid dici, nimir. inter eos qui suscitandi sunt ad vitam, peculiarem fore gloriam Doctorum, additâ ratione, quòd multos erudierint & ad justitiam adduxerint. Ita communiter piis omnibus tribuitur vita æterna, sed istis singulariter major in vita æterna gloria & splendor, qualis videtur in Expanso & Stellis firmamenti. Nec si Christus alibi promittit omnibus justis splendorem Solis Matth. 13. 45. sequitur nullum discrimen posse à Daniele adhiberi in Beatorum gloria. Quia Christus loquitur absolutè & indefinitè, Daniel verò definite & comparatè conferens Doctores cum aliis suscitatis, quos erudierunt, ut ita eos potentiùs præmuniret contra pericula vocationis suæ, argumento peculiaris & singularis gloriæ, à quo major stimulus oriri poterat, quàm à communi & generali.

2. *Ex* 1. *Cor.* 15. 41. 42. VII. Secundò, Ex 1. Cor. 15. 41. 42. ubi diversitatem splendoris in Stellis notat Apostolus, *Alius*, inquit, *decor Solis, alius Lunæ, alius Stellarum. Stella enim Stellâ præstat decore, sic erit resurrectio mortuorum.* Ut verò gradus lucis statuuntur in Sole & Stellis, ita & gloriæ. Licèt verò Pauli scopus hoc loco propriè sit ostendere diversitatem corporis, quod ponitur in morte, & recipitur in resurrectione; Hoc non obstat tamen quominus similitudo ulteriùs extendi possit, & debeat. Nam cùm corpora cœlestia decore distinguat, non solùm à terrestribus, quod ad propositum principale faciebat, sed etiam ipsa inter se, satis clarè innuit, non solùm diversitatem fore corporum, sed etiam gloriæ disparitatem. Aliàs disparitas illa corporum cœlestium ad rem non faceret. Argumentum ergo Pauli eò redit; quòd quemadmodum corpora cœlestia non solùm à terrestribus decore differunt, sed etiam ipsa inter se decoris gradibus: Ita quoque corpora Sanctorum

ad

ad vitam æternam suscitatorum, non solùm à se ipsis plurimùm different, qua- Quæst. X.
lia fuerunt ante resurrectionem; sed etiam ipsa inter se secundum varios splendoris gradus. Quod peculiariter v. 42. videtur respicere, nam de illorum corporum discrimine agit, quibus competit quædam claritas vel Solis, vel Lunæ, vel Stellarum claritati respondens. At corporibus, quæ in morte deponuntur, nullus talis decor competit, siquidem ut expresè addit, v. 44. *Seritur in ignominiâ, & resurgit in gloriâ.* Nec si corpora nostra dicuntur conformia futura Corpori glorioso Christi, ratione splendoris & aliarum dotium, sequitur fore conformia in gradibus claritatis, vel Corpori Christi, vel inter se. Unde Theodor. bene observat fore conformia κατὰ τὸ ποῖον, sed non κατὰ τὸ πόσον.

VIII. Tertiò, Ex 1. Cor. 3. 14. 15. *Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet, si verò alicujus opus comburitur, multabitur, ipse vero servabitur, sic verò tanquam per ignem.* Ubi constat Apostolum loqui de Prædicatoribus & Doctoribus Ecclesiæ sub idea Architectorum, qui fundamento jam posito superædificant; Et eos in duos ordines dispescere, nimirum in eos, qui isti fundamento superstruunt aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, doctrinam veram, solidam, & salutarem, ipsique fundamento convenientem & homogeneam; Et eos qui lignum, fœnum, & stipulam, id est, doctrinam falsam, curiosam, vanam & inutilem illi superædificant. Et uniuscujusque opus dicit, utut latêre aliquandiu possit, incrustatum scilicet speciosis fucis & coloribus, suo tamen tempore manifestandum, quia *dies illud declarabit, & quale sit ignis probabit*, nimirum vel in luce Euangelii, & per ignem Spiritus Sancti, qui discrimen utriusque operis reteget, vel in die judicii novissimi, quò omnia opera retegi debent & discerni. Postmodum cœptam allegoriam persequens, docet quis divini in duo illa ædificantium genera, judicii ex tus futurus sit. Et de priori quidem genere, *Cujus opus manserit*, inquit, id. cujus operi admotus judicii divini ignis, aureum, aut argenteum fuisse patefecerit, quod superædificaverit, scil. solidam doctrinam, eum ait *mercedem accepturum*, scilicet à Domino in illo die, in quo laus unicuique debet esse à Deo. Sed quoad aliud genus, si *cujus opus arserit*, id est; vanum & non probi commatis esse judicabitur, *detrimentum patietur*, id est, privabitur operis mercede, quam probus architectus ex suo referet, *servabitur tamen ille, sed tanquam per ignem*, id. licèt sit multatus opere suo, non definet tamen salutis fieri particeps, quia supponitur retinuisse semper fundamentum. Ex quibus clarum est juxta Paulum, dari Doctores, qui præter salutem suam, reportant adhuc mercedem aliquam operis à se ritè præstiti, quâ alii destituuntur, quod non potuisset ab ipso dici, nisi agnovisset gradus aliquos gloriæ. Cæterùm quod dicit architectum minus probum servandum ὡς διὰ πυρός. Non

3. ex 1. Cor. 3. 14. 15.

QUÆST. X. favet Pontificiorum igni purgatorio. Nec enim dicit Apostolus talem servatum iri *per ignem*, sed tantùm *sicut per ignem*, quæ longè à se differunt. Nec quisquis velut per ignem servari dicitur, statim per ignem transire significatur: Nimirum hæc est proverbialis locutio, quæ difficultatem tantùm salutis notat, ducta ex communi hominum sermone, quò is qui ægrè & difficulter servatur, dicitur *ereptus quasi ex incendio*, δαλὸς σωθεὶς ἐκ πυρὸς *titio ex igne servatus*, ut est apud Amosum 4. 11. Id. iste, quanquam operis jacturam facturus sit, servabitur tamen, sed ægrè, nec sine discrimine, qualiter is qui per ignem evaderet.

4. Ex 2. Cor. 9. 5. 6. IX. Quartò, Ex 2. Cor. 9. 5. 6. *Qui serit parcè, parcè etiam metet, & qui serit benignè, benignè etiam metet.* Ubi quò largior beneficentia fuerit, eo largior remuneratio promittitur. Nec hoc debet restringi ad spirituales fructus in hac vita percipiendos, quia Apostolus optimus sui interpres, aliter rem declarat Galat. 6. 8. Tempus scilicet præsens esse tempus sationis, futurum verò tempus messis, ut qui in erogandis eleemosynis liberales sunt, non tantùm in hac vita, sed etiam in futurâ bonis spiritualibus & cœlestibus sint remunerandi; sive eleemosynas largiores, sive parciores fecerint, modò sincero corde, quia seminant Spiritui Gal. 5. 22.

5. Ex Parabola Luc. 19. 21. X. Quintò, *Ex Parabola minarum*, Luc. 19. 21. ubi diversitas lucri ex minis concreditis compensatur diversis præmiis, qui quinque minas lucratus est, constituitur super decem urbes, & qui duas supra duas; quod dici non posset, nisi daretur diversitas præmii, quæ respondet quadam proportione disparitati laboris. Frustra dicitur hoc intelligendum de statu præsentis seculi, respectu augmenti donorum, quia qui in paucis fidelis fuerit, & donis Dei bene usus fuerit, dignus redditur, ut ea ipsis augeantur & multiplicentur. Quia subordinata non pugnant, licèt habenti detur in hac vita, & dona sua novis donis in suis coronare soleat Deus; Ex eo inferri nequit, quòd illis non sint expectanda præmia in seculo futuro. Et non desunt rationes, quibus constet, parabolam ad remunerationem vitæ futuræ extendendam esse. Primò, quia agitur de Viro nobili peregrè abeunte, & post longum tempus redeunte, & rationem cum servis conferente ℣. 19. quod non alio potest pertinere, quàm ad Christum ascendentem in cœlum, & redeuntem in judicium novissimo die. Secundò Servi fideles jubentur intrare in gaudium Domini sui ℣. 21. Nequam verò ejicitur in tenebras exteriores. At clarum est utrumque demum in ultimo die fieri. Tertiò antecedens parabola Virginum, & subsequens descriptio judicii idem confirmat.

XI. Non magis urget, quod additur, *Istam diversitatem pertinere ad materiale parabolæ, non ad ejus formale, quod hic unicè sit spectandum, quod petitur à scopo Christi, qui est discipulos suos ad diligentem muneris sui executionem, & fidelem donorum suorum dispensatio-*

dispensationem hortari, ab utili seu præmio fidelibus servis proposito, hærendum ergo esse in præmio, non in gradibus præmii. Quia supponitur gratis hoc pertinere ad materiale parabolæ, non ad formale; Cùm deductio ipsius parabolæ apertè contrarium evincat. Quorsum enim tam sollicitè duas, vel quinque urbes memoraret, nisi ut respiceret ad diversitatem lucri, quod diversitati mercedis compensare vult Dominus? Nec obstat, quòd apud Matthæum cap. 25. idem videtur præmium assignari utrique servo, dum Christus iisdem verbis eos excipit, *Euge serve bone, & fidelis, in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam.* Quia aliud est Dominum utrumque servum super multa constituere, aliud idem præmium quoad gradum utrique largiri. Nam etiam qui super duas urbes præficitur, super multa constituitur, propter magnam præmii supra laborem excellentiam. Matthæus ergo in genere præmium commemorare contentus fuit, quod Lucas in specie designare voluit. Cæterùm per præfecturam Urbium allegoricè dignitas & gloria, ad quam evehendi sunt Beati designatur, ut sæpe alibi. Quæst. X.

XII. Sextò, Ab *Exemplo Patriarcharum*, Prophetarum, & Apostolorum, qui tanquam Antesignani & Duces fidelium proponuntur in gloria. Eò pertinet quod accubituri dicimur cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in Regno cœlorum, Matth. 8. 11. & quòd Lazarus moriens dicitur deportari in sinum Abrahæ Luc. 16. 22. tanquam communis Patris omnium fidelium Rom. 4. 11. 12. quod dicitur de Mose & Elia in transfiguratione Matth. 17. 3. Et de Apostolis Matth. 19. 28. & Luc. 22. 30. quum dicuntur Apostoli in παλιγγενεσία, seu mundi renovatione, quum Christus federit in throno suo, & ipsi *sessuri* sint 12. *thronis, judicantes duodecim Tribus Israël.* Quod dici non posset, nisi disparitas quædam esset gloriæ ipsorum, & gloriæ omnium fidelium. Quo respicit etiam quòd in inscriptione fundamentorum cœlestis Jerusalem peculiaris fit mentio 12. Apostolorum Apoc. 21. 14. & quòd Paulus Thessalonicenses suam gloriam & coronam fore in adventu Domini non temerè auguratur, *Quæ est nostra spes*, inquit 1. Thessal. 2. 19. *aut gaudium, aut corona gloriationis, Annon & vos in conspectu Domini nostri Jesu Christi?* Nec valet quod excipitur. 1. Agi de παλιγγενεσία gratiæ, non gloriæ, & de sessione non personali, sed doctrinali, quatenus doctrinæ Apostolicæ summa debebat esse in Ecclesia autoritas, ex qua judicium ferri debuit de fide & de vita hominum. Quia licèt eò possint utcunque verba referri, certum tamen hic præcipuè de παλιγγενεσία gloriæ agi ob verba adjecta, *quum Filius hominis sederit in throno gloriæ suæ*, & quod additur v. 29. de præmio quod reportaturi sunt, qui omnia propter Christum deseruerint, idem evincit. 11. Quod Apostolis hìc specialiter promittitur, alibi ad omnes Sanctos communiter referri 1. Cor. 6. 2. 3. & Apoc. 3. 21. Quia hoc intelligendum

6. *Ab Exemplo Patriarcharum.*

Matt. 8. 11. *Luc.* 16. 22. *Matth.* 19. 28. 2. *Th.* 2. 19.

Quæst. X. semper in suo ordine & gradu, non exclusâ honoris prærogativâ, quæ competit Apostolis, quomodo justi omnes dicuntur fulsuri in Regno cœlorum, ut Sol, Matt. 13. 43. qui tamen factâ comparatione inter se, ordine, ac gradu lucis distinguuntur 1. Cor. 15. 41. 111. Quòd Paulus non possit ab hac sessione & dignitate excludi, cùm plus cæteris laboraverit 1. Cor. 15. 10. Quia ut per numerum duodenarium non excluditur à Collegio Apostolorum, ita nec à communione Apostolicorum præmiorum, nam ut Apostolici muneris & laboris, ita quoque præmii promissi debet esse particeps.

7. Ex Joan. 14. 3. XIII. Septimò, Ex Joan. 14. 3. ubi Christus ait, *In domo Patris sui multas esse mansiones.* At ubi distinctæ sunt mansiones, ibi quoque verisimile est dari gloriæ gradus. Nec regerendum, *multas* dici *non diversas, ut multitudo tantùm, non disparitas* innuatur, ad amplitudinem Regni Dei notandam, ubi non uni solùm, vel paucis locus futurus sit, sed multis. Quia utrumque notari potest & multitudo, & ex multitudine disparitas, nam si æqualis debet esse gloria per omnia, cur opus erat commemorare distinctas mansiones? Cyrill. Alex. in h. l. *Dominus humano more de cœlestibus loquens, per multitudinem mansionum significavit, & amplam cœli capacitatem, & gloriæ differentiam.* Adde quod hæc domus non modò Beatorum, sed & Angelorum debet esse, quorum gloriam per omnia æqualem fore dici non potest.

8. A Rationibus. XIV. Octavò, Rationes etiam variæ huc afferri possunt. 1. Ex *retributione operibus promissa*, secundùm quam dicitur Deus redditurus unicuique secundùm opera sua: Ut ergo operum, & laborum ac passionum gradus sunt varii; Ita & præmiorum? Nec regi debet hoc simpliciter respicere qualitatem operis, ut bonis bene, malis malè sit. Nam licèt hoc verè dicatur, non intelligendum tamen exclusivè ad diversitatem operis; quia Apostolus 1. Cor. 3. 8. dicit, *Unumquemque recepturum suam mercedem, secundùm suum laborem.* Si ergo labor est diversus, diversa etiam debet esse merces. Ut ergo labores Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & aliorum Heroûm Ecclesiæ majores & graviores fuerunt, quis non judicet æquum esse, ut merces etiam quæ ipsis datur ex gratia, sit major? 2. Idem probatur ex *diversitate donorum* in hac vita, nam si diversâ mensurâ dona sua Deus impertitur hîc fidelibus Eph. 4. 7. gratia unicuique datur κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ 1. Cor. 12. 4. Rom. 12. 6. Quid mirum, si diversitas etiam sit præmiorum, siquidem Deus sua in nobis dona coronare amat? Quamvis enim charismatum discrimina ad incrementum Ecclesiæ in hoc stadio potissimùm necessaria esse censeamus, quæ ratio in cœlis cessatura est; tamen non facilè negandum credimus pro charismatum diversitate, & fructuum, quos quisque in hac vita tulerit copiâ & varietate, etiam futuram messem in altera, & Deum ipsum in piis vario fine & modo dona sua coronaturum.

XV.

XV. 3. *Pari*, Quia inter Angelos datur quædam diversitas ordinis & gloriæ, quò pertinent nomina Thronorum, Principatuum, & Potestatum, quæ illis tribuuntur Col. 1. 16. Eph. 1. 21. Quidni ergo inter Beatos daretur, ut hac ratione pleniùs Dei sapientia πολυποικιλος, & liberrima ejus bonitas declaretur; Et ut hos etiam respectu ἰσαγγελία nostra cum ipsis videatur? Licèt verò ministeria Angelorum cessatura sint in vita futura; Non ideo diversitas gradu[illegible] & ordinum, aliàs quidam Angeli deterioris redderentur conditionis, quàm fuere durante hujus seculi statu. Quod de abolitione Principatuum & Potestatum dicitur 1. Cor. 15. 24. non refertur ad bonos Angelos, sed ad malos, hostes scil. Regni Christi, vel ad Imperia mundana, quæ die novissimo abolenda esse constatex Dan. 2. 44. Quæst. X. 3. *A pari.* 1. Co. 15. 24.

XVI. 4. A *disparitate pœnarum* in inferno. Licèt enim illa oriatur ex diversitate peccatorum, & pœnæ sint debitæ, præmia verò indebita; Non obstat quominus, ut in inferno datur disparitas pœnarum propter peccatorum merita, Ita in cœlo sit disparitas præmiorum secundùm gratuitam Dei benignitatem. 4. *A Diversitate pœnarum.*

XVII. Patres plerique nobiscum faciunt Chrysost. hom. 41. in 1. Cor. *Quid ergo hinc discimus*, quum Apostolus ait, alia claritas Solis, alia Lunæ &c. *quòd etsi omnes sint in Regno, non tamen eadem consequentur & isidem fruentur.* Ambrosi. in Luc. 6. *Sicut incrementa virtutum, ita etiam incrementa sunt præmiorum.* August. Serm. 191. de Tempore, *Unam credimus esse Sanctorum vitam omnium, sed præmia pro labore diversa, & è contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia.* Et Serm. 143. *Sanctorum corporibus promissa est claritas & diversa species claritatis, Nempe unusquisque habebit in sorte sua, Patriarcha & Prophetæ in sua, Apostoli in sua* &c. Fulgentius de Fide ad Petr. cap. 28. *Diversa erit Sanctorum gloria, sed una erit omnium vita æterna.*

XVIII. Licèt Deus futurus sit omnia in omnibus 1. Cor. 15. 28. Non sequitur æqualem per omnia fore gloriam in Beatis, sed tantùm Deum in omnibus operaturum veram, solidam, & perfectam felicitatem, sed suo ordine & gradu in singulis, ut docet Apostolus ibidem ℣. 41. Ut in hac vita Deus operatur omnia in omnibus 1. Cor. 12. 11. non tamen æquali gradu, cùm in quibusdam plura & majora operetur, in quibusdam pauciora. Ita in cœlo erit omnia in omnibus, ut tamen quibusdam majorem, quibusdam minorem claritatem impertiatur. *Fontes Solutionum.* 1. Cor. 15. 28. 1. Cor. 12. 11.

XIX. Parabola laborantium in vinea, ubi in dispari labore datur omnibus idem denarius Matth. 20. 8. 9. non potest æqualitatem gloriæ probare, quia per denarium illum non potest intelligi vita æterna, quia datur etiam murmurantibus, & invidis, nec datus exsatiat, & datur illis qui recedere jubentur à Domino ℣. 14. & qui- *Matth.* 20. 8. 9.

QUÆST. X. & qui non sunt electi. ℣. 16. At vita æterna nec est portio murmuratorum, nec invidorum, nec eorum qui rejiciuntur, & ex primis fiunt ultimi, nec homines à Deo abducit, sed conjungit cum eo, nec ulli datur, cui non plenam afferat satietatem gaudiorum. Scopus ergo Christi est, non adstruere paritatem gloriæ in vita æterna, sed ostendere quòd vocatio ad Regnum Dei non nostris meritis, sed divinæ gratiæ superstruenda debeat, & quòd primi debeant esse novissimi, & novissimi primi, ut rejectione Judæorum, & Vocatione Gentilium visum est.

XX. Licèt Electio, Justificatio, & Adoptio sint æquales in omnibus fidelibus, ut & Sanguinis Christi pretium pro omnibus Electis æqualiter fusi. Non sequitur æqualem debere esse gloriam, Aliàs ex ista æqualitate non minus sanctificationis æqualitas colligi posset, quod tamen falsum. Jam pro hujus diversa in piis ratione ac gradu se habebit glorificatio. Sanguinis quidem Christi pretium æqualiter peccata omnium expiabit, sed iis quibus majorem sanctitatis copiam hîc dedit, majorem quoque gloriæ gradum largietur. Nec bene concluditur ex æqualitate sanctitatis in cœlis, æqualitas beatitudinis in omnibus, quia gloria cœlestis ex præsentis, non ex futuræ vitæ sanctitate metienda est.

XXI. Inæqualitas gloriæ, quæ supponitur esse in Beatis, non est nota imperfectionis in iis, qui minorem gloriam sunt habituri, quia talis statuitur inæqualitas, quæ nihil detrahat plenæ Beatorum consolationi, ut nihil desit ad eorum perfectam felicitatem, cùm Deus sit futurus omnia in omnibus, id est omnia immediatè operaturus, quæ faciunt ad plenam ipsorum felicitatem. Quod illustrari potest exemplo Luminarium, quæ singula in suo ordine perfecta, & tamen alia aliis præstant decore 1. Cor. 15. 41. Et Vasorum inæqualium, quæ omnia quidem implenda sint, sed majora quidem plus excipiant, minora minus. Sic Beatos omnes replendos gloriâ, & sic perfectè felices fore, sed tamen juxta cujusque ordinem & gradum. At ita tamen, ut in illis nulla invidia vel æmulatio, nullus dolor & ægritudo ex ista inæqualitate debeant esse, quia omnia desideria plenè satianda & explenda erunt.

XXII. Quòd Beati vocantur ex æquo filij Dei, qui hæreditatem pariter omnes adituri sint, quòd dicantur omnes Reges, Corpus, & Sponsa Christi; Non infert æqualitatem gloriæ in omnibus. Nam & in hac vita fideles iisdem titulis donantur, ubi tamen maxima donorum disparitas conspicitur. Licèt omnes filij hæreditatem adeant, quid obstat quominus peculiaris detur pro quibusdam prærogativa? Nec omnium Regum eadem majestas est & gloria. Nec omnia Corporis mystici Christi membra eodem honore gaudent.

XXIII. Quamvis modus & gradus istius inæqualitatis gloriæ nobis

nobis sit incognitus; nec à quoquam temerè sit definiendus; Non ideo res ipsa neganda est, quæ aliunde variis argumentis potest ostendi. Sufficit tenere dari quandam disparitatem, licèt qualis & quanta illa sit dici non possit. Quæst. X.

XXIV. Beatitudo objectiva, quæ in Deo posita est, non admittit gradus, quia est bonum summum & infinitum, sed formalis, quæ in possessione Dei, & communione ejus bonorum versatur, non est pariter infinita, & nihil obstat gradus aliquos in ea dari.

XXV. Ad quos verò gradus isti gloriæ pertinere debeant, solus Deus novit, qui eam servis suis paravit. Nec scibimus, donec accumbamus in Regno cœlorum cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo. Interim valde probabile est prærogativam illam fore eorum, quorum dignitas major, & labores ac certamina graviora fuerunt in hac vita, qualis fuit B. Virgo præ cæteris κεχαριτωμένη, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli ex locis Matt. 8. 11. & 19. 28. Apoc. 4. 4. & 21. 14. Doctores & Pastores Ecclesiæ ex Dan. 12. 3. & 1. Cor. 3. 14. Martyres & Confessores, qui multa passi sunt pro Christo, imò sanguinem suum ad obsignationem veritatis ex Apoc. 7. 9. 10. &c.

QUÆSTIO XI.

An Beati in altera Vita se invicem agnituri sint?

Affirm.

I. UT in Scriptura nihil expressè & disertè de hac Quæstione traditur; Ita nihil de ea necessariò credendum proponitur. Nec si quis vult ἐπέχειν, aut diversum ab aliis sentire, temerè est perstringendus. Interim communior sententia, in qua Lutherum fuisse ex postremis ejus sermonibus Sleidanus refert lib. 16. histo. est affirmans, quæ asserit Beatos se invicem agnituros. Ad quam etiam ut probabiliorem accedimus.

II. Observandum tantùm, Non hîc agi de qualibet cognitione, quæ hîc obtinet, quæ terrenos & carnales affectus includit, quia omnes illos affectus absorbebit unius Dei visio, & amor, in quo omnes Beati se invicem ex æquo amabunt. Sed de cognitione spirituali & divinâ, quæ defæcata erit ab omnibus terrenis cogitationibus & affectibus. Hoc sensu nihil obstare credimus, quin Beati se invicem sint agnituri, Pastor Oves, & Oves Pastorem, Viri Uxores, & Uxores Viros, Parentes Liberos, & Liberi Parentes, & propinqui propinquos, & eos qui præcipuæ dignationis fuerunt in Ecclesia, & qui majorem præ cæteris gloriæ gradum sunt habituri, *Status Quæstionis.*

QUÆST. XI. quales sunt B. Virgo, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, & alii quī præ cæteris hìc claruerunt. Rationes sunt.

Probatur beates se invicem agnituros.

III. Primò, A *conditione Vitæ æternæ*, & *perfectione felicitatis*, quæ omne bonum & gaudium debet continere. At hoc non parum facit ad complementum gaudii Beatorum, & cœlestis societatis vinculum. Ut enim Beati non tantum perfectam communionem habituri sunt cum Deo, sed etiam dulcissimum & familiare inter se consortium, ut constat ex Apocal. Ita cognitionem mutuam debent habere, sine qua non posset consortium illud ritè foveri. Nec enim cum ignotis, vel amicitia, vel consortium potest haberi.

1. *A conditione vitæ æternæ.*

2. *A pari.*

IV. Secundò, A *pari*, Si Adamus lumine Spiritus Prophetici agnovit Evam antea non visam, & dicere potuit quænam esset, & in quem usum à Deo condita Gen. 2. 23. Quidni Beati, luce Dei pleni, & ad imaginem Dei penitus restituti, se invicem in alia vita agnoscent?

3. *Ab exemplis.* *Matt.* 17. 7.

V. Tertiò, Ab *Exemplis* Apostolorum, qui Mosem & Eliam agnoverunt in transfiguratione Christi Matt. 17. 7. Nam si Petrus, Jacobus, & Joannes potuerunt in illa luce transformationis Christi, Mosem, & Eliam antea non visos, colloquentes cum Christo, agnoscere; Quis hanc notitiam denegabit Beatis in cœlum translatis, ubi & purius lumen, & clarior longè futura est cognitio? Si Abrahamus Lazarum in sinum suum receptum agnovit, Imò & Epulo in inferis; Quantò magis Beati socios & consortes felicitatis suæ agnoscent?

4. *A Gradibus gloriæ.*

VI. Quartò, A *gradibus gloriæ cœlestis.* Quia qui præ cæteris gloriâ eminebunt in cœlesti illa Beatorum panegyri, præ aliis etiam procul dubio poterunt agnosci, & de facto agnoscentur in gradu ad quem evecti erunt; quod non exiguum erit illorum gloriæ incrementum.

5. *A Pauli testimonio.* 1. *Thes.* 2. 19. 20.

VII. Quintò, A *Pauli testimonio*, qui vocat Thessalonicenses spem suam, coronam, gloriam, & gaudium suum in adventu Christi 1. Thessal. 2. 19. 20. *Quenam enim est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriationis? Nonne vos etiam coram Domino nostro Jesu Christo in ejus adventu? Vos estis gloria mea & gaudium.* Quomodo verò Thessalonicenses coronam suam & gloriam vocare posset in die Christi, nisi illos tum agniturus esset, tanquam filios carissimos, quos Domino genuit, & ipsi vicissim tanquam Patrem tenerrimum intuituri essent & amaturi? Si verò Apostolus de se hoc profiteri potuit, Idem etiam fideles Dei servi erga greges suos dicere poterunt.

VIII. Sextò, Quia pauperes dicuntur recepturi divites à quibus beneficentiæ & charitatis fructus receperunt in tabernacula æterna. Quod fieri non posset, nisi eos agnoscerent, & ab iis vicissim

6. *Ex Luc.* [illegible] *Luc.* 16. 9. *Ut cùm defeceritis dicant vos in æterna tabernacula, in-*

quit

quit Christus, *ex mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, vos recipiant in tabernacula æterna.* Vocat divitias *mammona ἀδικίας*, non tantùm quia sæpe injustè comparantur & conservantur, quia iis plerumque abuti solent homines ad pravos & injustos usus, quia eos tanquam irritamenta malorum ad injustitiam impellunt; Sed etiam quia tales divitiæ cœlestibus comparatæ, sunt mendaces, & adulterinæ, non veræ & propriæ, ex ℣. 11. ubi τὸ ἄδικον opponitur ἀληθινῷ. Vult ergo Christus divites, amicos sibi facere ex divitiis, ut illi non modò testes sint futuri beneficentiæ fidelium, sed etiam suo modo eos recepturi in tabernacula æterna, quatenus operibus charitatis erga ipsos præstitis retribuetur merces gratuita à Deo Matth. 25. Et ipsi vicissim benefactores suos amicè complectentur, in grati animi testimonium, & omnes simul Deum amplissimum remuneratorem sunt celebraturi in dulci præteritorum memoria. Quæst. XI.

IX. Quum Paulus ait 2. Cor. 5. 16. 17. *Se neminem secundùm carnem amplius cognoscere, & si Christum cognovit secundùm carnem, nunc amplius non nósse*; excludit quidem carnales & terrenos affectus, quibus homines moveri solent, sive ad res mundanas quærendas & captandas, sive ad hominum favorem sibi conciliandum; secundùm quos Christus ipse, dum in terris versabatur, potuit respici & coli. Ut *caro* hîc notet ea omnia, quæ ad vitam hanc animalem pertinent, uti sunt cognationes, amicitæ, scientiæ, divitiæ, & aliæ res & relationes externæ, quæ sunt hujus seculi, & juxta quas homines hîc se invicem cognoscunt, & amoris ac propensionis affectu se mutuò prosequuntur, & quomodo Christus in terris degens potuit ab iis cognosci, qui illum videbant, qui modus cognitionis non potest amplius locum habere post ejus Resurrectionem & Ascensionem, quia cognoscendus est tantùm spiritualiter, ut nihil mundanum de eo cogitemus, & sentiamus. Sed non ideo negat Apostolus cognitionem beatificam, quæ longè à priori illa differet. 2 Cor. 5. 16. 17.

X. Absentia amicorum & cognatorum, si qui sunt, qui felicitate excludentur; gaudium Beatorum non poterit perturbare, quia abolitus erit omnis carnalis affectus, quò fideles propinquos suos in hac vita sunt prosecuti. Et ut se invicem in Deo & propter Deum sunt amaturi; Ita nullum compassionis sensum habituri sunt erga eos, quos videbunt à Dei præsentia excluso, objecta iræ & maledictionis ejus æternæ. Imò in justis judiciis ejus lætabuntur, & ea pleno assensu sunt approbaturi Apoc. 14. 3. & 16. 7. & 19. 2. *O Deus omnipotens vera & justa sunt judicia tua.* Ita *lætabitur justus, cum viderit vindictam* Psalm. 58. 11. Hinc Beda rectè in Luc. 16. *Justi in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt, tantoque majores Redemtori suo gratias referunt, quantò evidentiùs vident in aliis, quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt.* Et Isido. lib. 2. de summo

QUÆST. XI. bono cap. 33. *Non faciet cor justorum miserum ex compassione damnatorum condolendi affectio, ubi tantum erit Sanctorum ex contemplatione Dei gaudium, ut tristitiæ nullus tribuatur introitus.*

QUÆSTIO XII.

Quodnam sit discrimen Ecclesiæ Triumphantis & Militantis?

I. EX iis quæ hactenus dicta sunt de Beatorum gloria, facilè colligitur discrimen, quod intercedit inter Ecclesiam, quæ in terris luctatur & militat, & eam quæ in cœlis triumphat & regnat, quod hîc in brevi tabella subjicere libet ad majorem felicitatis piorum illustrationem.

Duæ tantùm sunt partes Ecclesiæ, Triumphans & Militans.

II. Supponimus Corpus istud mysticum in duas tantùm partes dividi, Militantem, & Triumphantem. Nec audiendos esse Pontificios, qui tertiam suis somniis fingunt, scil. *dormientem*, vel *laborantem in Purgatorio*. Cùm enim duo tantùm loca in Scriptura memorentur, in quæ recipiendæ sunt animæ post hanc vitam, & suo tempore etiam corpora, cœlum scil. & infernus Luc. 16. 22. 23. & duplex tantùm via proponatur, alia spatiosa, quæ abducit ad exitium, stricta alia, quæ ad vitam ducit, ex dicto Christi Matth. 7. 13. 14. Nec possit esse nisi cum dæmonibus in inferno, qui non regnat cum Christo in cœlo, ut loquitur Augustinus lib. 1. de pecc. meritis & remiss. cap. 28. falsò & temerè fingitur tertius quidam locus, in quem vel animæ Patrum Veteris Testamenti post mortem recipiantur, vel animæ infantium sine baptismo morientium, qui *Limbus Patrum*, & *Infantium* dicitur, vel animæ piorum, quæ obstrictæ adhuc reatu temporalis alicujus pœnæ, vel onustæ venialibus quibusdam peccatis, ex hac vita migrârunt, tanquam in carcere detinentur, ut ibi per multa secula torqueantur, & satis patiantur, donec ritè expurgatæ beatitudinem cœlestem consequi valeant. Quod *Purgatorii* figmentum quanti sit emolumenti Pontificiis nemo nescit, ut mirum non sit eos pro illo retinendo, tanquam pro aris & focis tam acriter pugnare; Usque adeò ut *Cottonus* Jesuita ab ipso Dæmone petere non erubuerit locum aliquem Scripturæ illi firmando aptissimum, quem huc usque reperire isti homines non potuerant, referente Illustriss. Thuano lib. 132.

III. Sed commenti istius falsitas non obscurè colligitur ex variis, quæ à Nobis in hoc Opere dicta sunt, ut nihil sit opus in eo ulteriùs refellendo immorari. Tum ex perfectione Satisfactionis Christi,

Christi, & purgatione plena per ejus Sanguinem 1. Joan. 1. 7. Rom. 8. 1. Heb. 1. 3. & 10. 14. 17. Ex infinita Dei misericordia, & plenaria peccatorum remissione Ezech. 18. 20. Psal. 32. 1. Eph. 1. 7. Coloss. 2. 13. Ex felici fidèlium animarum decedentium statim post obitum statu, quibus in Domino morientibus ἀναπαυσις ab hoc etiam tempore dulcissimam à laboribus quietem gratulatur Spiritus Apoc. 14. 8. quò spectat Pauli ad Christum migraturi votum 2. Cor. 5. 8. Phil. 1. 23. & fidelium omnium privilegium à morte ad vitam, à terra in cœlum, à miseria ad gloriam statim transeuntium Joan. 5. 24. Luc. 16 22. Quæ omnia cum Purgatorii doctrina sunt ἀσύστατα. Quæst. XII.

IV. Ut verò Ecclesia ritè distribuitur in Militantem & Triumphantem; Ita *discrimen* quod inter utramque intercedit, non essentiale & specificum quoad naturam fingendum est, sed tantùm accidentale quoad *statum* & *gradum*. Cùm enim una tantùm sit Communio Sanctorum, & unicum Corpus Christi Cantic. 6. 9. Ut unicum est duntaxat ejus Caput, quô regitur, & unus Spiritus quô animatur Ephes. 4. 3. 4. Ita eadem est utrobique Ecclesia, quæ patitur & pugnat in terris, & quæ regnare & triumphare debet in cœlis, quæ hîc peregrinatur in via, & quæ quiescet in patria, Quæ hîc per ministerium Verbi colligitur, & paulatim promovetur; Et quæ ibi futura est perfecta, & immediatè Deo adhæsura, Quæ hîc multis nævis & infirmitatibus circumfusa, Et ibi futura est gloriosa sine ruga & sine macula, quæ hîc inchoatur in gratia, & ibi consummabitur in gloriâ. Ut spectanda sit juxta duplicem ejus statum, inchoatum & consummatum, mixtum & purum, ut frumentum in area, & in horreo; ut aurum in fodina & nondum defæcatum à scoriis suis, Et quod jam excoctum est igne, & plenè purgatum; ut domus quæ est in fieri, & quæ quotidie ædificatur, Et quæ jam facta est & perfectè ædificata.

V. Ita autem duo isti status ex Dei sapientissima dispensatione inter se sunt connexi, ut non possint à se invicem divelli, sed necessariò se comitentur & excipiant. Quemadmodum nemo Ecclesiæ triumpantis potest esse civis, qui militanti prius nomen non dederit, nec in illa quisquam coronatur cum Christo, qui cum ipso ritè non certaverit. Ita nemo Militantis verum est hîc membrum, qui suo tempore in triumphantem evehi non debeat; nec ullus albo fidelium adscriptus est in gratia, qui in Beatorum chorum non sit recipiendus in gloria. Quos enim semel Christus ad se venientes admisit, nunquam ejicit Joan. 6. 37. quia vinculum Communionis nostræ cum ipso est æternum, & ἀδιάλυτον. Ubi, omnibus eò perductis membris, celeberrima, & verè Catholica futura est panegyris, conspicieturque divina illa, ad quam tendimus, *Unitas*, quâ omnes in Deo unum futuri sumus, ut Deus erit omnia in omnibus.

QUÆST. XII. VI. Ut verò ſtatus & conditio longè inter ſe differunt; Ita & *occupationes & exercitia.* Hic ambulamus per fidem, non per aſpectum, Ibi verò fide in viſionem mutatâ, ſoli aſpectui locus dabitur. Hîc ſpes nos ſuſtentat, Ibi fruitio nos ſatiabit. Hîc Verbum & Sacramenta ſunt ſpecula, in quibus ſe contemplandum Deus exhibet, & media per quæ ad nos accedit. Ibi ſine velo & medio Deum facie ad faciem contemplaturi ſumus, & illo intimè fruituri. Hîc locus eſt gemituum & ſuſpiriorum, crucis & ærumnarum, quia ſumus in valle lachrymarum, ubi ab hoſtibus perpetuò impetimur, & malis innumeris premimur. Ibi verò gaudiorum & exultationis, quia ab omnibus malis liberati, nihil erit quod ultra tædium vel dolorem nobis afferre poſſit, nihil contrà, quod ſolidam & conſtantem lætitiam non conferat. Hîc precibus & votis locus ſemper erit, ad avertenda mala, quæ nobis imminent, & procuranda bona, quæ nobis deſunt. Sed ibi in abſentia omnis mali, & præſentia omnis boni, ubi nihil erit amplius quod timeamus, ſperemus, vel deſideremus, nihil opus erit precibus Deum fatigare, indigentiæ noſtræ teſtibus; Sed laudes & gratiarum actiones utramque paginam facient in hoc cœleſti Beatorum commercio, ut in æterno Sabbatho nunquam deſinamus tantorum bonorum Largitorem & Conſervatorem benedictionibus noſtris, & æternis laudibus celebrare; Gloriam illi dando ſapientiæ πολυποικίλε, potentiæ invictæ, juſtitiæ perfectæ, bonitatis inexhauſtæ, & miſericordiæ ineffabilis, & cæterarum proprietatum admirabilium, quas in operibus Naturæ & Gratiæ, in Mundo & in Eccleſia, In Creatione & Redemptione, In Collectione, Protectione, Sanctificatione, & plenâ Eccleſiæ ſuæ glorificatione exeruit, & in æternùm exeret.

VII. Hæc eſt æterna Dei *glorificatio*, quæ à Beatis tam animo quàm corpore exequenda eſt, Cujus varia exempla in Apocalypſi ſubinde leguntur capitibus 4. 5. 7. 8. 19. 20. 21. & modò ſub ſymbolo ſacrificiorum Euchariſticorum, & ſuffituum ſuper altari aureo offerendorum deſcribitur Apoc. 5. 8. & 8. 3. 4. modò ſub idea harmoniæ & concentus ſuaviſſimi cum Angelis peragendi. Unde mentio fit *Cithararum aurearum*, quæ ipſis dantur, tanquam inſtrumenta laudis & benedictionis, & *Canticinovi*, quod quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores dicuntur cantare Apoc. 5. 9. ut ita collectio innuatur totius Eccleſiæ tam Veteris quàm N. Teſtamenti, & multitudinis Beatorum, qui dicuntur projecturi coronas ſuas coram throno, ante pedes ſcilicet ejus à quo illas acceperant, ei ſoli ſe ſuaque omnia accepta ferentes, & teſtantes ſe quicquid habent juris à Deo accepiſſe, Gloriam illi dantes, & clamantes indefinenter, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus omnipotens, qui eſt, qui erat, & qui futurus eſt* cap. 4. 8. & cap. 5. 12. *Dignus eſt Agnus occiſus accipere potentiam, divitias, ſapientiam, robur, honorem, gloriam, & benedictionem.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO XIII.

Quæst. XIII.

An Beati Deum non tantùm mentali, sed etiam vocali sermone sint glorificaturi? Et An diversitati linguarum, An verò unicæ tantùm locus sit futurus?

I. DEum à Beatis in æternum esse glorificandum, superiori Quæstione probatum est, Et in eo potissimam, imò totam ipsorum occupationem positam esse. Nunc de modo istius glorificationis paucis etiam agendum, An mentali tantum & interno, An verò etiam vocali & externo sermone hoc fieri debeat? Et An unâ vel pluribus linguis?

II. Quoad prius. Extra dubium ponimus utrumque sermonem locum tunc habiturum. 1. Quia Deus ab homine toto, non minus corpore, quàm animâ, colendus est; Ut jam fieri præcipit in hac vita 1. Cor. 6. 21. *Redempti estis pretio, glorificate ergo Deum & corpore & animo quæ sunt Dei.* Si Corpus non minus quàm anima creatum est & redemptum à Deo, & ab eodem glorificandum, Quid justius quàm ut Corpus istud ab eo glorificatum, illum etiam glorificet tam opere quàm verbo? 2. Quia in Apocalypsi plures referuntur δοξολογίαι Beatorum vocali sermone expressæ Apoc. 5. 9. & 7. 9. 10. & 11. 16. & 12. 10. quæ licèt maxima ex parte sint allegoricæ, supponunt tamen usum sermonis externi tunc futurum. 3. Quia in transfiguratione discipuli intellexerunt Mosem & Eliam cum Christo colloquentes Matth. 17. 7. & Paulus in tertium cœlum raptus audivit verba ineffabilia 2. Cor. 12. 4. 4. Quia nullum potest dari inter homines commercium & colloquium nisi per sermonem externum.

III. Ad posterius, An futurus sit diversitati linguarum locus, diversimodè respondetur. Alii censent Deum in omnibus linguis laudatum iri, quia hoc videtur facere ad majorem Dei gloriam, quòd omnis lingua eum confiteatur ex Phil. 2. 11. ubi Apostolus dicit, *Ideo datum esse Christo nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur eum esse Dominum ad gloriam Patris.* Alii probabilius censent cessaturam in altera vita linguarum varietatem, ut uno labio Deus laudetur ab omnibus in perfecta symphonia, ut futuri sumus omnes unus populus, una civitas in cœlesti patria. *An diversitas linguarum in cœlo futura sit?*

IV. Atque eò non malè refertur, quòd 1. Corint. 13. 8. dicit Paulus quòd linguæ sint cessaturæ, *Prophetiæ abolebuntur, γλῶσσαι παύσονται, Linguæ cessabunt, &* [illegible] 1. Cor. 13. 8.

QUÆST. XIII.

rum varietas duplici potissimùm de causa data est hominibus, primò in pœnam peccati ad confundendos Babelis ædificatores. Secundò in gratiam fidelium, maledictione in benedictionem versâ, ad ædificandam Sionem, & congregandam Ecclesiam ex omni lingua & gente. Ita post abolitum peccatum, & congregatam Ecclesiam, ut nulla diversitatis linguarum necessitas est futura, nec illi locus futurus videtur.

Phil. 2. 11. V. Nec contrarium probatur ex Phil. 2. 11. Quia non aliud intendit Apostolus, quàm ostendere summam ad quam Christus à Patre gloriam evectus est, quæ ab omnibus Creaturis, tam cœlestibus, quàm terrestribus & subterraneis agnoscenda, ut se illi flectant, eumque adorent, vel voluntariè ut pii, vel coactè ut impii. Et *omnis lingua*, id est, omnes populi cujuscunque linguæ, sive Judæi, sive Græci confiteantur eum esse Dominum ad gloriam Patris. Ita passim linguæ pro populis & gentibus poni solent. Dan. 7. 14. Zach. 8. 23. & sæpe in Apocalypsi.

VI. Non fortius est, quod additur de perfectione cognitionis Beatorum, quæ extendi debeat ad cognitionem omnium linguarum, non minus ac scientiarum, ex qua sequatur Beatos dono linguarum præditos in omni lingua locuturos Dei magnalia, ut factum Die Pentecostes. Quia cognitio omnium linguarum vel earum exercitium, non magis facere videtur ad perfectionem felicitatis, quàm cognitio scientiarum, quam Apostolus cum linguis cessaturam dicit 1. Cor. 13. 8.

Qua lingua locuturi sint habituri in cœlo?

VII. Si ulteriùs quæritur, Quâ linguâ Sancti Deum sint celebraturi? non una est etiam omnium sententia. Judæi, ut Galat. li. 12. de Arca Reli. cap. 4. & alii statuunt Beatos linguâ Hebraïcâ in Dei laudibus & mutuis colloquiis usuros; quos sequuntur varii ex Patribus. Quia prima est & nobilissima omnium linguarum, & quæ sanctæ nomen obtinuit, quâ Adamus usus est in Paradiso, quâ usi sunt Patriarchæ, & Prophetæ, & Christus ipse tum in diebus Carnis suæ, tum post Ascensionem Hebraïca dialecto Paulum alloquens Act. 16. 14. quæque ideo per *labium electum* intelligenda sit, de quo loquitur Sopho 3. 8. & Sancti in Apocalypsi utuntur multis vocibus Hebræis, Amen, Halleluia &c. Apoc. 7. 9. &c.

VIII. Alii volunt Beatos locuturos linguâ Angelicâ respicientes ad lo-

1. *Cor.* 13. 1. cum Pauli 1. Cor. 13. 1. *Si loquerer*, inquit, *linguis hominum, imò & Angelorum, & non habeo charitatem, nihil sum, nisi æs resonans, & cymbalum tinniens.* Sed sine ratione ita loquuntur. Cùm enim Angeli sint meri spiritus, nec linguam habeant quâ loquantur, nec sermonem externum & vocalem à lingua formatum, quô conceptus suos exprimant, nec à nobis percipi potest quomodo inter se communicent conceptus suos, & à se invicem intelligantur. Quòd si leguntur in apparitionibus locuti; ut dicuntur

cur ambulâsse, comedisse, hoc intelligendum est impropriè ratione corporum in quibus apparebant, in quibus tales operationes edebant, movendo linguam illorum, & loquendo linguâ hominibus, quos alloquebantur, notâ & familiari, non ipsis propriâ & singulari. Nec locus Pauli eò pertinet; quia sermo ejus non est proprius, sed hyperbolicus, ad notandam linguam præstantissimam, quales essent Angelorum, si loquerentur: Ut sensus sit ex hypothesi, Si aliquæ linguæ Angelorum essent & eas tenerem, nec illis uterer ad proximi ædificationem, nihil aliud essem quàm vana & obstrepera loquacitas. Quo modo alibi facies Angelica sumitur pro facie præstantissima Act. 6. 15. quum facies Stephani Protomartyris visa est Judæis ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου ut facies Angeli. Ita manna vocatur *Panis Angelorum* Ps. 78. 25. id. optimus & suavissimus. Quæst. XIII.

IX. Sunt denique, qui, missis aliis sententiis, peculiarem aliquam linguam & sermonem cœlestem, his nostris longè nobiliorem & excellentiorem, Beatis infundendum censent, qui deceat os & corpus gloriosum, qui sit illis proprius, ut omnes eadem lingua Deum vocaliter laudent. Tum quia Paulus disertè ait linguas cessaturas, nimirum in hac vita cognitas & usitatas; Tum quia raptus in tertium cœlum dicit se audivisse *verba ineffabilia*, nimirum quæ captum humanum longè excedant, & quæ nemini mortalium in hac vita licet vel possibile est eloqui.

X. Atque hæc ipsa ratio ab ejus inquisitione nos revocare debet; Siquidem frustra in eo quærendo hic laboramus, quod nec Deus nos scire voluit, nec hujus vitæ est proprium. Expectandum ergo felix illud momentum, quô in plenam Dei visionem & communionem admissi, perfectè & sine velo perspecturi sumus, quæ nobis sunt adhuc impervia. Interea discamus in terris ea, quorum scientia permanet in cœlis, & inchoëmus in gratia, quæ perpetim acturi sumus in gloria. Ita tot & tantorum, quibus immensa Dei charitas nos beavit, beneficiorum memoriam grati recolentes, non desinamus corde, lingua & opere cum, & animo, & corpore glorificare, expectantes tempus illud beatum, quô ab eo corpore & animo plenè glorificati, illi æternum Halleluya concinamus.

XI. Quod superest, Cùm summa Dei benignitate jam fiat, ut vastissimum Theologiæ Elencticæ Pelagus ingressus, & feliciter emensus, Portum nunc sub ejus ductu lætus attingam; Quid justius est, quàm ut, positis aris, jam vota in littore solvam? *Tibi ergo, Deus ter Optime Maxime, Pater in Christo clementissime, Gratias non quas debeo, sed quas possum maximas, toto pectore habeo & ago, Quòd mihi indigno servo tuo, in hoc Opere, tuo nutu à me suscepto, benignè ita adesse non sis dedignatus, ut illud non inchoare tantùm, & promovere, sed ad optatum tandem finem perducere potuerim.*

QUÆST. XIII. *Nihil industriæ, nihil viribus meis tribuo, Totum hoc muneris tui est, Domine, qui virtutem tuam in infirmitate mea perfecisti, & me cacutientem & labantem Spiritu tuo direxisti, cujus gratiæ in solidum acceptum refero, si quid hîc à me præstitum ad Veritatis sacrosanctæ à Te nobis traditæ illustrationem. Sed quia frustra est qui plantat, & qui rigat, nisi addas incrementum. Da, Pater optime, propter Christum dulcissimum Redemptorem meum, ut qualescunque isti conatus mei ad Nominis tui sanctissimi gloriam, & Ecclesiæ tuæ emolumentum cedant. Da ut quantulum adhuc viæ & vitæ mihi supereſt divina tua misericordia transigendum, sub auspicio tuo, & gratiosissimo Spiritus tui præsidio in Vocationis meæ exercitio, & puro ac constanti Nominis tui cultu decurrere valeam; donec tandem, peracto molestissimo vitæ hujus itinere, in æternam requiem translatus, Te Deum & Servatorem meum in æternùm viventem & benedictum, in cœlesti Primogenitorum Panegyri æternis laudibus celebrare queam. Tibi verò Regi seculorum, soli sapienti Deo immortali, invisibili, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, adorandæ Triadi, sit honos & gloria in secula seculorum.* AMEN.

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc Volumine explicantur, vel vindicantur.

Prior Numerus Paginam, *Posterior* Thesim *notat.*

GENESIS.

Caput II. Versus 18. Pag. 285. Th. 17.
C. IV. v. 26. 50. t. 12
C. XIII. 15. 578. t. 22
C. XIV. 18. 595. t. 25
C. XV. 1. 681. t. 3
C. XVII. 7. 415. t. 8. & 460 t. 13. & 465. t. 5
v. 10. 11. 528. t. 11. 12
v. 11. 12. 13. 393. t. 7. & 461. t. 16
v. 14. 333. t. 10
C. XIX. 26. 563. t. 30
C. XXXII. 30. 683. t. 11
C. XLI. 26. 524. t. 7
C. XLVII. 26. 298. t. 21

EXODUS.

C. IV. 23. 231. t. 17
v. 25. 440. t. 9
C. VII. 19. 563. t. 30
C. XII. 11. 393. t. 7. & 528. t. 11. & 530 t. 14.
C. XIX. 22. 82. t. 11
C. XXII. 10. 371. t. 45
C. XXIV. 8. 599. t. 32
C. XXXII. 2. 5. 82. t. 11
v. 26. *ibid.*
C. XXXIII. 20. 683. t. 10. & 11

LEVITICUS.

C. V. 2. 3. 332. t. 10
C. VI. *ibid.*
C. VII. 15. 17. 332. t. 10
C. X. 10. *ibid.*
C. XIII. 2. 332. t. 10
C. XVII. 4. 332. t. 10
C. XXIV. 15. 371. t. 45
v. 16. 366. t. 33
C. XXVI. 9. 460. t. 13

NUMERI.

C. IX. 13. 333. t. 10
C. XV. 30. 31. 333. t. 10
C. XIX. 20. 333. t. 10
C. XX. 4. 41. t. 14
C. XXIII. 7. 129. t. 48
C. XXIV. 3. 129. t. 48

C. XI. 1. 231. t. 17
C. XIII. 14. 633. t. 11. & 662. t. 7

JOEL.

C. II. 28. 119. t. 49
C. III. 2. 12. 675. t. 21

MICHÆAS.

C. III. 6. 83. t. 12
v. 11. 303. t. 11
C. IV. 1. 2. 42. t. 16
v. 6. 658. t. 14

SOPHONIAS.

C. III. 8. 712. t. 7

AGGÆUS.

C. II. 14. 332. t. 10

ZACHARIAS.

C. VIII. 23. 712. t. 5
C. XIV. 20. 42. t. 16

MALACHIAS.

C. I. 11. 596. t. 27
C. II. 7. 92. t. 29. & 230. t. 17

JUDITH.

C. VI. 18. 8. t. 5

MATTHÆUS.

C. III. 6. 622. t. 23
v. 11. 410. t. 21. & 447. t. 11
v. 16. 426. t. 14
C. V. 8. 682. t. 7
v. 18. 665. t. 15
C. VI. 14. 41. t. 15. & 42 t. 16. & 62. t. 23
v. 17. 505. t. 10
v. 22. 29. 676. t. 2
C. VII. 15. 86. t. 17. & 254. t. 12
v. 16. 100. t. 12
v. 22. 23. 127. t. 44. & 129. t. 48
v. 23. 44. t. 21. & 18. t. 15
C. VIII. 11. 701. t. 12. & 705. t. 26
v. 14. 281. t. 10
C. IX. 20. 611. t. 19
C. X. 10. 301. t. 4
v. 40. 92. t. 30
C. XI. 22. 678. t. 9
v. 25. 94. t. 35
C. XII. 35. 668. t. 3
C. XIII. 11. 94. t. 35
v. 38. 524. t. 7
v. 40. 652. t. 1
v. 43. 699. t. 6
C. XIV. 19. 499. t. 12
C. XV. 1. 2. 83. t. 13
v. 9 321. t. 8
C. XVI. 18. 9. t. 7. & 16. t. 11. 12. & 44. t. 21. & 47. t. 8 & 50. t. 14. & 62. t. 22.
v. 19. 251. t. 7. & 333. t. 12. &. 621. t. 19.
C. XVII. 2. 691. t. 2
v. 7. 706. t. 5
v. 25. 294. t. 12
C. XVIII. 17. 10. t. 9. & 41. t. 14. & 92. t. 31. & 251. t. 7. & 333 t. 12. & 621. t. 19.
C. XIX. 11. 284. t. 15
v. 13. 466. t. 8
v. 18. 175. t. 5
v. 27. 281. t. 10. & 671. t. 10
v. 28. 701. t. 12. & 705. t. 26
C. XX. 8. 9. 703. t. 19
C. XXI. 41. 51. t. 15
v. 42. 183. t. 16
C. XXII. 1. 688. t. 20
v. 30. 695. t. 10
C. XXIII. 2. 122. t. 30
v. 8. 9. 165. t. 7
v. 14. 678. t. 9
v. 38. 657. t. 13

C. XXIV. 3. 4. 5. &c. 665. t. 9
v. 24. 59. t. 16. & 86 t. 17. & 127. t. 44. & 655. t. 9.
v. 26. 27. 569. t. 6
v. 29. 658. t. 15
v. 35. 665. t. 15
v. 40. 659. t. 16
C. XXV. 13. 653. t. 4
C. XXVI. 11. 569. t. 6
v. 24. 679. t. 10
v. 27. 503. t. 6. &c.
v. 29. 481. t. 6. & 554 t. 15
v. 65. 66. 83. t. 13
C. XXVII. 38. 523. t. 5
C. XXVIII. 3. 571. t. 8
v. 18. 670. t. 7
v. 19. 20. 3. t. 8. & 47 t. 9. & 62. t. 22. & 168. t. 10. & 175. t. 5 & 235. t. 4. & 322. t. 9. & 427. t. 15. & 429. t. 3. 12. & 439. t. 3. & 464. t. 3.

MARCUS.

C. I. 1. 446. t. 8
v. 4. 461. t. 14
C. VI. 13. 624. t. 31
C. VIII. 6. 499. t. 12
C. XIII. 32. 645. t. 7. & 653. t. 4
C. XIV. 23. 503. t. 6
v. 25. 481. t. 6
C. XV. 43. 523. t. 5
C. XVI. 16. 410. t. 20. & 433. t. 8
v. 20. 48. t. 9

LUCAS.

C. I. 32. 48. t. 10
v. 77. 446. t. 8
C. III. 3. 445. t. 5. & 461. t. 14
v. 34. 445. t. 5
C. VI. 22. 333, t. 11
C. VII. 5. 7. t. 2. & 5
C. VIII. 3. 302. t. 6
C. X. 7. 8. 301. t. 4
v. 16. 92. t. 30
C. XII. 32. 119. t. 25
v. 47. 48. 678. t. 9
C. XIV. 23. 362. t. 23
C. XVI. 9. 11. 706. t. 8. & 671. t. 9
v. 12. 701. t. 12
v. 22. 709. t. 3
v. 23. 676. t. 2
C. XVII. 20. 40. t. 12. & 647. t. 12
C. XVIII. 8. 51. t. 17
C. XIX. 21. 700. t. 10
C. XX. 36. 641. t. 8. & 694. t. 9
C. XXI. 655. t. 9
v. 33. 665. t. 15
C. XXII. 19. 479. t. 3. & 506 t. 11. & 568. t. 5. & 599. t. 33
v. 25. 26. 164. t. 4
v. 32. 50. t. 14
C. XXIII. 52. 523. t. 5
C. XXIV. 31. 571. t. 8

JOHANNES.

C. I. 12. 39. t. 8
v. 33. 445. t. 5
C. III. 5. 410. t. 22. & 435. t. 19
v. 16. 43. t. 18
v. 18. 671. t. 9. & 673. t. 15
v. 35. 668. t. 2
C. IV. 10. 573. t. 11
v. 23. 41. t. 13
v. 24. 42. t. 16
v. 31. 32. 33. 573. t. 11
C. V. 22. 668. t. 2. & 670. t. 7
v. 24. 709. t. 3
v. 28. 647. t. 13

v. 39. 86. t. 18
C. VI. 26. 573. t. 11
v. 37. 709. t. 3
v. 39. 40. 629. t. 3
v. 45. 239. t. 19
v. 50. 571. t. 9
v. 54. 671. t. 9
v. 55. 573. t. 12
v. 58. 45. t. 6
v. 61. 62. 63. 574. t. 13 & 576. t. 15
C. VIII. 31. 47. 99. t. 10
C. X. 16. 125. t. 40
v. 26. 15. t. 10
v. 27. 99. t. 9. & 254 t. 12
C. II. 50. 83. t. 13
v. 51. 129. t. 48
C. XII. 14. 642. t. 10
v. 50. 680. t. 2
C. XIII. 34. 664. t. 9
C. XIV. 3. 9. 702. t. 13
v. 16. 17. 48. t. 11. & 50. t. 14
v. 23. 99. t. 10
C. XV. 1. 574. t. 12
C. XVI. 7. 569. t. 6
v. 13. 91. t. 28
v. 23. 685. t. 16
C. XVII. 48. t. 9
v. 3. 680. t. 2. & 681. t. 3
v. 18. 569. t. 6
v. 22. 580. t. 28
v. 23. 26. 684. t. 15
v. 26. 682. t. 7
C. XVIII. 36. 44. t. 22. & 647. t. 12
C. XIX. 11. 293. t. 11
v. 36. 596. t. 26
C. XX. 19. 570. t. 8
v. 21. 22. 175. t. 5. & 323 t. 12. & 455. t. 9
v. 23. 621. t. 19
C. XXI. 15. 16. 186. t. 20

ACTA.

C. I. 7. 653. t. 4
v. 23. 255. t. 13
C. II. 38. 409. t. 17. & 445. t. 5. & 451. t. 4. & 461. t. 14. & 465. t. 5.
v. 41. 27. t. 8
v. 42. 3. t. 8. & 100. t. 11 & 498. t. 8. & 512. t. 20
C. III. 11. 183. t. 16
v. 21. 569. t. 6. & 645 t. 6. & 664. t. 10
C. IV. 12. 43. t. 18
C. VI. 3. 5. 6. 255. t. 13
C. VIII. 4. 239. t. 15. & 246. t. 17
v. 15. 615. t. 6
v. 16. 451. t. 4
v. 38. 426. t. 14
C. X. 42. 670. t. 7
C. XI. 20. 21. 247. t. 17
C. XIII. 2. 600. t. 35. & 626. t. 39
C. XIV. 23. 237. t. 9. & 255. t. 13
C. XV. 2. 176. t. 7. & 309. t. 11 & 323. t. 13. & 324 t. 18.
v. 3. 41. t. 14
v. 6. 343. t. 5
v. 22. 256. t. 13
v. 28. 313. t. 21
C. XVI. 4. 309. t. 11
v. 5. 9. t. 8
C. XVII. 31. 668. t. 3. & 670. t. 7
C. XVIII. 3. 247. t. 17
v. 22. 41. t. 13

C. XIX. 4. 5. 445. t. 5. & 448. t. 12. 14
v. 6. 615. t. 6
C. XX. 7. 498. t. 8. & 512 t. 20
v. 28. 41. t. 14. & 86 t. 17. & 224. t. 6 309. t. 9. & 626 t. 39.
C. XXI. 8. 9. 281. t. 10
C. XXII. 16. 393. t. 7. & 429. t. 6
C. XXV. 10. 295. t. 13

AD ROMANOS.

C. I. 20. 683. t. 11
C. II. 15. 16. 66. t. 4. & 672 t. 12. & 673. t. 15
v. 17. 28. 38. t. 8. & 110 t. 6
C. IV. 5. 9. 16. 23. 575. t. 14
v. 11. 392. t. 4. & 659 t. 16
C. VI. 3. 4. 426. t. 13. & 429 t. 6. & 451. t. 4
C. VII. 4. 523. t. 5
v. 14. 459. t. 6
C. VIII. 17. 39. t. 8
v. 19. 661. t. 6
v. 21. 691. t. 2
v. 23. 691. t. 2
v. 28. 50. t. 14
v. 33. 34. 50. t. 14
C. IX. 6. 38. t. 8
v. 33. 183. t. 16
C. X. 10. 63. t. 26
v. 15. 249. t. 23. & 236. t. 5
C. XI. 12. 15. 16. 656. t. 11. & 658. t. 14
v. 22. 55. t. 8. & 81. t. 7
v. 26. 61. t. 18
C. XII. 125. t. 40
v. 2. 691. t. 2
C. XIII. 1. 291. t. 8
v. 4. 5. 311. t. 14
C. XIV. 17. 40. t. 12
C. XVI. 17. 82. t. 10. & 338. t. 17

I. AD CORINTHIOS.

C. I. 12. 168. t. 10. & 211. t. 3
v. 14. 16. 429. t. 7. & 705. t. 26
v. 21. 235. t. 5
C. II. 15. 106. t. 24
C. III. 4. 211. t. 3
v. 8. 702. t. 14
v. 11. 136. t. 6. & 183 t. 16
v. 14. 15. 699. t. 8
v. 16. 42. t. 16. & 635. t. 16
v. 22. 254. t. 11
C. IV. 1. 2. 236. t. 6. & 309. t. 9
v. 6. 691. t. 2
v. 21. 337. t. 16
C. V. 3. 335. t. 1
v. 7. 416. t. 9. & 595 t. 26. & 596. t. 26
C. VI. 2. 670. t. 9
v. 11. 426. t. 13. 14
v. 12. 670. t. 8
v. 13. 637. t. 23. & 642. t. 12
v. 17. 31. t. 7. & 575 t. 14. & 576. t. 16. & 580. t. 28
v. 19. 635. t. 16
C. VII. 2. 9. 279. t. 7
v. 5. 286. t. 21

v. 7. 284. t. 15
v. 14. 467. t. 9
v. 18. 26. 285. t. 17
v. 19. 417. t. 14
v. 23. 322. t. 10
v. 31. 664. t. 10. & 691. t. 2
C. IX. 4. 5. 6. 281. t. 10. & 301 t. 3.
C. X. 1. 2. 3. 55. t. 8. & 414 t. 5. & 416. t. 9
v. 4. 393. t. 7. & 528 t. 11. & 529. t. 13
v. 16. 473. t. 7. & 498 t. 7. & 530. t. 15. & 580. t. 31.
v. 17. 410. t. 23
v. 21. 473. t. 6. & 599. t. 31
C. XI. 2. 15. t. 9
v. 18. 22. 8. t. 5
v. 26. 505. t. 9. & 554 t. 15.
v. 29. 577. t. 21
v. 34. 324. t. 18
C. XII. 167. t. 9
v. 12. 30. t. 4
v. 13. 14. 15. 171. t. 18. & 446. t. 7. & 531 t. 15. & 575. t. 14
v. 24. 31. t. 7
v. 28. 14. t. 7. & 309 t. 9.
C. XIII. 1. 712. t. 8
v. 4. 694. t. 8
v. 8. 711. t. 4
v. 8. 13. 684. t. 15
v. 9. 682. t. 8
v. 12. 682. t. 7. & 683. t. 11
v. 13. 681. t. 5. & 682. t. 8
C. XIV. 32. 310. t. 13
v. 40. 324. t. 18
C. XV. 648. t. 14
v. 12. 633. t. 13
v. 13. 14. 635. t. 18
v. 25. 26. 48. t. 10. & 645. t. 6
v. 28. 681. t. 3. & 703 t. 18
v. 37. 642. t. 10
v. 41. 42. 698. t. 7
v. 43. 44. 692. t. 3. & 694. t. 8
v. 45. 694. t. 9
v. 48. 641. t. 9
v. 50. 51. 52. 629. t. 3. & 637. t. 23. & 639. t. 28. & 659. t. 16.
v. 53. 641. t. 5
v. 54. 692. t. 4
C. XVI. 1. 324. t. 18
v. 3. 256. t. 13
v. 15. 239. t. 16

II. AD CORINTHIOS.

C. I. 21. 22. 420. t. 11. & 455 t. 9. & 616. t. 8
v. 24. 166. t. 8
C. II. 9. 313. t. 21
C. III. 16. 656. t. 11
v. 18. 42. t. 16
C. IV. 5. 167. t. 8. & 254. t. 11
v. 14. 633. t. 13
v. 18. 685. t. 17
C. V. 1. 688. t. 20
v. 4. 692. t. 4
v. 7. 681. t. 5
v. 8. 709. t. 3

v. 10. 635. t. 15. & 640 t. 3. & 668. t. 3
v. 16. 17. 707. t. 9
v. 17. 664. t. 9
v. 20. 236. t. 6
C. VIII. 13. 14. 302. t. 9
v. 19. 256. t. 13
C. IX. 5. 6. 700. t. 9
C. X. 4. 5. 362. t. 24
v. 8. 309. t. 10
C. XI. 5. 177. t. 8
v. 13. 14. 691. t. 2
C. XII. 11. 177. t. 8
C. XIII. 8. 505. t. 10
v. 10. 309. t. 10

AD GALATAS.

C. I. 8. 101. t. 12. & 254. t. 12
C. II. 6. 177. t. 8
v. 12. 13. 178. t. 9
v. 20. 580. t. 28
C. III. 27. 26. t. 7. & 426. t. 13 429. t. 6. & 446 t. 7.
C. IV. 3. 417. t. 14
v. 4. 652. t. 1
C. V. 1. 322. t. 10
C. VI. 6. 42. t. 16. & 303. t. 9
v. 15. 417. t. 14. & 664. t. 9
v. 16. 38. t. 8

AD EPHESIOS.

C. I. 10. 20. 30. t. 6
v. 21. 39. t. 9. & 46. t. 6
C. II. 7. 42. t. 16
v. 10. 664. t. 9
v. 20. 16. t. 11. 12
v. 21. 42. t. 16. & 689. t. 21
C. III. 15. 33. t. 2
v. 17. 42. t. 16. & 576. t. 16
C. IV. 4. 31. t. 8 & 32. t. 10
v. 5. 446. t. 7
v. 6. 32. t. 13
v. 11. 12. 167. t. 9. & 626. t. 39
v. 15. 16. 47. t. 6. & 49. t. 10
v. 30. 420. t. 11
C. V. 23. 25. 9. t. 7. & 14. t. 7. & 168. t. 10
v. 26. 27. 47. t. 6. & 409. t. 17. & 438. t. 22 & 460. t. 8. & 687. t. 19
v. 32. 578. t. 23. & 627. t. 43

AD PHILIPPENSES.

C. I. 1. 224. t. 6
v. 23. 709. t. 3
C. II. 7. 691. t. 2
v. 11. 712. t. 5
C. III. 3. 38. t. 8
v. 13. 14. 684. t. 13
v. 20. 21. 523. t. 5. & 641. t. 5. & 691. t. 2
C. IV. 10. 15. 16. 302. t. 6

AD COLOSSENSES.

C. I. 14. 687. t. 20
v. 15. 683. t. 10
v. 22. 523. t. 5
v. 27. 42. t. 16
C. II. 14. 50. t. 14
v. 17. 416. t. 12
C. III. 11. 34. t. 5
v. 14. 32. t. 9
C. IV. 10. 313. t. 21

I. AD THESSALONICENSES.

C. II. 19. 701. t. 12

19.20. 706.t.7
C.IV.2. 323.t.16
v.11. 313.t.21
C.V.12. 309.t.9
II.ADTHESSALONICENSES.
C.I.7.8. 669.t.4
C.II.3.4.&c. 84.t.15
v.3. 51.t.19.& 656.t.10
v.4. 68.t.16
v.9. 58.t.14.& 126 t.42
v.10. 127.t.44
C.III.6.14. 323.t.16
v.14.15. 338.t.17.& 341.t.23
C.IV.14. 633.t.13
I. AD TIMOTHEUM.
C.I.17. 683.t.10
C.II.2. 354.t.4
v.5. 587.t.10
v.15. 627.t.42
C.III.1. 238.t.13
v.2.4. 224.t.6.& 282.t.11.& 286.t.18.& 323.t.14
v.15. 91.t.29.& 315.t.3
v.16. 48.t.9
C.IV.1.2.3. 86.t.17.& 279.t.8.& 629.t.3
v.4. 482.t.7
v.11. 313.t.21
v.14. 237.t.9.& 626.t.37
C.V.7. 313.t.21
v.17. 309.t.9
v.19. 310.t.13
C.VI.14. 48.t.9
v.16. 683.t.10.& 692.t.5
v.17. 313.t.21
II. AD TIMOTHEUM.
C.II.4. 286.t.19
v.19. 39.t.8.& 42 t.16.& 50.t.14
C.III.13. 365.t.31
C.IV.1. 669.t.3
v.5. 231.t.18
AD TITUM.
C.I.5.7. 224.t.6.& 259 t.21.& 309.t.9
v.8. 286.t.18
C.II.15. 313.t.21
C.III.1. 291.t.8
v.5. 393.t.7.& 409.t.17.& 426.t.13.& 438.t.22.& 460.t.8
v.10. 338.t.17
v.12. 303.t.9
AD HEBRÆOS.
C.II.14. 50.t.14
C.III.13. 245.t.15
C.IV.9. 689.t.21
v.12. 126.t.42
v.14. 571.t.8
C.V.4. 237.t.8
C.VI.2. 668.t.2
3.4. 461.t.21
C.VII.26.27. 587.t.10.11.& 590.t.16
C.VIII.22. 417.t.15
C.IX.12. 587.t.10
v.14.15. 587.t.10
v.19 20. 599.t.32
v.22.24. 591.t.17
v.26. 590.t.16
v.27. 587.t.11.& 668.t.2
v.29. 939.t.29

C.X.1. 416.t.12
v.5.10. 523.t.5
v.10.12. 587.t.11
v.14. 589.t.14.&591.t.18
v.18. 589.t.14
v.15. 8.t.4
v.29. 578.t.21
C.XI. 575.t.14
v.4. 50.t.12
C.XII.18. 39.t.9
v.24. 17.t.13.14
v.27. 683.t.10
C.XIII.4. 278.t.6
v.10. 598.t.30
v.14. 42.t.16
v.17. 309.t.9.&313 t.21.&323.t.15

JACOBUS.

C.II.2. 8.t.4
C.III.2. 459.t.6
C.IV.12. 320.t.5
C.V.8. 655.t.8
14.15. 624.t.32
v.16. 622.t.22

I. PETRI.

C.I.5. 629.t.3.&688 t.20
v.6. 685.t.16
v.14. 691.t.2
C.II.5. 39.t.9.&183 t.16
v.6. 16.t.11
v.8. 672.t.12
v.13. 291.t.8
C.III.4. 38.t.8
v.15. 63.t.26
v.21. 409.t.15.&411 t.24.&426.t.14
C.IV.7. 655.t.8
v.17. 668.t.2
C.V.1.2. 179.t.11
v.3. 166.t.8.&186.t.20
v.13 194.t.11

II. PETRI.

C.II.1. 86.t.17
v.4. 671.t.11
C.III.7.10.11.12. 661.t.5

I. JOANNIS.

C.I.1. 680.t.2
v.9. 461.t.19.&622 t.24
C.II.1.2. 50.t.14
v.18. 86.t.17.&629.t.3
v.19. 20.t.18
v.20.27. 239.t.19.& 455.t.9.&616.t.8
C.III.1. 39.t.8
v.2. 683.t.11
C.IV.1.2. 5.t.13.&59.t.16.& 100.t.12.&254.t.12
v.16. 681.t.5.&682.t.7
C.V.13. 680.t.2
v.20. 680.t.2

II. JOANNIS.

v.9.10. 100.t.12
v.10.11. 338.t.17

III. JOANNIS.

v.9. 211.t.3

EPIST. JUDÆ.

v.4. 672.t.12
v.6. 671.t.11
v.14. 668.t.3

APOCALYPSIS.

C.I.18. 621.t.20
v.20. 525.t.7
C.II.1.&C.3. 230.t.17
v.5. 51.t.15.&101.t.14
v.17. 38.t.8
C.III.1. 110.t.6
v.4. 455.t.9

v. 7. 184. t. 18. & 621. t. 20
v. 20. 688. t. 20
C. IV. 4. 705. t. 26
C. V. 8. 9. 710. t. 7
C. VI. 12. 13. 659. t. 15
C. VII. 3. 68. t. 16. & 705. t. 26
v. 9. 10. 420. t. 13
v. 16. 17. 686. t. 18. & 693. t. 6
C. VIII. 3. 4. 710. t. 7
v. 10. 11. 12. 659. t. 15
C. IX. 6. 693. t. 5
C. X. 5. 6. 666. t. 16
C. XI. 1. 2. 3. 69. t. 16
v. 7. 368. t. 36
v. 19. 689. t. 21
C. XII. 3. 4. 659. t. 15
v. 6. 14. 58. t. 14
v. 10. 14. 52. t. 20
C. XIII. 3. 8. 10. 51. t. 19. & 119. t. 25
C. XIV. 4. 288. t. 26
v. 12. 679. t. 11
C. XVII. 18. 70. t. 18. & 86. t. 17
v. 3. 58. t. 14
v. 9. 12. 18. 525. t. 7
C. XVIII. 86. t. 17
v. 4. 69. t. 16
C. XIX. 47. t. 6
v. 1. 671. t. 9
v. 7. 688. t. 20
v. 9. 15. t. 9
C. XX. 4. 5. 6. 649. t. 16. & 670. t. 9
v. 10. 679. t. 11
v. 11. 666. t. 17
v. 12. 672. t. 12
v. 14. 692. t. 4
C. XXI. 658. t. 14. & 688. t. 21
v. 1. 663. 664. t. 8
v. 3. 689. t. 21
v. 4. 685. t. 16. & 693. t. 6
v. 10. 39. t. 9
v. 11. 688. t. 20
v. 14. 171. t. 17. & 692. t. 4. & 705. t. 26
v. 21. 23. 24. 25. 61. t. 18 & 685. t. 16 & 689. t. 21
v. 22. 689. t. 21

INDEX

RERUM ET VERBORUM

Memorabilium, quæ in hoc Volumine continentur.

A.

ABsolutio *Sacerdotalis Pontificiorum refellitur.* Pag. 620 Th. 18

Absolutio *Ministerialis, non Judicialis competit Ministris Euangelii.* 621. t. 20

Abstemiorum *communio non favet ablationi Calicis in Sacra Cœna.* 518. t. 35

Adoratio *Eucharistiæ refellitur.* 604. t. 6. 7. 8. *Antiquis eam incognitam fuisse probatur.* 608. t. 13

De Agapis *Veterum Christianorum.* 471. t. 3. 4. & 475. t. 11

Altare *physicum & mysticum distinguuntur.* 598. t. 30

Quomodo Christus sit nostrum Altare? ibid.

Amplitudinem *non esse Notam Ecclesiæ probatur.* 119. t. 25. 26. &c.

Antichristus *in Ecclesia Romana.* 148. t. 21.

Antichristi *Revelatio.* 656. t. 10

Antiquitatem *non esse notam Ecclesiæ probatur.* 111. t. 9. &c.

De Appellationibus *ad Episcopum Romanum, & ab eo.* 202. t. 9. 10. & 206. t. 19, 20.

Apostolorum *æqualitas probatur.* 175. t. 5. & 8.

Apostasia *universalis, qualis describatur à Paulo.* 51. t. 19

Aspersio *in Baptismo rite adhibetur.* 425. t. 11. 12

Aureolæ *Pontificiorum refelluntur.* 696. t. 2. 3.

Autoritatis *viam longiorem & difficiliorem esse via Examinis probatur.* 4. t. 12. 15

Azymitæ *quinam fuerint?* 481. t. 5

Azymus *panis non est necessarius in Cœna.* 480. t. 5

B.

Babylon *mystica, Roma, non Ethnica, sed Papalis.* 149. t. 22. 23

Baptismus *quid, & quotuplex sit?* 421. t. 1. 2. 3. *Ejus Etymon.* 422. t. 4.

Homo-

Homonymia. t. 5. 6. *Distinctiones.* 423. t. 6. 7. *Error.* 424. t. 10. *Materia Externa.* t. 11. *Materia Interna & Forma.* 426. t. 13. 14. *Subjectum.* 427. t. 15. *Finis.* t. 16.

Baptismum *non fuisse tantùm ritum temporarium, discriminantem fideles ab infidelibus, sed usus esse perpetui, probatur.* 428. t. 1 2. 3. *&c.*

Baptismi *necessitas quænam sit? Probatur esse præcepti, non medii.* 433. t. 6. 7. 8.

Baptismum *Laïcorum & Mulierum illicitum esse, ostenditur.* 439. t. 3. 4. *&c.*

An Baptismus, *ab hæreticis administratus, sit Legitimus?* 441. t. 1. 2. 3

Baptismum *Johannis eundem fuisse essentialiter cum Baptismo Christi, probatur.* 444. t. 1. 2. 3

An Baptismi *formula à Christo præscripta in administratione ejus observanda sit, & quid importet?* 450. t. 1. 2.

Utra formula Baptismi, Græcorum aut Latinorum sit melior? 451. t. 5

Baptismum Romanum in variis corruptum esse, probatur. 452. t. 2. 3. *&c.*

Quænam sit Efficacia Baptismi? 458. 459. *&c.*

Baptismum ad peccata futura extendi, probatur. 460. t. 12. 13. *&c.*

Beatitudo *objectiva & formalis.* 681. t. 3.

Quænam sint ejus partes? ibid. t. 6

De Bonis *Ecclesiasticis.* 305. t. 17. 18. 19.

C.

Calicis *usus necessitas probatur.* 503. t. 6. 7.

Calix *multiplex, Passionum, Consolationis, & Laudis.* 519. t. 38

Canones *& Constitutiones Pastoribus condere licet.* 324. t. 18

Eorum authoritas. t. 20

Quomodo differant à Legibus propriè dictis 320. t. 4.

An Cathecumeni *non baptizati pertineant ad Ecclesiam?* 25. t. 1. 2. *Quomodo distinguantur à fidelibus?* 27. t. 9

Cathedra *Mosis quid sit?* 122. t. 30

Catholica *Ecclesia quot modis dicatur?* 34. t. 5. 6. 7

Catholicum *nomen non est nota Ecclesiæ.* 110. t. 6. 7. 8

An Character *aliquis indelebilis in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimatur in anima?* 418. t. 1. 2. 3

Chiliast. 643. t. 1. 2. 3. *Alii crassiores sunt, alii moderatiores, utrorumque sententia refellitur.* ibid. 644. 645. *&c.*

Christum *solum esse Caput Ecclesiæ, probatur.* 167. t. 10. 11

Christus *Judex in extremo Judicio.* 669. t. 7. 8

De Claritate *Corporum glorificatorum.* 693. t. 7

Claves *Dominii, & Ministerii.* 184. t. 18.

Clavium *potestas data Ecclesiæ.* 251. t. 7

De Clericorum *Immunitate.* 289. 290. *&c.*

Codex *Canonum Ecclesiæ Universalis, & Africanæ.* 326. t. 28

Co-

Cœlibatus *perpetuus ex Instituto Dei Ordini sacro necessariò non est servandus.* 275. t. 1. 2. 3

Sacra Cœna *quid sit, & quibus nominibus præcipuè tam in Scriptura, quam apud Veteres insigniatur?* 471. t. 1. 2. 3. *&c. à Domino cur instituta? & quibus partibus constet?* 479. t. 1. 2. *Institutionis triplex finis.* 479. t. 3. 4. *S. Cœnæ materia duo Symbola* 480. t. 4. *forma.* 485. t. 13. 14

Communionis *seu κοινωνίας nomen cur Cœnæ datum?* 473. t. 7

Communio *sub una specie unde orta?* 500. t. 1. 2. *&c. Constantiensis Concilii Decretum circa eam, Tridentinâ Synodo confirmatum.* 501. t. 3. 4

Communionis *sub utraque specie necessitas.* 500. &c.

De Communione *morientium.* 515. t. 28

De Communione *domesticâ, Infantium, Laica, Præsanctificatorum.* 516. t. 29. 30. 31. &c.

De Conciliorum *Indictione, Præsidentia, & Autoritate.* 342. 343. &c.

De Concilio *Tridentino quid sentiendum? & cur à nobis rejiciatur?* 348. t. 24. 25

Concomitantia *rejicitur.* 513. t. 22

Confessio *auricularis refellitur.* 143. t. 15. *&* 619. t. 16

Confessio *mutua fidelium.* 622. t. 22

Confessio *oris, an semper requiratur?* 63. t. 26

Confessionem Adversariorum *non esse notam Ecclesiæ, probatur.* 129. t. 50

Confessiones *& formulas consensûs facere, ad Ecclesiam pertinet, quarum necessitas, & autoritas ostenditur.* 317. t. 7. 8. 9. 10

Confirmationem *non esse Sacramentum, probatur.* 615. t. 5. 6

Conjugium *Ministris sacris est licitum.* 275. t. 1. 2. 3

Consecratio *in Eucharistia non fit pronuntiatione secretæ verborum,* HOC EST CORPUS MEUM. 488. t. 1. 2. 3. *Sed per benedictionem.* 490. t. 6. 7. *& altâ voce.* 492. t. 17. 18

De Consummatione *seculi, Ejus annum & diem ignotum esse, probatur.* 653. t. 4

Cultus *Latriæ seu Adoratio non debetur Sacramento Eucharistiæ.* 602. t. 1. 2

Cultus *omnis religiosus qui exhibetur Creaturis, est idololatricus.* 139. t. 11

Cultus *Relativus Imaginum refellitur.* 141. t. 13

D.

Deum *in cœlis videri non posse oculis corporeis, sed sola visione spirituali, probatur.* 683. 684

Dictatus *Papæ Gregorii Septimi.* 259 t. 15

De Disciplina *Ecclesiastica, & Excommunicatione.* 327. t. 2. 3

Dionysium *Areopagitam non esse autorem libri de Hierarchia Ecclesiastica, ostenditur.* 233. t. 26

De Dispensatione *Legum divinarum*

rum à Pontifice Romano usurpatâ. 145. t. 17
Doctrinæ *veritatem esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 99. t. 9. 10
Duratio *perpetua non est Nota Ecclesiæ.* 118. t. 22

E.

Tractationis de Ecclesia *Necessitas.* 1. t. 1. 2. 3.
Ecclesiæ *Cognitio non debet præcedere cognitionem fidei.* 3. t. 7. 8. 9
Ecclesiæ *Etymon.* 7. t. 1. *homonymia,* 8. t. 5. *Triplex ejus acceptio pro* Ecclesia Invisibili, Visibili, & Repræsentativa. 9. t. 7. 8. 9
Definitio. 10. t. 10
Ecclesiam *ex solis Electis vocatis constare, probatur.* 14. t. 7. 8. 9
Ecclesia *quo sensu* Catholica *dicatur?* 32. t. 1. 2. 3
An vera Ecclesia *sit* Indefectibilis? 45. t. 1. 2. 3. 4.
An sit Infallibilis? 77. 78. *&c.*
An recte dicatur Invisibilis? 35. t. 1. 2. *& quo sensu.* ibid.
Ecclesia *quo sensu* Una *dicatur?* 29. t. 1. 2. 3.
An Ecclesia *debeat esse in perpetuo splendore?* 52. t. 1. 2. 3. *&c. Eam sæpe obscurari probatur.* 54. t. 7. 8. 9
Ubinam Ecclesia Reformata *fuerit ante Lutherum & Zwinglium?* 64. t. 1. 2. 3. *&c.*
Quo sensu Ecclesia *nostra fuerit ante Reformationem.* 67. t. 14. 15. *& quibus modis conservata fuerit.* 72. t. 25. 26. *&c.*
Ecclesiam *Romanam hodiernam, veram non esse Ecclesiam Christi.* 135. 1. 2. 3. *Sed hæreticam, & Idolatricam esse, ac in fundamentis errare, probatur.* 137. t. 7. 8. 9
Ecclesias *Euangelicas & Reformatas esse veram Ecclesiam Christi, ostenditur.* 153. t. 1. 2. 3. *&c.*
Ecclesiæ *veram Notam esse Doctrinæ veritatem, & Conformitatem cum Dei Verbo, probatur.* 98. t. 8. 9. 10
Ecclesiæ *militantis & triumphantis discrimen.* 708
Ecclesiæ *Regimen non debet esse Monarchicum.* 164
Ecclesiæ *non competit Potestas proprie Legislatoria.* 319. 320. *&c.*
De Ecclesiæ *politica Gubernatione.* 353. 354. &c.
Ecclesiastica *potestas probatur.* 306. 307. *distinguitur à Politica.* 310. t. 14. *Quomodo versetur circa dogmata fidei?* 314. t. 1. 2. 3
Episcopatus *non est ordo aut gradus Hierarchiæ Ecclesiasticæ à Presbyteratu distinctus, & superior Jure divino.* 222. t. 1. 2. 3
Episcopi *& Presbyteri distinctio quando, & quomodo in Ecclesiam introducta?* 228. t. 13. 14. &c.
Quomodo Episcopus Romanus *primum inter Patriarchas locum usurpaverit?* 215. t. 9. 10. &c.
Eucharistiæ *nomen cur Cœna datum?* 472. t. 5
Εὐλογία *quare de Cœna dicatur?* ibid.
In Eucharistia *Christus non est præsens corporaliter, nec oraliter manducatur à fidelibus.* 565. t. 1. 2
An Excommunicati *sint Ecclesiæ membra?* 27. t. 11. 1
De Excommunicatione *& Disciplina Ecclesiastica quid sentiendum?* 32 t. 2 3. &c.

Ex

Excommunicationis *justitia probatur.* 331. t. 9. 10. &c.
De Excommunicationis usu in Ecclesia Judaica veteri. 332. t. 10. 11
Circa Excommunicationem, veteris Ecclesiæ Praxis. 339. t. 19
Extremam Unctionem *non esse Sacramentum, probatur.* 624. t. 29. 30

F.

Facere *non est Sacrificare.* 600. t. 33
Fanatismus *malè tribuitur Reformatis.* 163. t. 16
Felicitatem Temporalem *non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 130. t. 52
Fermentarii *quinam fuerint?* 481. t. 5
Fractionis Panis *nomen cur Cœnæ datum?* 474. t. 8
An Ritus fractionis Panis *sit necessarius in administratione Cœnæ? affirmatur.* 495. 496. &c.

G.

Gaudium *pars erit felicitatis æternæ.* 685. t. 16
Gehenna *pro Inferno unde dicta.* 676. t. 2
De Cœlesti Gloria. 685. t. 17. 18. 19. &c. *Ejus varia nomina, & Typi.* 688. 689. *Quanam sit Gloria Corporum glorificatorum?* 691. t. 2. 3. &c.
Gradus Gloriæ *dari, probatur.* 695. 696. &c.
Guicciardini *Judicium de Primatu Papæ.* 221. t. 19

H.

Hæresiarchas *blasphemos licere occidere, probatur.* 370. t. 43. 44. &c.
An Hæretici *sint puniendi?* 365. *Coërceri quidem posse.* 366. t. 32. 33. *Sed quosvis capitali supplicio plecti non debere, probatur.* 367. t. 35. 36. 37. &c.
Hæreticorum *baptismus an sit legitimus?* 441. 442. &c.
Hierarchia Papalis *nullum fundamentum habet in Verbo.* 23. t. 5
Hostiæ Circumgestatio *refellitur.* 609. t. 14.

I.

An Ignis infernalis *futurus sit Corporeus?* 677. t. 5. 6
Imaginum *Cultus Idololatricus.* 141. t. 13.
Immortalitas *Beatorum qualis futura sit?* 692. t. 4
Immunitas *Clericorum.* 289. 290
Impassibilitas *Et* Incorruptibilitas *Corporum Glorificatorum.* 693. t. 6
Inæqualitas *pœnarum Inferni.* 678. t. 9
Independentismi *calumnia in Reformatos refellitur.* 162. t. 15. 16
Infallibilitas *quomodo competat Ecclesiæ, & quomodo non?* 77. 78
Infantes *fidelium fœderatorum sunt baptizandi.* 463. t. 1. 2. &c.
Infelicem *Exitum hostium non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 130. t. 51
Inferni *denominationes variæ.* 676. t. 2
Infernum dari, probatur. 677. t. 3
Infernales pœnas non in damno tantùm, sed & in sensu consistere. 677. t. 4
Infernalium pœnarum Magnitudo, Duratio, & Extensio. 679. t. 10, 11
Intentionem *Ministri non requiri ad Essentiam Sacramenti, probatur.* 399. t. 5. 6. &c.
Invisibilitas *Ecclesiæ quomodo intelligenda?* 37. t. 4. 5. 6. &c.
De Invocatione *ad Sanctos directa à Pontificiis, ejusque modo.* 140. t. 12

Johannis *baptismus idem fuit cum baptismo Christi.* 444. 445
De Judæorum Conversione. 656. t. 11. 12. &c.
Judaïcæ politiæ *in Terra Canaan restitutio refellitur.* 657. t. 13. 14
Judicii Extremi *veritas probatur.* 668. t. 3. 4. 5. &c. *Ejus objectum, forma, & norma.* 671. 672. *Locus.* 675. t. 21. *& Tempus.* 675. t. 22
Jus *Divinum & Canonicum Primitivæ Ecclesiæ.* 325. t. 22. 23. &c.

L.

Laïcorum *Baptismus refellitur.* 438. 439
Λειτουργίας *nomen cur Cœnæ datum?* 474. t. 9.
Libertinismus *male tribuitur Reformatis.* 163. t. 16
Ligatio Satanæ *qualis sit, & quando facta?* 650. t. 18
Ligandi & solvendi *potestas quænam sit? & quomodo competat Pastoribus?* 333. t. 12
Quæ Lingua *locum habitura sit in cœlis?* 711. 712
Lumen Propheticum *non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 129. t. 48. 49

M.

Magistratui Christiano *quodnam Jus competat circa Sacra?* 353. 354
Magistratum subditos ad fidem non posse cogere, probatur. 361. t. 21. 22. 23. &c.
Manducatio oralis *Corporis Christi refellitur, & spiritualis adstruitur.* 571. t. 9. 10
Matrimonium *non esse Sacramentum, probatur.* 626. t. 40. 41
Matrimonii libertas omnibus concessa probatur. 279. t. 7. *ejus honestas ostenditur.* 278. t. 6
Μεταστοιχειώσεως, μεταβολῆς, & μεταποιήσεως *vocabula, à Patribus usurpata, non favent Transubstantiationi.* 562. t. 29
Ministerii & Vocationis *Pastorum necessitas probatur.* 235. t. 4. 5. 6
Vocatio ad Ministerium quotuplex? 240. t. 1. 2. 3
Vocationem ordinariam ad Ministerium non semper necessariam esse, probatur. 245. t. 15. 16. 17. &c.
De Ministrorum Stipendiis. 300. 301. &c.
Miraculorum Gloriam *non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 127. t. 44. 45 &c.
Miracula non semper comitantur vocationem Extraordinariam. 269. t. 17
De voce Missæ, *ejusque Etymo.* 477. t. 14. *Duplex Missa apud Veteres, Catechumenorum, & Fidelium.* 478. t. 15. *Missatici sacrificii falsitas probatur.* 584. 585. &c.
Μονογαμία *quænam præcipiatur?* 282. t. 11
Mundi interitus *qualis sit futurus. An per ultimam Conflagrationem sit annihilandus, an verò instarandus & renovandus?* 660. t. 1. 2. 3
Μυστηρίου *nomen cur Cœnæ datum?* 476. t. 12

N.

De Notis Ecclesiæ. 96. t. 1. 2. &c. *veræ probantur.* 97. 98. &c. *falsæ refutantur.* 108. 109. &c.

No-

Novitatem *Pontificiis rectè adscribi.* 113.t.13. *Non Reformatis.* 118. t.20. & 158.t.9

Nundinatio *rerum Sacrarum inter Pontificios.* 146.t.18

O.

Oblationis *vox, quo sensu à Patribus data Eucharistiæ.* 601.t.37

Oecumenicus Pontifex *nec Petrus fuit, nec est Papa.* 173.174.& 198. 199

Opus operatum & opus operantis *quid sint apud Pontificios?* 404.t.4

Ordines *non esse Sacramentum, probatur.* 625.t.36.37

Origenistarum *commentum de certo pœnarum Infernalium termino Diabolis & impiis assignato, refellitur.* 679.t.12

P.

Pædobaptismus *probatur.* 464.t.3.4.5

Panis S. Cœnæ *non debet esse necessariò azymus.* 480.t.5

Papam *non esse successorem Petri, probatur.* 198.t.3.4.5.&c.

Papæ Primatus refellitur. 198.199. &c. *quibus gradibus invectus sit?* 210.211.&c.

Pastores *eligendi & vocandi Jus non pertinet ad solos Episcopos, sed ad totam Ecclesiam.* 249.t.1.2.3. &c.

Peccata *non omnino tolli per Baptismum, probatur.* 459.t.5.6.7

An Peccata piorum æquè ac impiorum in Extremo judicio revelanda sint? 673.t.17.18

Perennitas Ecclesiæ *probatur.* 45.t.6. 7.&c.

Personæ Ecclesiasticæ *non sunt exemptæ à Jurisdictione, & subjectione Magistratûs Civilis.* 289.t.1. 2.3. &c. *Talis Immunitas destruitur.* 291.t.8.9.10.&c.

Petrus *non fuit Pontifex Oecumenicus Ecclesiæ, & Vicarius Christi.* 173.t.1.2

Æqualitas ejus cum cæteris Apostolis demonstratur. 175. 176. *Ejus prærogativæ, si quæ fuerunt, non inferunt ejus Primatum.* 187.t.22

Petrum non fuisse Romæ, probatur. 190. t.3.4.5.&c.

Pœnitentiæ *gradus varii apud Veteres.* 339.t.19

Pœnitentiam non esse Sacramentum, probatur. 619.t.14.15

Polygamia *simultanea, & successiva distinguitur.* 282.t.12

Pontifices Rom. *non esse infallibiles, nec in quæstionibus juris, nec in quæstionibus facti, nec ut privatos, nec ut ex Cathedra loquentes.* 88. t.21.22.23

Possessionis *longævæ exceptio à Pontificiis allata, refellitur.* 152.t.30

Potestas Ecclesiastica *probatur.* 308. t.6.7.8. *distinguitur à Politicâ.* 306.t.1.2.3. & 310.t.14.15.16

An Potestas Ecclesiastica versetur circa dogmata fidei, & circa Symbola & Confessiones fidei? 314.t.1. 2.3.&c.

Potestas Legislatoria proprie dicta Leges ferendi, quæ conscientiam per se obligent, Ecclesiæ non competit, sed διατακτικὴ tantùm Constitutiones & Canones ad ἐυταξίαν sanciendi. 319.t.1.2.3

Potestas spiritualis Peccatores con-

tumaces & scandalosos excommunicandi Ministris Sacris competit. 327. t. 1. 2. 3. &c.

Dogma de Potestate Papæ *in deponendis Regibus.* 144. t. 16

Præjudicia *Pontificiorum contra Reformatam Religionem afferuntur, & refelluntur.* 158. t. 8

Præsentia *Corporalis Christi in Eucharistia refellitur.* 565. 566. 567. &c.

Presbyteri *cum Episcopo Identitas probatur.* 223. t. 4. 5. 6

De Presbyteri *& Episcopi distinctione.* 222. 223

Primatum Petri *nullum dari, probatur.* 174. t. 3. 4. 5

Primatus *multiplex, alius ordinis, dignitatis, & autoritatis.* 173. t. 2. *Nullum dari in Ecclesia primatum autoritatis, probatur.* 161. t. 7. 8. *&* 174. t. 3. 4. &c.

Purgatorium refellitur. 708

R.

Primorum Reformatorum *vocatio fuit legitima.* 262. 263. 264. &c. *Qualis fuerit, ordinaria, an extraordinaria?* 268. t. 16

De Regimine Politico Ecclesiæ. 353. 354. &c.

An Regimen Ecclesiæ *debeat esse Monarchicum?* 164. 165. &c.

Regnum Christi *millenarium non dari in terra ante Judicium probatur.* 644. t. 5. 6. 7. &c.

Renovatio Mundi *probatur.* 661. t. 4. 5. 6. *qualis futura sit.* ibid.

De variis Regulis *sermonis.* 532. t. 17. 18.

An Reprobi *prater Electos sint vera Ecclesiæ Christi membra?* 12. t. 1. 2. 3. &c.

Resurrectionis *veritas adstruitur.* 630. t. 9. 10. &c. *Eadem corpora, quæ mortua sunt, resurgere debent.* 640. t. 3. 4. &c.

Prater Resurrectionem universalem non datur particularis Sanctorum & Martyrum, quæ mille annis ultimam præcessura sit. 643. t. 1. 2. 3

Resurrectionis Piorum & Impiorum diversitas. 638. t. 26

Resurrectio prima quid sit? 649. t. 17

De Ritibus *circa Symbola Eucharistica à Christo institutis.* 482. t. 7. 8. 9

Romam, *non Ethnicam, sed Papalem, Babylonem mysticam esse, probatur.* 149. t. 22. 23

Romanam *Ecclesiam hodiernam non esse veram Ecclesiam Christi.* 135. &c.

S.

Quid sit Sacramentum *quoad nomen, & quoad rem.* 375. 376

Tractationis de Sacramentis *Necessitas.* 375

Vocis Sacramenti usus & origo. 375. t. 3. 4. 5. 376. t. 6. 7.

Sacramenti variæ Definitiones. 377. t. 8. 9. *ejus materia.* 378. t. 10. *forma.* 12. 13. *Efficiens.* 379. t. 14. *finis.* 380. t. 15.

An necesse fuerit Sacramenta *in Ecclesia institui, & an eorum usus sit necessarius?* 382. t. 1. 2. 3. &c.

Sacramentorum origo & discrimen à Verbo. 383. t. 5. 6. 7

Quodnam sit discrimen Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti? 412. 413

An Sacramentorum *essentialis forma sita sit in relatione signi ad signatum,*

tum, & in eorum unione σχετικῇ? 388. 389. &c.

An Sacramenta *sint tantum notæ & tesseræ professionis nostræ, an vero etiam signa & sigilla gratiæ Dei de remissione peccatorum, & Regeneratione Spiritus?* 391. 392. &c.

Sacramenta Novi Test. non operantur gratiam physicè & ex opere operato. 403. 404. &c.

An Differentia Sacramentorum *Veteris & Novi Test. in eo consistat, quod illa adumbrarint gratiam, hæc contineant, illa figuram, hæc ipsum corpus habeant?* 412. 413. &c.

Unio Sacramentalis *quænam sit?* 388. 389. t. 3. 4 &c.

An Sacrificium *externum reale, propriè dictum, & verè propitiatorium offeratur in Eucharistia?* 582. 583. &c.

Sacrificium Missaticum *non dari, probatur.* 584. 585. 586

Sacrificii Redemptionis & applicationis, Cruenti & incruenti, Immolationis, & repræsentationis distinctiones vanas esse, probatur. 588. t. 12. 13. 14.

Sancti *quomodo Mundum judicaturi?* 670. t. 9. 10

Sanctitatem *vitæ Patrum non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 127. t. 43

Satanæ traditio *quid sit?* 335. t. 14. 15

Satanæ ligatio quid significet? 650. t. 18

Schismatici *an pertineant ad Ecclesiam?* 29. t. 18

Schismatis crimen Reformatis impositum refellitur. 158. t. 8

Semo Sancus *quis fuerit?* 196. t. 15

Sensus Tropicus *in verbis Cænæ probatur.* 521. t. 4. 5. 6

Serveti *supplicium justum fuisse, probatur.* 373. t. 49

Quænam sit natura Signi Sacramentalis? 385. t. 1. 2. 3

Signa *adventus Christi, alia Communia, alia specialia.* 655. t. 9. 10. &c.

De Signis *futuris in Cælo, Sole, Luna & Stellis ante ultimum adventum Christi.* 658. t. 15

De Signo Filii hominis. 659. t. 16

Simonis Magi *pugna cum Petro Romæ fictitia.* 196. t. 15

De Spiritualitate *Corporum Glorificatorum.* 694. t. 9

Splendor *non semper competit Ecclesiæ.* 52. t. 2. 3. 4

An Stipendium *aliquod Ministris Ecclesiæ debeatur?* 300. 301. &c.

Successionem continuam *Episcoporum non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 121. t. 29. 30

Symbolorum Institutio, *& in specie Symboli Apostolici.* 316. t. 5. 6

Synagogæ *vox explicatur.* 7. t. 2. 3. 4

Synaxis *nomen cur Cænæ datum?* 474. t. 9.

Synodis *quænam competat autoritas?* 95. t. 37

T.

Quid sit Traditio Satanæ? 335. t. 14. 15

De Traditione Domûs Eliæ. 654. t. 6

Transubstantiatio *refellitur.* 546. 547. 548.

Transubstantiationis dogma, quando, & quomodo in Ecclesiam introductum fuerit? 590. t. 25. 26. 27

Tropi *sedes quænam sit in verbis Cænæ.* 541. t. 29

Tro-

Tropicus sensus *in verbis Sacramentalibus retinendus est.* 520. &c.

V.

De Valle Josaphat. 675. t. 28

An Verbum Sacramentale *sit verbum prædicatum & concionale? An verò* Consecratorium, *quod sit operativum?* 395. t. 1. 2. 3

An verba S. Cœnæ proprie & literaliter, an verò Tropicè & Sacramentaliter sint intelligenda? 520. 521. 522

Vinum *S. Cœnæ commune esse debere, non aquâ dilutum.* 481. t. 6

De Virtute *& potentia Corporum Glorificatorum.* 694. t. 8

Visibilitas Ecclesiæ *quot modis intelligenda?* 37. t. 5. 6

Visionis *Dei varia species.* 683. t 9. 10

Visionem, Amorem, & Gaudium, ad beatitudinem æternam concurrere, probatur. 681. t. 6

Visio beatifica Dei quænam sit? 682. t. 8

Vitæ æternæ *diversæ acceptiones.* 680. t. 2. *variæ ejus symbola, & typi.* 687. 688. &c.

An Vita æterna consistat in visione, an in amore? 681. t. 5

Unio Sacramentalis *quænam sit.* 389. &c.

Unionem Membrorum *cum Capite non esse Notam Ecclesiæ, probatur.* 124. t. 35. 36

Vocationis *& Missionis Reformatorum defectus refellitur.* 159. t. 10

Jus Vocationis Pastorum *competere Ecclesiæ, probatur.* 251. t. 7. 8. &c.

Vocatio ad Ministerium Interna & Externa, Mediata & Immediata, Ordinaria & Extraordinaria. 240. t. 3. 4. 5. 6. &c.

Vocatio Primorum Reformatorum fuit legitima. 262. 263. &c.

FINIS.

10-2-3

Digitized by Google